

**EDIZIONE DELLO STATUTO DEL
COMUNE DI BOLOGNA
DELL'ANNO 1376**

ARCHIVIO DI STATO DI BOLOGNA

Statuto dell'anno 1376

Fondo *Governo del Comune*, serie *Statuti*

[vol. XIII, n. di corda 46]

LIBER PRIMUS

cc. 11r-56r

[c. 11r f. I]

In nomine domini nostri Iesu Christi, beatissimeque matris eius Virginis gloriose, beatorum apostolorum Petri et Pauli utriusque Iohannis, sanctorum pontificum Petronii et Ambrosii, beatorum confessorum Dominici et Francisci, nec non preciosi militis Floriani martiris, patronorum defensorum ac protectorum comunis et populi civitatis et districtus Bononie et tocius celestis curie amen. Et ad eorum reverentiam et ad honorem et reverentiam sacrosancte Romane ecclesie et sanctissimi in Christo patris et domini summi pontificis et sacri colegi dominorum cardinalium et ad conservationem et exaltationem civitatis, comitatus et districtus Bononie. Nec non civium, comitatorum, incollarum et districtualium eorundem et status popularis civitatis predictae et libertatis eiusdem et presentis regiminis et amatorum et gelatorum ipsius. Et ad pacificum, quietum et tranquillum statum eorundem, Deo propitio perpetuo duraturum. Infrascripta sunt statuta et ordinamenta nova populi et comunis Bononie et ad ipsum populum et comune Bononie et eius subditos et alios in ipsis statutis comprehensos pertinentia, edita et compilata et tam ex antiquis libris statutorum, ordinamentorum et reformationum comunis Bononie, quam ex novis promulgationibus et provisionibus, ac solempniter, fideliter et diligenter correcta, examinata et promulgata de novo per prudentes et comendabiles viros dominos¹ Francischum de Ramponibus, Antonium de Presbiteris, Sanctum de Daynisiis, Andream de Bobus, Nicholaum de Çapolino legum doctores, et providos et discretos viros Andream de Usbertis, Francischum de Talamaciis, Iohannem de Bargelinis et Iacobum de Salamonibus, omnes honorabiles cives civitatis Bononie, vigore auctoritatis et baylie eis concessae et attributae per magnificos dominos, dominos ancianos populi et comunis civitatis Bononie mensis aprilis millesimi trecentissimi septuagesimi sexti, scripte manu Blaxii de Meçavachis notarii et tunc notarii prefatorum dominorum ancianorum, vigore potestatis, arbitrii et baylie predictis dominis ancianis concessae et attributae per dictum comune ex reformatione consilii populi prefate civitatis Bononie, scripta manu Laygoni Dini Hostexarii cancelarii dictorum dominorum ancianorum et populi et comunis Bononie seu manu alterius ex notariis dictorum dominorum ancianorum in dicto millesimo trecentesimo septuagesimo sexto de mense marcii. Et confirmata per magnificos dominos, dominos ancianos et consules comunis et populi Bononie mensium marcii et aprilis millesimi trecentissimi septuagesimi septimi, quintedecime indictionis, nec non per colegia dominorum confaloneriorum et massariorum artium civitatis Bononie, habentes auctoritatem comunis et populi Bononie, vigore provisionis et reformationis facte in consilio generali comunis et populi civitatis prefate, scripte manu dicti Laygoni notarii et cancelarii predicti de dicto mense marcii millesimi trecentissimi septuagesimi septimi, quintedecime indictionis, ut patet publica scriptura scripta manu dicti Blasii notarii predicti vel alterius cuiuscumque notarii. Ac etiam revisa, examinata et reformatata per eximios legum doctores dominos Iacobum de Presbiteris et Andream de Bobus suprascriptum et providum et discretum virum Iohannem Bonaventure de Bargelinis suprascriptum, specialiter ad predicta electos et assumptos per magnificos dominos, dominos Andream Bertolini de Fagnano vexiliferum iusticie, Laurencium de Pinu eximium decretorum doctorem, Petrum Palmerii de Pannolini, Francischum de Gomborutis notarium, Valentinum Dominici Barberini, Bertolomeum Philippi de Piçolpassis, Andream de Tomariis campsozem, Dinarellum de Magarotis et Nicholaum fratris Dominici Paltronerii ancianos et consules populi et comunis Bononie mensium novembris et decembris millesimi trecentissimi septuagesimi octavi, prime indictionis,

¹ <dominos> *corregge il compendio di dominus.*

nec non per colegia dominorum confaloneriorum et massariorum artium populi et comunis predicti dicti temporis.

[c. 11v]

Incipit liber primus statutorum novorum populi et comunis Bononie. [cc. 11v-56r]

[1] **De ellectione dominorum ancianorum comunis et populi civitatis Bononie.**
[cc. 11v-12v]

Antianatus officium quam sit utile quamque sit necessarium comuni et populo Bononie omnibus innotesit atento quod sine capite, membra diutius substentari non valent. Ideo super eorum ellectione providere volentes. Statuimus et firmamus quod ellectio novorum antianorum fiat pro uno anno dumtaxat et non ultra. Que quidem ellectio fiat hoc modo et ordine videlicet, quod de mense ianuarii cuiuslibet anni, domini anciani, qui pro tempore fuerint in unum congregati, in virtute eorum prestiti iuramenti et sub pena centum librarum bononinorum cuilibet anciano qui in hiis et aliis infra in hoc statuto descriptis fuerit negligens et totidem cancelario qui presens statutum tempore debito non notificaverit dominis ancianis, quod inter se proponant ad minus infra octo dies dicti mensis, de faciendo novo marsupio novorum ancianorum, et antequam de dicta congregatione discedant sub pena predicta elligant duodecim bonos viros et notabiles cives, qui sint veri cives originarii civitatis Bononie origine propria et paterna et avita vel saltem duabus ex eis videlicet, tres pro quolibet quarterio. Quibus duodecim sic ellectis, eadem die eos faciant prefati domini anciani coram se vocari et ipsis duodecim coram dictis dominis existentibus vexilifer iustitie aut prior dominorum ancianorum qui pro tempore erit eis proponat causam sue congregationis et quod expedit marsupium fieri de novis ancianis et pro predictis duodecim et cuilibet eorum de mandato vesiliferi iustitie seu prioris dominorum ancianorum per cancellarium vel alterum ex notariis dictorum dominorum ancianorum defferatur iuramentum de bona et ydonea ellectione fienda, remotis hodie, amore, timore vel alia humana gratia. Et quod neminem nominabunt in ancianum quem non credant fore ydoneum et sufficientem ad dictum officium ancianatus exercendum vel aliquem quem crediderint fore prohybitum secundum formam nostrorum statutorum. Et quod predicta nemini, nisi inter se, propalabunt seu pandent directe vel indirecte et sacramentum de tenendo secreta predicta tunc prestetur. Qui domini anciani dicto iuramento prestito per dictos duodecim eos deptimeant in pallatio eorum residentie et nemini civi loqui permictant, donec quilibet eorum dederit in scriptis cancellario predicto in una scripta per se duodecim nomina civium de civitate Bononie, quos crediderint fore sufficientes et ydoneos ad officium ancianatus exercendum et de suo quarterio tantum et non de alieno. Qui elligendi sint et esse debeant de consilio quatringerorum comunis et populi Bononie. Et si aliquis ex dictis duodecim sapientibus dederit in scriptis vel nominaverit aliquem, qui non sit de suo quarterio vel aliquem non verum civem vel alium prohybitum esse ancianum non teneat talis datio vel nominatio. Et antequam discedat teneatur loco talis dare in scriptis alium ydoneum et de suo quarterio tantum. Adhicientes quod nominatus seu datus in scriptis ab uno ex dictis sapientibus non possit ab alio in scriptis dari vel nominari. Et si datus fuerit nomen talis cancelletur, ita quod non remaneat scriptus, nisi in una ex dictis scriptis. Et loco talis cancelati reponatur alius non prohybus. Et predictas scriptas dictus cancellarius//

[c. 12r f. II]

apud se retinere debeat, et eas nemini ostendere in virtute prestiti iuramenti et sub pena viginti quinque librarum bononinorum. Que quidem nomina singulariter et per se in uno breve vel brevi, una cum prenomine talis in dicto brevi descripti ponantur, ponendo in breve de quo quarterio est talis descriptus et dictus cancelarius exemplare teneatur infra terciam diem postquam eidem data fuerint per dictos duodecim sapientes sub pena

viginti quinque librarum bononinorum. Dictis autem brevibus scriptis modo suprascripto in rotundo plicatis per cancellarium predictum tunc eadem die notificet predictis dominis ancianis, quod expedit scrupituarum nomina novorum ancianorum. Qui domini anciani eadem die vel sequenti ad penam centum librarum bononinorum cuilibet anciano vocatis ad se colegiis dominorum confaloneriorum et massariorum artium civitatis Bononie. Et ipsis omnibus vel maiori parte eorum in unum existentibus ponantur omnia dicta brevina in uno capello seu capellina et incontinenti proponatur per dictum cancellarium coram predictis quod in dictis brevibus scripta sunt nomina eorum qui debent esse anciani novi comunis et populi Bononie finitis balotis antiquis que sunt in marsupio et quod debeant in virtute eorum prestiti iuramenti approbare quos putaverint ydoneos ad dictum officium exercendum. Et demum de dicto capello seu capellina extrahat dictus cancellarius unum breve et publice et alta voce legat nomen et prenomen in dicto brevi descriptum. Ita quod ab omnibus in dicta congregatione existentibus velleat intelligi et cognosci talis nominatus. Et datis fabis albis et nigris cuilibet in dicta congregatione existenti sit licitum tale nomen approbare vel improbare² secundum eorum conscientiam. Qui cancellarius colligere teneatur fabas albas et nigras et scribere quot fabas albas et nigras habet is qui in dicto brevi nominatus est, ad penam viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice qua fuerit in predictis negligens. Et idem fiat singulariter et per se de quolibet brevi in dicto capello seu capellina existente. Celebrato autem inter predictos supradicto scrupitino super quolibet dictorum brevium singulariter et per se, elligantur per dominos ancianos die sequenti octo boni viri et notabiles cives civitatis Bononie videlicet, duo pro quolibet quarterio et cum dictis civibus adsit cancellarius. Qui quidem octo cives accedant ante presenciam dictorum dominorum ancianorum et iurent in manibus cancellarii de voluntate domini confalonerii iustitie bene et legaliter dividere et distribuere quinqueingentaquatuor nomina in sex brevina ponendo in quolibet brevi novem nomina. Quo sacramento prestito, predicti octo sapientes una cum cancellario dominorum ancianorum videant et examinent scrupitinium factum super dictis brevibus et dictis nominibus scrupitiniatis ut supra, elligant quinqueingentaquatuor nomina ex omnibus dictis quarteriis coequando quarteria quam melius fieri poterit eorum nominum qui plures fabas albas habuerint in scrupitino supradicto. Que quidem quinqueingentaquatuor nomina predicti octo sapientes antequam discedant de pallatio dominorum ancianorum, ad penam centum librarum bononinorum pro quolibet ex dictis sapientibus qui in predictis vel infrascriptis fuerit negligens, ab eo per capitaneum populi de facto auferendam dividant in sex brevina ponendo in quolibet brevi novem nomina cum prenominibus et cognominibus talium ibi descriptorum et de quo quarterio sunt. Ita quod in quolibet brevi sint saltim duo nomina hominum cuiuslibet quarterii civitatis Bononie, salvo quod de illo quarterio de quo datur vexilifer iustitie ponantur tria nomina de illo quarterio, dum tamen in uno et eodem brevi non possit esse, nisi unus de eadem domo, familia vel progenie. Et quod in uno// [c. 12v]

et eodem brevi non possit esse pater et filius, nec duo fratres neque patruus et nepos sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet dictorum octo sapientum contrafacientium. Et nichilominus si contrafactum fuerit non teneat ipso iure, sed servetur in eorum extractione forma statuti positi sub rubrica “Qui prohybentur esse anciani” [2]. Et nominatus et descriptus in uno brevi amplius in alio brevi nominari et scribi non valeat et si scriptus reperiatur ultra quam semel eius nomen cancelletur, ita quod semel tantum remaneat. Et dicta brevina scribantur in cartis membranis et unum quodque dictorum brevium ponatur in una balota cerea per se. Quorum novorum

² <improbare> nel testo improbare.

dominorum ancianorum officium incipiat quolibet anno in kalendis mensis maii, supradictis autem brevibus compilatis, predicti octo sapientes incontinenti elligant de residuo dictorum nominum scrupinuatorum ut supra duodecim nomina de hiis qui plures fabas albas in scrupinio supradicto habuerint videlicet, tria nomina pro quolibet quarterio. Que quidem nomina dictorum duodecim scribi debeant per dictum cancellarium singulariter per se in uno brevi in carta membrana una cum eius nomine et pronomine et de quo quarterio est ipse descriptus in tali breve. Et predicta brevia et unum quodque singulariter et per se plicari debeant in rotundum per cancellarium predictum et poni in quatuor marsupiiis, silicet tria brevia eiusdem quarterii in quolibet marsupio. Que quidem duodecim brevia vocentur supernumerariorum ancianorum. Ita quod si contingat aliquem nominatum vel descriptum in aliquo ex brevibus existentibus in dictis balotis cereis esse mortuum vel absentem a civitate Bononie tempore extrationis de eo fiende vel non acceptare infra tempus a nostris statutis ordinatum aut inhabilem vel infernum esse gravi infirmitate vel habere iustam vel legitimam excusationem quod tunc loco talis extrahatur unus vel plures ex dictis supernumerariis prout oppus fuerit dum tamen loco talis mortui vel absentis non acceptantis ut supra aut inhabilis vel infirmi aut aliam legitimam excusationem habentis non possit elligi vel extrahi, nisi de eodem quarterio.

[2] **Qui prohibentur esse antiani comunis et populli Bononie. Rubrica.** [cc. 12v-13r]

Providemus et firmamus quod nullus possit elligi vel extrahi in ancianum comunis et populi Bononie qui non sit civis civitatis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis et maior treginta annorum et minorum octuaginta annorum. Et si de predictis etatibus vel altera earum dubitetur, stetur declarationi maioris partis dominorum ancianorum qui tempore extrationis fiende de talibus ancianis erunt. Prohybemus etiam esse ancianos quoscumque, qui prohybentur esse de consilio quatringtonum ex forma nostrorum statutorum et etiam quoscumque bannitos comunis et populi Bononie, qui reperirentur descripti in aliquo ex libris bannitorum comunis Bononie positis ad dischum bannitorum pro aliquo debito. Et etiam quoscumque rebelles comunis Bononie predicti, nec etiam possit esse ancianus aliquis religiosus vel ecclesiastica persona, aut aliquis clericus in sacris oridinibus constitutus qui haberet ultra primam tonsuram et quatuor minores, quibus casibus et quolibet eorum. Ellectio et extractio facta de talibus prohybitis vel altero eorum non teneat ipso iure et nomen eius delanietur vel cancelletur, nec eius nomen amplius reponatur in sacullo vel marsuppio ancianorum et loco talis prohybiti elligatur unus ex supernumerariis ancianis qui sint in sacullo seu marsuppio supernumerariorum. Prohibentes etiam esse ancianum//
[c. 13r f. III]

aliquem qui tempore talis extractionis de eo facte foret infirmus gravi infirmitate. Et quod in eodem ancianatu eodem tempore simul esse non possint pater et filius, duo fratres, patruus et nepos, nec etiam esse possit, nisi unus de eadem domo, familia vel progenie. Et ille in officio ancianatus remaneat, qui posito partito inter ancianos more solito plures fabas albas habuerit alter vero sit et esse intelligatur prohybitus pro dicto anno. Item prohybemus esse ancianos omnes absentes a civitate et comitatu Bononie ex causa voluntaria vel ex causa reypublice tempore talis extractionis de talibus absentibus fiende, nisi tales absentes ex causa reypublice infra quindecim dies et tales absentes ex causa voluntaria infra octo dies a die extractionis de eis facte reddiderint ad civitatem Bononie et officium ancianatus infra dictum terminum acceptaverint. Item prohibemus omnes qui officium ancianatus exercuerint esse ancianos a die eorum depositi officii

usque ad unum annum proxime secuturum. Quibus casibus si infra dictum tempus non reddierint³ et acceptaverint ut supra dictum est vel si fuerit infirmus gravi infirmitate vel officium ancianatus exercuerit et non fuerit elapsus annus a die ipsius depositi ancianatus officii non teneat ellectio vel extractio ipso iure et loco talis procedatur ad novam extractionem unius dictorum supernumerariorum de eodem quarterio ut supra et nomen talis per se plicetur in uno brevi et reponatur inter nomina supernumerariorum ancianorum. Adhicientes quod si contingat in ancianum extrahi aliquem de supra prohibitis et dictum officium ancianatus acceptare aut actualiter exercere, nisi ut supra dictum est, incidat penam ducentarum librarum bononinorum ab eo de facto auferendam per capitaneum populi infra tres dies postquam eidem capitaneo denunciatum fuerit vel aliter ei notum fuerit talem prohibitum acceptasse vel officium exercere et nichilominus ipso iure ancianus non sit. Et de dicto ancianatu ab aliis expellatur sub pena viginti quinque librarum bononinorum cuilibet anciano et librarum quinqueginta bononinorum cancellario si hoc non denunciaverit dictis dominis ancianis. Et eos omnes qui infra annum tunc proxime precedentem fuerint anciani. Et hoc ut ne pretestu ygnorantie quis non valeat excusari a penis supradictis. Statuimus et ordinamus quod hoc statutum cancellarius dominorum ancianorum quocienscumque contingerit novam extractionem fieri de novis ancianis in continenti ante extrationem predictam fiendam legere teneatur antianis antiquis et etiam post eam factam statim ancianis noviter tunc extractis pena cancellario qui obmiserit legere hoc statutum tempore supradicto librarum viginti quinque bononinorum ab eo de facto per dictum capitaneum auferenda tempore sindicatus dicti cancellarii vel per syndicos qui talem cancellarium sindicabunt. Prohibemus etiam quod nullus se debeat in fraudem absentare quominus possit infra octo dies a die extractionis predictae personaliter reddere ad civitatem Bononie et officium ancianatus infra dictum terminum acceptare sub pena centum librarum bononinorum.

[3] De modo et forma extrahendi dominos ancianos comunis et populi Bononie et de incoatione eorum offitii. Rubrica. [cc. 13r-14r]

Ordinamus quod domini anciani qui pro tempora debent preesse comuni et populo civitatis Bononie et ipsorum nomina debeant extrahy de capsa et marsupio in qua et quo sunt positi seu posita hoc modo et forma videlicet, quia domini anciani, qui pro tempora erunt per tres dies ante finem eorum officii convocatis et congregatis dominis capitaneo populi et potestate civitatis Bononie et dominis confaloneriis et massariis artium predictae civitatis et etiam aliis civibus qui adesse voluerint in pallatio ipsorum residentie//

[c. 13v]

faciant coram se presentari capsam, in qua nomina dictorum dominorum ancianorum sunt collocata, de qua capsam, in presencia dictorum dominorum ancianorum aperta cum hiis clavibus cum quibus est clausa, extrahatur marsupium in quo predictorum dominorum ancianorum nomina sunt colocata per cancellarium vel alterum ex notariis dictorum dominorum ancianorum et incontinenti coram predictis dominis presentetur per eum qui dictum marsupium de dicta cassa extraserit. Et tunc dictus dominus capitaneus populi ipsum marsupium aperiens miscendo bene primo simul omnes baloctas in dicto marsupio existentes de eodem extrahat unam ex baloctis cereis in dicto marsupio existentibus et eandem tradat in manibus predicti cancellarii vel alterius ex notariis predictorum dominorum ancianorum, qui eandem baloctam frangens recipiat breve in dicta ballocta existens et in presencia dictorum dominorum ancianorum et

³ <reddierint> *corregge* reddiderint.

aliorum ibi astantium publice et alta voce legat et publicet nomina, prenomina et cognomina dictorum dominorum ancianorum et vesiliferi iustitie, qui tunc extracti sunt et qui preesse debent comuni et populo Bononie pro duobus mensibus sequentibus inquoandis finito officio dominorum ancianorum qui eos extrahi faciunt⁴. Quibus nominibus sic lectis et publicatis claudatur dictum marsupium et reponatur in dicta cassa et demum claudatur dicta cassa cum clavibus ad hoc deputatis et per eos qui dictas claves retinent vel per dictum cancellarium vel notarium de ipsorum voluntate et reportetur ad locum dicte casse deputatum et ordinatum. Et requirantur predicti sic extracti ut se presentent coram predictis dominis ancianis in continenti. Qui sic extracti associentur per aliquos de familia predictorum dominorum. Quibus sic associatis et existentibus in dicto palatio per predictum cancellarium vel notarium incontinenti moneantur quod ab ea die in antea ante initium sui officii non debeant ire de die per civitatem Bononie, nisi asociati aliquibus familiaribus dictorum dominorum ancianorum. Et quod durante eorum officio non debeant discedere de pallatio eorum residentie, nisi in casibus eis permissis ex forma nostrorum statutorum et associati familiaribus dictorum dominorum ancianorum prout in dictis statutis continetur. Et quod dictis tribus diebus de die, horis et temporibus congruis stare debeant cum dictis dominis ancianis qui exituri sunt officium ad se informandum de negotiis et factis pendentibus. Quibus tribus diebus finitis ante solis ortum die qua debent intrare officium se presentare debeant in dicto pallatio. Et si contingat extrahi in dicto officio aliquem mortuum vel prohibitum vel iustam excusationem habentem, tunc loco talis extrahatur unus ex supernumerariis qui sit de eodem quarterio de quo erat qui mortuus vel prohibitus fuerat vel excusationem habuerit. Et idem fiat si extractus fuerit aliquis absens a civitate et comitatu Bononie qui non reddiderit ad ipsam civitatem infra tempus a die extractionis de eo facte supra ordinate in proximo precedenti statuto posito sub rubrica “Qui prohybentur esse anciani” [2]. Et si contingerit aliquem tempore extrationis de eo facte esse officialem ad aliquod officium comunis et populi Bononie in civitate, comitatu vel districtu dicte civitatis cui officio per se tantum et non per substitutum debeat deservire ex forma nostrorum statutorum possit eadem die qua sibi fuerit denunciatum ex parte dominorum ancianorum vel etiam die sequenti dictum ancianatus officium acceptare personaliter coram dictis dominis ancianis dummodo talis extractus non sit castelanus vel custos alicuius roche fortilicii sive turris existentis in comitatu vel districtu Bononie. Quibus casibus infra tres dies postquam ei fuerit denunciatum per literas dominorum ancianorum acceptare possit per procuratorem suum coram dictis dominis ancianis et eodem tempore acceptationis teneatur renunciare officio in quo tunc esse reperiretur et in eius locum alius officialis subrogetur per dominos ancianos confalonerios et massarios predictos seu maiorem partem ipsorum quam citius fieri poterit in virtute prestiti sacramenti taliter ordinando quod dicto//

[c. 14r f. III^{or}]

officio aliquod preiudicium non sequatur, sed eque, bene vel melius sit provisum. Et ante quam dicta subrogatio et provisio facta sit talis extractus non possit a suo officio in quo erat aliquid se movere. Elapsso vero termino supradicto infra quod extrattus dictum ancianatus officium poterit acceptare vel si coram dictis dominis ancianis per se vel eius procuratorem renunciaverit officio ancianatus predicto, tunc ad novam extractionem procedatur et de uno ex supernumerariis secundum formam nostrorum statutorum et nomen talis renunciantis per se plicetur in uno brevi et reponatur inter nomina supernumeriorum. Qui supernumerarius sic extractus loco talis absentis vel iustam excusationem habentis vel impediti vel mortui sit et esse intelligatur verus

⁴ <faciunt> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 5 lettere annullato da barrature sagittali.

ancianus pro tempore pro quo durabit officium dominorum ancianorum noviter extractorum dum tamen talis supernumerarius non fuerit impeditus prohybitus vel mortuus vel aliam iustam excusationem haberet, quo casu procedatur ad novam extractionem loco talis. Statuentes quod quilibet qui pro predicto officio ancianatus fuerit extractus non tamen prohybitus vel absens ut supra vel iustam excusationem non habens sub pena ducentarum librarum bononinorum dictum officium acceptare teneatur infra tempus declarandum per vesiliferum iustitie qui pro tempore erit vel maiorem partem ancianorum qui tunc erunt. Qua declaratione non facta saltem prima die incoationis talis officii acceptare teneatur si alias prohybitus non fuerit. Et an sit causa iusta vel non cognosci et decidi debeat per dominos ancianos vel maiorem partem ipsorum.

[4] De forma et modo iuramenti dominorum ancianorum comunis et populi Bononie. Rubrica. [cc. 14r-15r]

Considerantes sacramenti religione propter Dey iuditium et humanitatis scandalium presidentes plerumque ab illicitis et inhonestis abstinere ac provida deliberatione ordinamus quod prima die introytus officii dominorum ancianorum qui pro tempore fuerint de mane domini anciani quorum officium finitur debeant omnes pulsari facere ad sturmm campanas comunis Bononie, que sunt in turri domini potestatis Bononie et eam que est in turri palacii ressidentie dictorum dominorum ancianorum tribus viribus pro congregatione conscillii generalis comunis et populi Bononie premissa preconio sono tube per civitatem Bononie in die precedenti, ut ea die introytus predicti accedere possint omnes ad conscillium in pallatio predicto in loco et in sala conscillii ad videndum iurare novos dominos ancianos comunis et populi Bononie. Qui novi anciani existentes in palatio residentie dictorum dominorum antianorum et in loco condecanti iurare teneantur in manibus vicarii in civitate Bononie pro domino summo pontifice et sancta Romana ecclesia residencia facientis hoc modo videlicet, quod ipsi domini anciani et quilibet ipsorum sunt devoti sacrosancte Romane ecclesie et domini summi pontificiis. Et quod regent et gubernabunt civitatem Bononie eiusque comitatum secundum formam statutorum comunis Bononie. Et quod ipsam civitatem, comitatum et districtum pro posse conservabunt in libero et tranquillo statu popullari ad honorem et statum sacrosante Romane ecclesie et dicti domini summi pontificis. Et quod nullo modo consentient vel permitent quod dicta civitas vel aliquod fortilitium comitatus vel districtus Bononie directe vel indirecte subiciatur alicui tirapnidi vel subiectioni aut dominio alicuius singularis persone. Ac eciam congregatis hominibus predictae civitatis in sala predicta, ipsi domini anciani novi, una cum ancianis veteribus, in equali solio et bancha sedere debeant una cum dicto capitaneo populi et cum domino potestate civitatis Bononie et cum vicariis eorundem et ibidem sic existentibus esse//

[c. 14v]

debeat vexillum iusticie ellevatum et erectum quod teneat alter ex familiaribus dictorum dominorum ancianorum. Quibus sic congregatis et factis ut supra per cançellarium vel alterum ex notariis dictorum dominorum ancianorum singulariter et alta voce nominentur et vocentur omnes et singulli novi domini anciani et vexilifer iustitie. Quorum officium ea die incipit pro duobus mensibus proxime secuturis et cuilbet ipsorum novorum dominorum ancianorum ibidem presencium et de mandato prioris ancianorum quorum fuerit officium defferratur sacramentum per predictum cancellarium vel alterum ex dictis notariis hac forma et modo in effectu videlicet. Ad honorem et reverenciam omnipotentis Dei et Salvatoris nostri domini nostri Iesu Christi eius filii eiusque matris virginis gloriose, sanctorum appostolorum Petri et Pauli et

sanctorum pontificum Petronii et Ambrosii et preciosi militis martiris sancti Floriani et gloriosorum confessorum sanctorum Dominici et Francisci protectorum et defensorum comunis et populi civitatis Bononie totiusque celestis curie triumphantis amen, et ad honorem et reverentiam sacrosante chatolice Ecclesie et domini summi pontificis et ad honorem et tranquillum statum comunis et populi Bononie et libertatis dicti populi, et ad honorem et reverenciam omnium amatorum dicti populi et status predicti vos magnifici domini anciani et vexilifer iustitie comunis et populi civitatis Bononie pro duobus mensibus proxime secuturis hodie incoandis et quilibet vestrum iurabitis corporaliter ad sancta Dei evangelia manibus tactis scripturis quod vos et quilibet vestrum estis veri cives civitatis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis. Et quod vos et quilibet vestrum estis amatores comunis et populi Bononie et presentis status popularis et libertate dicti populi. Et quod vos et quilibet vestrum remotis prece, pretio, amore, timore, hodio et omni humana gratia bene dilligenter et solicite pro posse vestro vestrum officium exercebitis et exerceri facietis. Et omnia et singula statuta et reformationes facta et factas et fienda et fiendas legiptime observabitis et observari facietis. Et quod res, bona, iura, honores et dignitates ipsius comunis et populi deffenditis, conservabitis et recuperabitis et augmentabitis pro posse contra omnes. Et ipsum comune res et bona dicti comunis directe vel indirecte ullo modo non defraudabitis, nec paciamini defraudari aut baratari vel decipi. Et quod legales eritis et fideles dicto comuni et populo et dicto statui contra omnes. Et quod pro posse omnibus et singulis equalem iusticiam facietis et fieri facietis per officiales comunis et populi Bononie. Et quod contra iustitiam pro aliquo directe vel indirecte non interceditis palam vel secrete. Et quod secreta dicti comunis et populi Bononie non propalabitur alicui persone, nisi quatenus fuerit utile vel expediens dicto comuni et populo et dicto statui. Et quod neminem paciemiini oprimi. Et quod mostras fieri facietis et rationes comunis Bononie videbitis et videri facietis et in saldum reduci secundum formam vestri officii. Qui domini anciani predicta omnia et singula iurabunt corporaliter ad sancta Dei evangelia in manibus dicti cancellarii vel alterius ex dictis notariis recipientis vice et nomine comunis et populi Bononie. Quo iuramento prestito, tunc per alterum ex dictis vicariis dominorum potestatis et capitaney prout ordinatum fuerit per dominos ancianos proximum in officio precessores fiat quedam brevis arengha, in qua laudet officium precedentium ancianorum et fucturi anciani ortentur ad bene faciendum et gubernandum dictum comune et populum et eorum officium et statum libertatis predictae. Qua arengha finita vesilifer iustitie antiquus ponat vexillum iustitie in manibus domini capitaney populi. Qui dictus capitaneus ipsum vesillum iustitie tradat//

[c. 15r f. V]

in manibus novi vexilifferi iustitie immediate obscullo pacis interveniente. Et postea sonentur tube comunis. Quibus factis novi domini anciani remanere debeant in palatio ressidentie ipsorum dominorum et alii recedere debeant de palatio. Et ipsi novi anciani ea die elligere teneantur unum ex eis in priorem ipsorum de quarterio porte Sancti Petri, cuius prioris officium duret septem diebus quibus finitis alius prior elligatur pro aliis septem diebus de quarterio Porte Sterii et ipsis finitis alius prior elligatur pro aliis septem diebus de quarterio Porte Sancti Proculi et ipsis finitis alius prior elligatur pro aliis septem diebus de quarterio Porte Ravenatis et sic fiat successive, ita quod quilibet ex dictis octo ancianis non a numerata persona dicti vexilifferi sua vice sit prior dictorum dominorum ancianorum durante eorum officio.

[5] De partitis et propositis fiendis et proponendis ac firmandis et reformandis in consilio quadrigentorum comunis et populi Bononie. Rubrica. [cc. 15r-16v]

Ut bonis consiliis et salubribus deliberationibus status nostre reipublice gubernetur, statuimus et ordinamus quod quelibet propositiones et poste in consilio quadringentorum proponende et reformande prius debeant proponi inter dominos ancianos per dominum priorem ancianorum vel vexilifferum iustitie et si inter ipsos eadem posta super non prohibitis firmetur, tunc vocentur colegia videlicet, dominorum confaloneriorum populi et massariorum artium civitatis Bononie et coram ipsis in unum coadunatis vel maiore parte ipsorum eadem posta proponatur et super ea consilium petatur et si dicta posta fuerit approbata per dictos dominos ancianos, confalonerios et massarios vel maiorem partem eorum, nisi de alio maiori numero habendo in aliquo casu specialiter sit statutum inter eos facto et celebrato scrupitino ad fabas albas et nigras, de quo scrupitino et etiam de quolibet alio scrupitino fiendo apparere debeat per scripturam scriptam per alterum ex notariis dominorum ancianorum seu cancellarii ipsorum alias ipso iure non teneat. Tunc propositio seu posta predicta de voluntate dominorum ancianorum vel maioris partis eorum possit et valeat legi in consilio quadringentorum comunis et populi Bononie per alterum ex notariis dictorum dominorum ancianorum vel cancellarium ipsorum ac etiam proponi in dicto consilio per vexiliferum iustitie vel priorem dominorum ancianorum vel alterum quemvis cui dicti domini anciani comitterent. Super qua posta in consilio quadringentorum lecta et proposita sit licitum cuilibet consiliario de dicto consilio dare et reddere id consilium quid eis salubre videbitur secundum eius conscientiam et voluntas et consilium cuiuslibet ex dictis consiliariis sub compendio verborum reddatur in scriptis per cancellarium vel alterum ex notariis dominorum ancianorum. Auditisque ac intellectis consiliis redditis per consiliarios dicti consilii, predicti domini anciani inter se deliberent quod ex dictis consiliis redditis super dicta posta eis vel maiori parti ipsorum utilius videatur, et id consilium quod deliberatum fuerit per dictos dominos ancianos vel maiorem partem eorum incontinenti vel ex intervallo proponatur in dicto consilio per dominum vexiliferum iustitie vel per dictum priorem ancianorum seu alterum cui predicti domini anciani comiserint et super eo ponatur partitum ad fabas albas et nigras et cuilibet consiliario dicti consilii sit licitum reddere fabam albam vel nigram secundum eius consentiam. Statuentes⁵ quod super quocumque partito super quo plures fabe albe reddite fuerint quam nigre intelligatur et sit obtentum et victum dictum partitum, nisi ex//

[c. 15v]

forma nostrorum statutorum aliud provideretur vel nisi tractaretur de donatione alicuius quantitatis pecunie vel aliquorum bonorum spectancium et pertinentium quoquo modo, ratione vel causa ad comune Bononie vel de provisione alicui danda vel concedenda de pecunia predicta seu de aliquibus bonis seu rebus comunis Bononie in perpetuum vel ad tempus, nisi quatenus ex forma nostrorum statutorum aliter provideretur vel de remissione vel aliter ratione alicuius condemnationis facte vel fiende vel de rebaniendo aliquem banitum vel tollendo vel tolli faciendo aut cancellari aliquem processum incoatum, seu completum. Et de impediendo seu impediri faciendo aliquem processum incoatum seu incoandum contra aliquam personam cuiuscumque status, dignitatis aut gradus existat et nisi proponeretur aliquid quid esset contra formam statutorum vel ordinamentorum comunis Bononie. In casibus dumtaxat in quibus ex forma nostrorum statutorum proponi non prohibentur, quibus casibus et quolibet eorum debeat tunc obtineri partitum in consilio predicto per tres partes ad minus ex quatuor partibus assistencium in dicto consilio dummodo in dicto consilio assint ultra quam due partes consiliariorum dicti consilii. Quibus etiam casibus non possit in dicto

⁵ <statuentes> *nel testo* satuentes.

consilio aliquo modo proponi, nisi obtentum primo fuerit per duas partes ex tribus partibus dominorum ancianorum confaloneriorum et predictorum massariorum. Statuentes etiam quod in dicto consilio proponi, provideri vel refformari non possit aliquid quod directe vel indirecte redimet vel cedat, tunc vel postea in favorem alicuius ex ancianis qui tunc essent in officio tempore dicte propositae provisionis vel refformationis vel alicuius patris, fratris vel filii alicuius ex dictis ancianis vel cancellarii dictorum dominorum ancianorum et si fiat talis propositio vel reformatio in consilio predicto in favorem predictorum vel alicuius eorum non valeat, nec teneat ipso iure. Et nichilominus ille qui ex supradictis in cuius favorem facta foret dicta provisio, propositio seu reformatio si ea utatur et illi publice non renunciaret incidat penam ducentarum librarum bononinorum applicandam ab eo per capitaneum populi de facto auferendam vel per potestatem Bononie vel per syndicum et syndicos ad ipsum syndicum deputatos. Providemus etiam et firmamus quod quociescumque aliqua petitio seu posta proposita fuerit inter dominos ancianos predictos et inter eos fuerit reprobata seu super ea partitum vel scriptinium non obtentum, quod ulterius super eodem negotio aliquid proponi non possit, nec fieri partitum de ea inter eos, nec etiam proponi vel fieri partitum de illa inter dominos confalonerios et massarios predictos, nec aliquo alio consilio comunis Bononie durante officio ipsorum dominorum ancianorum quorum tempore partitum vel scriptinium illud non fuerit obtentum vel posta seu petitio reprobata. Si posta, petitio, partitum vel scriptinium fuerit de electione alicuius officialis pro comuni vel populo Bononie fienda vel si fuerit super re vel facto respiciente factum vel commodum singularis persone vel alicuius singularis comunitatis vel collegii vel societatis. Si vero fuerit petitio, posta partitum vel scriptinium de re vel facto seu iure tangente vel respiciente commodum vel factum comunis et populi Bononie quod grave seu ponderosum videretur comuniter esse, tunc et eo casu dictum partitum et scriptinium, seu posta et petitio reprobata vel non admissum seu non obtentum inter dominos ancianos, possit poni inter dominos confalonerios et massarios predictos simul congregatos vel maiorem partem eorum et inter eos sine dominis ancianis vel aliquo eorum consuli, et partitum et scriptinium fieri. Et si inter ipsos confalonerios et massarios predictos fuerit obtentum partitum, tunc possit repeti et reponi inter ipsos dominos ancianos et eo inter ipsos celebrato et obtento//

[c. 16r f. VI]

possit libere proponi in consilio quadringentorum, nisi fuerit aliquid prohibitum per nostra statuta proponi in dicto consilio et quidquid in ipso consilio tunc fuerit obtentum ut supra valeat et habeat plenissimam roboris firmitatem. Si autem fuerit partitum seu scriptinium reprobatum vel non obtentum inter predictos confalonerios et massarios predictos non possit durante officio dictorum dominorum ancianorum inter quos fuerit reprobatum vel non obtentum ut supra dictum partitum vel scriptinium reysterare inter eos vel proponi in aliquo consilio comunis Bononie durante officio predictorum dominorum ancianorum. Item etiam statuimus quod si aliqua propositio, posta vel petitio vel aliquid partitum fuerit reprobata vel non admissa vel non obtenta aut non obtentum per dominos confalonerios, massarios predictos vel maiorem partem eorum, non possit in consilio quadringentorum vel in aliquo alio consilio comunis et populi Bononie proponi vel reformari, et factum non servata forma predicta et presentis statuti non valeat ipso iure et propositiones seu mandans proponi in consilio quadringentorum comunis et populi Bononie aliquid circha quod non fuerit servata forma presentis statuti, incidat in penam trecentarum librarum bononinorum et plus arbitrio dominorum potestatis Bononie et capitanei populi, qui de delicto cognoverint inspecta qualitate facti super quo propositio facta fuerit. Et nichilominus talis propositio

ipso iure non teneat, nec super ipsa possit consulli vel arengari, nec super ipsa partitum aliquid poni. Et si partitum aliquid poneretur ipso iure non teneat, nec quidquid ex eo vel exinde vel ob id statutum seu firmatum fuerit valeat seu habeat aliquid robur et careat viribus et effectu, salvo quod dicta pena in consulentibus in dictis consiliis vel aliquo eorum non habeat locum. Dicimus etiam quod in dicto consilio quadringentorum aliquid partitum poni non possit super aliqua supplicatione vel posta que porigeretur vel orectenus nataretur in dicto consilio per aliquem de dicto consilio vel aliquam aliam personam singularem vel universitatem seu comunitatem quantumcumque fuerit quid licite alias proponi possit per dominos ancianos, nisi primo obtentum fuerit posse proponi per dominos ancianos, confaloneros et massarios predictos secundum formam traditam a statutis nostris. Et nichilominus si partitum aliquid positum fuerit aliter vel alio modo ipso iure non valeat, nec etiam quidquid sequutum, firmatum, seu obtentum fuerit ex eo vel ob id, sed sit ipso iure nullius efficacie, roboris vel momenti. Ac etiam declaramus quod per dominos ancianos non possit fieri partitum, posta vel scrupinium de vel super aliqua re vel facto de quo vel qua prohibentur providere vel aliquid facere ex forma alicuius statuti comunis Bononie. Et si contrafactum fuerit vel aliter factum, id quod factum fuerit et quod inde sequutum erit, ipso iure sit nullum et careat viribus et effectu et etiam teneantur comune Bononie et etiam singulares personas conservare sine dampno si aliqua lesio sequatur seu sequi possit quoquomodo. Et si casus aliquis contigeret, quod super aliquo prohibito fieri vel proponi per ipsos seu inter ipsos dominos ancianos, ipsis dominis ancianis videretur evidenter, utile vel necessarium quod tale prohybitum dispensari deberet, facto inter ipsos partito more solito seu consueto et obtento inter ipsos nemine discrepante, tunc etiam nullo modo possit proponi vel dispensari in consilio quadringentorum, nisi prius scrupinio, facto more solito inter ipsos dominos ancianos, confaloneros et massarios predictos//

[c. 16v]

ad invicem choadunatos, obtentum fuerit per maiorem partem ipsorum, quod proponi et dispensari posset in consilio quadringentorum ut supra, quo casu si obtentum fuerit modo predicto, tunc proponi possit ut fiat dicta dispensatio in consilio quadringentorum et⁶ in dicto consilio debeat talis dispensatio obtineri per tres partes ex quatuor partibus consiliariorum dicti consillii alias non valeat ipso iure dicta dispensatio, nec quidquid ex inde vel ob id sequutum, firmatum seu obtentum fuerit, set careat viribus et effectu. Insuper mandamus quod nullum partitum fieri possit de levando ad sedendum et si fiat non teneat ipso iure, nec quidquid sequeretur ex eo vel ob id. Volumus etiam et mandamus quod si contingat aliquam postam, petitionem seu partitum poni et fieri in consilio quadringentorum et in dicto consilio reprobari vel secundum formam supradictam non obtineri eadem petitio, posta vel partitum non possit in dicto consilio proponi, nec super ea arengari vel super eo vel ea partitum aliquid fieri usque ad sex menses inde proxime secuturos et quidquid factum fuerit aliter vel alio modo, non valeat ipso iure. Et si contingat aliquam postam propositam in dicto consillio bis reprobari vel non obtineri non possit de ceptero super eodem negotio aliquid in dicto consilio proponi, salvo quod predicta prohybitio non vendicet sibi locum in tangentibus utilitatem comunis Bononie.

[6] **De statu, moribus et regimine dominorum ancianorum et honestate quam teneantur servare tempore eorum officii. Rubrica.** [cc. 16v-17r]

⁶ <et> segue in abraso.

Quia sepe contigit propter imminentes casus subditorum et aliorum quorum interesse posset frequenter accedi ad presentiam predictorum dominorum et ex moribus et vestibus talis quis esse reputetur qualis apparet. Decernimus quod predicti domini, in virtute eorum prestiti iuramenti, toto tempore sui officii debeant stare ad invicem pacifici, benivoli et quieti. Et etiam quod ipsorum officio exercendo alibi quam in locis consuetis et deputatis stare et morari non debeant et quod ipsi in dictis locis existentes debeant continue sedere, nisi de assurgendo casus immineret et in dictis locis debeant esse et stare induti honestis vestibus et omnes et singulos in suis dictis et propositionibus audire ore tenus vel inscriptis et ipsorum responsa deliberata et ponderata et procedentia de voluntate omnium vel saltim maioris partis eorum, ore tenus vel inscriptis dare et proferre per dominum priorem ancianorum qui pro tempore erit vel per alterum ex eis cui foret iniunctum per priorem predictum. Abstinere autem volumus toto tempore ipsorum officii a comensationibus, comestionibus, potationibus cum civibus vel comitatinis dicte civitatis vel districtualibus seu incolis. Et quod nullus civis, incola, comitatinus vel districtualis civitatis vel comitatus predicti audeat vel presummat cum predictis dominis durante eorum officio prandere vel cenare sub pena cuilibet prandenti vel cenanti librarum vigintiquinque bononinorum et cuicumque alteri comedenti quinque librarum bononinorum que pena non vendicet sibi locum in colactione que fieret honeste cum vino et confectionibus ut plerumque fieri consuevit. A predictis excipimus confaloneros qui prima die sui regiminis possint cum dictis dominis impune comedere et omnes alios qui detinerentur a dictis dominis in palatio eorum ressidentie pro evidenti utilitate seu necessitate comunis. Et quod nulli civi vel comitatino subdito aut incolle possint ipsi vel alter ipsorum mittere vel//
[c. 17r f. VII]

presentare durante eorum offitio aliquid quod paratum esset pro victu dictorum dominorum vel aliquid aliud exenium expenssis comunis Bononie sub pena cuilibet contrafacienti vigintiquinque librarum bononinorum. Et quod nullam mulierem debeant de die vel de nocte in dicto pallatio inducere vel induci facere vel reptinere in virtute eorum prestiti iuramenti et sub pena fustigationis mulieri, que contra predicta facere reperiretur. Salvo quod cuilibet honeste mulieri liceat accedere ad presenciam dictorum dominorum pro eorum negotiis explicandis et pro iustitia consequenda. Nec possint predicti domini anciani vel aliquis ipsorum durante tempore eorum officii ludere ad aliquod ludum tassillorum, nec permittere ludi, sed teneantur in virtute prestiti iuramenti facere quod in palatio eorum ressidentie non ludatur ad ludum açardi vel ad aliquem ludum besçaçarie seu ad aliquem alium ludum prohibitum vel permissum per quem perdatur vel vincatur pecunia, salvo quam ad schacos sub pena cuilibet anciano, cancellario et notariis dictorum dominorum ancianorum ludenti librarum viginti bononinorum pro qualibet vice et cuilibet alii ludenti librarum decem bononinorum pro qualibet vice. Et etiam non possint dicti domini anciani vel aliquis eorum, tempore eorum durantis officii, recedere de palatio eorum ressidentie, nisi ex causa infirmitatis vel alia causa iusta vel necessaria, et tunc si obtentum fuerit in scrupitino per maiorem partem ipsorum dominorum recedere possit, ita tamen quod due partes dictorum dominorum ancianorum in palatio eorum ressidentie debeant remanere.⁷ Ubi autem contingat predictos dominos ancianos velle accedere ad honorandum vel visitandum aliquem festivitatem vel ad aliquam ecclesiam positam in civitate vel guardia Bononie, tunc liceat sex ex eis vel paucioribus ire ad tales festivitates et ecclesias dum tamen vadant asociati cum rectoribus civitatis et eorum familliis et cum duabus partibus

⁷ *Sul margine laterale destro in corrispondenza dell'inizio di questo comma, di mano più recente: Non recedant.*

ipsorum familie et tertia pars remaneat in palatio dictorum dominorum cum dominis in pallacio remanentibus. Quorum dominorum tres ad minus remaneant in palatio omni penitus excusatione remota, sub pena quinqueginta librarum bononinorum auferenda cuilibet anciano per dominum capitaneum populi si in predictis contrafactum fuerit. Salvo quod pro disponendis negotiis singularibus dictorum dominorum ancianorum sit licitum cuilibet anciano semel in edemeda noctis tempore et cum parvo lumine asociato aliquibus familiaribus dictorum dominorum accedere ad domum eius habitationis. Et demum in aurora diey sequentis reddire ad palatium ressidencie dictorum dominorum sub pena vigintiquinque librarum bononinorum dum tamen in qualibet nocte in dicto palatio continuam residentiam faciant sex anciani ad minus, sub pena quinqueginta librarum bononinorum auferenda cuilibet anciano per dominum capitaneum populi Bononie ut supra. Et presens statutum mandamus per cançellarium predictorum dominorum infra secundam diem ab introytu eorum officii ipsis dominis ancianis et cuilibet eorum si voluerint audire, legi et declarari, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum eidem cançellario auferenda per dominum capitaneum populi Bononie si predicta facere obmiserit.

[7] De officio, iurisdictione, arbitrio et baylia dominorum ancianorum comunis et populi civitatis Bononie et de eorum numero et que facere teneantur vel possint. Rubrica. [cc. 17r-20v; 30r-30v; 22r-22v]

Volentes dominis ancianis comunis et populi Bononie dare modum et formam sui arbitrii et officii ac eorum iurisdictionis et baylie ut ipsis et ceperis//
[c. 17v]

innoteschat eorum potestas et ne pretestu ingnorantie aliqui audeant non parere aut se excusare et ne ultra sibi permissa ipsi valeant aliquid actentare. Statuimus et ordinamus quod dicti domini anciani, qui nunc sunt et etiam qui pro tempore erunt, debeant esse novem numero quorum unus sit vexilifer iustitie comunis et populi Bononie de bonis et veris civibus civitatis Bononie, etatis treginta annorum ad minus et minores octuaginta annorum et originarii dicte civitatis origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis, quarteria quoequando quam melius fieri poterit. Qui domini anciani elligantur de numero consiliariorum consilii quatringtonum predictae civitatis modo et forma posito in precedentii statuto “De ellectione dominorum ancianorum” [1] et dictus numerus novem ancianorum duret singulis duobus mensibus extrahendo ipsum numerum modo et forma ordinato in statuto quod loquitur “De forma extrahendi ancianos.” [3] Qui domini anciani infrascripta solummodo possint facere et fieri facere et ad infrascripta dumtaxat habeant officium, arbitrium, iurisdictionem et bayliam videlicet.

In primis quod possint vocari et requiri facere omnes et singulos cives civitatis Bononie et etiam comitatinos comitatus Bononie et districtuales comunis et populi Bononie et quascumque universitates, comunitates et quoslibet alios et eis et cuilibet eorum dicere et exponi facere, precipere et precipi facere ac mandare et mandari facere prout et sicut eis videbitur iustum, opportunum et utile.

Ac etiam habeant liberum arbitrium in hiis que pertinent ad conservationem et protetionem popularis status et ad bonum regimen comunis et populi predicti.

Et possint ordinare per sonum campane vel tube vel alio modo quod omnes de civitate Bononie et omnes alii habitantes in dicta civitate vel aliqui ex eis et etiam comitatini de die vel de nocte trahere debeant ad arma et cum ipsis armis ad confalones sub quibus sunt et ubique ad voluntatem predictorum dominorum pro conservatione status et libertatis comunis et populi Bononie.

Item possint preconia proclamationes et cytationes facere fieri in omnibus et singulis pertinentibus ad eorum officium pro eorum libito voluntatis.

Item possint facere congregari consillia quelibet generalia et particularia comunis et populi civitatis Bononie prout eis placuerit.

Item possint et debeant in virtute prestiti sacramenti et sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet elligere potestatem et capitaneum populi et sindicum maiorem civitatis Bononie secundum modum et formam statutorum loquentium de ellectione predictorum.

Possint etiam elligere una cum colegiis dominorum confaloneriorum et massariorum civitatis Bononie capitaneum guerre quando expediens videbitur.//
[c. 18r f. VIII]

Item possint et debeant in virtute prestiti iuramenti et sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet conducere et conduci facere ad stipendia comunis Bononie illos stipendiarios pro illo tempore et pro illo stipendio quo cognoverint expedire cum consillio colegiorum predictorum dum tamen persone stipendiariorum conducendorum ressideant in arbitrio predictorum dominorum ancianorum dum tamen eciam ipsi stipendiarii equites vel pedites non sint de civitate, comitatu, diocexi vel districtu Bononie. Ipsique stipendiarii equites sint et esse debeant de terra seu loco distante a civitate et comitatu Bononie per quatragenta miliaria ad minus, pedites vero per treginta miliaria ad minus, nisi ex aliqua iusta et imminente causa provideretur per dominos ancianos et colegia de aliquo stipendiario conducendo contra formam predictam. Qui stipendiarii iurare teneantur in manibus vexiliferi iustitie seu prioris dominorum ancianorum in presencia dictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum, qui tunc temporis erunt anciani, vice et nomine comunis et populi Bononie stipulantibus.

Innibentes predictis dominis ancianis quod ellectis vel descriptis ad stipendium contra formam predictam nullam buletam solutionis faciant vel fieri faciant vel bullent, sub pena cuilibet anciano viginti quinque librarum bononinorum, nisi per consilium quadringentorum aliter provideretur.

Item possint capssare et capssari facere ipsi domini anciani cum consillio collegiorum dominorum confaloneriorum et massariorum ex conductis illos stipendiarios quos voluerint et etiam cum causa castellanos rocharum et fortilitiorum comitatus Bononie et custodes portarum et alios officiales cives comunis Bononie et alium ydoneum civem de eadem societate de qua fuerit ille qui capssatur illius capssati loco subrogare cum colegiis predictis cum eis videbitur opportunum.

Item possint et debeant in virtute eorum prestiti sacramenti dicti domini anciani precipere et precipi facere dominis confaloneriis et massariis artium singularibus et colegio seu colegiis ipsorum et cuilibet eorum omnia et singulla que crediderint esse neccessaria et utilia pro bono et pacifico statu comunis et populi Bononie et pro conservatione libertatis dicti populi. Nomine autem colegiorum in omni parte presencium statutorum intelligatur domini⁸ confalonerii et massarii artium ad hec asumpti.

Item possint et debeant in virtute eorum prestiti sacramenti et sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet dicti domini anciani cum colegiis opportunis dominorum confaloneriorum et massariorum predictorum, elligere in terris Medicine et Ghançanighi et in comitatu Ymole officiales consuetos duraturos de sex mensibus in sex menses tantum. Qui elligendi sint boni cives civitatis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis. Qui officiales sint etatis ad minus

⁸ <domini> *dittografato e espunto.*

treginta annorum cum salario, familia, iurisdictione, comodo et aliis debitis et utilitatibus.
Et predictos omnes faciant sindicari per syndicum vel syndicos//

[c. 18v]

ab ipsis dominis deputandos. Et si facta⁹ fuerit aliter dicta electio non valeat ipso iure. Et quilibet electus ad aliquid dictorum officiorum que sunt extra comitatu Bononie vacare debent per tres annos ad minus.

Item possint ipsi domini anciani pro pace et concordia facienda inter quoscumque cives Bononie seu inter quoscumque comitatinos vel districtuales comunis Bononie et inter quaslibet personas providere et facere sicut eisdem videbitur convenire.

Possint etiam mandare omnibus et singulis depositariis comunis Bononie et quibuscumque habentibus de avere et pecunia comunis Bononie et que ad ipsum comune deberet spectare et pertinere quod det, tradat et solvat quibuscumque stipendiariis provisionatis seu officialibus comunis Bononie legitime electis et etiam aliis personis quibus ipsum comune Bononie teneretur ex conventionem vel pacto vel ex forma statutorum comunis Bononie id quod eis talibus deberetur de quo mandato constare debeat per bolitam sigilatam sigillo parvo comunis Bononie.

Item etiam possint dicti domini anciani conducere et habere caballarios ydoneos qui cum equabus suis debeant ire prout et sicut fuerit eis iniunctum pro parte dictorum dominorum ancianorum et tot habeant et conducant quot expediens eis visum fuerit pro necessitate comunis. Quibus cavaliis tassare possint salaria prout equum, fuerit et eos vel aliquos ex eis capssare prout eis videbitur et si eis videbitur loco capssatorum alios eque ydoneos subrogare.

Item possint audire ambasiatias quorumcunque ambasiatorum vel numptiorum ad comune Bononie seu ad ipsos dominos ancianos transmissorum undecumque et responsiones dare eis, ac etiam literis comuni Bononie seu ipsis dominis transmissis rendere. Et si tale esset negocium pro cuius responsione vel tractatu fiendis necessarium sit adhuc debere secretius reptineri, possint et debeant inter ipsos elligere tres de se ipsis quos ydoneos putaverint ad predicta. Qui tres possint respondere et tractare secrete prout eis videbitur pro bono statu et regimine comunis et populi Bononie et tutione libertatis ipsius populi et augmentatione status et libertatis predictae firmare, tamen non possint aliquid sine deliberatione aliorum dominorum ancianorum¹⁰ vel maioris partis eorum.

Item possint quociens eis visum fuerit utile pro statu et utilitate comunis Bononie et libertatis predictae elligere ambasiatores ydoneos et sufficientes unum vel plures prout expedierit secundum negotii qualitatem. Et faciant scribi ambasiatam et ambasiatie effectum et cappitulla ambasiatie et eam et ea registrari//

[c. 19r f. VIII^o]

facere si ipsis dominis videbitur. Et responsiones seu relationes ipsorum ambasiatorum recipere. Et si tale esset negocium quod secretius tractari et reptineri deberet tunc servetur forma de tribus dominis ancianis elligendis ut supra in proximo capitulo continetur. Et salaria et provisiones tassare possint dictis ambasiatoribus pro se et familiaribus et sociis et equis. Qui ambasiatores elligendi teneantur iurare in manibus prioris predictorum dominorum ancianorum in presencia dominorum ancianorum vel duarum partium ex eis ambasiatam eisdem impositam bene, diligenter et fideliter dicere et referre in omnibus et per omnia secundum formam sue commissionis.

⁹ <facta> *nel testo fata*.

¹⁰ <aliorum dominorum ancianorum> *su rasura*.

Item possint nunptios et spias habere et mictere pro negociis comunis Bononie ubi et prout ipsis dominis ancianis visum fuerit expedire, et tassare possint salaria dictis nunptiis et spiis prout equum fuerit. Ita tamen quod salarium et expensse spiarum et nunptiorum non possint excedere in duobus menssibus quibus durat ipsorum dominorum officium quantitatem ducentarum librarum Bononinorum, nisi per consilium collegiorum de maiori suma provideretur.

Et quia Studium cuiuscumque facultatis multum honoris et comodi confert civitati Bononie et hominibus dicte civitatis, providemus quod dicti domini anciani possint providere et firmare super factis Studii et in pertinentibus ad studium iuris canonici vel civilis aut studium medicine et aliarum scientiarum et artium omnia et singula que crediderint congrua et opportuna pro utilitate Studii in iure canonico vel civili aut in aliqua scientia vel arte pro honore dicti studii et studiorum dicte civitatis. Et etiam occaxione dicti Studii possint providere prout eis videbitur cum consilio tamen consensu et deliberatione collegiorum dominorum confaloneriorum et massariorum predictorum vel maioris partis eorum. Et quod similiter possint providere super utilitate cuiuslibet alterius artis dicte civitatis.

Item possint facere fieri custodias civitatis et comitatus et quorumlibet fortillitorum prout putaverint convenire et etiam mandare stipendiariis et omnibus et singulis officialibus comunis Bononie quod debeant facere mostram et mostras de se ipsis et etiam de famillis et familia ipsorum officialium. Et de equis et armis tam stipendiariorum quam aliorum officialium comunis Bononie quandocumque et quocienscunque eis videbitur quas mostras saltem bis in mense in civitate et semel in comitatu vel districtu Bononie in virtute eorum prestiti iuramenti et sub pena quinque librarum bononinorum cuilibet anciano et librarum viginti quinque bononinorum cancellario qui hoc capitullum bis in mense temporibus congruis pro mostra facienda non legerit prefatis dominis ancianis fieri facere teneantur et possint ipsi domini anciani penam pecuniariam eorum arbitrio imponere et auferre a quolibet inhobediente circha mostras predictas.//

[c. 19v]

Item ortentur frequenter dominos capitaneum et potestatem Bononie et alios officiales comunis Bononie ad iusticiam equaliter omnibus faciendam tam in civilibus quam in criminalibus ministrandam, et super hoc ipsis et cuilibet eorum mandare possint prout viderint expedire dum tamen contra nostra statuta nil¹¹ faciant vel iniungant et eis offerant vigorem officii ipsorum.

Item possint prohybere ne aliquis exceptis potestate capitaneo populi confaloneriis et massariis artium durante eorum officio audeat ingredi pallatium habitationis ipsorum dominorum ancianorum cum aliquo genere armorum offensibillium vel defensibillium sub pena decem librarum bononinorum, nisi de eorum mandato, quam penam exigere faciant de facto ex contrafacientibus per potestatem Bononie vel capitaneum populi.

Item possint elligere unum et plures syndicos et eorum notarios eorum ad sindicandum quoscumque officiales comunis Bononie tam cives quam forenses de quorum sindicatu per nostra statuta aliter vel alio modo non sit specialiter provisum. Quibus sindicis in procedendo liberum arbitrium et potestatem concedimus, dum tamen condepnent culpabilles penis in nostris statutis contentis.

Ac etiam possint ipsi domini anciani respondere supplicationibus eisdem porigendis que crimen non atragant, dum tamen non rescribant contra tenorem alicuius nostri statuti, nec alicui statuto valeant derogare etiam pretestu cuiuscumque arbitrii

¹¹ *Segue non depennato.*

generaliter¹² concessi eisdem dominis per formam alicuius nostri statuti vel nostre provisionis vel aliorum quorumcumque. Que quidem responssiones super non prohibitis valeant et teneant et executioni mandentur si in eadem supplicatione contineatur manu alterius ex notariis dictorum dominorum ancianorum talem responssionem emanasse de voluntate omnium dictorum dominorum ancianorum vel saltim duarum partium ex eis. Ita tamen quod tales responssiones tollere non possint, nec valeant ius alteri quesitum et facta contra predicta vel aliquid predictorum non valeant ipso iure.

Possint etiam causas quascumque in principali instantia agitandas uni seu pluribus delegare seu comittere, dummodo ipse cause tempore dicte delegationis non sint coram aliquo iudice seu officiale comunis Bononie de predictis cognitionem habente incoate saltem per petitionis oblationem et partis citationem.

Ad hec etiam ordinamus quod prefati domini possint in alienationibus fiendis de rebus immobilibus pupillorum minorum vel eorum quibus est interdicta administratio ab homine vel a lege et in rebus doctalibus et etiam super renunciationibus fiendis a mulieribus quorum dotes in totum vel in partem alienari//

[c. 20r f. X]

conceduntur in ultimis bonis maritorum ipsis mulieribus pro suis doctibus vel earum augmento expresse vel tacite obligatis licentiam dare et decretum interponere in omnibus casibus opportunis. Et idem possint in omni alio casu in quo sit neccessarium decretum dominorum predictorum ex forma alicuius nostri statuti.

Possint etiam ipsi domini anciani ubi ipsis utile visum fuerit dare fidantiam et licentiam cuicumque bannito, condepnato, inquisito vel inculpato de aliquo delicto, seu rebelli comunis Bononie posse libere venire ad civitatem vel comitatum vel districtum Bononie et in ea stare et inde posse libere recedere pro eius libito voluntatis. Que quidem licentia et fidancia valeat et teneat et inviolabiliter servari debeat si in scriptura dicte fidantie seu licentie appareat scripturam manu cancellari vel alterius ex notariis dictorum dominorum ancianorum predictam fidantiam seu licenciam procesisse de voluntate omnium predictorum dominorum ancianorum vel saltim duarum partium ex eis. Et si scriptura dicte licentie fuerit bullata sigillo dictorum dominorum et aliter facta seu concessa non valeat. Que fidantia seu licentia concedi non possit, nisi pro eo tempore quo dicti domini anciani, qui dictam talem licentiam seu fidantiam concesserint steterint in officio. Et si ultra illud tempus concessa fuerit non valeat, nec teneat, nec servari debeat ultra tempus predictum. In qua scriptura dicte fidantie dicti domini anciani scribi faciant quod dicta fidancia est duratura solum durante eorum officio et non ultra et quod processit de voluntate dictorum dominorum vel saltem duarum partium ex eis, sub pena ducentarum librarum bononinorum si predicta servata non fuerint.

Item quando peterentur comitti rogationes seu scripture vel acta alicuius notarii mortui vel viventis vel absentis quacumque de causa alteri notario uni vel pluribus quorum nomina exprimantur scribende, auctenticanda seu in publicam formam reddigende, quo casu consensus requiratur dictorum notariorum viventium et heredum notariorum mortuorum si ipsi heredes maiores fuerint quatuordecim annis vel tutorum ipsorum si pupilli fuerint. Quibus casibus et quolibet eorum predicti domini anciani habeant merum, purum et liberum arbitrium.

Placeat etiam quod de offenssis principaliter pertinentibus ad comune Bononie vel ad aliquem forenssem non scolarem qui vel eius heres non esset habitator civitatis Bononie vel districtus vel prope districtum per quinqueginta miliaria vel minus in casibus in quibus pax vel consensus requiritur sufficiat pacem vel consensum habere a colegio

¹² <generaliter> segue vel specialiter depennato.

ancianorum predictorum. Quorum ancianorum consentientium nomina in instrumento pacis vel consensus singulariter describantur manu unius ex notariis dominorum ancianorum. Declarantes quod antequam fiat dicta pax observentur solempnia tradita in statuto nostro posito sub rubrica “De casibus in quibus quis prohibetur temporaliter cancellari de banno” [IV, 117].//
[c. 20v]

Possint eciam predicti domini anciani capssare et capssari facere una cum collegiis dominorum confaloneriorum et massariorum predictorum quoscumque officiales cives comunis Bononie etiam si electi forent in consilio quatuormillium civitatis Bononie, quos minus idoneos et sufficientes esse reperierint ad predictum officium exercendum et loco talium capssatorum et remotorum possint alios eligere et subrogare in dicto officio et ad dictum officium, ac etiam loco quorumcumque officialium civium absentium vel alia iusta causa impeditorum possint alios subrogare cum honoribus, emolumentis et honoribus consuetis.

Nec non possint predicti domini anciani omnia et singula officia, que eis viderentur utilia et necessaria pro comuni et populo Bononie, conferre quibuscumque civibus Bononie quos putaverint fore sufficientes ad talia officia exercenda cum salario et honoribus usitatis et etiam cum novis provisionibus ubi eisdem dominis expediens et necessarium visum fuerit dum tamen in consilio quatuormilium talia officia collata non fuerint, quo casu dicti domini anciani potestatem habeant talia officia conferendi in casibus et ex causis supra proximis contentis.

Possint etiam providere quod si aliqua questio, lix vel causa verteretur in iudicio vel extra inter patrem seu matrem et filios, unum vel plures et alios quoscumque desedentes per masculum vel inter maritum et uxorem seu socerum et nurum et pro nurum vel inter fratres seu sorores ad invicem vel inter quoscumque agnatos seu cognatos usque ad quartum gradum inclusive quod potestas civitatis Bononie possit partes compellere ad compromittendum secundum modum et formam traditam in nostris statutis positis sub rubrica “De arbitrio domini potestatis super questionibus que verterentur inter coniunctos” [III, 15].

Item possint instancias causarum civilium tam principalium quam appellationum et etiam compromissorum prorogare ad plus usque ad decem dies continuos tantum in qualibet instancia et ultra vel aliter non nisi de ambarum partium voluntate processerit, quibus casibus et eorum quolibet prorogare possint prout ambabus partibus placuerit et usque ad terminum qui dictis partibus placuerit.

Item possint ex causa predicta ferias in causis civilibus inducere generaliter quibus feriarum temporibus instancie causarum civilium tam principalium quam appellationum non curant.

Item quod ad minus bis singulis mensibus teneantur congregare et congregari facere consilium quadringentorum comunis et populi Bononie sub pena periurii et viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet anciano. In quo consilio inter alia in effectu proponere aut proponi facere teneantur. Quod si esset alicuius in dicto consilio qui sciret aliquid utile vel bonum pro dicto comuni vel pro¹³//
[c. 30r f. XI]

tuytione libertatis dicti populi et presentis status conservandi vel augendi possit et debeat id proponere et super eo consullere et consilia audiant et inscriptis redducantur per cancellarium et alterum ex notariis dictorum dominorum et super eo et eis possit et debeat deliberari per dictos dominos prout fuerit opportunum.

¹³ *In fondo alla c. tuytione libertatis dicti populi rimanda alle cc. 30r-30v da leggere di seguito a questa.*

Item teneantur predicti domini anciani in virtute prestiti sacramenti facere et procurare ita et taliter quod quilibet ellectus in potestatem aut capitaneum comunis et populi Bononie aut in capitaneum guerre aut in syndicum generalem dicti comunis, et quilibet qui ellectus fuerit ad custodiam alicuius castris vel porte civitatis Bononie vel in defensorem averis comunis Bononie vel ad officium banche seu conducte stipendiariorum vel ad aliquod aliud officium comunis Bononie antequam incipiat officium suum exercere iurent in manibus domini confalonerii iustitie vel prioris dominorum ancianorum de suo officio bene et legaliter omnimodo exercendo et sine fraude, et curent quod predicti et quilibet predictorum prestent satisfationes suas ad quas prestandas tenerentur approbandas per alterum ex aprobatoribus comunis Bononie.

Item teneantur dicti domini anciani sub pena periurii et trecentarum librarum bononinorum solvenda per ipsos saltem semel durante suo officio videre seu videri facere rationes et introitus comunis Bononie et in¹⁴ saldum reduci facere et expensas diminuere quas poterunt inspecto introitu et statu civitatis Bononie de quibus fiendis bene et legaliter quilibet ancianus in manibus confalonerii iusticie corporaliter iurare teneatur et ad predicta compellere et compelli facere possint quoslibet qui tenerentur rationes reddere. Et etiam eos ad quos introitus aliquis dicti comunis provenisset et de predictis in hoc capitullo contentis specialiter dicti domini anciani debeant sindicari.

Item teneantur dicti domini anciani in virtute prestiti sacramenti facere omnino quod omnes qui intererunt ad scriptura fienda de ellectis vel eligendis in consilio quatuordecim civitatis Bononie tempore scripturarii fiendi iurent corporaliter ad sancta Dei evangelia quod ydoniorem eligent remotis hodie, amore, timore, prece, precio et quod secrete tenebunt omne quod proferetur contra aliquem scripturandum. Quod sacramentum prestare teneantur in manibus alterius ex notariis dictorum dominorum ancianorum, in quo quidem consilio adesse debeant predicti domini anciani unam cum collegiis opportunis.

Item teneantur singulis diebus martis et singulis diebus veneris et aliis diebus quibus comode poterunt dare audientiam generalem de mane et ea que eis videbuntur facient reddigi inscriptis ut supra hiis deliberare valeant et consilium capere si opus fuerit.//
[c. 30v]

Item teneantur dicti domini anciani in virtute eorum prestiti iuramenti dare operam toto posse quod aliquis non opprimatur ab aliqua persona vel universitate. Et si contingeret aliquam violentiam inferri contra aliquam personam singularem vel universitatem, tunc tales violantes et opprimentes puniri faciant per officiales comunis Bononie secundum formam statutorum dicti comunis. Et ad predicta domini anciani dent auxilium, consilium et favorem, et hoc postquam de predictis fuerint requisiti.

Item teneantur predicti domini anciani deputare duos cives domino potestati vel capitaneo populi quocienscumque ab eis vel altero eorum fuerint requisiti pro asistendo tormentis inferendis per talem potestatem vel capitaneum alicui civi, comitatino vel scolari vel alteri persone de qua per nostra statuta esset provisum.

Item procurent dicti domini anciani toto posse, quod in civitate Bononie et in comitatu, ubi et quando oppus fuerit, habeatur copia salis, bladi, carniarum et grasse et aliorum quorumcumque victualium, et totis viribus dent operam, quod aliqua grassa vel aliqua victualia ullo modo non portentur, nec mictantur extra comitatum Bononie cum boleta vel sine, nisi per consilium quadringentorum comunis Bononie fuerit aliter ordinatum. Et super predictis si opus fuerit deputare possint officiales super devoto cum salario per eos ordinando et iurisdictione concedenda per eos dictis officialibus. Salvis

¹⁴ <in> dittografato.

semper pactis iniunctis vel iunctis cum aliquibus conductoribus datiorum vel contentis in campione datiorum.

Ac etiam teneantur dicti domini anciani in virtute eorum prestiti iuramenti dare operam toto posse, quod iura et res comunis Bononie apud quemcunque sint reperiantur et recuperentur a quibuscumque detemptoribus seu possessoribus.

Teneantur etiam in virtute presti sacramenti facere fieri electiones confalonierorum et etiam massariorum artium civitatis Bononie et aliorum officialium comunis Bononie temporibus congruis et facere eos extrahy temporibus ordinatis secundum formam statutorum loquentium de predictis. Et etiam servare et servari facere toto posse quelibet statuta comunis Bononie et maxime statutum positum sub rubrica “De officiis ordinariis et extraordinariis et eorum vacatione” [III, 14].

Item quod consilio quadringentorum aut in aliquo consilio generali civitatis Bononie non possint, nec debeant per eos vel per alium eorum parte aliquid proponi vel firmari, nisi prius secundum formam antecedentem statutum per ipsos dominos ancianos et consilia opportuna fuerit firmatum et approbatum id quod proponi debuerint. Et si aliter vel alio modo fiat propositio seu posta in consilio aliquo generali vel quadringentorum non valeat ipso iure etiam si per maiorem partem consiliariorum predicti consilli fuerit approbata.//

[c. 22r f. XII]

Item teneantur dicti domini anciani facere et curare ita et taliter quod aliquid partitum vel scriptinium de aliquo vel super aliquo negotio positum semel nullo modo possit directe vel indirecte reysterari durante officio dominorum ancianorum confalonierorum et massariorum qui interfuerint scriptinio vel partito sive fuerit ipsum scriptinium vel partitum prima vice obtentum sive perditum, nisi prout et sicut continetur in statuto nostro posito sub rubrica “De partitis propositis fiendis” [5] alliter ipso iure non valeat.

Item faciant et procurent ipsi domini anciani, quod sine eorum licentia aliqui stipendiarii, equites vel pedites non audeant equitare in servitium alicuius aut trahere ad domum alicuius persone sine expressa licentia ipsorum dominorum ancianorum eciam si capitaneus guerre eis iniungeret.

Item debeant dicti domini anciani tenere et custodire claves portarum civitatis Bononie quarum clavium una pars teneatur per confalonierum iustitie et altera per priorem dictorum dominorum ancianorum, nisi de ipsis clavibus inter ipsos tenendis et custodiendis per ipsos dominos ancianos aliter provideretur. Et ipsas portas singulis diebus aperiri faciant et claudi temporibus congruis per officiales ad hoc deputatos vel deputandos et prout crediderint expedire pro conservatione predicta tamen noctis tempore possint, pro immanenti neccessitate, aliquam ex ipsis portis aperiri facere per personam ipsis dominis ancianis fidam, bene sociatam et cum cautela opportuna.

Item debeant dare signa castrorum et fortiliarum et rocharum comitatus et districtus Bononie castelanis seu custodibus principalibus ipsorum fortiliarum, castrorum seu rocharum. Et etiam ipsa signa pro se et comuni Bononie retinere et aput se custodire et salvare. Et novis castelanis et custodibus ipsa signa permutare et signa apud se retinere debeant et successoribus suis in officio ancianatus consignare et sic successive fiat. Que signa omnia seperatim in una cassa clausa duabus clavibus teneri debeant ad voluntatem dictorum dominorum ancianorum, cuius casse claves retineri debeant per confalonierum iustitie et per priorem dictorum dominorum ancianorum.

Item possint vendere seu vendi facere datia vel gabellas ordinata et ordinatas comunis ad pacta descripta et describenda in campione comunis Bononie et secundum formam nostrorum statutorum.

Item debeant dare nomina secreta de nocte hiis quibus sibi videbitur pro custodia civitatis Bononie.

Volumus etiam quod dicti domini anciani possint eorum arbitriis multare inhobedientes quoslibet ac eis non obtemperantes et eis penas pecuniarias imponere ac etiam mandare, quod dicte multe et pene exigantur per quoscumque officiales comunis Bononie quibus comiserint. Qui officiales teneantur sub pena dupli dictarum multarum seu penarum incontinenti commissione eis facta quanto cicius fieri poterit exigere multas et penas predictas. Ac etiam possint ipsi domini anciani quascumque//

[c. 22v]

personas deptinere et deptineri facere et in quibuscumque carceribus mancipare et mancipari facere quoscumque qui non parerent mandatis dictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum et quilibet officialis comunis Bononie ad requisitionem predictorum dominorum ancianorum tales inhobedientes capi et carcerari faciat prout dictis dominis placuerit et eos de carceribus non relapsset, absque licentia predictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum. Et ne predicti domini anciani predictam eorum iurisdictionem valeant ignorare volumus quod presens statum per predictum cancellarium infra secundam diem ab introitu eorum officii legi et declarari debeat dictis dominis, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum a dicto cancellario auferenda de facto per dominum capitaneum populi si fuerit negligens in predictis. Habeant etiam diligentem curam circha familiam suam residentem cum eis in eorum palatio et saltem bis quolibet mense inquirant etiam generaliter per unum vel plures ex eis et districte excessus illorum et ipsos delinquentes corigant, emendent et puniant etiam capssando si opus fuerit, quos delinquentes vel insufficientes reperierint prout et sicut cognoverint expedire.

¹⁵Constituant etiam personam ydoneam que pressit ipsorum familie supradicte et sollicitet unumquemque in suo officio et servitio et fideliter exercendo salvetque et¹⁶ conservet supellectillia et utensillia palaci eorum ressidentie, ne baratentur, pereant vel perdantur quoquomodo sitque dispensator omnium et singularum expensarum fiendarum pro victualibus et aliis necessariis dispensandis in ipso pallatio prout fuerit opportunam. Et rationem reddere teneatur ad minus quolibet mense semel et ultra quandocumque ad voluntatem dictorum dominorum ancianorum aprobendam per dominos ancianos et defensores averis comunis Bononie.

[8] **Que prohibentur facere domini anciani. Rubrica.** [cc. 22v-25r]

Quia que specialiter nota sunt digna, nisi specialiter noctentur videntur esse neglecta hac constitutione specialiter et expresse prohybemus predictis dominis ancianis elligere potestatem vel capitaneum populi vel guerre civitatis Bononie aliter vel alio modo, nisi secundum formam statutorum dicti comunis vel nisi quantus fuerit deliberatum in consilio quadringentorum dicti comunis. Et si contra predicta vel aliquid predictorum fuerit factum non valeat ipso iure, et anciani incidant in penam quingentarum librarum bononinorum et non possint res et bona mobillia et immobillia, iura et actiones vel publica dicti comunis vendere, alienare et in alium quocumque titullo transferre, locationes tamen facere possint ipsi domini anciani pro iusta pensione seu pro iusto affectu, usque ad terminum quinque annorum ad plus. Et quod maiori tempore si evidens utilitas predicti comunis apareret et tunc cum consilio colegiorum opportunorum dominorum confaloneriorum et massariorum predictorum. Et si contra predicta vel aliquid predictorum factum fuerit, non valeat ipso iure et ipsi anciani incidant penam trecentarum librarum bononinorum.

¹⁵ *In corrispondenza di questo comma, sul margine laterale destro: sollicitet.*

¹⁶ <et> *in intralinea.*

Item non valeant remittere aliquam condempnationem vel bannum factum vel fiendam, neque valeant cancelari facere aliquem conscriptum in figura//
[c. 23r f. XIII]

banni a millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, a vigesima die mensis marcii cytra in antea, neque aliquem conscribendum in fucturum in figura banni in aliquo ex libris bampnitorum comunis Bononie, nec tollere aut tolli facere, aut cancelare vel cancelari facere aliquem processum inchoatum seu inchoandum contra aliquam personam cuiuscumque status, dignitatis aut gradus existat, nisi evidens honor et utilitas pro bono et pacifico statu comunis Bononie aliud suaderet. Quo casu possint ipsi vel eorum maior pars facere supersedere processui vel processibus inchoatis vel inchoandis ad tempus quod tamen non sit prolius quam sit tempus quo sunt¹⁷ tunc in officio predicto ancianatus permansuri, neque super hoc aliquam propositionem facere vel fieri facere vel permictere directe vel per obliquum, nisi quantus eis concederetur ex forma nostrorum statutorum et ordinamentorum comunis et populi Bononie vel nisi ex evidenti utilitate predicti comunis hoc fieret. Et quidquid factum fuerit contra predicta vel aliquid predictorum non valleat ipso iure. Et si ipsi anciani aliquem banitum vel processum inchoatum seu completum vel inchoandum ex quo veniret pena personalis imponenda, fecerint aliter quam secundum formam statutorum comunis Bononie vel ut supra cancellari, sive tolli, sive impediunt vel fecerint impedi, quominus de iure sorciatur effectum, incidant penam mille librarum bononinorum pro quo quolibet qui predictis consenserit et quilibet eorum consensisse intelligatur, nisi doceat de ipsius disenssum et sufficiat docere per scripturam cancellarii vel alterius ex notariis dictorum dominorum ancianorum. Et si pecuniaria pena esset imponenda vel solvenda per condepnatum sine banno factis seu fiendis vigore processuum inchoatorum sive completorum vel inchoandorum et fecerint cancellari seu tolli, sive impediunt vel fecerint impedi, quominus de iure sortiatur¹⁸ effectum incidant penam dupli dicte quantitatis et talis cancellatio, prohybitio sive impedimentum ipso iure non teneat. Et nichilominus tales cancelati de novo exemplentur et vigore dictorum processuum inchoatorum seu completorum procedatur et inchoandi inchoentur perinde ac si nulla cancellatio facta foret seu impedimentum aliquid subsecutum, nisi forsam predictam vel aliquid eorum facta fuerint de voluntate, consensu et deliberatione prefatorum colegiorum dominorum confaloneriorum et massariorum predictorum vel maioris partis eorum et pro manifesta et evidenti utilitate comunis Bononie. Nec aliquam quantitatem debitam vel debendam comuni Bononie et maxime per aliquos daciarios seu gabellarios predicti comunis possint remittere et si remissionem fecerint non valeat ipso iure et incidant penam dupli eius quid remiserint.

Prohybemus insuper quod predicti domini anciani possint pactum, ligam, confederationem, vel societatem facere cum aliquo comuni, comite, barone, tirano, domino vel rege vel aliqua universitate et comune Bononie, nisi prout et sicut deliberatum fuerit primo per consilia opportuna sub pena mille librarum bononinorum. Et nichilominus quilibet contrafaciens ipso iure sit privatus perpetuo quolibet officio, honore et beneffitio comunis et populi Bononie, nec ad aliquod officium elligi possit quoquomodo, nec ellectum ipsum officium valeat acceptare, sub pena quingentarum librarum bononinorum ymo etiam dicta ellectio ipso iure non teneat. Et talis ligha, confederatio, societas sive tale pactum ipso iure non valeat.//
[c. 23v]

¹⁷ <sunt> *corregge sunit.*

¹⁸ <sortiatur> *dittografato e cassato.*

Ac etiam prohybemus ipsos posse ordinare, tractare vel firmare de movendo aliquam guerram generalem contra aliquam civitatem, comune, universitatem, regem, baronem vel dominum extra civitatem, comitatum¹⁹ vel districtum Bononie, nisi prout et sicut primo per opportuna consilia. Et demum per dictum consilium quadringentorum vel habentem comissionem ab eo fuerit ordinatum, sub pena cuilibet contrafacienti amputationis capitis.

Item prohibemus predictos dominos ancianos et quemlibet ipsorum eorum durante officio exercere personaliter aliquam artem, sub pena viginti quinque librarum bononinorum.

Item sint prohybiti sigillare vel sigillari facere aliquam literam seu literas extra civitatem Bononie trasmitendas, nisi a duabus partibus ipsorum dominorum fuerit obtentum eas sigillari debere. Et nisi ipse litere in presencia dictorum dominorum vel duarum partium ex eis fuerint lecte ad plenam intelligentiam ipsorum dominorum. Et fratres sigilla comunis Bononie retinentes et quamlibet aliam personam eas sigillare prohybemus, nisi predicta fuerint observata, nec etiam possint impedire quominus fiat iustitia in civilibus et criminalibus causis ymo toto posse procurent quod omni modo fiat et fieri debeat iustitia omnibus et contra omnes per officiales deputatos vel deputandos secundum formam nostrorum statutorum et si contrafactum fuerit non valeat ipso iure, nec etiam possint ipsos officiales comunis Bononie secundum formam nostrorum statutorum ellectos vel elligendos modo aliquo vel forma directe vel per obliquum impedire precipiendo vel rogando quominus unicuique et contra quemcumque iusticiam ministretur et fiat.

Prohibentes etiam quod predicti domini anciani in consilio quadringentorum non possint proponere vel proponi facere, neque proponi permittere aliquid quid esset vel redundare posset in dampnum et preiudicium comunis et populi Bononie et maxime presentis status libertatis, sub pena ducentarum librarum bononinorum pro quolibet. Et nichilominus quidquid inde secutum fuerit ipso iure non valeat. Et comune Bononie ilesum conservare teneantur hii qui culpabilles fuerint.

Nec aliquid quod sit prohybitum proponi ex forma statutorum et ordinamentorum comunis et populi Bononie, nec aliquam postam que non fuerit primo aprobata per consilia opportuna et aliter factum non valeat ipso iure.

Mandamus etiam quod dicti domini anciani toto tempore eorum officii, ipsi vel alter eorum, non debeant discedere de die vel de nocte de palatio eorum residentie, nisi quatenus eisdem concederetur ex forma nostrorum statutorum, sub pena quingentarum librarum bononinorum pro qualibet vice.//

[c. 24r f. XIII^{or}]

Insuper prohybemus predictos dominos ancianos posse delegare causas aliquas inchoatas coram aliquibus iudicibus vel officialibus comunis Bononie de eis cognitionem habentibus. Et intelligatur quantum ad predicta causa inchoata, si petitio fuerit porecta coram altero ex dictis iudicibus seu officialibus et cytatio de parte conventa facta.

Prohibemus etiam predictos dominos ancianos delegare posse causam aliquam alicuius ipsorum dominorum ancianorum vel alicuius qui esset de colegiis confaloneriorum vel massariorum artium civitatis Bononie eorum durante officio colegiis predictis vel alicui qui esset de dictis colegiis, nec alteri persone²⁰, nisi ad partis adverse petitionem hoc fieret.

¹⁹ <comitatum> *nel testo conitatum.*

²⁰ <nec alteri persone> *in soprallinea con segno di rinvio.*

Abstineant autem predicti domini anciani ab impositione cuiuslibet colecte civibus, comitatinis vel districtualibus civitatis Bononie imponende, nisi primo per opportuna consilia et demum per consilium quadringentorum aliud fuerit provisum.

Nec possint vendere vel vendi facere aliquid datium vel gabellam, nisi ad pacta descripta vel describenda in campione comunis Bononie et secundum formam statutorum comunis Bononie.

Nec etiam possint augere vel diminuere aliquid datium vel gabellam, nisi per dicta consilia sive colegia opportuna et consilium quadringentorum aliter fuerit provisum.

Nec possint donationes vel provisiones aliquas facere, statuere vel concedere alicui singulari persone, universitati seu comunitati, nisi per dicta consilia et consilium quadringentorum aliter fuerit ordinatum quod tamen non vendicet sibi locum in provisionibus que secundum morem consuetum et uxitatum statui sive concedi solent stipendiariis in quibus statuta nostra servantur.

Item prohybentur dicti domini anciani²¹ et quilibet ex eis durante eorum officio dare licentiam aliquam in scriptis vel verbo tenus alicui de portando vel extrahendo aliqua victualia vel aliquam grassam de comitatu Bononie, sub pena centum librarum bononinorum, nisi predictis dominis videretur opportunum et utile quibus casibus impune licenciam concedere possint.

Vetamus etiam dominis ancianis predictis et cuilibet eorum durante eorum officio mittere pro domino potestate vel domino capitaneo populi vel pro aliquo officiali predictorum domini potestatis vel capitanei et eis vel alicui eorum aliquid iniungere, nisi inter eos obtemptum fuerit per maiorem partem predictorum dominorum ancianorum, sub pena cuilibet anciano qui contra supra proximum dicta fecerit vigintiquinque librarum bononinorum ab eo de facto auferenda tempore eius sindicatus.

Prohibemus etiam quod dicti domini anciani directe vel indirecte possint absque consilio quatringentorum refirmare aliquem in capitaneum populi vel in potestatem Bononie, etiam ostendendo quod de novo elligant vel refirment vel prorogent terminum vel officium predictorum vel alicuius eorum. Et quod dictum est de capitaneo vel potestate. Idem sit prohybitum de sindico vel aliquo alio officiali comunis Bononie, sub pena centum librarum bononinorum cuilibet anciano contrafacienti et nichilominus dicta refirmitio seu ellectio aut prorogatio ipso iure non valeat.//

[c. 24v]

Prohybemus etiam quod dicti domini anciani possint concedere aliquas represalias, nisi si et prout ex forma nostrorum statutorum concedi possunt.

Item statuymus quod dicti domini anciani seu aliquis ex eis directe vel indirecte, in scriptis vel verbo tenus durante eorum officio non possint alicui dare vel concedere licentiam portandi aliqua arma offensibilia per civitatem Bononie, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Et nichilominus talis concessio seu licentia non valeat ipso iure. Salvo quod licentiam predictam predicti domini concedere possint cuilibet ambasiatori destinato ad civitatem Bononie et cuilibet familiari talium ambasiatorum.

Item ordinamus quod aliquis ancianus comunis Bononie vel cancellarius vel alter ex notariis dictorum dominorum ancianorum vel alicuius eorum pater vel filius vel aliquis ei coniunctus usque ad tercium gradum inclusive non possint vel debeant durantibus officiis antedictis elligi vel nominari directe vel per obliquum ad aliquod officium ordinarium vel extraordinarium comunis Bononie, nec per ambasiatorem vel eius notarium elligi, nominari vel micti extra districtum Bononie nichil que provideri, firmari vel fieri possit dicto tempore vel modo predicto quid principaliter, seu nominatim esset

²¹ <dicti domini anciani> *in infralinea con segno di inserzione.*

vel cederet in favorem predictorum vel alicuius predictorum etiam sub pretestu alicuius oneris quod eis pro predictis imponi diceretur vel vigore alicuius arbitrii generalis vel specialis quod eis dominis vel alicui eorum concederetur. Et quod prior dominorum ancianorum vel vexilifer iustitie vel aliquis alius non possit vel debeat proponere, consullere vel arengare seu scribere vel pati quod fiat aliquid de predictis contra prohibitionem predictam et quod contrafieret in aliquo casuum predictorum, et quod sequeretur ex eis non valeat ipso iure ymo careat viribus et effectu, nec pro predictis possint vel debeant aliquid percipere vel habere a comune Bononie vel aliqua singulari persona vel universitate seu comunitate. Et nichilominus qui contrafecerit et etiam ellectus vel elligendus qui acceptaverit vel qui predictis uteretur, incidat ipso facto penam ducentarum librarum bononinorum per capitaneum populi exigendam. Salvo semper quod non obstantibus predictis elligi et nominari possit in consilio quatuormilium et etiam scrupinuari inter consilia opportuna ad illa officia ad que in dicto consilio quatuormilium elligeretur. Et idem in omnibus et per omnia intelligatur de quibuscumque sapientibus seu aliis quibus aliquid arbitrium concessum reperiretur ut ipsius arbitrii vigore aliqui ex eis qui dictum arbitrium haberet vel alicuius eorum pater vel filius vel aliquis ex predictis elligi, nominari vel micti seu in eius favorem fieri provideri vel firmari non possit seu possint ut supra, sub penis predictis. Et quod contrafieret non valeat ipso iure ut supra. Et quod quandocumque dominis ancianis vel aliis officialibus daretur aliquid arbitrium generale vel speciale, sive ipsorum dominorum ancianorum vel officialium nomina scripta fuerint sive non, semper dicto officio seu dignitati et non personis datum intelligatur non tamen²² extendatur ad successores ultra tempus officii ipsorum dominorum ancianorum seu alterius quibus dictum arbitrium esset concessum quibus etiam quo ad alios in dicto arbitrio adiunctos²³ quorum officium ultra extendatur, nisi de successoribus vel maiori tempore in comissione talis arbitrii aliud contineretur.//

[c. 25r f. XV]

Nec etiam possint prorogare, neque suspendere aliquam instanciam alicuius cause criminalis, neque ferias super aliqua causa criminali inducere et si facta fuerit non valeat ipso iure, nisi forsam predicta vel aliquid eorum facta fuerint de voluntate, consensu et deliberatione dominorum confalonierorum et massariorum vel maioris partis eorum et pro evidenti utilitate comunis Bononie.

Et quia multa pro bono regimine nostre civitatis per dominos ancianos Comunis predicti hinc retro fuerint facta, disposita, mandata et rescripta ea omnia per quoscumque dictorum dominorum et quomodocumque processerint et facta fuerint ratificamus et aprobamus ac inmolabiliter oservari mandamus.

Et ut pretestu ygnorantie predicti domini anciani non atemptent facere supra eis prohybita, statuimus et ordinamus quod presens statutum infra terciam diem in introitu dominorum novorum ancianorum legatur per cancellarium predictis dominis ancianis in unum coadunatis, pena tali cancelario qui legere obmiserit presens statutum ut supra vigintiquine librarum bononinorum ab ipso per²⁴ dominum capitaneum populi de facto auferenda tempore sui syndicatus. Salvis tamen et reservatis omnibus et singulis reformationibus, ordinationibus vel provisionibus factis vel fiendis in consilio quatringtonum comunis Bononie legitime factis.

²² <tamen> *nel testo* tamenn.

²³ <adiunctos> *su rasura*.

²⁴ <per> *segue ipsum espunto*.

[9] De privilegiis et immunitatibus dominorum ancianorum comunis et populi Bononie. Rubrica. [cc. 25r-25v]

Quoniam agentes in rebus sui laboris requiem et remunerationis precium consequi a nostra republica debere dignum atque conveniens et equum fore dignoscitur hac lege valitura. Decernimus quod domini anciani comunis et populi predicti et quilibet eorum durante eorum officio non possint personaliter capi neque conveniri civiliter vel criminaliter coram aliquo officiali comunis Bononie, neque ipsorum res et bona capi vel realiter molestari, nisi comisisset durante eorum officio tale maleficium ex quo pena aliqua personalis eidem veniret imponenda. Et si contra predicta vel aliquid predictorum fiat non valeat ipso iure. Et si ad captionem personalem alicuius predictorum dominorum ancianorum procederetur faciens capi incidat in penam mille libris bononinorum de facto auferendam per dominum capitaneum vel per dominum potestatem civitatis Bononie omni iuris et facti exceptione remota. Et nichillominus statim debeat relapsari per custodes carcerum vel per alios detinentes, sub pena arbitrio domini potestatis vel domini capitanei qui de delictis cognoverit de facto a dictis custodibus sive ab aliis detinentibus auferenda. Nec possit aliquis predictorum dominorum, usque ad unum annum proximum futurum, incoandum incontinenti finito officio sui ancianatus et finiendum ut sequitur cogi ad acceptandum et exercendum aliquid officium a comuni Bononie. Et ne aliquis auxu temerario audeat offendere re vel verbo predictos dominos ancianos vel aliquem eorum. ²⁵Statuimus quod quelibet persona cuiuscumque status, gradus et conditionis existat, que offenderet dominos ancianos vel aliquem eorum cum sanguinis effusione, cum aliquo genere armorum vetitorum, pena capitis puniatur per dominum potestatem vel per dominum capitaneum populi, qui de delicto cognoverit. Si vero aliquis offenderet//
[c. 25v]

cum dictis armis predictos dominos ancianos vel aliquem ex predictis sine sanguinis effusione personaliter vel cum alio genere armorum vel sine armis cum sanguinis effusione vel sine, tunc puniatur pecunialiter pena quadrupli et plus arbitrio dominorum ancianorum. Et nichillominus stet in carceribus duobus mensibus et plus arbitrio ipsorum dominorum potestatis et capitanei et cuiuslibet ipsorum, qui de delicto cognoverit inspecta qualitate delicti et conditione personarum. Si vero offenderit verbo vel convicio condempnetur per predictos vel alterum eorum qui de delicto cognoverit in libris centum bononinorum et minus arbitrio ipsorum vel alterius eorum, qui de tali delicto cognoverit, inspecta qualitate delicti et conditione personarum, que pena, condempnatione facta, statim exigatur per ipsos vel alterum eorum, qui de delicto cognoverit. Si vero offenderet aliquem alium in presencia dictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum, cum sanguinis effusione cum aliquo genere armorum vetitorum, pena manus puniatur per alterum ex predictis dominorum potestatis et capitanei, qui de delicto cognoverit. Si vero cum alio genere armorum vel sine armis cum sanguinis effusione vel sine, personaliter tamen, tunc puniatur pecunialiter pena quadrupli et plus arbitrio dominorum ancianorum et nichillominus carceretur et sic carceratus remaneat per duos menses. Si vero offenderet verbo vel convicio aliquem in presencia dominorum ancianorum, puniatur per alterum predictorum, qui de delicto cognoverit in libris quinqueginta bononinorum et minus inspecta qualitate delicti et conditione personarum. Quibus omnibus casibus supradictis, teneantur ipsi domini potestas et capitaneus seu alter eorum inquirere ex suo officio et etiam ad denuntpiationem cuiuscumque persone. Et quod nullus audeat vel presumat aliquem

²⁵ *Sul margine laterale destro in corrispondenza di questo comma annotazione di mano diversa: offendens dominos ancianos.*

sociatum ab uno vel pluribus de familia ipsorum dominorum ancianorum capere vel capi facere aut quomodolibet re vel verbo offendere vel offendi facere, sub pena arbitrio dominorum potestatis et capitanei auferenda, considerata conditione persone et honore officii predictorum dominorum ancianorum. Et quod finito dicto ancianatus officio quilibet offendens predictos dominos ancianos vel aliquem predictorum, infra annum a die depositi officii, puniatur pena quadrupli eius quo puniretur, si offensus esset alius singularis civis Bononie secundum formam nostrorum statutorum. Sintque predicti domini et quilibet predictorum ipso iure excusati ab oneribus personalibus infra dictum annum. Et dicto tempore anni cuilibet ipsorum dominorum ancianorum liceat impune portare arma offensibilia et defensibilia, de die vel de nocte, dum tamen incessus suus aliter sit honestus per civitatem et comitatum Bononie. Et si fuerit advocatus vel procurator in aliqua causa civili vel criminali, qui fuerit extractus ancianus, possit causam dare in suspenso secundum formam nostrorum statutorum et in aliqua causa in suspenso data, ut supra in aliqua eius propria causa non curant tempora toto tempore pendentis dicti officii, nisi in eadem causa, in qua primo esset advocatus vel procurator essent plures advocati vel procuratores, quo casu in dicta causa procedi possit et debeat, nisi per ipsos dominos ancianos infra tres primos dies sui officii fuerit contrarium ordinatum. Placet etiam quod ob reverentiam officii predictorum dominorum ancianorum nullus in palatio eorum ressidentie vel curtili dicti pallacii, seu super pontisello, quod est ante portam dicti pallacii pro debito pecuniario singularis persone capi vel deponeri possit et si captus fuerit captio scit ipso iure nulla et incontinenti debeat relapsari.//

[c. 26r f. XVI]

[10] De expensis fiendis pro personis dominorum ancianorum predictorum et ipsorum domicelis servientibus et fratribus et aliis ad servitium predictorum dominorum deputatis. Rubrica. [cc. 26r-26v]

Statuimus quod ultra numerum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie debeant esse et stare continue in palatio ressidentie predictorum dominorum ancianorum pro serviendo et parendo eisdem dominis ancianis et cuilibet ipsorum infrascripte persone videlicet, octo domicelli cives civitatis Bononie origine propria et de similli partita induti expensis comunis predicti, datis cuilibet ipsorum quolibet anno undecim brachiis panni valoris duodecim florenorum auri et ultra predicta pro suo salario habeat quilibet eorum quolibet mense quinquaginta solidos bononinorum solvendo per depositarium generalem dicti comunis, sine aliqua detractioe que vestis renovetur singulis annis in festo sancti Petri apostoli de mense iunii. Et quod habeant predicti domini unum bonum et expertum hominem civem Bononie qui sit magister familie et custos rerum pallacii fidum et legalem cum salario decem librarum bononinorum pro quolibet mense a comuni Bononie recipiendo. Et unum expensorem, qui expensorem quolibet anno in dicto festo teneatur se de novis panis eiusdem coloris induere. Qui quidem expensorem quolibet sero teneatur dare priori dominorum ancianorum unam cedullam continentem expensas illius diei, sub pena ipsi expensori viginti solidorum bononinorum pro qualibet vice qua dictam cedullam dare obmiserit. Et debeant habere et retinere duos fratres fratrum mendicantium civitatis Bononie alterius ex ordinibus dicte civitatis qui sint cives civitatis, Bononie sub quorum custodia in loco deputato debeant esse sigilla magna dicti comunis. Volumus autem quod unus ex dictis fratribus habeat officium sigillandi literas mittendas extra civitatem Bononie per dictum comune et quascumque alias et sigillare non possit, nisi fuerit apositum signum manu domini vexiliferri iustitie per ipsum vexiliferum iustitie ordinatum, et nisi sigilatum fuerit sigillo parvo dictorum dominorum ancianorum per dominum priorem dictorum

dominorum. Qui dominus prior sigillare non possit, nisi prius dicte litere signate fuerint signo supradicto. Ipse vero dominus vexilifer iustitie non possit signare aliquas literas, nisi prius obtemptum fuerit per duas partes dictorum dominorum ancianorum quod sigillari debeant ut supra dictum est. Item habeant predicti domini anciani unum cocum ad ipsorum servitium, qui habere debeat pro suo salario cum uno scoto a comune Bononie quatuor libras bononinorum quelibet mense. Item habeant unum portonarium ad custodiam porte inferioris dicti palacii, qui habere debeat quolibet mense pro suo salario unam pagam mortuam et descripta esse debeat inter familiares deputatos ad custodiam predictorum dominorum. Item habeant etiam et habere debeant pro faciendis ambaxiatis impponendis per predictos dominos ancianos sex macerias, qui macerii pro quolibet eorum habere debeant pro eorum salario quolibet mense libras quatuor et solidos decem bononinorum a comuni Bononie et debeant ipsi et quilibet eorum habere vestes novas et de simili partita et unum caputeum de panno lane coloris rubey, quem caputeum continue portent in capite quolibet anno in festo sancti Petri predicti. Et pro auxillio predictarum vestum quilibet predictorum habere debeat a dicto comuni libras duodecim librarum bononinorum. Qui omnes suprascripti habere debeant expenssas cibi et potus a predictis dominis ancianis. Et ultra predictas vestes caputeum predictum expensis comunis in festo nativitatis domini nostri Iesu Christi cuiuslibet anni. Volumus etiam quod nunptius colegiorum prefatorum dominorum confaloneriorum et massariorum qui nunc est vel pro tempore fuerit debeat annuatim habere unam vestem de aliqua partita tempore quo dabuntur alie vestes supradictis maceriis eiusdem extimationis prout esse debet vestis alicuius de dictis maceriis, qui etiam nunptius habere debeat expenssas cibi et potus a dictis dominis ancianis in prandio et pro suo salario a dicto comuni libras quinque bononinorum pro quolibet//

[c. 26v]

mense. Item sit et superesse debeat agriculture orti palacii residentie dominorum unus qui habere debeat unam pagam mortuam quolibet mense pro suo salario et sit ipsius nomen²⁶ descriptum inter famulos deputatos ad custodiam predictorum dominorum et expenssas cibi et potus cum famillia dominorum ancianorum et teneatur ipsum ortum bene et sufficienter collere et gubernare temporibus congruis. Item habeant unum cancelarium cum duobus coadiutoribus civibus Bononie, et duos notarios cives Bononie, et duos tubatores, et unum nacarinum, et unum famullum scopatorem, et unum famullum deputandum ad apportandum vinum pro predictis dominis. Qui omnes et quilibet eorum habeant salaria eis et cuilibet eorum ordinata et expenssas cibi et potus a predictis dominis ancianis. Et pro predictorum dominorum ancianorum et predicte eorum familie expensis, ordinamus dari debere predicto expeditori pro dictis dominis ancianis recipienti decem florenos auri a generali depositario dicti comunis quolibet die officii ipsorum dominorum ancianorum et non ultra, nisi ex causa supervenientis alicuius neccessitatis fuerit per consilia opportuna aliter ordinatum. Et finito officio dictorum dominorum quidquid superfuerit de pecunia predicta debeat restitui et assignari ipsi depositario convertendum in utilitatem comunis ad beneplacitum dominorum ancianorum.

[11] **De sindicatu dominorum ancianorum comunis et populi Bononie. Rubrica.**
[cc. 26v-27r]

Ut officium dominorum ancianorum pressidentium populo et comuni Bononie recte ac dilligenter et cum omni iustitia, dilligentia et legalitate gubernetur et regatur, statuimus quod omnes et singuli anciani comunis et populi Bononie finito eorum officio

²⁶ <nomen> *segue* cum familia dominorum ancianorum *espunto*.

debeant stare ad syndicatum hoc modo videlicet quod syndicus generalis civitatis Bononie vel alius qui loco dicti syndici in dicto officio subrogatus fuerit ultima die eorum officii debeat venire vocatus ab eis ad palacium eorum ressidentie. Et ad inquisitionem generalem per ipsum syndicum formatam in forma debita super commissis et neglectis per eos vel eorum quemlibet contra formam iuris vel statutorum istorum de officio et potestate dominorum ancianorum disponentium faciat cum reverentia tantum debita eos et quemlibet eorum personaliter et singulariter respondere. Et incipiat ipse syndicus tali hora quod eadem die ipsa responsio ab omnibus recipiatur postea duobus diebus immediate sequentibus silicet prima et secunda mensis sequentis sine aliqua cytatione fienda de ipsis sindicandis intendat ipse syndicus examinationi testium super inquisitione generali et etiam receptioni querellarum si quas vel si quam contra eos vel eorum aliquem dari contingat quas etiam non concludentes solo facto atento admittere teneatur et subsequenter tertia die eiusdem mensis si opus fuerit pro generali inquisitione vel singulari querela cytet seu cytari faciat eos vel eum quos vel quem cytari expediat personaliter vel domum per alterum ex maceriis dominorum ancianorum et non per alium loco palacii predicti assignato in quo et non in alio loco syndicus vocare eos et procedere teneatur datis terminis hinc inde ad faciendum probationes et defensionem suas prout fuerit opportunum. Ita tamen quod infra quintam diem dicti mensis per absolutionem vel condemnationem prout iustum fuerit syndico ipse debeat syndicatum ipsum terminasse. Super quo syndicato et in eo procedi debeat summarie, sine strepitu et figura iudicii sola veritate facti inspecta et omni tempore etiam feriato. Quibus quinque diebus elapssis si non fuerit lata sententia absoluti sint et esse intelligantur ipsi sindicandi de omnibus et singulis sibi ascriptis vel que per predictos ancianos vel aliquem eorum in dicto officio dicerentur fore comissa. Et syndicator, seu syndicatores, qui sententiam obmiserint proferre infra dictum tempus penam

[c. 27r f. XVII]

incidant trecentarum librarum bononinorum eis de facto auferenda tempore sui syndicatus. Et predicta locum habeant in comparentibus et respondentibus dicte inquisitioni et petitioni, querele vel libello postquam fuerit cytatus semel personaliter vel bis ad domum alias habeatur pro confesso et convicto de eo quod contra ipsum ascribitur in petitione, querela seu libello. Qui non responderit ut supra et condemnari et puniri debeat ac si sponte confesus fuisset ipse talis non respondens id cui obmiserit respondere. Et nichilominus banniat in dicta pena, qua deberet puniri ut supra de civitate, comitatu et districtu Bononie. Et pro bannito comunis Bononie in dicta pena habeatur et describi debeat in altero ex libris bannitorum comunis Bononie positus a discum bannitorum. Salvo quod ubi aliquis foret impeditus ex probabili, iusta et neccessaria causa, qua causa per dictum syndicum debeat declarari et dicte inquisitioni seu libello non responderetur, quod tunc non habeatur pro confesso, nec teneatur penis suprascriptis et in terminum quo ad personam ipsius impediti non curat instantia syndicatus. Et si querelam vel denunciam porigens dictis syndicis seu syndico contra predictos olim ancianos vel aliquem eorum non probaverit equali pena qua ille vel illi contra quem vel quos illam exhibuerit si probasset condemnatus vel condemnati fuisset vel fuissent per eosdem syndicos seu syndicum infradictum quinque dierum terminum condemnentur. Licentiam tamen habeat talis conquerens querela vel querelis per eum poretate ante sententiam impune renunciandi. Et si contingat syndicum generalem in civitate Bononie tempore dicti syndicatus non exstare, tunc cappitaneus populi et eius vicarius, si eos contingat tunc esse in civitate Bononie, alias eis absentibus seu altero eorum potestas Bononie et eius vicarius sint et esse intelligantur syndici dictorum dominorum ancianorum. Qui servare teneantur et debeant formam superius in presenti statuto traditam et ordinatam quantum eis adaptari poterit. Notarii autem dictorum

syndicorum ad predicta sint et esse intelligantur unus ex notariis dicti domini potestatis vel unus ex notariis dicti domini capitanei vel alter notarius dicti syndici maioris.

[12] De electione et officio cancellarii dominorum ancianorum comunis et populi Bononie et de officio coadiutoris eius et salario eius et comodis dividendis. Rubrica. [cc. 27r-28v]

Cum per manus generalis cancellarii comunis et populi Bononie transire debeant tanta decreta et ponderosa negotia dicti comunis et amicorum eius propter quid oporteat de sufficienti persona tali officio providere, statuimus quod per dominos ancianos et colegia oportuna, vocatis aliis civibus quos voluerint, eligi debeat unus ydoneus, legalis et expertus homo qui sit et esse debeat cancellarius comunis Bononie et dictorum dominorum ancianorum ad beneplacitum predictorum dominorum et colegiorum. Qui cancellarius sit et esse debeat ad minus etatis tregintaquinque annorum, et teneatur dictus cancellarius in introitu sui officii se personaliter presentare saltem coram dominis ancianis. Et delato sibi sacramento per dominum priorem dictorum dominorum iurare teneatur corporaliter ad sancta Dey evangellia quod officium suum in quibusque sibi commissis et committendis per formam statutorum comunis Bononie vel pro parte dictorum dominorum bene, dilligenter, bona fide, legaliter et cum omni diligentia et sollicitudine faciet et exercebit iusta posse. Et quod quecumque secreta dicti comunis et etiam secreta que sibi imponentur sub secreto tenebit. Et quod stabit ipse cancellarius continue in palatio residentie dictorum dominorum et maxime in cancellaria et quod sui copiam faciet iusta posse. Et quod expediet quam celerius poterit omnia et singula sibi²⁷ commissa seu comittenda et quod servabit et servari faciet infrascripta.// [c. 27v]

Et quod stabit ad syndicatum et reddet rationem sui officii pro se et eius coadiutore seu coadiutoribus si coadiutorem vel coadiutores habuerit. Cuius cancellarii officium sit et esse debeat stare continue in dicto pallatio et maxime in cancellaria de die et de nocte, nisi ex iusta causa iret extra predictum palatium vel nisi de licencia predictorum dominorum ancianorum. Et etiam adesse et stare in singulis consiliis quamdiu duraverint ipsa consilia, si de ipsorum dominorum ancianorum processerit voluntate²⁸. Et scribere teneatur omnia et singula consilia sub brevitate ut supra ipsis possit et debeat deliberari et provideri. Ac etiam omnia et singula statuta loquentia de electione dominorum ancianorum et de hiis a quibus abstinere debent predicti domini anciani temporibus congruis et opportunis legere et declarare et intimare ipsis dominis ancianis, et statuta loquentia seu disponentia de electione confaloneriorum et de electione domini capitanei populi et domini potestatis Bononie et omnia alia que ex forma nostrorum statutorum eis legere tenetur. Et ipsis dominis rememorare et sollicitare teneatur²⁹ quod electiones predictorum fiant temporibus congruis et secundum formam statutorum. Et scribere teneatur electiones dominorum capitaneey populi et domini potestatis Bononie et alias literas ob predicta fiendas. Et deferre sacramentum predictis confaloneriis capitaneo et potestati tempore debito. Item scribere et registrare teneatur per se capitulla secreta dicti comunis et ambasiatas secretas, et ambasiatorum relationes secretas et scrupitina secreta. Alia vero et alias que secreta et secreta non fuerint scribat et registret aut scribi et registrari faciat per eius coadiutorem. Item debeat formare omnes et singulas literas, capitula et scripturas que transmitti debuerint ex parte seu sub nomine comunis Bononie vel dictorum dominorum ad quamcumque comunitatem vel

²⁷ <sibi> *dittografato*.

²⁸ <voluntate> *corregge* voluntatem.

²⁹ <teneatur> *segue* et *cassato*.

singularem personam et eas propria manu scribere si videretur non esse aliis propalandum alias manu propria vel coadiutoris vel manu alterius boni et sufficientis scriptoris. Quem coadiutorem seu coadiutores si quem vel si quos habere voluerit, habeat de voluntate dominorum ancianorum, quibus per eum de salario per eum cum eis convento satisfiat. Et ipsas literas sigillandas tradere ei apud quem sigilla dicti comunis esse debent. Que semper sigillari debeant de cera rubea, nec possit aliquis tales literas sigillare, nec sigillari vel micti debeant, nisi de eis talibus sigillandis et transmittendis optentum fuerit per maiorem partem dictorum dominorum ancianorum. Et registrare teneatur, seu registrari facere in uno libro omnes et singulas literas, que erunt alicuius ponderis. Ac eciam omnes alias de quibus registrandis ei mandatum fuerit per dictos dominos ancianos de verbo ad verbum cum datione literarum et nomine nunptii et sub secreto tenere prout teneri debuerint. Et siquidem fuerint litere cyatorie seu preceptorie de quibus responsio seu relatio veri similiter requiratur, talis responsio seu relatio et per quem nunptium facta fuerit et qua die in scriptis reddigatur vel eam reddigi faciat per eius coadiutorem in eodem libro ubi magis videbitur convenire. Et omnes et singulas literas que undecumque trasmitterentur comuni Bononie vel ad predictum comune vel ad dominos ancianos conservare et registrare et registrari facere, que erunt alicuius ponderis. Ac eciam omnes alias de quibus registrandis ei mandatum fuerit per dictos dominos ancianos per se ipsum vel per dictum coadiutorem in uno libro per se. Litere tamen et scripture que fuerint secrete registretur omnino per ipsum cancellarium in uno libro per se qui liber cum//

[c. 28r f. XVIII]

ipsis literis in secreto teneatur. Ac etiam teneatur dictus cancellarius omnes et singulas provisiones et reformationes fiendas et reformandas in consilio quadringentorum comunis et populi Bononie tempore sui officii extendere et registrare in libro suo provisionum et reformationum comunis et populi Bononie de quibus fuerit rogatus, et eas auctenticare et in publicam formam reddigere, et eas sic in publicam formam redactas deponere et consignare ad camaram actorum comunis et populi Bononie et penes notarios dicte camere dimittere infra viginti dies postquam firmate facte et optente fuerint in dicto consilio, sub pena librarum quinqueginta bononinorum pro qualibet reformatione seu provisione non autenticata et deposita ut supra, salvo quod si dicte provisiones vel reformationes reperirentur deposite per aliquem ex notariis dictorum dominorum ancianorum infra dictum tempus, tunc ipse cancellarius ad predicta sic deposita deponendum minime teneatur. Decernentes insuper quod quilibet qui fuerit cancellarius comunis et populi Bononie seu dictorum dominorum ancianorum a die vigesima mensis martii milesimi trecentesimi septuagesimi sestii, qua die civitas Bononie reddiit ad presentem statum felicis libertatis, teneatur et debeat omnes et singulas provisiones et reformationes factas et firmatas in consilio quingentorum seu quadringentorum comunis seu in quocumque alio generali consilio comunis et populi Bononie tempore officii dicti cancellarii nondum per se vel alterum ex notariis dictorum dominorum tempore ipsorum cancellariorum officii depositas et consignatas, ut infra autenticare et in publicam formam reddigere in cartis membranis et eas sic autenticatas deponere et consignare ad camaram predictam et penes notarios ad dictam camaram deputatos dimittere infra tres menses a die depositionis presencium statutorum ad dictam camaram actorum, sub pena quinqueginta librarum bononinorum pro qualibet provisione et reformatione non deposita et dimissa ut supra. Et ut predicta melius sortiantur effectum. Et ne aliquis sub pretestu ingnorantie se valeat excusare. Mandamus quod dominus capitaneus comunis et populi Bononie seu eius vicarius teneatur ad petitionem et requisitionem cuiuscumque mandare predictis cancellariis quod infra supradictum terminum debeant suprascripta omnia et singula fecisse et observasse sub

dicta pena. Quo termino elapso a die predicti mandati eis facti contra inhobedientes et premissorum contemptores ad executionem dicte pene procedat. Et nichilominus predictos et quemlibet eorum quibuscumque remediis opportunis ad observantiam quorumcumque premissorum realiter et personaliter cogat atque compellat. Et de aliquibus scripturis quas fieri contingerit vel que fieri debuerint per ipsum cancellarium vel per eius coadiutorem pertinentibus vel que pertinere possent ad comune Bononie vel eius comodum. Et de aliquibus literis vel suprascriptis omnibus spectantibus ad comune Bononie pro reformatione, scriptura vel registratione nichil possit vel debeat percipere vel habere a comuni Bononie vel eius officiali aut ab aliqua singulari persona vel universitate etiam de pecunia comunis Bononie directe vel indirecte ultra salarium quid sibi fuerit ordinatum per comune Bononie tam per se quam pro eius coadiutore. Cuius cancellarii tam pro se et eius coadiutore salarium decernimus esse decem florenorum auri pro quolibet mense solvendorum per depositarium generalem comunis et populi Bononie. Pro aliis vero literis principaliter tangentibus singulares personas vel comunitatem aliquam aliam quam comunis Bononie. Que litere factum magnum sive ponderosum non contineant habere seu percipere aliquid non possint ut supra, nisi dumtassat pro singulis literis tradendis decem solidos bononinorum ad plus//

[c. 28v]

vel minus secundum qualitatem literarum sub pena quadrupli eius quid receperit comittenda et exigenda de facto ab ipso domino cancellario tociens quociens contrafaceret ipse vel eius coadiutor per dominum capitaneum populi vel eius vicarium. De literis vero magnum seu ponderosum negotium continentibus et de scripturis et contractibus publicis in formam publicam tradendis alicui singulari persone, universitati vel comunitati cum quibus comune Bononie contrasserit etiam si tangerent comune Bononie solvi ei debeat si videbitur dictis dominis ancianis quod aliquid habeat pro suo labore et aliter vero secundum tassationem fiendam per ipsos dominos ancianos a dictis singularibus personis, universitatibus seu comunitatibus, que cum dicto comuni Bononie contraserint. Volumus tamen quod predictus cancellarius lucrum quid ex predicto officio percipiet cum nemine participare teneatur, nisi lucrum quid ex reformationibus, provisionibus vel mandatis ad eum perveniret, quibus casibus teneatur participare ut de notariis dictorum dominorum ancianorum in proximo subsequenti statuto continetur. Finito vero suo officio teneatur dictus cancellarius incontinenti successori suo libros registri literarum et filças sui officii predicti et omnes dictas literas reassignare presentibus dictis dominis ancianis. Coadiutor vero seu coadiutores predicti teneantur esse et stare in dicta cancellaria vel alibi ubi deputarentur singulis diebus et horis cum dicto cancelario et scribere et registrare dictas literas, et facere alias scripturas que obcurerint ad predicta prudenter et solcite toto posse cuius cancellarii et eius coadiutoris scripturis plena fides adhibeatur si subscripte fuerint manu dicti cancellarii. Qui coadiutor seu coadiutores ipsum cancellarium coadiuvare teneantur in omnibus et singulis ad ipsum officium pertinentibus quoquomodo de quibus nichil possint percipere vel habere, nisi a cancellario predicto, id quod eis promissum fuerit. Et cuilibet non servanti predicta vel contrafacienti, ubi pena non esse imposita, possit dominus capitaneus vel dominus potestas vel syndici ad hoc deputandi imponere penam librarum viginti quinque bononinorum et minorem considerata qualitate facti et conditione personarum, et ipsam penam impositam exigere teneatur, qui de delicto cognoverit. Et stare teneatur dictus cancellarius et eius coadiutor ad sindicatum per quatuor dies et sindicati debeant per dominum vicarium domini capitanei vel per syndicum deputandum in quo sindicatu procedat ipse vicarius vel syndicus suo arbitrio et terminetur ut sibi videbitur. Quibus quatuor diebus elapsis absolutus sit et esse intelligatur a dicto sindicatu, nisi aliter infra dictos quatuor dies fuerit terminatum.

Quod quidem statutum et omnia et singula in eo contenta ligare habeant ser Laygonum ser Dini Hostexarii cancellarium presentem, solum post octo dies a die publicationis presencium statutorum cuius scripturas, acta, facta et gesta et fienda volumus plenum robur et effectum habere et ipsas et ipsa aprobamus et confirmamus, et habeant dicti coadiutor seu coadiutores expenssas cibi et potus ut per nostra statuta supra provisum est.

[13] **De officio notariorum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie.**
Rubrica. [cc. 28v-29v]

Exspedit ordinare disposita et matura deliberatione provisa inscriptis reddigi ne ipsorum memoria ex nature imbecillitate³⁰ transcurat et labatur. Qua propter ordinamus quod predictorum dominorum ancianorum sint et esse debeant duo notarii elligendi in consilio quatuormilium servando et forma//

[c. 29r f. XVIII^{or}]

nostris statutis ordinata, qui tempore ordinato stare debeant continue in palatio ressidentie dictorum dominorum, nisi ex iusta causa vel de licentia dominorum ancianorum exierint palatium et qui durante eorum officio expenssas habere debeant cibi et potus in palatio supradicto. Qui notarii tempore introytus eorum et cuiuslibet eorum officii iurare debeant in manibus cancellarii dictorum dominorum bene, fideliter, dilligenter et legaliter et cum omni sollicitudine ipsorum officium et que ad ipsum officium spectant facere et exercere. Erit autem predictorum notariorum et cuiuslibet ipsorum officium parere et hobedire dictis dominis ancianis in licitis et honestis et in hiis que pertinent ad ipsorum dominorum ancianorum officium. Et scrupitina et partita non secreta scribere teneantur, et quemque mandata et precepta fienda per dictos dominos. Et buletas quarumcumque solutionum expensarum extraordinariarum fiendarum ex quibuscumque causis facere. Item teneantur ipsi vel alter eorum subscribere rescripta per ipsos dominos facta et fienda in causibus eis permissis si ipsa rescripta processerint saltem de voluntate duarum partium predictorum dominorum et non aliter. Et etiam ipsi vel alter eorum teneantur et debeant scribere et subscribere omnes et singulas provisiones seu³¹ reformationes fiendas per predictos dominos vel consilium quadringentorum. Ac etiam ordinare in dicto consilio legere et publicare scrupitina et reformationes prout et sicut dictis dominis ancianis videbitur opportunum. Et omnia et singula registrare in cartis membranis et ea ipsasque reformationes seu provisiones in viginti dies a die qua publicate et firmate fuerint dare in formam publicam ad camaram actorum comunis et populi Bononie teneantur. Teneantur etiam officium coadiutoris et coadiutorum predicti cancellarii facere et exercere si eis mandabitur per dominos ancianos. Et quod predictis omnibus et singullis pertinentibus seu que pertinerent ad comune Bononie seu eius comodum nil percipere vel habere possint ipsi vel aliqua alia persona vel frater penes quem esset debet sigillum comunis Bononie a comune Bononie vel ab aliqua alia persona, etiam a sponte dare volentibus, sub pena quadrupli eius quid receptum fuerit comuni Bononie applicanda. Salarium tamen ordinatum habeant libere et impure. Pro pertinentibus vero ad singulares personas vel comunitates recipiant solutiones dumtaxat infrascriptas videlicet, pro qualibet reformatione facta in consilio quadringentorum per quam concederetur alicui persone aliquid emere vel insolutum accipere vel aliquo titullo sibi querere vel quem posse vendere alienare vel obligare vel quoquo titullo dominium in alium transferre pro quantitate quinqueginta librarum bononinorum et ab inde infra decem solidos

³⁰ <imbecillitate> *nel testo* imbellicitate.

³¹ <seu> *in infralinea su et espunto.*

bononinorum. Et ab inde supra usque ad quantitatem librarum centum bononinorum inclusive viginti solidos bononinorum pro quantitate excedente sumam centum librarum bononinorum usque ad quingentas libras duos bononinos. A dicta vero quantitate, usque ad mille libras bononinorum, libras duas et solidos decem bononinorum, a mille libris vero supra quantacumque sit quantitas tres libras bononinorum. Pro reformatione vero facta sine consilio per collegium ancianorum tantum duas partes eius quid supradictum et taxatum est pro rata quantitatum predictarum percipere et habere possint et debeant. Pro instrumento pacis facte a dominis ancianis et pro ponendo eam ad camaram actorum comunis et populi Bononie quam infra viginti dies ponere ibidem teneatur a die confectionis dicti instrumenti sub pena decem librarum bononinorum treginta solidorum bononinorum. Pro qualibet prorogatione solidos duos bononinorum, nisi pars fecerit ipsam registrari, quo casu habeant quinque solidos bononinorum. Pro aliis vero que contingeret occurrere in quibus non reperiretur//

[c. 29v]

facta tassatio specialis et que pertineret ad singulares personas vel aliquas comunitates alias quam comunis Bononie. Et etiam pro hiis scripturis et contractibus publicis³² in formam publicam reddendis et tradendis alicui singulari persone, universitati seu comunitati cum quibus comune Bononie contrasserit etiam ad ipsum comune pertinentibus, fiat tassatio et recipiatur solutio secundum quod declarabitur per corectorem notariorum civitatis Bononie. Et si contra predicta vel aliquid predictorum fuerit factum incidat contrafaciens penam vigintiquinque librarum bononinorum auferendam de facto per dominum capitaneum populi Bononie. Et volumus omne comodum et lucrum ex quibuscumque reformationibus vel provisionibus seu mandatis percipiendum dividi in tres partes quarum unam habeat cancellarius, et reliquas duas partes habeant et habere debeant dicti notarii.

[14] De electione consiliarorum consilii quadringentorum comunis et populi civitatis Bononie et eius auctoritate. Rubrica. [cc. 29v, 21r]

Ordinamus quod in civitate Bononia continue debeat esse consilium quadringentorum comunis et populi Bononie, de quo esse possint et debeant dumtassat veri cives civitatis Bononie, origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis. Et qui sint etatis ad minus treginta annorum et non alii, et qui sint et esse debeant boni et ydonei cives dicte civitatis Bononie. Et elligantur consilarii dicti consilii infrascripto modo videlicet, quod domini anciani qui per tempora erunt quolibet anno de mense novembris, elligant sexdecim cives civitatis Bononie videlicet, quatuor pro quolibet quarterio. Quibus civibus coram predictis dominis existentibus proponatur per alterum ex predictis dominis quod expedit de novo reformari consilium quadringentorum comunis et populi Bononie. Quibus sedecim et cuilibet ipsorum per alterum ex dictis dominis deferatur sacramentum de bona et ydonea electione consiliariorum consilii quatuorcentum comunis et populi Bononie fienda. Et quod neminem nominabunt in consiliarium dicti consilii quem putaverint prohybitum ex forma nostrorum statutorum vel minus ydoneum, et quod de melioribus quos cognoscent electionem facient. Qui sedecim de palatio residentie dictorum dominorum non recedant, donec quilibet eorum dederit in scriptis alteri ex notariis dictorum dominorum quadraginta nomina hominum dicte civitatis Bononie de suo quarterio tantum. Que nomina registrentur per alterum ex dictis notariis. Quibus registratis per opportuna consilia scrupuntinentur singulariter et per se omnium predictorum nomina, quorum scrupuntinium per alterum ex notariis dictorum dominorum scribatur. Quo scrupuntinio celebrato elligantur per dictos dominos ancianos

³² <publicis> *nel testo* publicis.

quatuorcentum nomina ex predictis qui plures fabas albas habuerint, videlicet centum pro quolibet quarterio et non plures. Et ultra predictum numerum elligantur vigintiquinque nomina pro quolibet, et si predicta ellectio fiat contra formam presentis statuti vel aliter vel alio modo non teneat ipso iure. Quod consilium inchoare debeat in kalendis mensis marcii cuiuslibet anni et durare debeat de anno in annum, et predicta ellectione facta scribantur in cartis membranis nomina omnium dictorum consiliariorum per alterum ex notariis dictorum dominorum ancianorum, que poni et consignari debeant per ipsos vel alterum eorum qui scripserit ad camaram actorum comunis et populi Bononie infra viginti dies tunc proxime sequentes, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet. Et possit dictum consilium vel maior pars eius reformare et facere et firmare quidquid sibi placuerit positis partitis//

[c. 21r f. XX]

ad fabas albas et nigras precedentibus tamen semper aliis consiliis opportunis, et inter ipsos obtento partito secundum formam nostrorum statutorum. Et quidquid fuerit firmatum, factum vel reformatum in dicto consilio saltem per maiorem partem consiliariorum dicti consilii valeat et teneat et habeat plenissimam roboris firmitatem ac si factum, firmatum et reformatum esset per totum populum Bononie, dum tamen semper in dicto consilio presentes sint ad minus due partes consiliariorum dicto consilii, alias ipso iure³³ non teneat quidquid in tali consilio factum, firmatum, dispositum, ordinatum seu firmatum fuerit, salvis semper nostris statutis aliter disponentibus. Et maxime statuto posito sub rubrica “De partitis et postis et cetera” [5]. Quod consilium debeat congregari in palatio residentie dictorum dominorum ancianorum vel alibi ad eorum voluntatem, pulsata prius tamen campana, que est in turre palacii residentie dictorum dominorum vel alia ipsa deficiente, que deputaretur pro congregatione consilii predicti tribus vicibus ut moris est. Et facto preconio pro congregatione dicti consilii. Et quod aliquis qui non sit de dicto consilio vel prohybitus esse, ex forma nostrorum statutorum quantumcumque reperiat esse descriptus in dicto consilio, non audeat interesse vel stare in dicto consilio, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet cive seu comitatino et qualibet vice. Et sub pena quinquaginta librarum bononinorum cuilibet forensi pro quolibet et qualibet vice auferenda de facto per dominum potestatem vel dominum capitaneum populi Bononie, nisi interfuerit in dicto consilio de voluntate dictorum dominorum. Item ordinamus quod quicumque de dicto consilio extiterit et ad dictum consilium cum congregari contingerit non adcesserit solvere teneatur quinque solidos bononinorum pro qualibet vice et plus usque ad decem solidos bononinorum ad voluntatem dictorum dominorum. Item quod nullus audeat turbare vel impedire verbo aut increpare aliquem arengantem in dicto consilio vel in aliquo alio loco sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet vice auferenda de facto per dominum potestatem Bononie vel per dominum capitaneum populi. Prohybemus etiam in dicto consilio proponi vel fieri partitum aliquid de levando ad sedendum vel e contra, et si fuerit propositum vel factum quidquid secutum fuerit ex eo vel ob id non valeat ipso iure. Ordinamus etiam, quod nullus qui prohibeatur esse de dicto consilio secundum formam nostrorum statutorum possit ad predictum consilium accedere vel in eo stare vel morari eciam si ellectus fuerit per potestatem habentes et quemcumque prohybitum accedentem vel in dicto consilio morantem quilibet possit denunptiare et accusare dominis potestati et capitaneo populi. Quem prohibitum debeat alter qui de predictis aditus fuerit condempnare usque ad decem libras bononinorum. Et eundem cancellari et abradi facere de libro et nominibus consilii predicti. Et predicti domini anciani loco talis cancellati alium ydoneum et de eodem quarterio elligant et

³³ <iure> segue non cancellato.

inter predicta nomina et in dicto libro scribi et subrogari faciant unum de supernumerariis supradictis. Cassamus autem et ex nunc annullamus omnia alia statuta, provisiones et reformationes de predictis omnibus et quolibet predictorum in contrarium loquentes et loquentia. Ac etiam statuimus et ordinamus quod supradicta statuta vel aliquid ipsorum tolli, cancellari vel annullari non possint in totum vel in partem, nisi obtentum fuerit per tres partes ex quatuor partibus consilii quadringentorum et etiam aliorum consiliorum opportunorum. Et predicta omnia et singula robor et vires assumant a die publicationis post mensem unum ab ipsa die proxime subsequente, et in futuris dumtaxat negotiis non in preteritis.//

[c. 21v]

[15] De electione dominorum confaloneriorum comunis et populi civitatis Bononie. Rubrica. [cc. 21v; 31r]

Quoniam per confaloneriorum officium comune Bononie domino concedente suscipiet incrementum et popularis et libertatis status diutius durabit ac etiam subditi sub florida tranquillitate et libertate quiescent ideo super eorum electione salubriter providere volentes presenti statuto decernimus et firmamus. Quod confalonerii populi et comunis Bononie elligantur infrascripto modo videlicet, quod singulis annis per duos menses ante finem dicti termini et etiam ante ubi opus fuerit domini anciani qui pro tempore erunt et confalonerii et massarii artium, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet anciano qui in predictis vel infrascriptis fuerit negligens, elligant duodecim bonos viros cives civitatis Bononie, origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis videlicet, tres pro quolibet quarterio. Et ad nominationem electionem scrupulum distributionem nominum dominorum confaloneriorum et ipsorum supernumerariorum per breviam in baloetis cereis ponendorum et circa predictorum imbursementem et prohibitionem et subrogationes loco prohibitorum et excusationes habentium et alia omnia, que circa predicta fuerit necessaria et opportuna procedatur, observetur et fiat in omnibus et per omnia ut continetur in statuto posito sub Rubrica “De electione dominorum ancianorum” [1] et in statuto posito sub rubrica “Qui prohibentur esse anciani” [2] et omnia et singula in dictis statutis contenta circa electionem et prohibitionem dominorum ancianorum hic intelligantur et sint repetita circa electionem et prohibitionem confaloneriorum prout melius adaptari possunt singula singulis referendo et adaptando quorum confaloneriorum officium debeat durare dumtaxat de quatuor mensibus in quatuor mensibus incipiendo octava die primi mensis introitus sui officii et finiendo succedive. Insuper teneantur domini anciani qui pro tempore erunt ad penam viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet anciano qui in infrascriptis fuerit negligens singulis quatuor mensibus per quatuor dies ante finem officii confaloneriorum qui pro tempore erunt cum dicto capitaneo populi et domino potestate Bononie accedere super sala magna audientie ubi celebratur missa ipsorum dominorum vel alibi in palatio eorum residentie. Et ibi mittatur pro capsula ubi sunt nomina dominorum ancianorum et confaloneriorum. Et ibi in presencia dictorum dominorum ancianorum et dictorum capitaneorum populi et potestatis civitatis Bononie et etiam in³⁴ presencia aliorum prout placuerit dictis dominis ancianis per cancellarium seu alterum ex notariis dominorum ancianorum aperiantur dicta capsula, et de dicta capsula extrahant marssupium in quo sunt baloete dominorum confaloneriorum et ibi palam et publice aperiantur dictum marssupium per dictum cancellarium vel alterum ex notariis dictorum³⁵ dominorum ancianorum. Et tunc incontinenti dominus capitaneus comunis et populi Bononie si aderit alias dominus potestas vel alius ipsorum vel alterius eorum

³⁴ <in> *in infralinea*.

³⁵ <dictorum> *dittografato*.

locum tenens preposito signo sancte crucis ponat manum in dicto marsupio in presencia omnium ibidem abstancium. Et de dicto marsupio extrahat unam balotam ceream et extracta dicta balocta incontinenti eam³⁶ tradat in manibus cancellarii vel alterius ex notariis ipsorum ancianorum, et incontinenti extracta dicta balocta claudatur per dictum cancellarium vel alterum ex notariis predictis dictum marssupium et ponatur in capsula consueta et dicta capsula transmitatur ad locum consuetum per familiares dominorum ancianorum. Et tunc illico antequam domini anciani et alii in dicta sala existentes discedant cancellarius seu alter ex notariis dominorum ancianorum aperiat dictam baloctam et ex ea extrahat breve quod in ea existat quid quidem breve talis aperiens legat publice et palam ita quod ab omnibus in dicta sala existentibus intelligi valeat. Et tales³⁷//

[c. 31r f. XXI]

quorum nomina descripta in dicto brevi reperientur, intelligantur et sint confalonerii comunis et populi Bononie in quarteriis in quibus scripti reperientur pro quatuor mensibus sequentibus dumtaxat et non ultra, nisi aliquem ex ibi descriptis excusaret absentia a civitate Bononie vel infirmitas vel alia iusta causa, quibus casibus et quolibet eorum expetetur dictus confalonerius ellectus usque ad octo dies inclusive computata die ellectionis si cessaret causa excusationis, qua cessante acceptet officium et iuret ut alii aliam elapsis octo diebus predictis infra duos dies, tunc proxime subsequentes extrahii debeat loco talis excusationem subscriptam habentis per dominum capitaneum in presencia dominorum ancianorum tantum unum ex descriptis in altero exsedeni brevibus supernumerariorum in dicto marsupio existentibus. Dum tamen loco talis, necessariam vel iustam causam seu excusationem habentis non possit eligi, subrogari vel extrahii aliquis, nisi tempore extractionis fuerit de eodem quarterio ut supra unde erat talis qui iustam excusationem haberet. Et si contingerit aliquem de alio quarterio extrahi procedatur et fiat ut supra. De qua quidem absentia vel³⁸ infirmitate vel alia iusta causa debeat plena fides fieri domino confalonerio iustitie et dominis ancianis qui pro tempore fuerint infra duos dies a die dicte nominationis de qua fide debeat apparere scriptura scripta manu cancellarii vel alterius ex notariis dominorum ancianorum et quilibet confalonerius debeat esse ad minus etatis tregintaquinque annorum et amator presentis status popularis et libertatis civitatis Bononie. Et sit civis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis et non sit maior sexagintaquinque annorum et non sit bannitus comunis Bononie vel in figura banni conscriptus in aliquo ex libris bannitorum, qui sit ad dischum bannitorum pro aliquo malefficio. Nec aliquis qui fuerit rebellus dicti comunis a vigesima die mensis marci millesimi trecentissimi septuagesimi sexti circa vel erit in facturum. Adicientes quod quilibet ellectus modo et forma predictis in confalonerium qui iustam excusationem non haberet, teneatur illud acceptare infra tres dies a die notificationis sibi facte personaliter vel ad domum, sub pena quingentarum librarum bononinorum eidem auferendam per dictum capitaneum populi Bononie.

[16] **De modo et forma sacramenti prestandi dominis confaloneriis civitatis Bononie. Rubrica.** [cc. 31r-31v]

Quoniam fides et constantia hominum consueverunt ut plurimum iuris iurandi religionem servari, statuimus quod quilibet confalonerius ellectus secundum modum et formam predictae ellectionis teneatur ad requisitionem dominorum ancianorum comunis

³⁶ <eam> in *infralinea*.

³⁷ *Sul margine inferiore della carta*: quorum nomina descripta in dicto brevi.

³⁸ <vel> in *infralinea con segno di rinvio*.

et populi Bononie coram ipsis dominis ancianis personaliter comparere tempore eidem statuto seu ordinato per ipsos dominos ancianos sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet non comparente. Et postquam comparuerit teneatur tactis sacrosanctis Scripturis corporaliter iurare in manibus domini confalonerii iustitie vel prioris dominorum ancianorum vel alterius de ipsorum voluntate officium ipsius domini confalonerii et confaloneriatus modo et forma infrascriptis videlicet, quod ipse confalonerius est vere civis civitatis Bononie, origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis et quod ipse est amator boni et pacifici status popularis comunis et populi Bononie et libertatis dicti status popularis et desiderans dictum statum et libertatem ipsius. Et quod bene, dilligenter et legaliter ac solícite officium exercebit et exerceri faciet. Et quod secreta sibi imposita vel imponenda per dominos ancianos predictos et secreta sui officii in secreto tenebit et nemini propalabit et quod parebit mandatis dictorum dominorum ancianorum//

[c. 31v]

quatenus erit sibi possibile et prout sibi incumbit ex forma sui officii. Et quod non faciet aliquam congregationem hominum vigore officii predicti, nisi prout et sicut concederetur eidem ex forma sui officii infrascripti. Et quod bene, diligenter et legaliter, omni dolo et fraude cessantibus, servabit et servari faciet in quantum ei erit possibile omnia et singula statuta et ordinamenta comunis et populi Bononie facta et fienda pro bono et pacifico et populari statu civitatis Bononie et libertatis predicte et maxime statuta que tractent et disponant de eorum et supra eorum officio. Quod quidem sacramentum prestetur per predictos loco et tempore et solempnitatibus infrascriptis.

[17] **De modo et forma asignandi, tradendi, retinendi et restituendi confalones confaloneriis comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 31v-32r]

Providemus et ordinamus quod pro tradendis confalonibus temporibus congruis domini anciani qui pro tempore erunt, poni faciant ad fenestras palacii eorum ressidentie sedecim confalones, qui dari debeant cum ramis olivarum in sumitate cuiuslibet confaloni ac etiam faciant campanas comunis Bononie ter pulsari, ad quarum terciam pulsationem domini confalonerii novi teneantur venire ad palatium dominorum ancianorum una cum hominibus capelarum eis deputatarum. Et tunc pulsatis dictis campanis tribus vicibus domini anciani desendere debeant in platea comunis Bononie una cum domino capitaneo populi et domino potestate Bononie. Qui domini anciani per eorum famullos portari faciat dictos confalones in platea predicta. Qui famuli cum confalonibus in manibus tubis comunis Bononie precedentibus et pulsantibus faciant quendam trapellum circumcirca plateam predictam. Et predictis omnibus super platea comunis Bononie existentibus per cancellarium vel alterum ex notariis dominorum ancianorum defferrantur iuramentum cuilibet novo confalonerio prout in eorum sacramento descripto superius continetur. Qui iurent in manibus confalonerii iusticie qui pro tempore erit secundum formam predictam. Quo quidem sacramento prestito per dictos confalonerios, tunc incontinenti fiat quedam arengha brevis per dictum capitaneum vel suum vicarium. Et dicta arengha finita dictus cancelarius vel alter ex notariis dominorum ancianorum vocet alta voce³⁹ quemlibet confaloneum per se. Et quilibet confalonerius sic vocatus incontinenti accedere debeat⁴⁰ coram dominis ancianis et domino confalonerio iustitie et coram domino capitaneo comunis et populi Bononie. Qui dominus confalonerius iustitie unumquemque confalonem in suis manibus accipiat et eum tradat in manibus dicti capitaney comunis et populi Bononie et dominus

³⁹ <voce> *nel testo* vce.

⁴⁰ <debeat> *corregge* debat.

capitaneus comunis et populi talem confalonem cum insignis ordinatis incontinenti tradat cuilibet novo confalonerio prout ordinatum fuerit pacis osculo interveniente. Et quilibet confalonerius habito et percepto dicto suo confalone a predicto domino capitaneo populi illico discedat⁴¹ de dicta platea. Et teneatur dictum confalonem defferi facere ad domum eius habitationis et usque ad dictam domum precedat dictus confalonerius et homines dictarum capellarum sequi debeant dictum confalonerium et confalonem eundem asociare usque ad domum talis confalonerii. Ac etiam teneatur dictus confalonerius poni facere confalonem sibi assignatum ad balconem seu exedras domus sue, et eum tenere displicatum tota illa die. Quem confalonem postea conservare debeat in domo sue habitationis toto tempore sui officii. Salvo quod prima die introitus officii successoris summo manu ante ortum solis talem confalonem plicatum et illesum dictus confalonerius defferri faciat ad palatium dictorum dominorum ancianorum//

[c. 32r f. XXII]

et eum reassignet et dimittat prefatis dominis ancianis. Ubi vero contingeret esse tempus pluvie vel nivis eo die, quo deberent dari confalones, tunc non dentur in platea, silicet dentur in sala magna consillii que est in palatio ressidentie dominorum ancianorum cum solempnitatibus. Declarantes quod, ne turbetur solempnitas fienda pro introitu officii dominorum ancianorum dicti confalonerii tradi debeant cum solempnitatibus predictis octava die mensis septembris octava die mensis ianuarii, octava die mensis maii et⁴² sic successive singulis annis, nisi aliter provisum fuerit per dominos ancianos et colegia. Confalones autem porte Sancti Petri sunt infrascripti videlicet, unus confalonus ad insigna comunis Bononie cum figura beati Petri a latere superiori. Alius vero confalonus in quo est figura grifonis divisati albo et nigro. Et alius in quo est forma unius castri de auro in campo rubeo. Quartus vero confalonus in quo est forma unius porte de argento. Confalones autem quarterii porte Sterii sunt infrascripti videlicet. Primus ad insigna comunis Bononie cum figura beati Francisci. Secundus in quo est forma solis in campo auro. Tertius in quo est forma grifonis de auro. Quartus vero in quo est forma unius rote sancte Caterine. Confalones autem quarterii Porte Sancti Proculi sunt infrascripti videlicet. Primus ad insigna comunis Bononie cum figura sancti Dominici. Secundus in quo est figura leonis nigri. Tertius in quo est figura dragonis nigri. Quartus vero est in quo est figura unius branche nigre in campo zallo. Confalones autem quarterii porte Ravenatis sunt infrascriptis videlicet. Primus ad insigna comunis Bononie cum figura sancti Petronii. Secundus in quo est figura unius augelli in campo zallo. Tertius in quo est figura unius leonis albi in campo nigro. Et quartus in quo est figura seu forma unius columpne albe cum brachio et manu tenente columpnam.

[18] **De officio dominorum confaloneriorum civitatis Bononie et que possint facere et tenentur observare ipsi domini confalonerii. Rubrica.**⁴³ [cc. 32r-33v]

Cum propter modum, formam et ordinem mundus recto tramite gubernetur ut officium dominorum confaloneriorum per quorum officium conservari speratur libertas et tranquillitas et pacificus status popularis civitatis, comitatus et districtus Bononie modo, ordine et forma debita gubernetur et observetur. Decernimus quod assignatis et traditis predictis confalonibus confaloneriis modo, tempore et forma predictis. Confalonerii et quilibet ipsorum cum ipsis confalonibus elevatis asociati personis capellarum qui ipsis confaloneriis deputati sunt ipsos confalones et quemlibet eorum

⁴¹ <discedat> *corregge* discedant.

⁴² <et> *in infralinea*.

⁴³ <ipsi domini confalonerii. Rubrica> *in infralinea*.

sibi assignatos et traditos portari faciant ad domos eorum habitationis, et confalonem eidem assignatum quilibet poni faciat ad eorum fenestras et balchones vel in loco apparenti eius domus, ita et taliter quod apparere possit omnibus qui sequi debent ipsum confalonem eum confalonerium esse. Qui confalonerius tota illa die ipsum confalonem permittat stare ut supra. Et quilibet confalonerius teneatur in virtute prestiti iuramenti et sub pena viginti librarum bononinorum pro quolibet infra quinque dies a die introitus sui officii facere convocari ministrales capellarum que eis obedire debent et coram eodem confalonerio debeant ipsi ministrales comparere cum duobus bonis hominibus dictarum capellarum videlicet, pro qualibet capella. Et quod predicti cytati coram dicto confalonerio debeant in termino eisdem assignando comparere sub pena et ad penam centum solidorum bononinorum pro quolibet non comparente in termino sibi assignato, quam penam contrafaciens incidat ipso facto et ad notificationem ipsius confalonerii// [c. 32v]

dominus capitaneus populi civitatis Bononie remediis opportunis ipsam penam solvi faciat de facto ad penam centum librarum bononinorum ipsi capitaneo tempore sui syndicatus de facto auferendam. Quibus comparentibus eis notificet et eos monere debeat quod notificent ipsi ministrales personaliter vel ad domum habitationis eorum qui debent sequi ipsum confalonem cuiuscumque conditionis et status existant masculos etatis decem et octo annorum et ab inde supra usque ad sexagesimumquintum annum inclusive quod debeat ire et trahere et se congregare cum eorum armis offensibilibus et defensibilibus prout invinctum fuerit tocies quociens fuerint requisiti personaliter vel domum per dictum confalonerium vel ex eius parte vel quociens audiverit pulsari campanam de mandato predicti confalonerii ad ipsorum capellas modo et forma tradita et ordinata per ipsum confalonerium cum audiverint pulsari campanam populi que est in turi habitationis dominorum ancianorum ad sturmmum que pulsatur et pulsari consuevit pro consilio quadringentorum vel cum fuerit preconizatum per civitatem Bononie vel ad domum confaloneriorum vel confalonerii per alterum ex bannitoribus comunis Bononie quod se debeant congregare vel quod confalonerius cum suis sequacibus vadat ad plateam vel alibi de mandato dictorum dominorum ancianorum. Et quod per eosdem ministrales notificentur ipsis personis quod non audeant, debeant vel presumant ullo colore quesito alibi ire, nisi ad dictum confalonerium et eius domum pro bono statu predicto. Item ordinamus quod dictus confalonerius per se vel alium non audeat vel presumat aliquam congregationem hominum armatorum vel non vigore sui officii propter quam scandalum vel turbatio dicti status sequi posset facere vel fieri facere. Nisi per unum ex preconibus comunis et populi Bononie publice palam et alta voce saltem coram domo confalonerii hoc fuerit eidem invinctum vel mandatum per dominos ancianos de quo mandato constare debeat per scripturam alterius ex notariis ipsorum dominorum ancianorum sigilatam eorum sigillo parvo vel magno seu preconizatum aut nisi campanam predictam ipsi domini confalonerii audierint pulsari ad sturmmum vel vulgaris sermo sit quod aliqua novitas esset vel esse timeatur in civitate Bononie, sub pena amputationis capitis ipsi confalonerio aliter confalonem extrahenti vel congregationem fieri facienti vel facienti et plus et minus ad arbitrium domini capitaneus comunis et populi Bononie, etiam realiter et personaliter considerata qualitate facti et conditione persone. Que persone sequi debentes dictum confalonerium debeant se omnino congregare ad domum habitationis ipsius confalonerii et eundem cum confalone elevato sequi usque ad plateam vel ad alium locum eis per dictos dominos ancianos deputandum et ibidem cum dicto confalonerio et confalone stare et morari donec per officium dominorum ancianorum fuerit ordinatum et dispositum et mandatum quid debeant facere. Qui confalonerii et persone et homines eos sequi debentes sic congregati elevato confalone pro

conservatione status pacifici popularis et libertatis comunis et populi Bononie teneantur immediate, sub pena amputationis capitis ipsi confalonerio si contrafacere vel minori personali vel reali ad arbitrium domini capitaneus populi Bononie considerata conditione persone et qualitate. Et sub pena quinquaginta librarum bononinorum ei qui eundem confalonerium secutus non fuerit ut debuerit vel minori ad arbitrium dicti domini capitanei considerata conditione persone et qualitate facti ire et trahere ad plateam predictam vel ad alium locum deputandum ut supra, et parere et obedire mandatis dictorum dominorum ancianorum in omnibus et singulis que ipsi domini anciani eis mandaverint pro conservatione status pacifici popularis et//
[c. 33r f. XXIII]

libertatis comunis et populi Bononie. Et hoc si ipsum mandatum fuerit in scriptis factum et scriptum manu unius ex notariis dictorum dominorum ancianorum et sigillatum sigillo eorum magno vel parvo seu per preconem sono tube invinctum. Et quod predicti omnes et singuli exceptis infrascriptis personis teneantur ire et trahere dictis moris et temporibus sine armis et armati armis offensibilibus et defensibilibus prout et sicut fuerint requisiti ad domum habitationis predicti confalonerii, et eundem sequi ad penam quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet contrafaciente vel minus ad arbitrium domini capitanei considerata conditione persone et qualitate facti. Et quod predictus confalonerius cum fuerit licentiatus a predictis dominis et cum reversus fuerit ad domum suam teneatur vinculo dicti sacramenti monstram facere vel fieri facere si sibi videbitur de hiis qui sequi debent eum, sub pena viginti quinque librarum bononinorum. Et repertos culpabiles et iustam excusationem non habentes et eorum nomina domino capitaneo populi civitatis Bononie vel eius officiali in scriptis dare. De quibus contrafacientibus debeant audiri excusationes legitime infra quinque dies. Et qui excusationes legitimas non habuerint vel propositas non probaverint infra alios quinque dies etiam nulla iuris solempnitate observata condampnari debeant ut supra. Pro quibus penis declarandis et exigendis dictus dominus capitaneus habeat arbitrium. Ita tamen quod omnes et singule condampnationes fiende per eum occasionibus predictis teneatur ipse dominus capitaneus incontinenti cum facte fuerint eas ponere⁴⁴ et poni facere in cartis membranarum in publicam formam ad dischum Ursii et dimittere officialibus ad dictum dischum deputatis. Et quod ipsarum condempnationum pecuniarum due partes comuni Bononie applicentur et alia tertia pars confalonerio de cuius confalone esset talis condempnatus pro expensis pro eius officio occurrentibus convertendis. A predictis excipimus infirmos et etiam pauperes qui vitam suam mendicando gubernant. Et clericos beneficiatos habitantes et residentiam facientes in aliqua ecclesia civitatis vel comitatus Bononie. Et presbiteros, scholares, forenses, stipendiarios comunis Bononie, item famulos, item scrutiferos expensis alicuius viventes. Possint tamen predicti confalonerii et quilibet eorum auctoritate propria pro sedandis rumoribus trahere cum eorum personis et familia ad eos rumores et eos sedare toto posse. Et quoscumque delinquentes in rissa vel fragranti crimine repertos capere seu capi facere et conducere seu conduci facere in fortiam comunis Bononie et mandare cuicumque dicto rumori astanti quod capiant et conducant tales rissantes in fortiam comunis Bononie. Non tantum possit aliquis confalonerius insequi aliquem malefactorem in domo alicuius causa eum capiendi vel mandare aliquibus quod ingrediantur domum alicuius occasione predicta, sub pena tali confalonerio contra predicta facienti librarum quinquaginta bononinorum et cuilibet alii librarum decem bononinorum. Et quod aliquam congregationem sub pretestu sui officii facere vel fieri facere non audeat aliquis confalonerius, sine licentia dominorum ancianorum ex qua

⁴⁴ <eas ponere> *su rasura*.

sequatur vel sequi verisimiliter possit iniuria vel dampnum alicui sub pena trecentarum librarum bononinorum vel minus arbitrio dicti domini capitanei considerata conditione persone et qualitate facti, salvis semper penis que deberent imponi pro tali offensa. Et hoc statutum teneatur quilibet confalonerius infra octo dies introitus eius officii facere publicari in dictis capellis que eum sequi debent ut ipsius ignorantia pretendi non possit, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum comittenda, auferenda et exigenda ut supra. Et teneantur predicta confalonerii virtute eorum prestiti iuramenti singulis mensibus eorum officii accedere ad dominum potestatem et dominum capitaneum civitatis Bononie et ipsos//

[c. 33v]

verbis quibus putaverint convenire, ortare et rogare pro iusticia bono et pacifico statu et libertate dicti comunis et populi Bononie et eisdem offerre vigorem sui officii, tociens quociens eidem expediret. Adicientes quod domini confalonerii, qui pro tempore erunt seu eorum aliquis durante eorum officio non audeant vel presumant pernotare extra civitatem Bononie, sine expressa licentia dominorum ancianorum, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet nocte qua pernotaverint extra civitatem Bononie sine dicta licentia, nisi iustam causam habuerit, que causa an sit iusta vel non stetur declarationi dicti domini capitanei. Declarantes quod de commissis vel obmissis per aliquem confalonerium sub pretestu vel occasione sui officii non possit incoari processus aliquis per aliquem officialem comunis Bononie per viam accusationis vel inquisitionis, nisi dumtaxat infra octo dies finiti officii talis confalonerii. Ac etiam quod predictus dominus capitaneus Bononie vel aliquis alius officialis comunis Bononie de predictis vel aliquo predictorum vel de contentis in statuto sequenti non possit ullo modo procedere punire aliquem confalonerium de commissis vel obmissis in suo officio vel ex eo quod dicatur aliquid comisisse vel obmisisse quod ad eorum vel alicuius eorum officium pertinerent nisi de mandato vel commissione dictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum.

[19] Qui debent ire, esse et stare cum predictis dominis confaloneriis temporibus et locis opportunis. Rubrica. [cc. 33v-34r]

Volentes certum modum et ordinatum signum in comuni et populo predicto assignare et tradere ut unusquisque ad tutionem reypublice civitatis Bononie se sollicitum reddere debeat, providemus et firmamus quod omnes et singuli cuiuscumque status et conditionis existant in dicta civitate habitantes vel moram trahentes in capellis seu parochiis civitatis Bononie intus vel extra civitatem Bononie comorantes etatis decem et octo annorum vel ab inde supra usque ad sexagesimumquintum annum inclusive, teneantur et debeant ire et trahere cum armis et sine prout invinctum fuerit temporibus pro quibus fuerint requisiti personaliter vel ad domum per nunptium domini confalonerii vel cum audiverint pulsari campanam dominorum ancianorum ad sturmmum que pulsatur et consuevit pulsari pro consilio quadringentorum congregando vel vulgaris sermo esset in civitate Bononie, quod aliqua novitas turbationis status predicti timeretur in civitate Bononie vel facta fuerit crida per alterum ex banitoribus comunis Bononie de mandato dictorum dominorum ancianorum vel dicti confalonerii vel cum audiverint pulsari campanam sue capelle pro congregatione fienda ad modum ordinatum per ipsum confalonerium et prout et sicut fuerint requisiti ad domum confalonerii sub cuius confalone essent deputati. Et ipsum confalonerium, cum confalone elevato, sequi et asociare in hiis locis et partibus et eis locis et temporibus quibus ipse dominus confalonerius velet esse et stare ad penam et sub pena quinqueginta librarum bononinorum pro quolibet et minus ad arbitrium domini capitanei populi considerata conditione personarum et qualitate facti. Exceptis hiis de quibus fit mentio in statuto

posito sub rubrica ‘De officio dominorum confaloneriorum’ [18] in paragrapho ‘a predictis excipimus’ usque ibi teneatur tamen. Qui ad predicta minime teneantur. Item etiam quod nullus cuiuscumque status, conditionis, dignitatis vel gradus existat civis, incola vel comitatinus ubicumque habitet vel forensis existens in dicta civitate possit, audeat vel presummat ire vel trahere ad domum alterius quam predicti confalonerii, sub cuius confalone essent capelle in quibus habitaret seu homines ipsarum capellarum tempore quo esset vel esse diceretur aut putaretur aliqua novitas, rumor vel rissa in civitate Bononie, qui videretur respicere predictum statum, nisi iret vel traheret asociando//

[c. 34r f. XXIII^{or}]

vel se congregando debito tempore pro eundo ad domum dicti confalonerii sub pena contrafacienti centum librarum bononinorum pro quolibet solvenda et exigenda et applicanda ut in precedentibus capitulis dictum est vel plus aut minus realiter et personaliter arbitrio ipsius domini capitanei, considerata conditione persone et qualitate facti. Et contrafacientem quilibet possit accusare et denunptiare tam palam quam secreta et ei dari⁴⁵ debeat plena fides cum uno teste ydoneo, nisi contrarium probaretur. Et contra predictos aliter euntes vel trahentes quam supra promissum est possit ipse dominus capitaneus ex suo officio inquirere et repertos culpabiles condampnare et punire ut supra. Et condampnationes deponere et deponi facere debeat incontinenti cum facte fuerint in scriptis in cartis membranis ad dischum Ursii et dimittere penes officiales dicti dischi et ipsas condempnationes exigi facere teneatur. Ad que omnia ipse dominus capitaneus teneatur sub pena ducentarum librarum bononinorum ab ipso de facto auferenda tempore sui syndicatus si negligens fuerit in predictis vel aliquo predictorum. Quod quidem statutum per dictum dominum confalonerium debeat publicari per capellas suas, ut de eius officio in precedenti statuto extitit ordinatum.

[20] **De privilegio et immunitate concedenda dominis confaloneriis civitatis Bononie. Rubrica.** [cc. 34r-34v]

Quia in numero confaloneriorum ordinatum et statutum est solempnes et notabiles cives civitatis Bononie esse et esse debere, ut qui reypublice gubernatione et augmentatione intendunt ab ipsa republica remunerentur. Hac presenti lege placet quod predicti domini confalonerii qui pro tempore erunt habeant et habere debeant liberum additum ad ipsorum dominorum ancianorum officium et ad officium dominorum potestatis et capitanei civitatis comunis et populi Bononie. Et quod sint et esse debeant de consilio et inter consiliarios secretos dominorum ancianorum durante eorum officio et ad scrupinia. Et quod nulla posta vel proposita possit in consilio quadringentorum proponi, nisi deliberata fuerit una cum consilio dictorum dominorum confaloneriorum vel maioris partis eorum durante eorum officio. Et quod ipsi domini confalonerii durante suo officio et eo finito per unum annum possint portare arma offensibilia et defensibilia per civitatem Bononie pro eorum libito voluntatis. Possint etiam dicti domini confalonerii durante eorum officio ducere in sua comitiva unum vel duos famullos armatos et etiam immunes sint a custodiis nocturnis que fierent in civitate Bononie. Et quod quilibet ipsos confalonerios vel ipsorum aliquem offendens durante eorum officio puniatur pena dupli eius in quo puniri deberet si aliam privatam personam offenderet. Et quod nullus confalonerius audeat die qua dantur confalones vel postea durante suo officio infra quindecim dies facere vel fieri facere aliquid prandium vel convivium aut cenam ultra decem personas ultra numerum sue familie. Nec etiam dicta die equitare vel ire per civitatem asociati pluribus quam cum octo personis sub pena vigintiquinque

⁴⁵ <dari> a margine laterale sinistro con segno di rinvio corregge dem espunto.

librarum bononinorum in quolibet dictorum casuum. Item ut prefati confalonerii possint suum officium et eisdem comittenda effectui demandare quocumque tempore et hora, statuerunt et ordinaverunt quod cuilibet confaloneriorum in principio eorum officii dari debeant lumerie tres et stupini seu panes de sepo centum ut si casus adiderit quid absit quod tempore noturno expediret eorum officium exercere lumina habeant cum quibus ipsi⁴⁶ et existentes cum eis valeant mandata dominorum ancianorum ut expedierit executioni mandare. Et si contingeret dictos//

[c. 34v]

stupinos seu panes de sepo consummi ratione dicti eorum officii alii centum stupini eorum cuilibet consignentur. Et finito eorum officio lumerias et stupinos qui eis superhabundasset consignare teneantur eorum successoribus.

[21] Quanto tempore debeat durare officium ipsorum dominorum confaloneriorum et quanto tempore debeant vacare. Rubrica. [c. 34v]

Statuerunt et ordinaverunt quod officium dictorum dominorum confaloneriorum quocumque tempore incipiat, debeat durare solummodo spatio quatuor mensium finiendorum die quo ipsorum officium incohatum fuit. Et ultra illud tempus etiam si contingeret novam electionem non fieri ipsorum officium sit et esse intelligatur expiratum ipso iure et pretestu ipsius officii nichil agere, facere, dicere vel atemptare possint, sub pena et ad penam amputationis capitis et publicationis bonorum. Et quod ipsorum finito officio debeant a dicto officio vacare spacio unius anni. Et ad iddem officium non possint, nec debeant eligi infra dictum terminum. Et si fuerint electi ipsorum electio sit ipso iure nulla et si dictum officium acceptaret electus et exercuerit puniatur per dominum capitaneum vel potestatem Bononie pena centum librarum bononinorum.

[22] De officio notarii et nunptiorum dominorum confaloneriorum. Rubrica. [c. 34v]

Quia supra statuta et ordinamenta predicta non possent debitum sortiri effectum, nisi cuilibet predictorum confaloneriorum esset provisum de uno notario et de uno nunptio, statuimus et ordinamus quod quilibet ex predictis confaloneriis possit eligere unum notarium seu alium qui sciat⁴⁷ scribere et unum nunptium pro dicto suo officio exercendo. Qui notarius seu alius elligendus ut supra et nuncius predictus debeant et teneantur parere mandatis ipsius domini confalonerii. Et pro remuneratione laboris dictorum notarii et nuncii et quilibet ipsorum sint et esse intelligantur durante dicto officio exempti a quibuscumque custodiis, que fieri deberent in civitate Bononie et cavalcatis, nisi contigat suum confalonerium cum confalone ire extra civitatem Bononie pro suo officio exercendo. Qui notarius et nuncius durante eorum officio libere et impune possint portare per civitatem Bononie arma offensibilia et deffensibilia pro eorum libito voluntatis.

[23] De electione massariorum artium populi et comunis Bononie, qui interesse debent consiliis et scrupitiniis secretis et assistere dominis ancianis comunis et populi predicti. Rubrica. [cc. 34v-35v]

Considerantes quod per bonos et notabiles cives civitatis Bononie et maxime artifices status popularis dicte civitatis in sua libertate perpetuo conservabitur et Deo propicio

⁴⁶ <ipsi> a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁴⁷ <sciat> nel testo siat.

continuo suscipiet incrementum, volentes quod de masariorum artium populi et comunis Bononie ellectione salubriter providere per quos⁴⁸ una cum aliis colegiis dicte civitatis utilitatibus dicti comunis omnino provideatur. Hac provida lege sancimus quod massarii artium populi et comunis Bononie, qui interesse debent consiliis et scrupitinis secretis et asistere dominis ancianis populi et comunis predicti elligantur infrascripto modo et forma videlicet, quod quilibet massarius cuiuslibet societatis artium infrascriptarum civitatis Bononie quolibet anno de mensibus decembris et iunii per quindecim dies ante exitum dictorum mensium dare teneantur in scriptis dominis ancianis, qui tunc in officio preherunt//

[c. 35r f. XXV]

duos bonos homines artifices vel qui sint in matricula illius societatis et exercentes ipsam artem de qua est massarius dicta nomina porigens cives civitatis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis, qui quidem duo primo et ante omnia ellecti fuerint per homines sue societatis vel maiorem partem ex eis vel secundum formam statutorum sue societatis in massarios artium civitatis Bononie pro semestri incipiendo finito officio massariorum, qui dicta nomina dictis dominis ancianis dederint in scriptis. Quibus nominibus per dictos dominos ancianos sic receptis ipsi domini anciani in virtute eorum prestiti iuramenti infra quintam diem⁴⁹ a die talis porectionis, congregari faciant colegia dominorum confaloneriorum et massariorum artium predictae civitatis. Et ipsis dominis una cum colegiis predictis existentibus scrutinari faciant quilibet dictorum nominum singulariter et per se legi faciendo quodlibet ex dictis nominibus alte cum eius prenomine et de qua societate est, ita quod ab omnibus in dicta congregatione existentibus valeat intelligi et cognosci. Et cuilibet in dicta congregatione existenti cui videbitur talem nominatum esse utilem et ydoneum pro exercendo officio massarie ponat fabam albam cui vero contrarium videretur ponat fabam nigram. Cancellarius vero seu alter ex notariis dictorum dominorum singulariter et per se dicta scrutina scribat et quot fabas albas et quot nigras quilibet ex scrutiuatis habet et quilibet ex scrutiuatis qui in scrutinio optinuerit per duas partes ex tribus partibus intelligatur et sit massarius illius artis de qua datus fuerit qui vero non obtinuerit de duabus partibus ex tribus dictum massarie officium exercere non possit ad penam quinquaginta librarum bononinorum ab eo de facto auferendam per capitaneum populi si ad eius reprobati notitiam pervenerit ipsum fore reprobatum. Et ad dictum officium inde ad unum annum scrupituari non possit et si fieret dictum scrutinium infra dictum tempus vel alio modo tale scrutinium non valeat ipso iure. Loco vero talium scrupituatorum et non obtinentium in dicto scrupitino modo suprascripto massarius eius artis de qua fuerunt tales scrupituati non obtinentes ea die vel sequenti dare teneantur alios de eadem societate cives Bononie ut supra primo ellectos per dictam societatem ut supra. Qui sic de novo dati in scriptis similiter scrupituentur ut supra et si obtinuerit in scrupitino modo suprascripto sint et esse intelligantur massarii sue societatis alias procedatur ad novam ellectionem ut supra. Quelibet autem societas artium dicte civitatis de sex mensibus in sex menses habeat duos massarios scrupituatos in dictis colegiis et qui in dictis scrupitinis obtinuerint modo predicto. Quorum unus tribus mensibus esse debeat in palacio cum aliis colegiis pro conservanda republica civitatis Bononie, et interesse debeat consiliis secretis et scrupitinis fiendis cum dominis ancianis, nec ad predicta per substitutum servire valeat. Alius vero massarius dictis tribus mensibus preesse debeat hominibus sue societatis eisdem secundum formam statutorum sue societatis iusticiam ministrando et iura sue societatis

⁴⁸ <quos> *su rasura*.

⁴⁹ <diem> *corregge* dies.

manutenendo. Et dictis tribus mensibus finitis predicti massarii eiusdem societatis inter se permutent officia supradicta. Statuentes quod elligendus in massarium predicto officio deputandum debeat esse descriptus in matricula artis dicte societatis a cuius hominibus est ellectus et exercens ipsam artem. Et siquis reperiatur esse descriptus in diversis matriculis diversarum societatum artium et alteram artem re vera exerceat alteram non. Non possit elligi in massarium, nisi pro ea arte quam exercet et non pro alia, non obstante quod reperiatur descriptus in matriculis aliarum artium. Sed si duas vel plures artes diversas simul exercet et in matriculis dictarum artium reperiatur descriptus pro massario alterius dictarum artium quas exercet elligi possit et//
[c. 35v]

si talis ellectus officium massariatus pro ea arte gesserit perpetuo pro massario in aliis vel pro aliis artibus elligi non possit.

[24] De iuramento massariorum artium qui interesse debent consiliis et scrupitiniis secretis populi et comunis Bononie. Rubrica. [c. 35v]

Iuro ego talis per Deum omnipotentem quod sum verus christianus et amator catolice fidei et civis civitatis Bononie, origine propria paterna et avita vel saltim duabus ex eis et quod officium michi commissum diligenter et sollicite exercebo omni dolo et fraude reiectis. Et officium dominorum ancianorum pro posse magnificabo, venerabor et manutenebo et dominis ancianis qui pro tempore erunt, parebo in licitis et honestis. Et officio dominorum confaloneriorum favebo et procurabo toto posse quod in civitate Bononie debito tempore elligantur. Ac etiam dabo operam iusta posse quod civitas Bononie remaneat in presenti statu populari et libertatis, et quod dicta civitas non deveniat ad subiectionem vel tiranidem alicuius, et quod secreta toto tempore mei officii michi comissa et etiam post in secreto tenebo et nemini propalabo quamdiu in secreto teneri debebunt, et quod procurabo quantum potero quod serventur statuta comunis Bononie facta et fienda que similiter observare promitto. Et quod in civitate, comitatu et districtu Bononie unicuique equalis iusticia ministretur secundum formam iuris et statutorum comunis predicti sine exetione personarum per officiales ad hec deputatos vel deputandos. Et quod recte consulam et recta consilia reddam secundum meam conscientiam pro utilitate comunis Bononie et singularium personarum remotis hodie, amore vel lucro. Et sic iuro corporaliter ad sancta Dey evangelia manu tatis scripturis. Quod quidem iuramentum prestari debeat per quemlibet massarium ante introytum vel in introytu sui officii in manibus confalonerii iustitie vel in manibus cancellarii dominorum ancianorum, pena tali massario qui dictum sacramentum non prestiterit decem librarum bononinorum ab eo de facto auferenda per capitaneum populi civitatis Bononie. Et ut dicti massarii predictorum ygnorantiam non pretendant, statuimus quod tempore delationis predicti iuramenti legatur predictis massariis presens statutum de verbo ad verbum ad ipsorum massariorum plenam intelligenciam per cancellarium predictorum dominorum.

[25] De officio massariorum artium, qui interesse debent consiliis et scrupitiniis secretis populi et comunis Bononie. Rubrica. [cc. 35v-36r]

Quia officium massariorum artium civitatis Bononie inter colegia dicte civitatis Bononie merito temputatur, ideo volentes eorum officium declarare, statuimus quod in civitate Bononie perpetuo sint massarii societatum artium infrascriptarum quorum massariorum officium duret tribus mensibus et non ultra, et sic successive de tribus mensibus in tres menses. Qui quidem massarii ex eis semper unum priorem elligant cuius officium duret diebus continuis et non ultra. Ellectio cuius prioris fiat ad

voluntatem dictorum massariorum cuius prioris mandatis super licitis et honestis predicti massarii parere debeant, ad penam decem solidorum bononinorum et minus arbitrio dicti prioris pro qualibet inhobedientia, que pena exigi possit per dictum priorem expendenda et eroganda prout dicto priori et aliis massariis videbitur. Sit autem ipsorum massariorum officium esse in consiliis secretis et assistere dominis ancianis et adesse scrupinuis fiendis inter dominos ancianos//

[c. 36r f. XXVI]

et confalonerios. Et super consiliis secretis eorum voluntatem exprimere et consulere et fabas albas et nigras reddere prout cuilibet eorum videbitur. Et similiter in scrupinuis fiendis⁵⁰ adesse et super eis consulere et fabas secundum eorum conscientiam reddere ut supra. Et petitiones seu postas ponendas in consilio quadringentorum una cum dominis ancianis et colegiis confaloneriorum examinare et super eis arengare et eas vel earum alteram aprobare vel improbare et super eis fabas albas vel nigras dare prout eius conscientie videbitur. Et interesse consiliis quadringentorum et super propositis in dicto consilio si placuerit arengare et fabas reddere ut supra. Et procurare toto posse quod presens status popularis et libertatis in civitate Bononie manuteneatur et augmentetur. Et quod in dicta civitate Bononie perpetuo sit copia victualium. Et quod in dicta civitate et eius comitatu et districtu servetur omnibus iusticia per officiales ad hoc deputatos vel deputandos. Et quod munitiones existentes super portis civitatis Bononie et in rochis castrorum comitatus et districtus eiusdem manuteneantur et conserventur. Et quod dicte roche et castra ubi et quando expediens fuerit, fortificentur et victualibus et aliis, necessariis fulciantur. Et dare auxilium, consilium et favorem officio dominorum ancianorum et officio dominorum confaloneriorum civitatis predictae quocienscumque fuerit opportunum et necessarium. Nec non procurare eorum toto posse quod avere et pecunia dicti comunis, indebite non expendatur, et defendere et manuteneare, iura iurisdictiones et honores dicti populi et comunis. Ac etiam facere et curare, ita et taliter quod in civitate Bononie eiusque comitatu fortia et districtu serventur statuta et ordinamenta dicti comunis facta et legiptime fienda. Predictorum autem occaxione et ut predicta executioni mandentur, volumus et mandamus quod dicti massarii et quilibet ipsorum durante eorum officio singulis diebus et horis quibus pulsabitur campana pro congregatione dictorum colegiorum se personaliter presentare debeant coram suo priore in palatio residencie dictorum dominorum ancianorum in loco consueto, sub pena predicta vel minori arbitrio dicti prioris exigenda et expendenda ut supra. Iubentes et mandantes dictis massariis et cuilibet eorum quod durante eorum officio nullus ex eis possit vel valeat se absentare a civitate et comitatu Bononie, sine expressa licencia sui prioris, ad penam decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice exigendam de facto per capitaneum populi ad voluntatem dicti prioris expendendam ut supra. Prohybentes expresse dictis massariis et cuilibet eorum durante officio accedere ad aliquam tabernam et in ea bibere vel accedere ad aliqua alia loca inhonesta civitatis Bononie, sub pena quadraginta solidorum bononinorum a tali contrafaciente de facto auferenda per suum priorem expendenda ut supra.

[26] **Qui prohibentur esse massarii artium civitatis Bononie, qui interesse debent consiliis et scrupiniis societatis. Rubrica.** [cc. 36r-36v]

Volentes nostra colegia ex bonis et notabilibus civibus et artificibus nostre civitatis constitui, et ut inhabiles et impotentes officii comunis Bononie minime graventur, prohybemus quod nullus possit elligi in massarium alicuius societatis artium civitatis Bononie vel officium massarii una cum aliis colegiis aliquo modo exercere, nisi fuerit

⁵⁰ <fiendis> a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

civis civitatis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis. Item prohybemus elligi in massarium aliquem qui non sit habitator civitatis Bononie//
[c. 36v]

tempore ellectionis de eo facte. Et aliquem qui tempore dicte ellectionis esset bannitus comunis Bononie pro aliquo maleficio et in libris bannitorum dicti comunis existentibus ad dischum bannitorum conscriptus esset. Et aliquem qui primo non fuerit ellectus per maiorem partem hominum sue societatis vel secundum formam statutorum sue societatis et postea scrupitunatus inter colegia et obtinuerit in dicto scrupitinio per duas partes ex tribus partibus dominorum ancianorum et colegiorum predictorum. Et aliquem minorem treginta annorum de cuius etate si in dubium revocetur stetur declarationi prioris massariorum et duorum aliorum massariorum quos dictus prior ellegerit, et aliquem maiorem octuaginta annorum. Et aliquem qui non sit descriptus in matricula et exerceat artem eius societatis artium predictarum de qua ellectus foret massarius. Et aliquem qui per sex menses ante fuerit ancianus vel confalonerius dicti comunis. Et aliquem qui sit infirmus gravi infirmitate. Quibus casibus et quolibet eorum ellectio facta non teneat ipso iure et ad novam ellectionem procedi debeat prout continetur supra in statuto posito sub rubrica 'De ellectione confaloneriorum et cetera' [15].

[27] De vacatione massariorum artium civitatis Bononie, qui interesse debent consiliis et scrupitiniis secretis. Rubrica. [c. 36v]

Statuimus et ordinamus quod quicumque ellectus fuerit in massarium alicuius societatis artium civitatis Bononie et illud exercuerit per tres menses secundum formam sue ellectionis essendo in scrupitinis et consiliis secretis et inter colegia, inde ad unum annum a die dicti finiti officii numerandum non possit ad illud officium elligi vel dictum officium exercere ad penam vigintiquinque librarum bononinorum. Et nichilominus dicta ellectio non teneat. Volumus etiam quod quilibet qui infra sex menses fuerit ancianus vel confalonerius in civitate Bononie non possit elligi in massarium ad scrupitina secreta, nisi transato tempore dictorum sex mensium. Et si aliter dicta ellectio fieret non teneat ipso iure, nec talis possit inter colegia scrupitinari, sed ad novam ellectionem procedatur ut supra. Et si casus contingeret quod aliquis existens massarius elligeretur ancianus vel confalonerius civitatis Bononie, volumus quod tunc alius elligatur in massarium per homines sue societatis, qui postea scrupitinetur ut supra et aprobatas in scrupitinio loco ellecti in ancianum vel confalonerium subrogetur et possit eius officium durare nedum per tempus quo ellectus in confalonerium debebat dictum officium massariatus seu confaloneriatus exercere, sed ultra continuare per tres menses si fuerit de beneplacito sue societatis.

[28] De privilegiis et immunitatibus massariorum artium, qui debent esse in scrupitiniis et consiliis societatis. Rubrica. [cc. 36v-37r]

Desiderantes providere massariis artium, qui pro manutenenda nostra republica et pro ea in pacifico statu conservanda die noctuque laborant, statuimus quod massarii artium, qui debent interesse scrupitinis et consiliis secretis durante eorum officio non possint personaliter capi vel detineri, nec cogi adferendum aliquid testimonium in causa civili, nisi prout de eius proceserit voluntate. Nec possit contra aliquem de dictis massariis//
[c. 37r f. XXVII]

durante eius officio per curiam potestatis vel capitani vel per aliquem alium officialem comunis Bononie per inquisitionem vel per accusationem procedi, nisi esset tale delictum pro quo veniret imponenda pena personalis vel pecuniaria centum librarum

vel ab inde supra et eo casu quo procedi non poterit interim tempora ad accusandum vel inquirendum statuta non curant. Volumus etiam quod predicti massarii et quilibet ipsorum durante eorum officio non possint cogi ad aliqua honera personalia vel ad aliquas custodias diurnas vel nocturnas vel ad aliquam andatam vel cavalcatam, nec dicto tempore in dictis andatis, chavalcatis vel custodiis aliquem loco sui mittere teneantur. Ac etiam possint dicti massarii et quilibet eorum durante eorum officio impune portare arma offensibilia et deffensibilia per civitatem, burgos, guardiam et comitatum Bononie pro eorum libito voluntatis. Ubi autem elligatur quis in massarium qui adesse debet scrupitiniis et consiliis, si aprobatu fuerit inter colegia modo suprascripto, intelligatur esse et sit de consilio quadringentorum populi et comunis Bononie durante officio suo massarie etiam si in dicto consilio quadringentorum descriptus esse non reperiatur. Siquis autem realiter vel personaliter offenderit aliquem de dictis massariis durante suo officio vel eo finito per tres menses pretestu sui officii, condempnetur in duplo eius quo condempnari deberet si offendisset aliquam aliam privatam personam. Cassantes omnes alias provisiones factas in consilio quadringentorum super privilegiis et immunitatibus predictis.⁵¹

[29] Que quidem societates artium predictorum de quibus supra in officio massariorum artium fit mentio sunt hec videlicet. Rubrica. [cc. 37r-37v]

Societas notariorum

Societas camporum

Societas mercatorum pani

Societas becariorum

Societas stracarolorum

Societas speciariorum

Societas mercariorum

Societas artis sete

Societas fabrorum

Societas aurificum

Societas calçolariorum⁵²

Societas magistrorum lignaminis

Societas bambasariorum

Societas artis lane gentilis

Societas salarolorum

Societas pilipariorum

Societas sartorum

Societas calegariorum

Societas artis lane bisele

Societas muratorum

Societas biseleriorum

Societas barberiorum//

[c. 37v]

Societas pischatorum

Societas cartolariorum

Societas curionum et cunçatorum seu pelacorum

Societas quatuor artium.

⁵¹ <Cassantes omnes alias provisiones factas in consilio quadringentorum super privilegiis et immunitatibus predictis> *a margine laterale destro su tre righe.*

⁵² <calçolariorum> *nel testo calcolariorum.*

Quarum societatum massarii antedicti debeant esse et stare in colegiis et consiliis et sedere per ordinem prout suprascripta sunt nomina societatum videlicet, quod corector societatis notariorum obtineat primum locum post locum prioris massariorum artium predictarum, secundum locum obtineat massarius seu defensor societatis camporum, et sic successive massarii aliarum societatum artium stent et sedeant ut supra per ordinem prout supra descripta sunt nomina societatum artium predictarum. Et similiter in incessu ad quascumque festivitates et loca ad quas contingat massarios alicuius ex dictis societatibus accedere una cum dictis societatibus asociando dominos ancianos vel alios officiales forenses comunis Bononie modo et ordine supradicto incedere debeant, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice si fuerit singularis persona quadraginta solidorum bononinorum. Et si fuerit aliqua universitas decem librarum bononinorum ab eis et quolibet eorum de facto auferenda per capitaneum populi et omni nostrorum statutorum solempnitate obmissa.

[30] **De officio, familia, salario, et iurisdictione domini syndici maioris officialium civium et iudicis dacionum civitatis et comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 37v-41v]

Consonum est rationi unumquemque officialem de gestis et administratis per eundem debitam reddere rationem, ideo volentes quod officiales nostri comunis et populi cives civitatis Bononie sindicentur presenti lege, statuimus quod in dicta civitate singulis sex mensibus elligatur per dominos ancianos et vesiliferum iusticie et confaloneros populi dicte civitatis et massarios artium unus idoneus, legalis et expertus iuris peritus qui sit legum doctor saltem tempore inicii officii et praticus et qui alias fuerit per officia hoc modo et forma videlicet, quia predictis et cuilibet predictorum liceat unum⁵³ talem⁵⁴ nominare et si plures fuerint nominati eorum nomina scrupinuentur talem inter predictos et qui in scrupinuo obtinuerit plures voces ille sit et esse intelligatur ellectus in syndicum maiorem et iudicem datiorum dicte civitatis. Qui syndicus si ellectionem de eo factam acceptaverit infra tres dies postquam de eius ellectione in ipsius noctitiam deductum fuerit per literas dominorum ancianorum eidem presentatas de quarum presentatione et acceptatione fidem facere debeat per publicum instrumentum procuratoribus de defensoribus averis comunis Bononie. Et teneatur venire per duos dies ante initium sui officii ad civitatem predictam suis expensis et suo risico et periculo et infortunio siquid in eius personam vel bonis aut sue familie vel sui officialis accideret quod Deus avertat. Et coram dominis ancianis predictis se cum eius familia infrascripta presentare et suum officium tempore debito exercere. Et stare ad syndicatum secundum formam nostrorum statutorum. Et immittendo pro tali syndico et iudice servetur forma ordinata per nostra statuta immittendo pro domino potestate quatenus melius poterit adaptari quod si predicta facere obmiserit nullum ius vigore dicte ellectionis et acceptationis eidem quesitum sit aut esse intelligatur contra dictum comune et populum. Et de alio syndico per predictos dominos fiat ellectio, eo tamen in termino ordinato veniente et se presentante coram dictis dominis teneatur idem syndicus corporaliter iurare ad sancta Dey evangellia manu tactis scripturis delato sibi sacramento per cancellarium dictorum dominorum vel per laterum ex notariis dictorum dominorum quod ipse est et erit amator comunis et populi Bononie et presentis status libertatis toto tempore eius officii, et quod pro ius et//
[c. 38r f. XXVIII]

⁵³ <unum> segue locum espunto.

⁵⁴ <talem> a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

iusticiam omnibus equaliter ministrabit, et quod servabit statuta et ordinamenta dicti comunis facta et fienda et maxime pertinentia ad eius officium, et quod manutenebit quantum poterit iura dicti comunis, et quod ipse stabit tempore contento in eius ellectione in civitate Bononie in loco eidem per dictum comune ordinato, et quod extra dictam civitatem non pernotabit sine expressa licentia dictorum dominorum et suum officium et que eidem comittentur exercebit et exerceri faciet bona fide, diligenter et solicite, omni dolo et fraude, prece et pretio remotis et suis tantum expensis et secundum formam statutorum dicti comunis, et quod directe vel indirecte per se vel alium non accipiet nec accipi pacietur etiam a sponte dare volente aliquid ultra salarium suum, et quod pro omnibus eius officio et sue familie incumbentibus erit contentus salario suo infrascripto. Qui syndicus prestito dicto sacramento teneatur infra octo dies a die incoati sui officii facere fidem de eius doctoratu per instrumentum sui doctoratus dictis defensoribus, sub pena quinqueginta librarum bononinorum et ille cui presentatum fuerit dictum instrumentum teneatur ipsum facere registrari. Volumus autem predictum elligendum esse etatis tregintaquinque annorum ad minus et legum doctorem, legalem virum praticum et expertum ut supra et qui sit et esse debeat de loco et terra distante a civitate Bononie per sexaginta miliaria et qui non fuerit studens vel habitator civitatis Bononie per quinque annos proxime precedentes initium dicti sui officii, nec fuerit in Bononia doctoratus saltem a tribus annis retro proximis precedentibus initium dicti sui officii, neque habuerit aliquid officium in dicta civitate Bononie per tres annos proxime precedentes diem dicte ellectionis. Predicti autem sic electi officium ultra predictum tempus durare non possit et non possit in dicto officio aliquis refirmari vel confirmari directe vel indirecte per aliquid spacium temporis, nec tempus sui officii prorogari vel de novo elligi, nisi de eodem confirmando vel de prorogando tempore vel de novo elligendo obtemptum fuerit per tres partes ex quatuor partibus generalis consilii quadringentorum dicte civitatis. Pro suo autem officio exercendo teneatur dictus syndicus secum ducere et toto dicto tempore reptinere tres bonos notarios bene scribentes et intelligentes etatis vigintiquinque annorum ad minus pro quolibet forenses ydoneos, praticos et expertos, et duos domicellos de consimilli partita et veste indutos et octo famullos armigeros bene armatos de consimilli veste indutos, quorum unus sit ragatius alius chocus. Et qui notarii et domicelli debeant esse de loco distante a civitate Bononie ad minus per treginta miliaria, et quod dicti notarii non fuerint habitatores dicte civitatis per duos annos ante introytum dicti sui officii et domicelli autem et famuli per unum annum. Et duos equos, quorum unus debeat esse ad minus extimationis vigintiquinque florenorum et alius extimationis quindecim florenorum. Qui equi debeant videri et extimari per mareschalchum prepositum officio conducte stipendiariorum nostri comunis. Et stare debeat dictus syndicus cum predicta eius familia in civitate Bononie ad sindicatum finito tempore dicti sui officii coram sindicis nostri comunis, in quorum ellectione et processu servetur forma sequentis statuti. Pro suo autem salario notariis et familia et pro omnibus et singulis suprascriptis et infrascriptis et etiam pro omnibus et singulis incumbentibus eius officio seu pertinentibus ad eius vel sue familie officium habere debeat a depositario generali dicti comunis quatuorcentum florenos auri ad rationem tregintaunius soldi et sex denariorum bononinorum pro quolibet floreno cum detractone fienda secundum formam statutorum eidem solvenda de mense in mensem pro rata, exceptis paghis duorum mensium ultimorum dicti temporis sui officii, quas volumus retineri sibi donec ipse fuerit sindicatus ut de//

[c. 38v]

hiis usque ad concurrentem quantitatem satisfiat pro condempnationibus si que fierent de ipso vel de aliquo de sua familia per eius syndicos vel per maiorem partem ipsorum

non derogando si ad plus teneretur vel condempnabitur. Et si⁵⁵ fuerit absolutus residuum sui salarii satisfato debentibus recipere ab ipso vel aliquo de eius familia eidem sindico maiori vel habenti causam ab eo solvi debeat per depositarium predictum facta sibi fide de absoluteione per dictos syndicos per publicum instrumentum. Et ipse syndicus maior et iudes predictus sit omnino contentus pro se et suo salario et dictis notariis, domicellis, famullis et equis pro omnibus et singulis suprascriptis et infrascriptis et pro incumbentibus suo officio et pro pertinentibus ad officium eius vel sue familie de dicto suo salario. Et nichil ipse syndicus vel aliquis eius notarius vel officialis per se vel alium ultra predictum salarium directe vel indirecte accipere vel habere possit ab aliquo massario vel sindico alicuius terre⁵⁶, ville vel comunis et comitatus Bononie vel ab aliqua comunitate aut ab aliqua singulari persona ratione alicuius itineris fiendi in comitatu Bononie vel ad aliquam villam vel terram, pedes vel eques vel occasione alicuius andate fiende ut supra vel ratione aliquarum copiarum vel aliarum scripturarum neque ratione custodie alicuius carcerati, nec ulla alia ratione vel causa, etiam a sponte dare volentibus, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice comuni Bononie applicanda et ad restitutionem eius quod acceperint cum quadruplo ei a quo acceperit teneatur omni contraria consuetudine cessante. Volumus etiam quod predictus syndicus ante finem sui officii massarolo dicti comunis pro ipso comuni recipienti debeat dare et assignare unam balistam a stafa bonam et sufficientem cum crocho precii et extimationis duorum ducatorum auri et duo pulcra et ydonea pavesia posita ad insignia et arma predicti syndici et comunis precii et extimationis duorum ducatorum auri inter ambo. Habeat autem et habere debeat dictus syndicus et iudes iurisdictionem ordinariam et merum et iustum imperium dumtaxat in sindicando omnes et singulos cives tantum⁵⁷ castelanos rocharum vel⁵⁸ fortiliciorum comunis Bononie et capitaneos et vicarios comitatus Bononie et depositarios comunis et etiam omnes depositarios et superstites datiorum dicti comunis, item custodes carcerum, item approbatores fideiussorum et officiales conducte stipendiariorum et massarolos comunis, provisores et defensores averis, cancellarium comunis et omnes alios officiales cives quos secundum casum contingentem declaraverint domini anciani sindicari debere de omnibus et singulis factis, gestis perpetratis, commissis et obmissis in ipsorum et cuiuslibet eorum officiis contra formam iuris et statutorum comunis Bononie. Et contra ipsos officiales et quemlibet ipsorum possit et teneatur procedere per accusationem, denuntiationem et inquisitionem formandam tam ad alicuius denuntiationem quam notificationem ac etiam notarios camere actorum et memorialis comunis Bononie. Et notarios ad dischum bannitorum et Ursii et notarios et officiales ad dischum malefficiarum parvorum et notarios et officiales pontium, stratarum et aquarum et medicos comunis ex ipsius mero officio. In quibus accusationibus, inquisitionibus et processibus fiendis de aliquo sindicando procedi possit etiam non servatis solepnitatibus iuris et statutorum comunis Bononie, dummodo serventur contenta in isto statuto que omnino ut in eo scriptum vel dispositum est servari volumus. Et dummodo facti, negotii, delicti comissionis et obmissionis de qua vel quo procedatur veritatem possit habere et reperiat, qua reperta delinquentem quemlibet debeat condempnare//

[c. 39r f. XXVIII^o]

et punire secundum formam nostrorum statutorum si in eis vel aliquo ipsorum certa forma traditur alia secundum formam iuris comunis, de obmissis tamen et neglectis levibus possit disponere iuxta deliberationem dominorum ancianorum, ubi tamen de

⁵⁵ <si> a margine laterale destro con segno di rinvio.

⁵⁶ <terre> su rasura.

⁵⁷ <tantum> su rasura.

⁵⁸ <vel> su rasura.

barataria aliquis sindicaretur et eius occasione procederetur sufficiat ad probationem baratarie etiam per verisimilia indicia fieri fidem ut de barataria possit condemnari et in predictis omnibus et singulis teneatur observare in procedendo et condemnando formam traditam per nostra statuta loquentia de syndicatu officialium forensium. Et de pena officialium non habentium puras manus si et quatenus possint presentibus adaptari ad observationem autem aliorum nostrorum statutorum ut premititur minime teneatur. Dicimus etiam quod ipse syndicus teneatur etiam pro notariis suis et pro domicellis et famullis suis et quolibet eorum in solidum comuni Bononie et singularibus personis et comunitatibus respondere et solvere. In quibus officialibus sindicandis talem formam volumus observari, quia infra decem dies immediate sequentes postquam deposuerint et finitum sit officium omnium et singulorum officialium exercentium predicta officia vel alicuius eorum in civitate vel in comitatu Bononie infra sex miliaria predictus syndicus ipsos officiales et quemlibet ipsorum cuius vel quorum sit finitum officium cytari faciat semel inventos personaliter vel bis ad domum eorum habitationis non inventos personaliter quod venire debeant ad respondendum generali inquisitioni contra ipsos et quemlibet eorum formatam de gestis contra formam sui officii vel statuti⁵⁹ comunis Bononie et de gestis inlicite et de obmissis per eos et de hiis de quibus syndicari debent. Quam inquisitionem teneatur formare dictus syndicus ante comissionem dicte citationis quibus vel aliquo eorum comparentibus et dicte inquisitioni respondentibus et se a dicta inquisitione excusantibus teneatur quilibet eorum dare idoneos fideiussores approbandos per approbatores nostri comunis de se presentando et de parendo mandatis dicti syndici. Et de solvendo omnem condemnationem de eo fiendam pro qua approbatione fienda ad plus ipsi approbatores recipere possint quatuor solidos bononinorum pro quolibet principali officiali sindicando etiam cum familia ipsius sindicandi, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet approbatore contrafaciente et pro qualibet vice et de facto exigenda per dictum syndicum infra decem dies, sub pena dupli dicte quantitatis et infra dictas decem dies dictus syndicus tribus vicibus diversis diebus faciat publice preconizari per civitatem Bononie in locis consuetis quod quicumque velet aliquid opponere contra aliquem ex predictis officialibus vel conqueri de tali vel talibus sindicandis olim officialibus comunis Bononie nominando nomina et prenomina talium officialium et officii quid exercuerint debeat coram dicto syndico infra dictum tempus dictorum trium dierum comparere et suam querimoniam et querelam, petitionem vel libellum porigere coram eodem syndico infra dictum tempus dictorum trium dierum super quibus cuilibet fiet integra iusticia alias non audientur et nullo infra dictum terminum⁶⁰ comparente vel aliquid opponente vel petitionem, libellum vel querelam porigente vel etiam comparente, et querelante super generali inquisitione debeat accipere ad minus quinque testes pro quolibet principali officiali sindicando etiam cum sua familia. Et si neque pretestu generalis inquisitionis, neque specialis querele vel petitionis invenerit aliquem culpabilem quam cuius poterit eum vel eos non culpabilem vel non culpabiles absolvere debeat. Et si aliquem vel aliquos invenerit culpabiles contra ipsum vel ipsos sic procedat quod eundem vel eos condemnet infra mensem a die responsionis facte processui, accusationi vel inquisitioni. Et si quis non comparendo fuerit contumax contra eum tam quam contra contumacem procedat observata forma nostri statuti positi sub rubrica 'De modo et forma procedendi//

[c. 39v]

⁵⁹ <statuti> *corregge* statuta.

⁶⁰ <terminum> *segue il compendio di non espunto.*

contra accusatos vel inquisitos non comparentes.’ [V, 16] Qui contumaces et quilibet eorum habeantur pro confessis et convictis de hiis de quibus proceditur contra tales contumaces et condempnari debeant de predictis ac si lix fuisset cum eis legitime contestata, et ponantur tales condempnati ad dischum Ursii. Qui quidem syndicus de mense ianuarii et de mense iullii infra octo dies a die introytus novorum officialium in officiis que⁶¹ mittuntur ad brevia et esse debent in comitatu Bononie secundum formam statutorum comunis Bononie mittere teneatur omnibus suis expensis duos ex suis notariis equites cum uno famullo et uno nunptio comunis Bononie pro quolibet eorum. Qui notarii discurrere debeant per omnes et singulos vicariatus comitatus Bononie distantes a civitate Bononie per sex miliaria vel ultra videlicet, quilibet ex dictis notariis in diversis vicariatibus et antequam ad vicariatum sive terram vicariatus accedant per duos dies ad minus debeant notificare novo vicario qui est in officio suo diem sui adventus ad vicariatum ipsum sive terram vicariatus et quod debeat facere fieri publice et alta voce cridam per omnes et singulas terras sui vicariatus quod si qua persona vult conqueri de tali officiali sindicando vel aliquo de sua familia debeat comparere tali die ponendo diem adventus officialis syndici sibi notificati ut supra vel aliis duobus diebus proxime sequentibus dictam diem cum suis petitionibus libellis et querimoniis, sive querelis cum omnibus suis iuribus et probationibus per testes vel instrumenta in loco ubi redditur ius per ipsum vicarium specificando locum ipsum scientes quod notari syndici maioris dicta die notificata erit ibidem paratus predicta recipere et quod super eis fiet unicuique per syndicum maiorem iustitie complementum. Quam notificationem predictam facere debeant dicti notarii dicto novo vicario per suas literas eidem transmittendas per dictum nuntium comunis Bononie quem secum duxerit vel unum de villa in qua prius appulerit et sic singulatim de villa in villa cui mandaverit vicarius novus cuiuslibet vicariatus quid mandatum facere teneatur ipse vicarius novus ad petitionem dicti notarii et officialis massario et unum mittat cui sibi videbitur ut vadat et literas portet dicti notarii ad talem vicariatum sub pena dicto vicario, massario et cuilibet cui mandatum fuerit negligentibus in hoc et aliis que spectant ad officium ipsius notarii et officialis pro sindicatu predicto obedire ipsi notario, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice auferenda, sibi de facto per syndicum maiorem et cum alter ex dictis notariis appulerit ad terram, vilam vel castrum ubi moram trahebat vicarius sindicandus in dicta villa, terra vel castro dictus notarius cum ibi appulerit quam cicius fieri poterit mittere teneatur unum preconium publice et alta voce, quod si est aliqua persona supposita dicto vicariatu vel non supposita que velet conqueri de vicario cuius officium modo proximum finitum est nominando in dicta crida nomen dicti talis sindicandi quod infra tres dies et peremptorie comparere debeat in tali villa, castro, terra vel loco coram notario dicti syndici maioris civitatis Bononie ad exponendum querelam de tali vicario sindicando vel aliquo de sua familia cum omnibus suis iuribus ut supra. Scientes quod eis integra iusticia fiet contra tales et similis crida fiat si in dicto vicariatu sit aliquis castelanus vel custos principalis alicuius turris qui sindicari debuerit de qua crida dictus notarius mentionem faciat in actis suis et per quem facta fuerit dicta crida et in qua villa, terra, castro vel loco ponendo saltem duos testes qui fuerint presentes dicte cride. Et neminem dicto termino comparente qui conqueri vellit de tali sindicando vel aliquo de sua familia tunc dictus notarius elapso dicto termino incontinenti se transferrat ad alium vicariatum et similem cridam facere et fieri facere teneatur. Ubi vero aliquis reperuerit in dicto termino volens querelam exponere de tali sindicando//

[c. 40r f. XXX]

⁶¹ <que> *in infralinea con segno di rinvio.*

vel aliquo de sua familia, tunc talis notarius talem querelam accipere teneatur si in scriptis porecta fuerit, et super ea scribere teneatur diem porectionis et per quem porecta fuerit, prius prestito sacramento per dictum conquerentem, quod animo⁶² calumpnie non dicit, nec querelam exponit. Et si verbo tenus aliquis de tali sindicando infra dictum terminum conquestus fuerit, tunc dictus notarius sub compendio verborum in actis suis scribat talem querimoniam et diem quo talis conquestus fuerit una cum nominibus testium quos talis conquerens nominaverit, prius per talem conquerentem prestito sacramento ut supra, alias tales querimonie non recipiantur, que querimonia in scriptis vel sine valeat et legiptima sit et esse intelligatur etiam in ea non servatis aliquibus solempnitatibus iuris vel statutorum comunis Bononie. Super quibus querimoniis dictus notarius teneatur recipere omnes probationes quas conquerens talis facere voluerit per testes vel instrumenta quam cicius fieri poterit, ita quod dictus notarius ultra terminum trium dierum stare non teneatur in aliquo vicariatu, sed elapso termino trium dierum ad alium vicariatum se transferrat. Ibique dicat, faciat et fieri faciat prout superius continetur, prius per dictum notarium dictis testibus et cuilibet eorum delato sacramento de veritate dicenda et per ipsos prestito de quo sacramento constare debeat in actis talis notarii et talis notarius dictionum testium dicta in actis extense scribere teneatur etiam nulla contestatione procedente. Que quidem attestaciones et dicta valeant et teneant et earum vigore possit ad decisionem perveniri si probaverit ac si lix foret legiptime contestata et pars foret legiptime citata ad videndum productionem talis querimonie et ac si foret legiptime citata ad videndum tales testes iurare. Reservatis cuilibet tali sindicando omnibus suis exceptionibus tam contra testes quam contra dicta eorum et attestaciones tempore publicationis talium testium quam publicationem dicto maiori sindico reservamus. Possit tamen quilibet, qui querimoniam de tali sindicando non exposuit coram dicto notario vel exposuit et suas probationes coram dicto notario non fecit infra tempus sibi assignatum vel fecit et vult alias facere de novo et vult testes producere coram sindico maiore in civitate Bononie vel novas querelas exponere de aliquo sindicando infra tempus sibi assignandum per dictum dominum sindicum si coram ipso comparuerit in civitate Bononie, quo termino elapso ulterius non audiat. Et cum dicti duo notarii circuerunt omnes vicariatus predictos in quolibet vicariatu servata forma supradicta, tunc incontinenti reddere debeant Bononiam et coram dicto domino sindico maiori presentare omnes querimonias de predictis vicariis vel castelanis seu aliquo eorum vel alterius eorum familia factas in scriptis vel verbo tenus et etiam omnia acta per eos in dictis vicariatibus una cum attestacionibus per eos receptis super dictis querimoniis. Qui dominus sindicus prius visis et examinatis dictis querelis et testibus super eis productis, citari faciat illos ad domos eorum solite habitationis et comparere coram dicto domino sindico ad videndum publicari processum et dicta testium contra eos productorum et hoc contra illos contra quos producte sunt querele videlicet, semel inventos et bis non inventos. Et si tractaretur de sindicatu alicuius de familia alicuius vicarii vel castelani seu custodis alicuius turris, tunc sufficiat tales citationes fieri ad domum consuetam talis vicarii si de aliquo de familia talis vicarii tractaretur vel ad domum consuetam talis castelani si de sindicatu alicuius, qui fuerit de eius familia tractaretur et talibus citatis modo predicto comparentibus vel non comparentibus dictus dominus sindicus publicari faciat dictos processus et ab omnibus qui personaliter comparuerint//

[c. 40v]

et a quolibet eorum antequam inde discedant accipiat fideiussores approbatos per approbatores comunis Bononie de tanta quantitate in quanta veniret condemnandus si

⁶² <animo> *nel testo* animo.

vera essent que contra eos obiciuntur, nisi esset de casibus in quibus ex forma nostrorum statutorum quis debet personaliter stare detemptus, quo casu a tali nulla fideiussio accipiatur, sed stet detemptus ad petitionem talis sindicii et eis et cuilibet eorum de cuius vel quorum sindicatu ageretur assignare teneatur dictus syndicus terminum trium dierum ad accipiendum copiam querellarum contra eos porectarum et ad opponendum quicquid voluerit contra tales querimonias seu contra personas talium conquerentium, nec non ad accipiendum copiam testium contra eos porectorum et ad opponendum contra personas talium testium et contra eorum dicta et attestaciones. Et si in dicto termino nichil fuerit oppositum tale quid releuet opponentem, tunc dictus syndicus non facta alia citatione pervenire possit ad sententiam diffinitivam ab absolvendo vel condemnando secundum actitata et probata. Si vero oppositum fuerit aliquid quid eum releuet vel relevare videatur, tunc syndicus citari faciat talem conquerentem ad defendendum causam suam coram predicto sindico et tali citato in termino sibi assignato comparente vel non dictus syndicus teneatur dare dillationem unam vel plures si ei videbitur tali de cuius sindicatu ageretur ad probandum exceptiones suas et si in dicta dillatione una vel pluribus non probaverit aliquid quid probatum releuet, tunc procedatur ad difinitivam sententiam secundum actitata et probata absolvendo vel condemnando, et ad dictam sententiam audiendam nulla alio citatio requiratur. Ubi vero sindicandus in termino sibi assignato aliquid opposuerit et probaverit quid eum releuet, tunc dictus syndicus procedat ad sententie prolacionem sine alia citatione fienda ad dictum actum, prius auditis a legationibus partium si aliquid alegare voluerint a legationibus tamen non auditis propter hoc non vicietur sententia. Adicientes quod dictus syndicus in qualibet sententia ferenda super aliquo sindicatu semper victum victori condemnare teneatur in expensis vel absolvere si ex actis viderit victum iustam causam habuisse litigandi aliax de suo parti vicenti restituere teneatur tempore sui sindicatus. Iubemus etiam et mandamus quod dictus syndicus infra duos menses continuos a die citationis facte de sindicando expedire per sententiam absolutoriam vel condemnatoriam teneatur omnes sindicatus per processus sindicatum quorumcumque officialium civium civitatis Bononie vel aliquorum de sua familia qui ex forma nostrorum statutorum sindicandi venirent, sub pena quingentarum librarum bononinorum comuni Bononie applicanda quod tempus curere incipiat a die citationis facte de sindicando, quo termino elapso et dicta pena exacta vel non, dictus syndicus infra illos decem dies talem de cuius sindicatu agitur absolvere vel condemnare teneatur secundum acta et actitata, sub pena quingentarum librarum bononinorum applicanda ut supra et dicto termino decem dierum elapso dictus sindicandus a dicto sindicatu intelligatur esse et sit expresse absolutus. Et tunc dictus iudex teneatur ad interesse illorum vel illius qui porexerunt aliquam petitionem vel aliquam querimoniam exposuerit de aliquo sindicando. Contra vero sindicandos citatos ut supra non comparentes in prima citatione de eis vel aliquo eorum personaliter facta vel bis ad domum sue solite habitationis vel si citati fuerint modo supradicto⁶³//

[c. 41r f. XXXI]

tunc predictus syndicus procedere possit ad ulteriora dicte cause et omnes et quemlibet eorum condemnare de hiis de quibus querimonia exposita fuit ac si fuisset lis per eos vel alterum ipsorum legitime contestata et contra eos vel alterum eorum legitime probatum super predictis querimoniis vel altera earum nullis aliis citationibus procedentibus ad sententiam audiendam vel ad alium actum. Que quidem sententie condemnatorie deponi debeant per dictum dominum syndicum ad discum Ursii. Et per officiales presidentes dicto disco executioni mandentur capiendo personam sic

⁶³ *Sul margine inferiore della carta:* Tunc predictus syndicus procedere.

condempnatam et eam carcerando, nec non capiendo de bonis talis condempnati, usque ad integram satisfactionem talis condempnationis non obstante aliquo nostro statuto in contrarium loquente. Et si dictus syndicus vel aliquis eius notarius vel de familia sua cibum vel potum vel pecuniam pro sumptibus vel alia ratione vel causa receperit ab aliquo vel ab aliqua comunitate vel expensa alicuius comunitatis vel singularis persone puniatur quilibet predictorum culpabilis in predictis pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice ultra predicta, nec excusetur aliquis pretestu consuetudinis, que diceretur esse opposita ymo ipsam consuetudinem ut pravam capssamus. Placet etiam quod dictus syndicus habeat iurisdictionem ordinariam et merum et iustum imperium in omnibus et singulis causis, questionibus et litibus et controversiis civilibus tantum que oriuntur occasione alicuius daci vel gabelle civitatis vel comitatus vel districtus Bononie vel occasione aliquarum dependentium vel conessorum ab⁶⁴ eisdem. In quibus litibus, questionibus et controversiis procedere possit summarie de plano sine strepitu et figura iudicii sola veritate inspecta. Et servare teneatur statuta posita sub rubrica 'De officio iudicis exactoris ad dischum Ursii' [II, 10.1] in omnibus suis capitulis quatenus ad eius officium datiorum possunt adaptari et pertinere. Et omnia et singula statuta, libri vocati 'lo campion' et pacta cum conductoribus et emptoribus datio comunis Bononie facta et conventa et fienda. Possint que contra quoscumque fraudantes vel decipientes datia vel gabellas dicte civitatis vel aliquid comittentes contra formam statutorum vel pactorum de daciis loquentium condempnare et punire secundum formam statutorum nostrorum vel dictorum pactorum vel daciis campionis si in eisdem de pena esset provisum alias puniat secundum ius civile et comune. Et predicta locum habeant si pena pecuniaria veniret imponenda et comuni Bononie applicanda in totum vel pro parte comuni predicto et pro parte alia habenti causam a predicto comuni vel habenti causam ab habentibus causam a predicto comuni aliter autem vel alio modo iurisdictionem non habeat neque merum vel mistum imperium. Lites autem controversias et questiones et quaslibet earum occasione predictorum datiorum incoatas et coram eodem vertentes teneatur per sententiam suam vel de consilio sapientis assumpti quem asumere teneatur cum petitum fuerit expensis eorum quorum expensis vicarius potestatis comitteret vel comittere posset terminare infra unum mensem continuum a die contradicionis vel litis contestationis vel quasi facte⁶⁵ per partem si contradictor comparuerit in termino prime citationis eo personaliter citato vel eo non invento in termino secunde citationis. Alias si contradictor dictis terminis vel aliquo eorum non comparuerit, tunc a die citationis facte de parte semel personaliter inventa vel bis ad domum eius habitationis citata. Et si infra dictum tempus non terminaverit eam incidat penam centum librarum bononinorum et nichilominus infra quinque dies ex eisdem actis causam illam terminare teneatur sub dicta pena. In predictis autem questionibus daciis et gabellarum//

[c. 41v]

habeat et habere debeat dictus syndicus duos notarios cives civitatis Bononie inter quos possit esse conductor daciis notariatus dicti iudicis si sit notarius et alius notarius quem velit dummodo sint cives Bononie et ipsum officium velit exercere alias pro predicto officio exercendo dare et deputare teneatur predictus conductor daciis notariatus iudicis daciis et incantum si datium contingat locari vel vendi dictos duos notarios. Si autem non locetur vel vendatur tunc domini anciani debeant duos notarios suficientes elligere et illos tali officio cum dicto sindico deputare expensis dicti daciis pro scribendis dumtaxat actis in causis controversiis et questionibus predictis datiorum. Qui notarii

⁶⁴ <ab> *in infralineam*.

⁶⁵ <facte> *nel testo fate*.

teneantur iurare in manibus vexiliferri iustitie qui pro tempore⁶⁶ erit bene⁶⁷, dilligenter et legaliter ipsum officium et pertinentia ad ipsum officium et maxime ad comune Bononie facere et exercere. Quod officium durare possit spacio sex mensium et non ultra. Et a dicto officio debeant vacare a die eorum finiti officii per bienium et valeat et teneat dicta ellectio auctoritate presentis statuti et omnia acta agitata coram dicto sindico et scripta per dictos notarios valeant et teneant et plenum sortiantur effectum auctoritate presentis statuti. A sentenciis autem⁶⁸ predicti sindici et iudicis in dictis causis daciorum in quantum solummodo tangerent principaliter comune Bononie et aliqua pena imposita per dictum sindicum et iudicem veniret applicanda dicto comuni non possit appellari, reclamari, supplicari, neque de nullitate opponi vel in integrum restitutio postulari.

[31] De ellectione, iuramento, offitio et iurisdictione dominorum deputatorum super victualibus et grassa civitatis et comitatus Bononie et super habundantia victualium habenda in civitate predicta. Rubrica. [cc. 41v-43v]

Ordinamus quod cives ellecti super victualibus et grassa et habundantia victualium habenda in civitate Bononie et eius comitatu habeant potestatem et arbitrium ut sequitur, quorum officium duret per sex menses a die incoati officii incipiendos. Et quod singulis annis de mense quo ellectiones aliorum officialium fuerint per dominos ancianos vel quando dictis dominis videbitur ipsi domini anciani, qui per tempora erunt una cum dominis confaloneriis et massariis artium debeant elligere ad scrupinium fabarum albarum et nigrarum duos bonos, ydoneos et sufficientes cives civitatis Bononie ad minus etatis tregintaquinque annorum pro quolibet pro tempore et termino sex mensium cuiuslibet anni incipiendorum et finiendorum ut supra. Quorum tam ellectorum quam elligendorum officium sit et esse debeat in providendo totis eorum viribus quod in dicta civitate habeatur copia bladi, salis, carniun, piscium, lignorum, pannorum, straminis pullorum et quorumcumque victualium deputatorum esuy, potui, victui, et vestitui et pro competentibus preciiis et temporibus opportunis. Qui sic ellecti cogantur predictum officium acceptare iuris et facti remediis per dictum capitaneum populi si dictum officium acceptare recusantes vistam causam recusandi non habuerint cuius cause an sit iusta vel non cognitio et declaratio sit dominorum ancianorum comunis et populi Bononie et die introytus eorum officii, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum dicti officiales teneantur comparere coram dominis ancianis et in manibus prioris dictorum dominorum vel vexiliferri iustitie iurare corporaliter ad sancta Dey evangelia quod officium predictum eis comissum in spectantibus et pertinentibus choherentibus et conexis ad predictum officium exercebunt, regent et procurabunt//
[c. 42r f. XXXII]

et facient omni et toto eorum posse bene, dilligenter, solicite et bona fide et pro comuni utilitate comunis et populi civitatis Bononie remotis prece, precio, amore, timore et omni humana gratia. Et possint predicti officiales sic ellecti habere unum vel duos ad plus notarios cives civitatis Bononie prout putaverint expedire pro expeditione ipsorum et cuiuslibet ipsorum officii cum salario quid congruum eis videbitur, dum tamen salarium non excedat quantitatem quatuor librarum bononinorum in mense pro quolibet eorum et ab ipso vel ipsis notariis sacramentum exigere debeant de solicite dilligenter et legaliter suum officium exercendo in hiis et circa ea que ad predictum officium spectant et pertinent. Qui notarius et notarii teneantur scribere quilibet in uno libro omnia et singula que sibi per dictos dominos vel maiorem partem eorum

⁶⁶ <qui pro tempore> *su rasura*.

⁶⁷ <erit bene> *a margine laterale sinistro*.

⁶⁸ <autem> *nel testo* auctem.

committerentur et parere debeant preceptis dictorum officialium et maioris partis ipsorum et eius scripturis et actis fides debeat dari et acribui sicut actis et scripturis officialium actorum ellectorum in consilio quatuormilium. Habeant autem predicti officiales in omnibus et singulis suprascriptis et in hiis et circa ea que spectant et pertinent ad predictum eorum officium et in choherentibus et connesis arbitrium accipiendi, mandandi, pronunciandi et exequendi in omnibus et singulis predictis et in hiis que ad ipsorum et cuiuslibet eorum officium spectant et pertinent. Ita tamen quod non possint aliquem multare et ultra quantitatem decem librarum bononinorum pro qualibet vice, sed ab inde infra, nec compellere quem ad vendendum vel vendi faciendum furmentum quo indiget pro se et familia sua pro uno anno. Et si ipsi domini officiales in aliquo discordaverint circa pertinentia ad eorum officium stetur prout declaraverint domini anciani et ab eorum sententiis et preceptis in predictis et circa predicta non possit appellari, proclamari vel de nullitate opponi vel in integrum restitutio peti. Possint que cum putaverint expedire facere describi omnia et singula furmenta, fabas et omnia blada et victualia existentia in civitate, comitatu vel districtu Bononie et nomina et prenomina habentium predicta blada et victualia et de comitatu et partibus comitatinis in civitate venire et portari facere. Et dominos predictorum bladum et victualium in civitate et comitatu cogere ad vendendum et ad ipsa blada mittendum in Campo Fori et alibi ubicumque eis usum fuerit pro eo precio quid ipsi declaraverint et ordinaverint salvis tamen suprascriptis.

Valeant etiam et possint convenire et patisci cum quibuscumque non bannitis vel non prohibitis stare vel habitare in civitate vel comitatu Bononie volentibus apportare predicta blada vel de predictis bladis vel aliis victualibus ad civitatem vel comitatum Bononie prout vel sicut ipsis vel maiori parti ipsorum videbitur convenire.

Item possint molituras bladum que moliuntur in civitate Bononie et omnia et quecumque blada que spectarent ad dictum comune temporibus congruis vendi facere, ita tamen quod omnem pecuniam tempore venditionis faciant assignari depositario generali dicti comunis de hiis que ad comune spectant.

Item possint assignari facere gratis granaria comunis Bononie cuicumque conducenti ad civitatem Bononie de extra comitatum aliqua blada.

Et possint dicti officiales dare licentiam cuilibet non bannito vel non rebelli quod possit portare vel conducere in civitatem vel comitatum Bononie animalia cuiuscumque generis vel maneriy et apportare vel conducere vel conduci facere//

[c. 42v]

carnes cuiuscumque generis et maneriy et in quibuscumque locis dummodo congruis in civitate Bononie illas vendere et vendi facere pro congruis vel declaratis preciiis per ipsos officiales et hii quibus data fuerit talis licentia per dictos non possint tempore quo habuerit licenciam inquietari vel molestari in personam vel rebus quas positarent pro victualibus ad civitatem vel comitatum Bononie pro debito singularis persone.

Item possint licentiam dare cuicumque non bannito vel non rebelli apportandi ad civitatem Bononie quecumque victualia et res et ipsas res et victualia vendi et vendi faciendi et alienandi et alienari faciendi.

Item debeant providere quod temporibus congruis sint pisces et copia piscium recentium et sicorum cuiuscumque maneriy et quarumcumque aliarum rerum ad artem piscarie pertinentium in civitate Bononie pro precio et preciiis competentibus, etiam faciendo quod cuilibet liceat vendere pisces, gambaros et quecumque allia⁶⁹ in aquis nascentia in civitate Bononie et in quibuscumque locis. Et possint prohybere quod

⁶⁹ <allia> di seguito sul margine laterale destro.

nullus pischator possit habere capsam, scrignum, mastellos vel vivarium in civitate vel comitatu Bononie in quo seu quibus possit habere et reptinere pisces in conservatione maxime pro revendendo pro carestia faciendi. Et quod omnes pisces qui apportantur ad civitatem Bononie incontinenti cum sunt ad locum pischariarum debeant poni et exponi ad vendendum super bancis pischariarum deputatis ad vendendum pisces. Et quod nullus in civitate Bononie possit retinere pisces in aliquibus cistis, paneriis, mastellis vel vasis, sed solum super bancis ipsorum pisces vendentium penis arbitrio predictorum officialium imponendis.

Item possint providere quod lignorum, feni et straminis sit copia in civitate Bononie, etiam faciendo quod non sint qui emant ea pro revendendo et faciendo quod omnia ligna, fenum et stramen, que apportarentur vel conducerentur in civitatem Bononie super saligatis fratrum minorum et Strate Maioris et Campo Fori non possint inde removeri, nisi sint vendita et non possint reponi per eundem qui conduxerit, neque ad ipsius postulationem.

Item possint providere et prohybere quod aliqua ligna victualia et spectancia ad victum, ex usum et vestituum non possint portari, nec extrahy de comitatu Bononie. Et in hoc possint officiales ad et super adventum constituere et ipsis assignare de hiis que reperirentur apportari vel extrahy extra comitatum Bononie pro eorum libito voluntatis si ea bona ceperint et ipsis officialibus presentaverint.

Item possint in predictis et circha predicta et quolibet predictorum quecumque precepta et mandata, banna et preconia mittere per civitatem et comitatum Bononie et penas contrafacientibus imponere predictorum arbitrio et etiam multas imponere in pertinentibus ad eorum officium, dum tamen pena non excedat quantitatem decem librarum bononinorum.

Item possint sibi elligere unum et plures famulos et nuncios publicos et secretos quod ipsorum et cuiuslibet ipsorum officio exercendo et executioni mandando quibus nunciis et famullis in ipsorum relationibus detur plena fides in predictis et circha predicta ad dictum officium pertinentia si iuraverint predicta vera esse//

[c. 43r f. XXXIII]

que referent quibus nuntiis et familiaribus debeat solvi quid per dictos officiales fuerit declaratum, salvo semper si fides fieret in contrarium.

Item in predictis et circha predicta possit quilibet ipsis officialibus accusare et denunptiare quamcumque personam facientem contra predicta vel aliquid predictorum et eidem possit fides adhiberi, si iuraverit vera esse que continentur in accusatione vel denunptiatione cum fide unius ydoney testis et eorumque possint teneri nomen in secreto si velint. Et possint dicti officiales contra omnes et singullos in predictis vel aliquo predictorum culpabiles inquirere et procedere omni iuris et statutorum solempnitate obmissa et ipsos condempnare eorum arbitrio considerata qualitate facti et conditione persone, dum tamen pecuniariter tantum et quod pena non excedat librarum decem bononinorum.

Teneantur autem potestas et capitaneus et cuiuslibet eorum vicarii et eciam vicarii et capitanei comitatus Bononie et quilibet alius officialis comunis Bononie tociens quociens fuerint requisiti a predictis officialibus pro predicto eorum officio exercendo ipsis officialibus dare per se et eius iudices et famulos auxilium, consilium et favorem pro executioni mandando disposita et ordinata per ipsos et etiam pro observatione omnium et singulorum predictorum, sub pena et ad penam librarum quingentarum bononinorum pro quolibet officiali predicta facere obmittente⁷⁰ eidem auferenda de facto tempore sui sindicatus.

⁷⁰ <obmittente> *corregge* obmittentes.

Dicientes quod omnes et singuli carezatores et caraterii habitantes in civitate Bononie vel guardia dicte civitatatis teneantur parere mandatis dictorum officialium in⁷¹ spectantibus ad ipsorum officium.

Et habeant predicti officiales pro eorum salario sex libras bononinorum pro quolibet eorum quolibet mense de condempnationibus quas fecerint et non de alia pecunia comunis Bononie quid quidem salarium, sine alia buleta solvi debeat eis per eum, qui pecunias ipsarum condempnationum receperit et similiter salarium dictorum nuntiorum de dicta pecunia condempnationum solvatur modo supradicto et non aliter.

Item habeant arbitrium dicti officiales omnium iuris et nostrorum statutorum solempnitate obmissa inquirendi et procedendi contra omnes et singulos fornarios et panichochohos male quoquentes panem quibuscumque habitantibus in civitate Bononie vel aliquem alium defectum circha panem predictum committentes quos fornarios pro talibus defectibus vel aliquo ex eis predicti officiales punire possint de facto usque ad quantitatem trium librarum bononinorum ad plus pro quolibet defectu. Et de predictis credatur domino panis sacramento prius per eum prestito coram dominis officialibus si talis iurans fuerit homo⁷² bone conditionis et fame de quo stetur declarationi dictorum dominorum officialium. Et teneatur quilibet fornarius de predictis defectibus pro se et quolibet de familia sua.

Item habeant arbitrium dicti officiales omnium iuris et statutorum solempnitate obmissa procedendi per acusationem et inquisitionem etiam ex eorum officio contra omnes et singulos molendinarios et victurales quomodolibet delinquentes in eorum ministerio. Et possint quemlibet eorum delinquentium condempnare, multare et punire suo arbitrio, dum tamen pena vel multa non excedat quantitatem decem librarum bononinorum. Et cuilibet de predictis molendinariis seu victuralibus conquerentibus cum sacramento credere possint//

[c. 43v]

ipsi officiales si eis videbitur, inspecta qualitate facti et conditione persone talis conquerentis et iurantis. Statuentes quod ubi officiales predicti dictum officium actualiter non exercerent, cognitio et punitio predictorum spectet ad dominum potestatem Bononie.

[32] De offitio dominorum provisorum munitionis et custodie civitatis Bononie et castrorum, roccarum et fortiliarum comunis Bononie et suorum notariorum.
[cc. 43v-45v]

Hac provida santione decernimus quod provisos predicti sint et esse debeant sex boni homines cives Bononie quorum offitium duret tantum de tribus mensibus in tres menses et extrahantur ad dictum officium illi qui sunt scripti et imbalotati pro provisoribus de tempore in tempus per tres dies ante finem officii antiquorum provisorum quorum officium finiri debet. Item providemus quod ante finem officii provisorum imbalotatorum debeant fieri nove ellectiones dominorum provisorum pro uno anno vel pro maiori tempore si fieri deliberatum fuerit per dominos ancianos et confalonerios et massarios artium, qui pro tempore fuerint et fieri debeant quatuor balote provisorum pro singulis annis vel plures si pro maiori tempore fient in quarum quelibet sint scripti in carta membrana sex boni homines cives Bononie. Que novem ellectiones et balote fiant et fieri debeant tempore quo fient balote dominorum ancianorum vel confaloneriorum. Qui provisos ante inicium dicti eorum officii iurare teneantur corporaliter ad sancta Dey evangelia in manibus alterius ex dominis ancianis

⁷¹ <in> in infralinea con segno di rinvio.

⁷² <homo> segue bonus espunto.

vel sui cancellarii de ipsorum officio bene, legaliter et solícite exercendo pro utilitate et conservatione presentis status popularis et libertatis dicti populi et omni fraude cessante, remotis odio, amore, timore, prece et precio et omni humana gratia. Sit autem ipsorum provisorum officium circa custodiam dilligentem fiendam et fieri curandam in civitate Bononie portis, muris, castris, rochis et fortiliciis ubicunque sitis et positis in civitate, comitatu et districtu Bononie et circa reparationem murorum et palancati dicte civitatis. Et quod in palacio habitationis dominorum ancianorum sint baliste et veretones et alie munitiones utiles et neccesarie pro defensione dicti palacii. Et quod maxime in massaria comunis Bononie sint baliste, veretones, crochi, bombarde et turli et alie munitiones neccesarie ad sufficientiam pro fulciendo castra, rochas et fortilicia comunis Bononie et circa conservationem et reparationem gradarum de ferro vel de lignamine que sunt dicti comunis in civitate predicta. Et in faciendo fieri reparari et fulciri veltreschas et torchios et barachanos circhum circha civitatem Bononie. Et in faciendo fulciri circhum circha muros dicte civitatis in copia de lapidibus et codalis. Et in faciendo fieri rostas tam intus civitatem Bononie quam extra, ubi et prout expedire videbitur. Et in faciendo cavari et reparari et fortificari aqueductus et canale Reni intus et extra civitatem in qualibet parte neccesaria, nec non foveas civitatis fodi et reparare facere et in quantum deliberatum fuerit per dominos ancianos et conscilia opportuna in ipsas foveas aquam conducere et conduci ordinare et in eis manuteneri pro tutela civitatis. Et quod in ipsis castris, rochis et fortiliciis et quolibet ipsorum sint munitiones opportune. Et procurent quod omni modo castelani rocharum et fortilitiorum comunis Bononie et principales custodes dictorum fortiliciorum dicti comunis et capitanej portarum civitatis Bononie ydonee satisdent secundum formam nostrorum statutorum. Et fideiussiones et securitates per ipsos provisos recipiantur et approbari debeant per approbatores comunis Bononie vel prout in nostris statutis continetur. Pro quibus satisfactione securitate et fideiussione si fuerit mille//

[c. 44r f. XXXIII^{or}]

florenorum auri solvant ipsi capitanei castelani et quilibet eorum ad plus approbatoribus decem solidos bononinorum. Et si fuerit de maiori quantitate quantacunque fuerit quantitatis solvant ipsi castelani vel capitanej predicti et quilibet eorum viginti solidos bononinorum ad plus ipsis approbatoribus. Notarius vero qui fuerit rogatus de ipsa fideiussione, securitate et satisfactione et approbatione predicta recipiat⁷³ medietatem eius quod solvi debet approbatoribus et non ultra. Et possint et debeant facere dari balistas, veretones, panes de sepo, bombardas et alias munitiones officialibus comunis Bononie deputatis et deputandis ad custodiam cuiuscumque castris, roche, porte vel fortilicii prout crediderint convenire pro utilitate dicti comunis. Ac etiam teneantur dari facere panes de sepo potestati Bononie et capitaneo populi Bononie et aliis personis quibus sibi videbitur pro neccessitatibus dicti comunis et pro utilitate ipsius comunis Bononie. Et singulis confaloneriis civitatis Bononie et alia eis confaloneriis, neccesaria durante eorum officio. Et teneatur massarolus comunis Bononie et ingignerii dicti comunis obedire predictis provisoribus et eorum mandatis fiendis in hiis et pro hiis que spectant ad eorum officium et ad instanciam dictorum provisorum vel maioris partis eorum habita buleta pro eorum parte scripta eorum notarii manu et sigillata eorum sigillo dare ipse massarolus balistas et veretones, panes de sepo, candelas, lanternas et alias munitiones illis personis quibus providerint vel mandaverint ipsi provisos vel maior pars eorum. Nec non facere et expedire laboreria quecumque ubique neccesaria pro conservatione rerum et hedificiorum dicti comunis. Item teneantur facere et curare iusta posse quod in civitate Bononie sint ad minus duo qui faciant,

⁷³ <recipiat> *corregge* recipiant.

teneant et habeant continue maximam quantitatem panium de sepo. Et quod fiant boni panes et tot habeant quod saltem postquam facti sunt ipsi panes deinde ad unum mensem non sint necessarii nec comburantur, nisi mense elapso. Et componant cum illis qui facient panes ipsos de precio et modo prout melius et utilius pro comunis Bononie crediderint convenire. Possint etiam dare modum et formam faciendi custodias in civitate Bononie et declarare que persone teneantur et que non teneantur ad ipsas custodias et quod dicta custodia⁷⁴ deliberare et ordinare quemlibet modum magis aptum et portabillem per quemcumque. Declarantes quod scolares cives Bononie vel forenses, studentes in iure civili vel canonico vel medicina vel artibus qui continuant lectiones intrando diebus quibus legitur et etiam doctores iuris civilis vel canonici vel medicine vel alterius scientie seu facultatis nullo modo teneantur per se vel alium facere vel fieri facere custodias in civitate predicta de die vel de nocte, nec ad solvendum occaxione dictarum custodiarum. Et quelibet apuntatura facta vel fienda occaxionibus predictis de dictis doctoribus vel scolaribus vel aliquo vel aliquibus eorum libere et impune possint et debeant tolli et cançellari de quibuscumque libris et scripturis sive fuerint ad discum Ursii sive non. Et occaxionibus predictis ipsi doctores et scolares non possint molestari vel gravari. Ad confalones tamen temporibus debitis quando omnes de confalone sequi tenerentur confalonem ex forma nostrorum statutorum omnes predicti cives trahere et esse in civitate Bononie teneantur. Item procurent et faciant quod quelibet circula seu porta dicte civitatis clausa sit coperta de cupis vel lapidibus et⁷⁵ quod supra eam sit campana que pro necessitatibus possit pulsari. Item quod iusta quamlibet portam civitatis predictæ, clausam vel apertam et iuxta sarasinischam et ad Fiachalcollum prope murum civitatis Bononie//

[c. 44v]

sit aliqua domus vel aliquid copertum sub quo stare possint illi qui erunt pro faciendo custodias de nocte vel de die maxime tempore pluvie. Item possint providere de voluntate et conscientia dominorum ancianorum confaloneriorum et massariorum quod fiant roste fovee, tagliate vel alie reparationes in comitatu, districtu vel guardia civitatis Bononie pro defenssione et fortificatione status civitatis et comitatus Bononie et ne homines animalia inverecondiam comunis et populi Bononie valeant sic defacili capi. Item teneantur ordinare et facere cum effectu quod omni modo recuperent et recuperari faciant omnes et singulas munitiones et etiam res dicti comunis que fuerunt ablate de mense marcii milesimi trecentesimi septuagesimi sestis de castro quid erat prope portam sancti Felicis et muros dicti comunis et etiam res dicti comunis Bononie que erant in civitate Bononie vel alibi ubicumque essent. Et in hoc habeant arbitrium procedendi, condemnandi et puniendi ac realiter et personaliter quemlibet compellendi pro investigatione et executione et recuperatione predictorum. Et potestas et capitaneus populi et quilibet predictorum ad requisitionem ipsorum teneantur in predictis eidem prestare ausilium, conscilium et favorem. Et etiam teneantur facere et curare cum effectu quod omnes et singuli qui habuerunt de balistis, veretonibus, bombardis, balotis, armis et munitionibus et feramentis cuicumque maneriey dicti comunis ipsas et ipsa omni modo reddant et consignent massarolo comunis Bononie vel alibi ubi ipsis provisoribus videbitur et instare debeant cum domino potestate Bononie vel domino capitaneo populi quod dictis de causis et qualibet earum contra predictos et quemlibet predictorum procedat summarie et sine figura iudicii et sola veritate inspecta et culpabilles repertos cogat ad predicta realiter et personaliter et puniat prout equum fuerit. Et teneantur dicti officiales pro dicto eorum officio exercendo se congregare et stare simul singulis diebus,

⁷⁴ <et quod dicta custodia> *ditto grafato*.

⁷⁵ <et> *in infralinea con segno di rinvio*.

horis et temporibus congruis in camera magna inferiori que est in curtile palacii dictorum dominorum ancianorum et ipsum officium bene, solícite et dilligenter et bona fide exercere et facere et fieri facere incombencia suo officio et maxime in providendo quod quelibet res assignate vel in fucturum assignande pro munitionibus alicuius castrí, fortílicii vel roche debeant scribi cum earum qualitatibus, ponderibus et circumstanciis, ac etiam bullari bulla seu stampa comunis Bononie, ita quod nullatenus comune Bononie possit defraudari de dictis rebus assignatis vel assignandis. Et quod illi quibus fuerint assignate teneantur reddere rationem ad voluntatem dictorum dominorum provisorum ipsis provisoribus vel alteri cui comiserint. Item teneantur ipsi provisos mandare et providere et per modum sufficientem indagare quod ad constructionem seu reparationem murorum civitatis Bononie pro salute civitatis et civium predictorum procedatur prout deliberatum fuerit per dominos ancianos comunis Bononie et dominos confalonerios et massarios. Item etiam teneantur toto posse facere et procurare quod divisiones murorum civitates que sint facte vel fiende per capellas civitatis Bononie reducantur clare in scriptis in cartis membranís et clare ad camaram actorum comunis et populi Bononie expensis capellarum predictarum pro rata. Et similiter divisio fovearum dicte civitatis. Et quod in ipso libro clare et aperte appareat, que capelle fecerunt et compleverunt murum pro sua rata et ita quod cetera capelle faciant et perficiant suam partem muri et pro rata cuiusque capelle. Item quod quelibet capella habeat in muro civitatis Bononie lapidem in quo sit sculpitum quot pertichas et pedes muri talis capella habet pro conservando palanchatum vel murum. Et quod ipse capelle reparent et// [c. 45r f. XXXV]

fortificent suam partem palanchati et muri. Et quod lapides et codales quelibet capella ad sufficientiam conduci faciat ad et prope dictos muros ad partem muri que ipsam capellam tangit. Insuper provideant quod ad custodiam alicuius porte civitatis vel alicuius castrí vel roche seu fortílicii comitatus vel districtus Bononie non possit elligi, scrupituarí, micti, ire, teneri vel stare maxime pro capitaneo vel vicario castelano vel custode aliquis, qui sit bannitus de civitate et comitatu Bononie pro aliquo malefficio vel qui fuerit rebellis comunis Bononie contra statum popularem civitatis Bononie et libertatis dicti populi. Nec aliquis qui fuerit vel sit de ipso castro vel curia, nec aliquis qui sit habitator cum sua familia ipsius talis castrí, nec aliquis minor vigintiquinque annis. Et in pertinentibus ad ipsorum officium conferre debeant cum dominis ancianis quando et ut eis videbitur et etiam cum eis deliberare de hiis que sibi videbuntur expedire. Prohybemus autem ipsis officialibus aliquid petere vel recipere quoquo modo etiam a sponte dare volente ab aliqua persona vel comunitate occasione officii ipsorum, sub pena quadrupli eius quod receperint et privationis officii. Et quia plerumque pro reparatione palanchati vel muri civitatis Bononie ac beltrescharum, barachonorum et coritorii quod est supra muros dicte civitatis vel occasione fovearum dicte civitatis vel occasione alicuius roste fiende intus vel extra civitatem predictam et occasione custodiarum et similium causarum oritur⁷⁶ questio an expensa sit solvenda per dominum domus vel habitatorem in domo seu inquilinum et per quos et an fumantes teneantur conferre ad predicta et facere custodias. Statuimus et declaramus quod quocienscumque contigerit quod per capellam aliquam vel per homines alicuius capelle debeat fieri aliqua expensa ex causis suprascriptis vel aliqua ipsarum quod ipsa expensa debeat solvi pro rata per quemlibet habitantem in ipsa capella in domo propria vel conducta expensis habitantis in domo, sive habitans sit civis Bononie, sive fumans comitatus Bononie, sive forensis exceptis scolaribus forensibus publice intransibus ad suas lectiones continuato tempore et stipendiariis dicti comunis habitantibus in aliena domo. Qui scholares et

⁷⁶ <causarum oritur> *su rasura*.

stipendiarii pro predictis nichil solvere teneantur, sed ille cuius erit domus in qua habitat ipse scholaris vel stipendiarius vel in qua nullus habitat, solvere ratam suam teneatur pro ipsa tali domo in qua nullus habitat vel in qua habitaret aliquis talis scholaris vel stipendiarius, nisi dominus domus in eadem capella vel in alia habitet et solvat. Et quod omnes et singuli habitatores in aliqua capella civitatis Bononie vel in capellis que sunt extra civitatem vel in burgis dicte civitatis cives vel forenses et etiam fumantes comitatus Bononie pro tempore quo habitaverint in civitate predicta vel in aliqua ex dictis capellis teneantur facere vel fieri facere honera supradicta et quodlibet predictorum. Et etiam custodias in dicta civitate prout sibi fuerit invinctum pro parte officialium comunis Bononie. Et similiter teneantur ad omnia honera personalia ipsi cives et fumantes predicti pro tempore et temporibus quo et quibus habitaverint vel residenciam fecerint in civitate predicta vel in aliqua ex dictis capellis. Idem in expensis fiendis pro reparatione fovearum civitatis Bononie. A predictis excipimus dictos scolares et stipendiarios preterea quia consuevit iurgium esse an dicte expense sint imponende personis an domibus. Declaramus quod quilibet habitans cum sua familia in aliqua domo solvere teneatur ut supra ratam sibi impositam per homines capelle in qua habitat sive fuerit imposita⁷⁷ persone sive rebus. Officium vero notarii dictorum provisorum sit quod singulis diebus et horis et congruis temporibus sit continue ad dictum locum in quo esse debent dicti provisores pro dicto officio exercendo et scribere debeat omnia et singula agitanda//

[c. 45v]

et fienda coram eis vel de eorum mandato occaxione dicti officii. Et parere teneantur ipsis provisoribus et maiori parti eorum in pertinentibus ad eorum officium securitates autem et fideiussiones et promissiones a castelanis vel custodibus vel capitaneis prestande scribantur in publicam formam per dictum notarium et ponantur ad camaram actorum comunis Bononie infra unum mensem a die depositi officii provisorum quibus fuerint prestite dicte fideiussiones, securitates et promissiones. Et habeat dictus notarius pro suo salario a comuni Bononie quolibet mense durante suo officio libras tres bononinorum nisi aliter circa dispositionem presentis statuti electionis officii familie et salari per dominos ancianos fuerit provisum⁷⁸.

[33] De electione et officio generalis depositarii⁷⁹ pecuniarum averis comunis Bononie. Rubrica. [cc. 45v-47r]

Cupientes quod pecunia et avere comunis Bononie custodiatur et expendatur utiliter statuerunt et firmaverunt quod anno quolibet in consilio quatuormilium comunis et populi Bononie solepniter elligantur depositarii generales pecunie et averis comunis Bononie videlicet, tres pro primis sex mensibus et tres pro secundis sex mensibus etatis ad minus tregintaquinque annorum. Et qui ex primis obtinuerint in scrupitino per duas partes fabarum albarum et vorum secundum formam nostrorum statutorum sit depositarius pecunie et averis comunis Bononie pro primis sex mensibus. Et qui ex secundis tribus obtinuerint in scrupitino ut supra sit depositarius pro secundis sex mensibus, nisi circa electionem dicti depositarii aliter provideretur per dominos ancianos et colegia opportuna de quibus due partes saltem sint in concordia. Que scrupitina fieri debeant per dominos ancianos comunis Bononie una cum dominis confalonariis et massariis artium dicte civitatis et secundum formam nostrorum

⁷⁷ <imposita> *di seguito sul margine laterale destro.*

⁷⁸ <tionis officii familie et salari per dominos ancianos fuerit provisum> *a margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

⁷⁹ <depositarii> *corregge depositario.*

statutorum. Et quilibet ex dictis depositariis, qui in scrupitio obtinuerit ut supra et plures fabas albas habuerint, teneantur ante initium et introytum sui officii satisfacere et securitatem de decem millibus libris bononinorum prestare comuni Bononie seu procuratori dicti comunis vel aliis secundum formam nostrorum statutorum pro ipso comuni recipientibus per duos ex aprobatoribus comunis Bononie aprobendam de eius officio bene et legaliter operando. Et secundum formam sui officii et sua ratione reddenda et de reliquis consignandis comuni Bononie vel successori suo in officio. Et de conservando comune Bononie sine dampno. Qui etiam hoc iurare corporaliter teneatur. Cuius depositarii officium durare debeat tantum per sex menses et in eo directe vel indirecte refirmari non valeat, nec possit dictum tempus prorogari. Item providerunt quod omnes introytus comunis Bononie cuiuscumque conditionis et quacumque de causa perveniant et pervenire debeant ad ipsum depositarium generalem quos introytus recipere teneatur ipsosque et omne designandum eidem occasione dicti officii custodire et salvare legaliter et bona fide ad utilitatem comunis Bononie teneatur. Et quod quilibet qui fuerit depositarius dicti comunis ipsum officium exercere possit dumtaxat per se et cum suis notariis et coadiuctore in domo comunis Bononie que appellatur massaria comunis Bononie, sub pena mille librarum bononinorum comuni Bononie applicanda. Et nichilominus in dicto loco tantum ipsum officium exercere et exerceri facere teneatur. Et quod aliquid de dicta pecunia ultra expensas ordinarias non expendat, nisi de consensu et precepto dominorum ancianorum comunis Bononie de quo constet ex publica scriptura manu alterius ex notariis dictorum dominorum ancianorum continente expensse causam dicti precepti et solutionis sive expense eius vigore fiende, nisi forte subesset iusta causa ex qua deberet illud in secreto teneri, facto prius partito inter ipsos ad fabas albas et nigras et obtento legitime inter ipsos. Et sigillato sigillo parvo dictorum dominorum//

[c. 46r f. XXXVI]

et non aliter quoquo modo. Que precepta ad fidem predictorum penes dictum depositarium debeant remanere. In solutionibus tamen faciendis pro reparatione et munitione fortilitiarum comunis Bononie hoc plus requiratur videlicet, quod primo fiat provisio dominorum qui pro tempore fuerint officio munitionis castrorum et ipsorum buleta. Demum fiat buleta dominorum ancianorum, nisi forte subesset aliqua causa, necessitatis ardua, quo casu sufficiat mandatum dominorum ancianorum scriptum ut supra. Et in solutionibus fiendis stipendiariis, equitibus vel peditibus comunis Bononie et castelanis rocharum et fortilitiarum et capitaneis portarum civitatis Bononie ac potestati Bononie capitaneo populi Bononie et doctoribus in quacumque facultate legentibus in Studio Bononie ac quibuscumque aliis officialibus comunis Bononie et pro aliis expensis ordinariis servetur modus consuetus. Et fiant bulete per notarios ad hoc deputatos, qui elliguntur in consillio quatuormilium cum subscriptione alterius ex defensoribus averis et cum sigillo parvo dictorum dominorum ancianorum. Possit etiam et teneatur solvere pretium cuicumque vendenti sal comuni vel granum si foret expediens secundum formam emptionis facte pro dicto comuni Bononie de ipso sale vel grano. Et etiam alias expensas quas circa conductam salis vel grani fieri occurrerit iusta declarationem et mandatum dominorum defensorum predictorum. Item possit et debeat de omni pecunia generali introytus comunis Bononie expendere et expensarum solutionem facere, que fieri occurrerent pro munitione et fortificatione civitatis et constructione ac reparatione murorum, portarum, palatiorum et aliorum quorumcunque laborerorum comunis Bononie in civitate vel burgis de mandato et provisione predictorum dominorum ancianorum et dictorum defensorum averis. Mandantes quod ipse depositarius teneatur facere solutiones secundum formam dictarum boletarum. Teneatur etiam ipse depositarius omnes introytus predictos et expensas de eis ut dictum

est fiendas ordinate et clare et aperte scribi facere per notarium contralactorem, qui elligatur in dicto consilio et per notarium quem ipse depositarius elligerit. Debeat etiam ipse depositarius non requisitus singulis duobus mensibus tempore sui officii deliberate videre et examinare quam melius fieri poterit omnes introitus ad eius manus perventos et expensas de eis factas et de eisdem introitibus et expensis clare et aperte rationem ostendere deffensoribus averis de qua ostensione et examinatione rationis vice qualibet fieri debeat per unum ex notariis dictorum deffensorum publicum instrumentum. Que rationes etiam videri debeant per duos alios prudentes et expertos viros elligendos per dominos ancianos et confaloneros et massarios artium seu maiorem partem ipsorum si et quando eis videbitur expedire. Possitque ipse depositarius sibi elligere et assumere pro dicto officio sufficienter exercendo unum bonum et fidelem notarium civem civitatis Bononie, non prohibitum elligi ad officia comunis Bononie et unum bonum coadiuctorem et plures pro pecuniis numerandis et discernendis. Qui notarius una cum contralactore electo ad breviam in dicto consilio ad dictum officium possit operari ipsum dum tamen non consenciat vel permittat idem depositarius alicui notario qui erit ad officium operandum aliquid percipere petere vel habere ab aliquo ratione dicti officii scripturarum vel pro cartesellis in eo fiendis ultra salarium ordinatum eisdem, nisi in quantum foret aliter ordinatum//

[c. 46v]

vel tassatum per opportuna consilia. Et possint ipsi notarii et notarius contralactor recipere de qualibet redemptione, quam faciet depositarius in favorem alterius quam comunis Bononie quatuor denarios pro qualibet libra eius de quo facta fuit redemptio et de qualibet cartesella, quam faciet alter ex dictis notariis de confessato vel recepto per depositarium ad petitionem vel in favorem alicuius dacia vel solutionis pro daciario recipere possint quantitates infrascriptas videlicet, si fuerit confessio quantitatis mille librarum bononinorum vel ab inde infra recipiant dumtaxat tres solidos bononinorum si vero fuerit a mille libris supra quantumque sit quantitas recipiant dumtaxat solidos sex bononinorum. Et dicta lucra dividantur in tres partes quarum una tertia pars sit depositarii alia tertia pars sit notarii contralactoris et notarii dicti depositarii, reliqua vero tertia pars sit deffensorum averis. Ita tamen quod si quis pecuniam comunis Bononie nomine receptam de aliquo dacio vel gabella cum erit in comuni vel aliunde solveret depositario pro cartesella vel confessione velolvere teneatur nec liceat quidem ipsi depositario salarium debitum notariis dicti officii persolvere si continue ad exercendum et prout eis iniunserit eos contingerit non morari. Teneatur etiam ipse depositarius quascumque solutiones per eum fiendas facere et fieri facere de pecunia comunis Bononie perventa ad manus eius non variando pecunias nec ullam fraudem faciendo recipientibus solutiones predictas, sub pena centum librarum bononinorum pro qualibet vice et omnia et singula facere teneatur et observare que pro utilitate dicti comunis videbitur ad eius officium pertinere. Habeat vero et habere debeat ipse depositarius et sibi liceat retinere pro suo salario et mercede totius dicti temporis et pro cartis tam pecudinis quam papirii pro scripturis et libris fiendis occasione dicti officii et pro dicto coadiuctore seu coadiuctoribus et dicto notario in summa quindecim florenos auri pro quolibet mense et ad rationem mensis. Finitoque tempore sui officii teneatur et debeat idem depositarius non requisitus omni exceptione et excusatione remota rationes omnium introitus ad eum perventorum et quarumcumque expensarum per eum factarum dilligenter clare et aperte reddere, ostendere et monstrare infra unum mensem post exitum sui officii deffensoribus averis, qui tunc erunt et etiam aliis duobus prudentibus et expertis iuris elligendis per dominos ancianos confaloneros et massarios artium vel maiorem partem ipsorum vel etiam durante eius officio ut supra et si et quando et quociens ipsis dominis ancianis videbitur expedire. Et requirere et sollicitare

teneatur omnino omnes defensores averis finito suo officio infra tres dies omni die sic et taliter quod infra mensem predictum omnes rationes officii predicti vise et chalcuate sint et in saldum reducte. Et ob hoc omnes libros et scripturas dicti officii penes dictos defensores dimittere, sub pena ipsi depositario negligenti in predictis vel aliquo predictorum mille librarum bononinorum pro qualibet vice. Et nichilominus ad predicta facienda realiter et personaliter per quemlibet officialem comunis Bononie compelli possit et debeat. Et etiam teneatur omne quid supererit de dictis introytibus vel superesse videbitur novo depositario successori suo integraliter dare et consignare ad omnem eius requisitionem infra dictum mensem, sub pena mille librarum bononinorum. Et nichilominus ad predicta omnino compelli debeat de facto ad//

[c. 47r f. XXXVII]

requisitionem predictorum defensorum vel dominorum ancianorum vel maioris partis eorum per dominum potestatem vel per dominum capitaneum populi ad que in presenti statuto contenta dictus dominus potestas et dominus capitaneus et quilibet eorum facienda et exequenda teneantur, sub pena quingentarum librarum bononinorum ab eis et quolibet eorum de facto auferenda si requisiti non fuerint vel fuerint executi predicta. Et nichilominus tabulam introytuum et expensarum et rationum predictarum in formam publicam in cartis pechudinis ad camaram actorum comunis Bononie dare et consignare teneatur dictus depositarius infra duos menses finito suo officio sub pena quingentarum librarum bononinorum comuni Bononie applicanda. Addicientes quod omnes qui aliquid comuni Bononie solvere tenerentur quacumque de causa solventes dicto depositario comuni Bononie solvisse intelligatur. Et qui semel fuerit depositarius generalis non possit inde ad bienium ipse vel eius coniunctus secum cohabitans esse directe vel indirecte depositarius generalis averis comunis Bononie. Et qui acceptaverit contra formam predictam vel cum sibi fuerit per aliquem notificatum statim ipsum officium non renunciaverit per publicum instrumentum incidat in penam mille librarum bononinorum solvendam comuni Bononie. Item quod quilibet alius depositarius et quilibet alius ad quem pervenerit de avere comunis Bononie finito suo officio infra decem dies requisitus vel non teneatur omnino reddere rationem omnium et singulorum receptorum de avere dicti comunis defensoribus averis comunis Bononie. Et libros seu tabullam rationum ipsarum ipsis defensoribus exhibere et penes eos dimittere ad eorum voluntatem et etiam duobus prudentibus et expertis viris elligendis per dominos ancianos confalonerios et massarios artium vel maiorem partem ipsorum, si et quando eis videbitur expedire ac eciam reliqua solvere et consignare teneatur generali depositario dicti comunis infra unum mensem, sub pena ducentarum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et nichilominus predicta facere teneatur et ad ea facienda compelli debeat per dominum potestatem Bononie vel aliquem ex suis iudicibus, qui de hoc fuerit requisitus sub pena predicta. Curet autem ipse depositarius toto posse quod contralator comunis Bononie scribat in eius rationibus omnes quantitates pecuniarum perventas ad manus dicti depositarii et omnes quantitates pecuniarum quas continget dictum depositarium solvere alicui de die in diem et hora in horam prout receperit dictus depositarius et solverit scribendo sub suis mensibus et diebus et causam predicte perventionis et solutionis. Et predicta omnia facere et observare teneatur, sub pena librarum trecentarum bononinorum in casibus in quibus alia pena non esset imposita ex forma nostrorum statutorum. Insuper statuimus quod dictus depositarius non possit facere aliquam solutionem alicuius quantitatis quacumque de causa ultra decem librarum bononinorum nisi in moneta bononina vel ancontana argentea vel aurea, si auream voluerit recipere debens. Si vero fuerit fienda solutio de quantitate decem librarum bononinorum vel ab inde infra quacunque de causa possit

solvere medietatem in bononinis parvis et reliquam medietatem in moneta argentea vel aurea ut supra et cetera.

[34] **De electione et officio contralactoris et de officio notarii depositarii.**
Rubrica. [cc. 47r-48r]

Statuimus quod singulis annis tempore generalis electionis officialium comunis Bononie in consilio quatuormilium elligantur tres boni et ydonei et experti notarii ad officium contralactoris pro primis sex mensibus et tres pro secundis sex mensibus//
[c. 47v]

etatis ad minus treginta annorum et qui eorum electorum pro primis sex mensibus fuerit approbatus in scriptinio fiendo per dominos ancianos comunis Bononie et dominos confaloneros et massarios artium secundum formam statutorum sit et esse intelligatur contralator pro primis sex mensibus. Et qui ex dictis electis pro secundis sex mensibus fuerit approbatus in dicto scriptinio sit et esse intelligatur pro secundis sex mensibus. Et qui fuerit electus pro primis sex mensibus, possit eligi pro secundis. Et alius qui fuerit electus pro secundis⁸⁰ possit eligi pro aliis sex mensibus dum tamen scriptinuetur et approbetur ut supra. Ita tamen quod idem in dicto officio electus et approbatus dictum officium continue ultra annum exercere non possit, sed debeat vacare ut infra. Et si contrafactum fuerit non teneat electio ipso iure nec etiam quicquid inde vel ex eo secutum fuerit, nec possit contra formam predictam dictum officium exercere per se vel alium, sub pena ducentarum librarum bononinorum. Qui contralator una cum notario quem sibi suis expensis elligerit depositarius generalis comunis Bononie et quilibet eorum durante suo officio teneatur singulis diebus et oris quibus depositarius predictus stabit et stare debeat ad dictum officium depositarie exercendum venire et stare cum eo sollicite et atente in loco consueto et introitus et expensas comunis Bononie scribere clare et aperte scribendo in qua moneta fuerit facta solutio dicto depositario et per ipsum depositarium sub mensibus diebus et titulis ordinatis et de solutionibus fiendis cartesellas cuicumque petenti dare recipiendo pro eis solum quantitates taxatas secundum formam statuti precedentis loquentis de talibus cartesellis et ultra vel aliter nullo modo possint percipere vel habere etiam a sponte dare volentibus, sub pena decem florenorum auri pro qualibet vice. De aliqua vero confessione fienda per aliquem creditorem comunis Bononie nichil possint percipere vel habere, nec etiam de aliquibus cartesellis fiendis de aliquibus solutionibus que fierent depositario aliquas quantitates recipienti nomine comunis Bononie. Et notarius a depositario electus finito suo officio libros vel tabulam introitus et expensarum quos et quas scripserit in formam publicam, etiam in cartis de papiro facere et dare depositario si hoc peccerit teneatur. Ita quod illos vel illam possit in camaram et penes camaram actorum consignare et dimittere infra terminum ordinatum. Quibus libris tam contralactoris quam notarii et cuiuslibet eorum plena fides adhibeatur et detur. Et quod scripturis dicti contralactoris et dicti notarii et cuiuslibet eorum plena fides adhibeatur et detur in hiis que spectant ad eorum officium etiam si testibus careant vel aliis solempnitatibus viris. Et omnia et singula facere et exercere teneantur ipsi notarii et quilibet eorum, que ad eorum officium quomodolibet pertinerent et a prohibitis omnibus et illicitis totaliter abstinere. Habeat autem dictus contralator pro suo salario libras octo bononinorum pro quolibet mense durante suo officio de pecunia comunis Bononie. Et quod omne lucrum quid eis obvenerit ratione officii inter eos dividatur secundum formam statuti precedentis dictus vero notarius per depositarium elligendus nil a comuni Bononie recipere debeat pro salario. Et teneatur contralator in libro zornalis scribere

⁸⁰ <secundis> *segue non espunto.*

omnes et singulas quantitates pecuniarum reccipiendarum et in qua moneta fuerit facta receptio vel solutio quibuscumque de causis per depositarium generalem comunis Bononie. Et similiter omnes et singulas pecuniarum quantitates et quantitatem earum solutam per dictum depositarium de die in diem et hora in horam prout receperit dictus depositarius et solverit. Item teneatur facere libros ordinatos cum inttultatione et subscriptione debita//

[c. 48r f. XXXVIII]

quorumcumque introytuum et expensarum comunis Bononie. Et ipsos libros penes se reptinere nomine dicti comunis, ac ipsos presentare tociens quociens fuerit requisitus dominis ancianis populi et comunis Bononie vel defensoribus iurium et averis comunis Bononie vel aliis quibus domini anciani committerent. Item teneatur finito suo officio infra duos menses fecisse et scripsisse tabulam ordinatam in cartis membranis quorumcumque introytuum et expensarum dicti depositarii et ipsam deponere ad camaram actorum comunis et populi Bononie. Et predicta omnia facere et observare teneatur, sub pena vingintiquinque librarum bononinorum pro qualibet vice.

[35] De electione deffensorum averis populi et comunis Bononie et eorum officio. Rubrica. [cc. 48r-49r]

Ad hoc ut avere comunis Bononie indebite non expendatur et iura eiusdem conserventur et manuteneantur, volumus quod quolibet anno in consilio quatuormilium vadant tria brevia pro electione defensorum averis et iurium comunis Bononie pro primis sex mensibus incoandis in kalendis mensis ianuarii dicendo in quolibet ditorum trium brevium electione unius defensoris averis comunis Bononie pro primis sex mensibus. Et totidem pro secundis incipiendis in kalendis mensis iulii et finiendis ut sequitur in quorum brevium quolibet similiter contineatur electione unius defensoris averis et iurium comunis pro⁸¹ secundis sex mensibus pro qua electione elector habeat libras quatuor bononinorum ab elligendo electione vero spectet ad dominos ancianos et colegia. Et quod elligendi per dominos ancianos et collegia sint et esse intelligantur defensores averis et iurium civitatis et comunis Bononie, dum tamen tales elligendi obtinuerint in scrupitio per duas partes ex tribus partibus et sint cives civitatis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem ex duabus ex eis. Et sint etatis ad minus tregintaquinque annorum. Et si aliter vel de alio facta fuerit electione non valeat ipso iure. Et talis electus contra formam predictam non possit dictum officium acceptare vel exercere ad penam trecentarum librarum bononinorum. Et scrupituiati, qui obtinuerint dictum officium modo suprascripto solvere teneantur inter omnes predictis qui predicta brevia habuerint pro primis sex mensibus libras duodecim bononinorum. Et alii qui obtinuerint pro sex mensibus similiter solvere teneantur hiis qui brevia habuerint ante introytum dicti eorum officii ad penam librarum quingenta bononinorum ab eis de facto auferenda per capitaneum⁸² populi habeant autem vacationem predicti defensores duorum annorum a die depositi eorum officii incoandorum, nisi aliter per dominos ancianos et consilia opportuna fuerit provisum. Officium vero predictorum defensorum sit quod quilibet eorum toto posse et vigili cura sollicitent et procurent quod omnia et singula iura, privilegia seu beneficia ad comune Bononie pertinentia conserventur et defendantur et recuperentur et ad recuperationem predictam sint et esse debeant solliciti remotis hodie, amore, timore, prece et precio. Ac etiam teneantur observare et observari facere omnia et singula contenta et descripta in statuto posito sub rubrica 'De pactis

⁸¹ <ut sequitur in quorum brevium quolibet similiter contineatur electione unius defensoris averis et iurium comunis pro> a margine laterale destro.

⁸² <capitanem> nel testo cappitanem.

factis seu fiendis per comune Bononie' [IV, 59]. Et etiam quod pecunia et avere comunis Bononie que et quod pervenire debet ad manus depositarii generalis comunis predicti omni dilligentia qua possint conservetur, custodiatur et salvetur et in utiliter seu ad alios usus quam prout debuerit secundum formam statutorum non expendatur. Et quod per ipsum depositarium fiant solutiones que et prout fieri debent ex forma sui officii. Introytus et expenssas dicti comunis et depositarii videant et examinent singulis duobus mensibus. Nec non faciant et procurent quod alii singulares//

[c. 48v]

depositarii et quelibet persona que haberet seu percepisset de pecunia et avere dicti comunis rationes introytuum omnino reddant eis et reliqua consignent depositario generali. Procurent eciam dicti deffensores quod officialis Ursii exigat omnes condempnationes existentes ad dischum Ursii ab omnibus solvere debentibus et a qualibet persona que dare debeat aliquid comuni Bononie. Item quod predicti deffensores teneantur habere unum librum magnum cartarum realium in quo per eorum notarium scribantur omnes introytus et expensse ac etiam omnia publica comunis Bononie ad dictum comune spectantia. Ac etiam teneantur predicti deffensores diligenter examinare quascumque bulectas seu mandata de solvendo aliquam quantitatem pecunie de avere comunis Bononie. Et quas iustas crediderint manu alterius ipsorum subscribere ac sigillare eorum sigillo. Quod sigillum quilibet ipsorum tenere debeat penes se spacio unius mensis et sic successive toto tempore eorum officii. Et qui sigillum tenuerit toto dicto mense subscribere non possit. Et pro eo tempore quod sigillum tenuerit sit et esse intelligatur eorum prior. Buletas vero seu mandata que et quas iniustas vel iniusta esse crediderint reicere teneantur. Et de eis aliquam solutionem facere non permittant et de eis conscientiam faciant dominis ancianis. Quas quidem buletas solutionum quas iustas crediderint ille qui deputatus fuerit ad eas subscribendum teneatur subscripta buleta eam in quodam çornali cum nomine eius, qui recipere debet solutionem et causam propter quam talis solutio fieri debet scribere teneatur. Et dictas buletas in dicto zornali sic descriptas notarius dictorum deffensorum teneatur extrahere de dicto çornali quolibet die et in suo libro ponere et scribere in quo filo est scripta dicta buleta in dicto çornali. Insuper etiam teneantur dicti deffensores, in kalendis cuiuslibet mensis, assignare in scriptis dominis ancianis, qui pro tempore fuerint omnes introytus et expenssas mensis precedentis. Debeant autem predicti deffensores vel saltem duo ex eis interesse continue subastationibus datiorum et gabellarum comunis Bononie dum tamen dicta datia vel aliquid eorum delivrare non possint, sine consensu et voluntate dictorum ancianorum pro tempore existentium. Ac etiam locare possint publica comunis Bononie pro ea penssione que per maiorem partem eorum deliberata fuerit, dum tamen dicta locatio procedat de voluntate dominorum ancianorum. Et etiam dum tamen dicta locatio publicorum comunis fieri non possit pro maiori tempore quinque annorum. Ipsi autem deffensores pro eorum officio exercendo congregare et reducere se debeant in loco quod vocatur 'La Massaria' et singulis diebus ibi stare debeant a mane usque ad horam prandii et ab hora none usque ad horam cene. Et quod eorum officio exercendo quilibet ipsorum habere debeat a comuni Bononie et de pecunia dicti comunis quolibet mense libras duodecim bononinorum sine aliqua detractioe. Et ultra predicta habere debeant terciam partem emolumentorum percipiendorum per depositarium generalem et eius notarium et contralotorem ultra salaria eis ordinata et ultra notarium ad predicta ellectum in conscillio quatuormilium comunis Bononie habere possint unum notarium praticum et bene scribentem cui notario per ipsos elligendo constituere possint salarium predicti defensores, usque ad quantitatem octo librarum bononinorum pro quolibet mense et non ultra. Ac etiam possint habere duos nuncios pro faciendis eorum ambasiatis, qui nuncii et quilibet eorum habere debeant libras quatuor bononinorum quolibet mense de

pecunia et avere comunis Bononie ac etiam dicti nuncii et quilibet ipsorum quolibet anno ante festum sancti Petri apostoli//
[c. 49r f. XXXVIII^{or}]

habere debeant a dicto comuni Bononie pro auxilio unius robe nove fiende in dicto festo libras octo bononinorum. Predicti autem defensores et notarius eorum officium exercere non valeant, nisi primo iuraverint in manibus confalonerii iustitie vel alterius ex dominis ancianis eorum officium bene et legaliter exercere ad utilitatem comunis Bononie et remotis hodie, amore, timore.

[36] **De officio notariorum deffensorum averis et iurium comunis Bononie. Rubrica.** [c. 49r]

Decernimus quod singulis annis tempore generalis ellectionis officialium in consilio quatuormilium elligantur duo notarii boni, sufficientes et experti etatis triginta annorum ad minus qui pro anno tunc proxime subsequenti sint et esse debeant notarii deffensorum averis silicet unus pro primis sex mensibus et alius pro secundis. Et qui fuerit ellectus pro primis sex mensibus non possit elligi vel subrogari pro secundis. Et qui fuerit ellectus pro secundis non possit elligi vel subrogari pro sequentibus sex mensibus. Et si contrafactum fuerit ipso iure non teneat ellectio, nec etiam quicquid inde vel ex ea secutum fuerit, nec possit contra formam predictam dictum officium exercere per se vel alium, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Qui notarii teneantur et debeant singulis diebus continue oris congruis esse et stare cum dictis deffensoribus pro eorum officio exercendo et omnia precepta et scripturas in dicto officio occurentia bona fide et sine fraude scribere et dictis deffensoribus obedire in hiis omnibus et singulis que ad ipsorum officium pertinent, finitoque suo officio infra duos menses libros ipsorum actorum preceptorum et quaruncunque aliarum scripturarum in formam publicam designare ad camaram actorum comunis Bononie seu penes officiales ipsius camere pro quibus libris conficiendis seu aliquibus scripturis, actis et preceptis tempore sui officii fiendis, seu ratione sui officii nichil possint percipere vel habere quocumque colore ultra salarium ordinatum etiam a sponte dare volente, sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet vice et quolibet capitulo non servato. De quibus omnibus et suo officio bene et legaliter exercendis sacramentum corporale prestare teneantur ante introytum sui officii in manibus domini prioris dominorum ancianorum comunis et populi Bononie. Et habeat et habere debeat pro suo salario a comuni Bononie libras sex bononinorum mense quolibet.

[37] **De ellectione capitanei montanearum comitatus Bononie. Rubrica.** [cc. 49r-49v]

Hac saluberrima provixione decernimus et statuimus quod capitaneus montanearum comitatus Bononie elligi debeant singulis annis in consilio quatuormilium comunis Bononie hoc modo videlicet, quod in dicto consilio fieri debeant et ad brevia mitti quatuor ellectiones capitanei montanearum pro primis sex mensibus et quatuor pro secundis sex mensibus, ut sic in quolibet quarterio fieri debeat ellectio unius capitanei montanearum pro primis sex mensibus, et alia pro secundis sex mensibus et postea presentari debeant dominis ancianis et ipsi domini anciani una cum confaloneriis et massariis artium teneantur ellectionem facere de ipso capitaneo qui debeat officium exercere. Et qui fuerit ellectus per eos intelligatur esse ellectus per dictos ellectores qui habuerint brevia in dicto//

[c. 49v]

consilio quatuormilium et intelligatur esse legitime electus et sit capitaneus montanearum pro tempore pro quo fuerit electus dummodo non eligatur, nisi pro sex mensibus, nec sit civis civitatis Bononie, nec de aliqua terra propinqua territorio Bononie per sexaginta miliaria. Et sit maior treginta annorum et similiter fiat et sit per omnia de capitaneo eligendo pro aliis sex mensibus. Hoc tamen addito quod qui fuerit semel capitaneus montanearum non possit inde ad quinque annos eligi vel esse in dicto officio, sub pena acceptanti vel actualiter exercenti per se vel alium dictum officium intra dictum tempus vel contra formam predictam mille librarum bononinorum. Nec possit dictum tempus sex mensium ullo modo prorogari, nec in dicto officio aliquis refirmari directe vel indirecte. Nec possit aliquis eligi in capitaneo montanearum qui tempore dicte electionis fuerit officialis comunis Bononie vel habitator civitatis Bononie, comitatus vel districtus eiusdem vel ante per duos annos. Et ubicumque placuerit dominis ancianis una cum colegiis eligere possint duos capitaneos montanearum pro semestri tantum cum salario et familia que eis videbitur et cum iurisdictione dumtaxat per nostra statuta capitaneo montanearum attributa.

[38] **De salario et familia capitanei montanearum. Rubrica.** [cc. 49v-50r]

Et teneatur et tenere debeat ipse capitaneus durante tempore sui regiminis omnibus suis sumptibus et expensis unum vicarium forensem pro iure reddendo, qui vicarius non fuerit in aliquo officio in civitate, comitatu vel districtu Bononie per tres annos a die exitus sui officii numerandos. Et unum socium armigerum et duos bonos et expertos notarios et bene scribentes, qui non consueverint habitare in partibus montanearum. Et equos quinque et duos roncenos, et duos domicellos armigeros et duos ragatios et unum chocum. Et habeat et habere debeat dictus capitaneus pro se et dicta familia et omnibus officialibus suis pro suo et eorum salario singulis mensibus dictorum sex mensium florenos septuaginta in mense dumtaxat. Et nichil ultra vel aliter habere vel percipere possit per se vel alium ipse vel aliquis predictorum directe vel indirecte etiam a sponte dare volente, sub pena quadrupli eius quid aliter receptum fuerit, et sufficiat probatio prout sufficit contra vicarium comitatus Bononie. Et quod capitaneus pro se et iudice, notariis et aliis suis familiaribus predictis et quolibet eorum in solidum teneatur de gestis durante dicto officio, salvo quod si predictus capitaneus personaliter presentaverit aliquem de sua familia qui diceretur aliquid illicite commisisse in dicto officio capitaneatus durante dicto officio in fortia comunis Bononie ad aliquam penam. Idem capitaneus non teneatur pro tali quem sic personaliter presentaverit. Possint tamen dicti notarii pro actis civilibus tantum et non pro criminalibus recipere a singularibus personis in causis eorum prout licet notariis civibus ad civiles causas deputatis ex forma nostrorum statutorum. Et teneatur monstram facere de sua familia et equis singulis mensibus et tocimens quociens fuerit requisitus ab officialibus ad hoc deputatis vel deputandis//

[c. 50r f. XL]

sive ab alio quocumque misso per dominos ancianos cum literis ipsorum dominorum ad penam quinquaginta librarum bononinorum a dicto capitaneo de facto auferendam per dominum capitaneum populi vel alium seu alios qui proponuntur ad sindicandum dictum capitaneum tempore sindicatus capitanei montanearum. Et quod monstram vel monstras facere recusaverit et de defectibus qui inventi fuerint credatur notario officialium super monstris deputatorum vel deputandorum et alii cuicumque misso per dominos ancianos. Et recipiat salarium suum singulis mensibus cum detractioe fienda pro defectibus prout consuevit detrahi per officiales conducte stipendiariorum vel officiales monstrarum comitatus. Statuentes quod dictus capitaneus vel aliquis de sua

familia non possit directe vel indirecte aliquid percipere vel habere ab aliquo occasione custodie vel carceris vel quod aliquem custodiri fecerit in cipis vel in compendibus vel quod aliquem ligaverit ad torturam, sub pena⁸³ vigintiquinque librarum bononinorum quod quolibet et qualibet vice de facto auferenda. Et quod suis deffectibus puniatur ut est consuetum sive ordinatum pro deffectibus aliorum officialium.

[39] De iuramento capitanei montanearum et iudicis sui et notariorum et sociorum eius. Rubrica. [cc. 50r-50v]

Statuimus quod dictus capitaneus montanearum ante introytum sui officii teneatur se personaliter presentare coram dominis ancianis comunis et populi Bononie. Et coram ipsis delato eidem sacramento per alterum dictorum dominorum vel per cancellarium vel alterum ex notariis ipsorum debeat iurare corporaliter ad sancta Dey evangelia manibus tactis scripturis et etiam promittere ipsis dominis pro comuni Bononie reccipientibus quod ipse est amator presentis status popularis comunis Bononie et libertatis eiusdem. Et officium sibi comissum per se et eius officiales exercebit et exerceri faciet bene, dilligenter, legaliter et bona fide, omni dolo et fraude cessante et cessante prece, precio, amore, timore ad honorem et augmentum populi et comunis Bononie et presentis status popularis dicte civitatis et libertatis eiusdem. Et quod dictum statum pro posse augebit et conservabit et conservari faciet. Et quod iurisdictiones et honores comunis predicti tuebitur iusta posse. Et quod omnibus et singullis personis prout debuerit, sine differentia personarum equaliter iustitiam in pertinentibus ad eiusdem officium ministrabit et ministrari faciet et quod servabit et servari faciet statuta et ordinamenta populi et comunis Bononie de suo officio loquentia. Et quod parebit mandatis et monitis dictorum dominorum ancianorum in pertinentibus ad statum et honorem predictum et eius augmentum et dominorum capitanei populi et potestatis Bononie in pertinentibus ad cuiuslibet eorum officium. Et quod insequetur et insequi et prosequi faciet iusta posse omnes et singulos bannitos comunis Bononie et omnes et singulos rebelles et inimicos dicti comunis et quoslibet prohybitos in comitatu vel civitate Bononie habitare et eos capiet et capi faciet. Et captos faciet duci in fortiam dicti comunis. Et quod capiet et capi faciet omnes et singulos assassinos, homicidas, incendiarios, fures vel robatores vel vulnerantes aliquam personam cum aliquo genere armorum vetitorum si sanguis exiverit. Et eos tales et quemlibet eorum in fortiam comunis//

[c. 50v]

Bononie poni faciet. Et quod non pacietur aliquam quantitatem grani vel vini vel aliquam grassam exportari extra comitatum Bononie, salvis tamen pactis cuiuslibet dacia quod venderetur per comune Bononie. Sed quoslibet exportantes et exportari facientes contra formam predictam capiet et capi faciet cum rebus que exportarentur et duci in fortiam dicti comunis. Et quoscumque presentandos in fortiam comunis ut supra presentari faciet infra tres dies ad minus in civitate Bononie dominis ancianis aut domino potestati vel capitaneo. Et quod neminem detemptum in fortiam ipsius capitanei torquebit vel torqueri faciet vel permittet vel ei aliquid genus tormentorum inferri pacietur vel permittet. Et quod nullam faciet vel pacietur fieri congregationem hominum in partibus montanearum per quam aliqua noscia novitas contra comune Bononie vel aliquid contra statum predictum verisimiliter directe vel indirecte sequi vel fieri posset, sed ipsas congregationes et quamlibet earum iusta posse prohybebit. Et sine mora cum ad eius noticiam pervenerit notificabit dictis dominis ancianis et capitaneo populi. Et quod a locis deputatis officio suo se non absentabit, sine expressa licentia vel mandato

⁸³ <sub pena> a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

dictorum dominorum ancianorum. Et quod ab illicitis et inhonestis se abstinebit et ei familiam pro posse abstineri faciet. Et quod nil ultra salarium suum et sibi permissum per formam statutorum comunis Bononie recipiet per se vel alium, nec recipi permittet vel per aliquem eius officialem vel per aliquam aliam personam. Et quod finito suo officio stabit ad syndicatum cum tota sua familia. Et quod fines sui afinii non excedat, nec excedi permittet ullo modo. Et quod legalis et fidus in omnibus et singulis erit. Et simile sacramentum prestare teneatur eius iudex et dicti socii et notarii in manibus cancellarii. De quibus omnibus in libro suo dictus cancellarius teneatur facere sufficientem scripturam per se vel eius coadiutorem.

[40] De officio et iurisdictione et arbitrio capitanei montanearum comitatus Bononie. Rubrica. [cc. 50v-52r]

Ordinamus et statuimus quod ille qui est electus legitime ut supra capitaneus montanearum predictarum habeat et habere intelligatur officium iurisdictionem et arbitrium dumtaxat in montaneis comitatus Bononie et in partibus montanearum dicti comitatus. Montaneas autem et partes montanearum decernimus et declaramus esse et contineri has partes tantum videlicet, a curiis Castri Sancti Petri, castri Varignane, Castri Britonum, castri Planorii supra et ultra usque ad confinia nostri comitatus in partibus illis et qualibet earum, a Sasso Grosine, a curiis castrorum Sancti Laurentii in Colina, Crespelani et Plumacii supra et ultra usque ad confinia nostri comitatus in partibus illis et qualibet earum. Et officium iurisdictionem et arbitrium dumtaxat habeat et habere intelligatur ut sequitur. In primis quod ipse capitaneus tam per se quam per eius officiales ministret et ministrari faciat iusticiam omnibus et singulis agentibus et litigantibus in partibus montanee in causis civilibus, ubi conventa persona principalis sit in partibus montanearum et usque ad quantitatem dumtaxat viginti libras bononinorum seu de re vel facto extimationis predictae dumtaxat cognoscere possit et procedere tam per se quam per eius officiales et procedere possit et debeat tam ipse quam eius officiales in ipsis talibus causis summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii dum tamen per acta appareat petitio qualis qualis responsio et processus⁸⁴//

[c. 51r f. XLI]

et sententia ferenda et dicta testium receptorum cum recepti fuerint et de aliis actis actitatis in causa constet in scriptis. Et teneatur tantum quamlibet excedentem summam centum solidorum bononinorum ad petitionem partis deponentis salarium consultoris committere consilio sapientis unius vel plurium de collegio iudicum civium civitatis Bononie non suspecti vel de quo partes concordaverint et consilium sequi pariter teneatur. Declarantes, quod in civilibus causis aliquis habitans in montaneis non possit trahi coram domino capitaneo vel eius iudice vel officiali si eius habitatio distet a loco habitationis dicti capitanei per decem miliaria vel ultra. Et si fuerit cytatus comparere non teneatur et quicquid fieret contra eum ipso iure non valeat. Item possit et debeat cognoscere de accusationibus et denunptiationibus in causis dampnorum datorum in partibus montanearum dum tamen habitatio accusatorum vel denunptiatorum non distet ab habitatione dicti capitanei ultra decem miliaria. Et in hiis procedere per se vel eius iudicem summarie et sine strepitu et figura iudicii, dum tamen de aliquo non possit fieri condemnatio, nisi in quantitate per statuta comunis Bononie tassata seu declarata et etiam constare debeat omni modo de inquisitione vel denunptiatione vel accusatione in scriptis et de aliis actis et de sententia per scripturam notarii sui. Et in qualibet cytatione fienda pro parte dicti capitanei vel sui iudicis occaxione delicti vel dampni dati volumus diem comissionis de citando omni modo contineri et ad cuius petitionem fit cytatio. Item

⁸⁴ *Sul margine inferiore della carta: et sententia ferenda et dicta testium.*

possit cognoscere et procedere et terminare de quibuscumque verbis iniuriosis et etiam de insultibus factis cum armis vel sine et de rissis et rumoribus in quibus non intervenerit sanguinis effusio pro quibus veniret imponenda, pena decem librarum bononinorum vel minor tantum modo. Et de quibuscumque ludentibus ad azardum vel arma portantibus contra formam nostrorum statutorum. Ita tamen, quod pena imponatur dumtaxat secundum formam dictorum statutorum. Possit tamen summarie et sine strepitu et sine figura iudicii in causis predictis cognoscere et procedere, dum tamen de processu, actis et sententia inscriptis appareat. Et dummodo de verbis iniuriosis vel insultu sine armis non possit procedere, nisi accusatione precedente. De aliis vero delictis vel criminibus de quibus maior pena decem librarum bononinorum esset imponenda nullam habeat iurisdictionem vel potestatem etiam vigore cuiuscumque arbitrii generaliter vel specialiter concessi. Quod arbitrium prohibemus concedi, nisi per consilium quadringentorum legitime aliter fuerit ordinatum. Et teneatur quaslibet condemnationes applicandas comuni Bononie omni modo deponi facere in publicam formam ad dischum Ursii infra quindecim dies postquam late fuerint, sub pena dupli eius quod continerit⁸⁵ condemnatio. Et teneantur quilibet massarii et alii habitatores montanearum obedire dicto capitaneo et suis officialibus et familie in hiis que spectant ad officium suum et maxime in prosequendo et capiendo bannitos malefactores et rebelles. Et delinquentes et inhobedientes quoscumque possit multare usque ad quantitatem trium librarum bononinorum tantum vel minus arbitrio suo considerata qualitate facti et conditione persone. Et dictas multas teneatur in scriptis reddigi facere per unum ex suis notariis et eas mittere Bononiam ad dischum Ursii prout mictere debet condemnationes predictas. Et teneatur dictus capitaneus durante suo officio residenciam facere personaliter cum eius iudice et//

[c. 51v]

familia in castro terre Casi comitatus Bononie vel alibi per montaneas comitatus Bononie ubi mandaretur eidem pro parte dominorum ancianorum. Possint tamen et teneantur personaliter ire et familiam suam mittere pro incumbentibus suo officio. Et etiam possit Bononiam venire dumtaxat habita licentia dominorum ancianorum et aliter non, de qua in scriptis apparere debeat per alterum ex notariis dictorum dominorum, nec possit dictum officium per substitutum exercere, nisi ex causa infirmitatis vel ex alia iusta causa approbata per dictos dominos ancianos. Et tunc per substitutum ydoneum et approbandum, scriptinuandum, elligendum per dominos ancianos. Item possit et debeat pro delictis et occaxione delictorum de quibus potest cognoscere et procedere ut supra. Contumaces bannire et in banno comunis Bononie ponere in et pro illa tantum quantitate in qua comparens potuisset de iure et secundum formam statutorum comunis Bononie per ipsum condemnari duabus tamen citationibus precedentibus diversis diebus cum cedula continente in effectum malefficiam pro quo citatur et una crida ad domum habitationis talis citati vel in ecclesia terre in qua habitaverit vel alia proximiori, si in dicta terra nulla fuerit ecclesia, que cedulle dimittantur eidem vel ad locum ubi citari debuerit et citatus fuerit. Et in qualibet ipsarum citationum et cridarum assignetur tali citato vel cridato terminus duorum dierum ad minus. Ipsa tamen banna teneatur exemplari facere ad discum bannitorum comunis Bononie per alterum ex notariis pressidentibus dicto discho infra quindecim dies a die banni dati si in contumacia bannitus perseveraverit, usque ad dictum tempus dictorum quindecim dierum, quam exemplationem dictus notarius, qui preest vel preerit dicto disco bannitorum facere omnino teneatur et ad hoc compelli possit per quemlibet officialem comunis Bononie realiter et personaliter. Nec possit aliqua pecunia quantitas applicanda comuni Bononie

⁸⁵ <continerit> *corregge* continetur.

recipi vel exigi per dictum capitaneum montanearum vel per aliquem eius officialem, sub pena dupli eius quid reciperet per se vel alium sed recipi debeat dumtaxat per depositarium comunis Bononie ad hoc deputatum vel deputandum. Declarantes tamen, quod occasione alicuius arbitrii vel iurisdictionis sui officii concessi dicto capitaneo non sit nec esse intelligatur adepta vel diminuta aliqua potestas vel iurisditio domino potestati Bononie vel domino capitaneo populi, set locus sit perventioni et pervenisse dicatur ille qui prius citationem fieri fecerit in qua citatione fienda pro parte dicti capitaneus dies comissionis debeat contineri. Item statuimus, quod dictus capitaneus non possit habere vel tenere pro suo officiali vel familiari aliquem qui sit originarius vel habitator in montaneis comitatus Bononie. Item possit dictus capitaneus cognoscere de omnibus et singulis causis civilibus et criminalibus et eas decidere de quibus et quas poterit cognoscere aliquis ex vicariis comitatus Bononie et in omnibus et per omnia prout ipsi vicarii comitatus possunt, salvis suprascriptis et infrascriptis in presenti statuto. Et facere teneatur et debeat dictus capitaneus omnia et singula ad que tenentur ex forma nostrorum statutorum vicarii comitatus Bononie, sub penis in quas incurerent ipsi vicarii et quilibet eorum seu alter eorum. Et omnia et singula statuta et ordinamenta in statuto posito sub rubrica ‘De iuramento, officio, // [c. 52r f. XLII]

famillia, salario et iurisdictione vicariorum comitatus Bononie’ [III, 5] habeant locum in iurisdictione et officio capitaneus montanearum et sui iudicis si et prout melius possint adaptari cuius statuti copiam omnino dictus capitaneus et eius vicarius et etiam presentis statuti habere teneatur. In ceptis autem casibus hoc statuto non comprehensis nullam penitus iurisdictionem vel cognitionem habeat etiam pretestu cuiuscumque prorogationis vel consensus partium quam prorogationem et consensum decernimus nullius esse valoris vel momenti. Et sindicari debeat dictus capitaneus et eius familia prout et sicut sindicari debet dominus potestas civitatis Bononie ex forma nostrorum statutorum et penas in dictis statutis loquentibus de predictis ordinatas locum habere volumus in capitaneo predicto et prout melius poterunt adaptari. Et teneatur dictus capitaneus et eius iudex seu vicarius parere mandatis dominorum ancianorum comunis Bononie in pertinentibus ad eorum officium. Et etiam teneantur parere mandatis domini potestatis Bononie et sui vicarii et domini capitanei Bononie et sui vicarii in licitis et honestis. Et observare omnia contenta in statuto loquente ‘De forma iuramenti per eum prestandi’ [39]. Item statuimus, quod quando erit expediens dicto capitaneo habere gentes pedestres vel equestres, maxime pro capiendis bannitis seu rebelles comunis Bononie vel aliquos malefactores, debeat ipsas gentes habere a comuni Bononie seu eius officialibus supradictis deputatis vel deputandis. Et etiam ipse capitaneus possit et debeat puniri pena ducentarum librarum bononinorum vel minus arbitrio sui sindicandi si in aliquo predictorum vel infrascriptorum incumbendum suo officio contrafecerit si in casibus predictis non appareat pena imposita ex forma presentium statutorum. Declarantes, quod si aliquem processum fecerit ipse capitaneus vel eius vicarius in casibus in quibus non poterit procedere ex forma presentis statuti, quod ipse processus non valeat ipso iure, nec quicquid fuerit secutum inde vel ob id.

[41] De electione et officio officialium conducte stipendiariorum comunis Bononie et de hiis qui facere et observare tenentur dicti stipendiarii. Rubrica. [cc. 52r- 56r]

Quia ubi maius periculum imminet ibi cautius est agendum et officium predictum posset magnam comuni Bononie afferre iacturam, nisi per bonos et sufficientes officiales regatur et gubernetur. Mandamus, quod singulis annis in consilio

quatuormillium civitatis Bononie elligantur officiales officio conducte stipendiariorum comunis Bononie videlicet, sex homines cives Bononie boni et sufficientes et etatis ad minus tregintaquinque annorum pro primis sex mensibus. Et alii sex sufficientes et ydoney et etatis predictae pro aliis secundis sex mensibus. Et illi duo qui ex primis sex mensibus electis obtinuerint in scrupitino fiendo per dominos ancianos, dominos confaloneros et massarios artium comunis et populi Bononie sint et esse intelligantur officiales ad dictum officium conducte stipendiariorum comunis Bononie primis sex mensibus, dum tamen sint cives Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis et non sint⁸⁶ alias prohibiti eligi in dicto consilio. Illi vero alii duo qui ex secundis sex electis pro secundis sex mensibus obtinuerint in dicto scrupitino fiendo ut supra sint//

[c. 52v]

et esse intelligantur officiales ad dictum officium conducte pro secundis sex mensibus dum tamen sint cives ut supra, nec sint prohibiti eligi ut supra. Electio vero notariorum ad dictum officium fiat secundum formam nostrorum statutorum et si aliter electio fiat non valeat ipso iure quantum ad illos qui non essent electi secundum formam predictam et in eorum locum alii elligantur ut supra. Qui elligendi et eorum notarii iurare teneantur corporaliter manu tactis scripturis in manibus domini confalonerii iusticie et domini prioris ancianorum ante introitum eorum officii de eorum officiis solite, fideliter et legaliter exercendis et sine ulla malicia et ad honorem et statum comunis Bononie et presentis status popularis et libertatis eius. Hoc tamen addito, quod qui fuerit officialis vel notarius conducte pro sex mensibus non possit illud subsequentibus sex mensibus proximis exercere, nisi approbetur et scrupituetur per dominos ancianos confaloneros et massarios artium pro quibus sex mensibus proximis subsequentibus tantum et non ulterius valeat scrupituari vel approbari quemcumque directe vel indirecte, pena cuiuslibet etiam scrupituito et approbato dictum officium exerceri per se vel alium vel illud acceptanti librarum quingentarum bononorum. Vacent autem et vacare teneantur et debeant predicti officiales et notarii et quilibet eorum a dicto officio per bienium ad minus a die depositi dicti officii computandum, sub pena predicta cuiuslibet predictorum contrafacienti de facto auferenda. Et nichilominus electio talis et quidquid inde secutum fuerit ipse iure non teneat. Sit autem officium ipsorum officialium officio conducte tale, videlicet, quod possint et debeant vice et nomine comunis Bononie conducere, habere, tenere ac morari facere ad stipendia et servitia dicti comunis stipendiarios tam equites quam pedites quos et quot declaratum fuerit per dominos ancianos comunis et populi Bononie et opportuna collegia et prout in statuto nostro posito sub rubrica 'De officio et iurisdictione dominorum ancianorum' [7] continentur de quibuscumque partibus et locis non prohibitis ex forma nostrorum statutorum etiam cum illis et sub illis conestabillibus vel caporalibus et pro illo tempore et terminis et pro illis et cum illis stipendiis et salariis, provisionibus et cum illis et sub illis pactis quibus et prout declaratum fuerit ut supra et aliter vel alio modo non. Dum tamen conducant et firment homines bonos et legales et expertos in armis et bene armatos cum bonis, sufficientibus et ydoneis equis, armis et ronçenis. Qui equi et ronçeni extimentur arbitrio predictorum dominorum officialium ubi extimari debuerint. Et iurare faciant in manibus dominorum ancianorum seu in manibus confalonerii iusticie presentibus dominis ancianis vel maiori parte eorum ipsos stipendiarios et quemlibet eorum in principio eorum firme in forma consueta secundum pacta et conventiones que fierent cum eis. Et in pactis et firmis cuiuslibet stipendiarii apponi faciant, quod omnes predictores et rebelles comunis Bononie et quomodolibet condempnatos et bannitos

⁸⁶ <sint> a margine laterale destro con segno di rinvio.

comunis Bononie, quos capi contingerit per ipsos stipendiarios dabunt et consignabunt in comuni Bononie cum provixione vel sine provixione secundum quod et prout placuerit ipsis dominis ancianis vel maiori parti eorum. Et etiam apponi faciant in eorum pactis et firmis, quod eorum firma finita vel si ante firmam propter inhobedientiam vel aliam//

[c. 53r f. XLIII]

iustam causam capssarentur. Non erunt quoquomodo directe vel indirecte contra comune et populum Bononie, nec contra ipsius comunis et populi comitatinos, subditos, districtuales, sequaces et colligatos seu adherentes, usque ad tantum tempus ad minus quantum est tempus ipsius firme vel si non haberet firmum quantum erit tempus quo steterit id stipendium comunis Bononie. Et nullum recipere, tenere aut scribi permictere ad stipendium comunis Bononie, qui vere equos et arma sufficientia non assignaverit coram ipsis officialibus. Salvo, quod non possit conduci vel teneri ad dictum stipendium aliquis civis comitatinus vel districtualis civitatis Bononie vel familiaris alicuius predictorum vel qui cum aliquo predictorum moraretur quamdiu fuerit ad stipendium supradictum. Nec aliquis bannitus vel expulsus de civitate Bononie vel qui sit inimicus vel publice pro inimico habeatur comunis Bononie et presentis status popularis et libertatis et regiminis dicte civitatis vel qui sit officialis in aliquo officio in civitate Bononie vel familiaris vel coniunctus alicuius talis officialis vel fuerit a tribus mensibus retro proxime precedentibus diem conductionis. Nec aliquis qui sit de terra vel aliquo propinquo civitati Bononie per quadraginta miliaria ad minus, nisi ex causa aliter provideatur per dominos ancianos una cum confaloneriis et massariis artium. Quibus stipendiariis legiptime conductis ut supra fiant bullete per officiales deputatos seu deputandos de mense in mensem demum ellapssis quindecim diebus postquam completus fuerit mensis quo servierint. Et fiant solutiones de mense in mensem et non pro maiori tempore. Mandantes, quod dicti officiales teneantur clare, particulariter et ordinate describi facere per officiales buletarum solutiones dictorum stipendiariorum in buletis predictis quoscumque defectus repertos per eos in dictis stipendiariis et retemptiones fiendas ipsis stipendiariis pro dictis defectibus quos defectus etiam scribere teneantur clare et ordinate notarii dictorum officialium. Que quantitates per depositarium generalem de eorum solutionibus seu pagis detrahi debeant aut de ipsis pagis tempore ipsarum solutionum sibi pro dicto comuni satisfieri facere. Et ipsas quantitates ad introytus dicti comunis scribi facere singulariter et distinte. Item, quod quilibet conestabilis et quilibet caporalis equitum vel peditum satisdare teneantur tam per se quam pro quibuscumque equitatoribus, qui ad stipendium sub sua brigata conducerentur coram officialibus supradictis recipientibus pro comuni Bononie de bene et legaliter serviendo comuni Bononie. Et de solvendo comuni Bononie et cuilibet singulari persone omne id et totum quid eidem comuni vel singulari persone tenerentur predicti vel aliquis predictorum ex causa mutui vel alia ratione postquam fuerint conducti ad stipendium. Salvo, quod si mitteretur preconium per civitatem Bononie in locis consuetis ex parte conestabilis vel caporalis seu conductoris aliquarum gentium pedestrium vel equestrium, quod nullus debeat mutuare aut credentias facere alicui de sua brigata absque licencia ipsius, tunc non teneatur dictus conestabilis vel caporalis vel conductor pro illis de eorum brigata occaxione talis mutui vel credentie eis facte, nisi licencia eis concessa per predictos conestabilem, caporalem vel conductorem dictum mutuum vel credencia fieret de cuius preconii comissione et relaptione per dictum preconem fienda appareat ex scriptura alterius notarii dicti officii conducte//

[c. 53v]

et de parendo mandatis dictorum dominorum ancianorum et de adimplendis et executioni mandandis omnibus et singulis que continebuntur in ipsorum conductis et in

presenti statuto ad penas in ipsis conductis et hoc statuto contentas et aliter recipi vel acceptari seu firmari non possint. Qui conistabiles, caporales et stipendiarii conducendi et firmandi ut supra dictos equos, armigeros et roncenos eis ad stipendium assignatos in comuni Bononie ac etiam arma necessaria et consueta, teneantur et debeant eorum firma et conductione durante continue penes se habere et tenere et nemini vendere vel aliquo titullo alienare, lochare ad victuram vel pignorare per se vel alium. Et quod nullus audeat aliqua de dictis causis vel alia quacunque dictos equos et roncenos vel aliquem ex eis vel arma predicta aut aliquod pecium armorum ab ipsis stipendiariis vel ab aliquibus aliis pro eis recipere vel penes se tenere sub pena cuilibet tam conestabili vel caporali quam stipendiario dictos equos vel arma seu roncenos vendenti, alienanti vel locanti ut supra vel pignoranti quam etiam recipienti vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet equo armigero. Et pro quolibet ronçeno decem librarum bononinorum et pro coratia seu pancirone vel barbata solidorum quadraginta bononinorum. Et pro quolibet alio pecio armorum solidorum viginti bononinorum pro qualibet vice et tantundem cuilibet recipienti. Et nichilominus ipse recipiens dictos equos et roncenos et arma seu petium armorum ipsi danti vel concedenti restituere et libere relapsare teneatur absque aliqua quantitate eidem solvenda et restituenda. Et quilibet possit dictis officialibus vel alicui eorum contrafacientes denunciare qui in secreto teneatur si volluerit. Et habeat denunciator quartam partem condempnationis que sequeretur ob suam denunptiationem dicto cuius denunciatoris cum iuramento eius credatur et stetur cum uno teste vel cum aliis indiciis que videantur ipsis officialibus sufficere. Ad quorum denunptiationem et etiam ex ipsorum officio dicti officiales possint et teneantur inquirere eciam non servata ulla forma iuris vel statutorum nostrorum de omnibus et singulis supradictis et repertos culpabilles in dictis penis punire de facto. Et quod de predictis debeat fieri proclamatio per precones comunis Bononie in locis solitis ex parte dictorum officialium quolibet mense eorum officium. Habereque teneantur et debeant ac armati esse ipsi conistabiles caporales et stipendiarii armis opportunis et consuetis et prout ipsis officialibus videbitur sub penis usitatis pro quolibet pecio armorum ipsis stipendiariis vel alteri eorum deficiente. Teneantur etiam officiales predicti monstras et circas facere de omnibus stipendiariis comunis Bononie singulis mensibus duabus vicibus unam videlicet, sine armis cum eorum equis et ronçenis, quos habere tenentur, secundam vero cum ipsis equis et ronçenis et eorum armis. Et idem de stipendiariis peditibus ut fiat duabus vicibus quolibet mense una sine armis et alia cum armis, sub pena quinqueginta librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice qua dicte monstre facte non fuerint de facto auferenda per dominum capitaneum populi in fine cuiuslibet mensis quo contrafactum fuerit. Et de predictis teneatur ipse dominus capitaneus inquirere suo officio ac etiam ad denunptiationem cuiuscumque et repertos culpabiles de facto punire ut supra. Et defectus ipsorum stipendiariorum faciant scribi in libris ipsorum deffectuum per se et fiant bulete et retemptiones ut supra. Insuper teneantur omnes et singuli conistabiles et stipendiarii et caporales//

[c. 54r f. XLIII]

custodias facere in civitate Bononia et ire et morari et reddere ubicumque eis per ipsos officiales vel per alterum eorum de voluntate dominorum ancianorum civitatis Bononie vel per alium quemvis de voluntate predictorum dominorum ancianorum eis vel aliquibus ex eis invinctum fuerit cum ipsorum armis et equis et comuni Bononie et statui predicto fideliter servitium exhibere et omnia et singula facere que ad ipsorum ministerium pertinerent et ad que ex forma suarum conventionum tenentur, sub pena cuilibet inhobedienti equiti vel pediti perditionis armorum et equorum et capssationis ipsius etiam si firma ipsius finita non esset vel sub alia pena arbitrio dominorum

ancianorum et maioris partis eorum de facto auferenda per dictos officiales, nisi evidens et rationabilis causa excusaret eosdem que fuerit acceptata et approbata per dictos dominos ancianos. Qui conestabiles et stipendiarii nullo modo audeant vel presumant recedere de civitate Bononie vel de castris terris vel locis in quibus comorare fuerint deputati per dictos dominos ancianos vel per alios officiales ad hoc potestatem habentes sine expressa licencia vel mandato dictorum dominorum ancianorum vel aliorum officialium ad hoc potestatem habentium, sub pena cuilibet equiti perditionis armorum et equorum pediti vero sub pena perditionis armorum et capssationis ipsius non obstante quod firma eius finita non fuerit de qua licencia vel mandato debeat apparere per literas dominorum ancianorum vel officialium qui licenciam dederint. Ac etiam debeat apparere in libris officialium loci unde descendunt dies quando descendunt et causa quare descendunt et dies ibidem quo reverterentur. Et etiam in libris officialium loci quo vadunt debeat apparere in scriptis dies quo aplicuerunt et dies quo inde recedent. Et dicti officiales locorum unde discedunt teneantur facere dictis stipendiariis buletas quando discedunt, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum officiali si requiritis non fecerint. Quam buletam secum portare teneatur, usque ad locum quo vadit et eam officialibus alterius loci presentare. Qui officiales dictam buletam teneantur registrare in libris suis ad perpetuam rey memoriam sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Que omnia teneantur sollicite procurare prefati officiales conducte quod fiant et executioni mandentur per supradictos officiales locorum predictorum. Ita quod quando fient bulete dictorum stipendiariorum possint haberi et videri, et etiam habeantur omnes defectus etiam in absentia dictorum stipendiariorum. Et si contingat aliquem stipendiarium etiam cum licentia de locis in quibus fuerit deputatus discedere ex alia causa quam propter servitia comunis Bononie perdat ipso iure et facto stipendium pro eo tempore pro quo absens fuerit a loco in quo fuerat deputatus. Et scribatur in libro defectuum, ita quod retemptiones fieri possint. Teneantur etiam ipsi officiales, sub pena periurii et centum librarum bononinorum pro quolibet ordinare quod quilibet stipendiarium dictis comunis teneatur portare signum affissum et firmum super arma quando eos cogerit equitare guera existente super comitatu Bononie vel alibi in circumstanciis secundum quod ipsi officiales deliberabunt notificando dictis stipendiariis quod si inventi fuerint absque dicto signo poterunt a quolibet impune offendi realiter et personaliter tamquam inimici comunis Bononie. Item dicti stipendiarii, equites seu pedites nullo modo atentare audeant vel presumant conspiracyonem, iura, promissionem vel colligationem inter se vel cum alio facere vel tractare in derogationem//

[c. 54v]

honoris et obedientie dicti comunis vel suorum officialium vel status presentis. Et si secus fieret per eos vel aliquem aut aliquos ex eis penam capssationis incurant ipso facto. Et nichilominus ipsorum equi et arma ad comune Bononie deveniant et etiam ultra predicta realiter et personaliter puniri possint ad voluntatem dictorum dominorum per eum cui predicti domini anciani predicta commiserint. Item, quod predicti officiales possint eis que liceat omnes et singulos conestabiles et caporales principales de voluntate tantum dictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum capssare a stipendio dicti comunis et remove generaliter et particulariter prout ipsis dominis ancianis videbitur pro comuni Bononie et statu presenti. Et alios subrogare, reponere et conducere in locum ipsorum de consensu et voluntate dictorum dominorum ancianorum et secundum formam nostri statuti positi sub rubrica 'De officio et iurisdictione dominorum ancianorum' [7] de aliis vero stipendiarii comunis Bononie non conestabilibus vel caporalibus principalibus possint dicti officiales predicta facere etiam non requisitis dominis ancianis. Et equos mutare et scambiare prout dictis officialibus

videbitur convenire accipiendo tamen pro dicto comuni pro quolibet equo scambiando florenum unum, nisi talis equis cuius loco deberet fieri scambium decesisset morte naturali vel per inimicos comunis Bononie fuisset derobatus vel occisus, quo casu nil pro dicto comuni solvere teneatur. Resumere autem nullo modo possint aliquos stipendiarios, equites vel pedites sine expresso mandato dictorum dominorum ancianorum de quo debeat in scriptis apparere per alium ex notariis dictorum dominorum ancianorum cum sigillo ipsorum dominorum. Et similiter capssare non possint aliquem conestabilem vel caporalem principalem, nec in mortui vel capssati locum alium subrogare, nisi forma predicta servata. Circha stipendiarios autem pedites et ipsorum conestabiles teneantur et debeant officiales predicti solcite procurare, quod ipsi stipendiarii pedites non conducantur ad stipendium cum aliqua firma, nec etiam quod eis conductis aliqua firma detur, nisi ex causa per ipsos dominos ancianos aliter fuerit ordinatum. Teneantur etiam solcite procurare, quod sint et esse debeant decenter et sufficienter armati et cum dictis armis stent in civitate Bononie et comitatu seu alibi vadant et stent ubicumque mandabitur per dictos dominos ancianos vel per ipsos officiales cum consensu et voluntate dictorum dominorum ancianorum. Et omnia alia faciant pro custodia civitatis et comitatus Bononie que ipsis per dominos predictos mandabuntur et viderint expedire. Habere autem penes se debeant dicti pedites et tenere arma utilia et neccessaria, iuxta discretionem et dispositionem dictorum officialium, sub penis usitatis seu dispositis pro quolibet petio armarum ipsis stipendiariis defficiente. Item, quod predicti officiales possint et teneantur committere officialibus deputatis super monstras et⁸⁷ visitationem castrorum et fortiliarum comitatus Bononie ut semel quolibet mense faciant monstram quoruncunque stipendiariorum equitum et peditum qui sint in comitatu vel districtu Bononie. Et alia vice quolibet mense teneantur dicti officiales conducte mittere alterum ex ipsis officialibus vel alterum sufficientem virum expenssis comunis Bononie ad partes teras seu locha//

[c. 55r f. XLV]

in quibus stipendiarii equites vel pedites comunis Bononie forent vel esse deberent dum tamen sint in comitatu vel districtu Bononie pro faciendis de eis monstris et cerchis. Et de ipsis et eorum equis et armis inquirendum et ad ipsorum deffectus inveniendum et describendum et dictis dominis refferendum et inquisitioni et scripturis et relationi dictorum officialium deputatorum super monstris et alterius cuiuscumque transmissi per officiales conducte credatur et stetur. Si vero contingeret debere fieri monstram de aliquibus stipendiariis dicti comunis existentibus extra civitatem, comitatum et districtum Bononie, tunc teneantur dicti officiales vel alter ex eis ire vel mittere ad dictam monstram faciendam quociens placuerit ipsis dominis ancianis expenssis tamen comunis. Qui officiales inquirere possint et debeant omni modo quo ipsis melius vide⁸⁸bitur contra talem transmissum si dicatur ipsum obmisisse, neglesisse vel in aliquo fecisse contra sibi comissa vel aliquid ipsorum. Et reperto in aliquo culpabilem denunptiare et refferre domino potestati Bononie vel capitaneo populi qui ipsum pro modo culpe delicti qualitatem punire et condempnare teneatur et debeat. Item, quod dicti domini officiales per ipsorum notarios deffectus quos⁸⁹ ipsi vel aliquis ipsorum in stipendiariis predictis circa aliqua predictorum et quos sibi retullerit transmittendus per eos ut supra dictum est teneantur ea die vel sequenti scribi facere in libris defectuum stipendiariorum et ut supra dictum est et in buleta eorum fiat ut supra. Si vero extra comitatum fieri contingat monstram, tunc ipse transmittendus ipsos deffectus per suas literas significare et rescribere teneatur quam prius poterit dictis

⁸⁷ <et> dittografato.

⁸⁸ <melius vide> su rasura.

⁸⁹ <quos> corregge quo.

officialibus et similiter dominis defensoribus averis. Que autem superius dicta sunt de equitibus stipendiariis et de armis non vendendis, alienandis, locandis vel pignorandis ac etiam non recipiendis ab aliquo repetita intelligantur et sint in pedibus ad stipendium dicti comunis recipiendis et firmandis in quantum ad pedes possunt adaptari. Item habeant dicti officiales pro videndis equis et roncenis stipendiariorum et eorum defectibus et pro suo officio exercendo duos marischalcos qui stent ad bancham stipendiariorum et dictorum officialium. Qui marischalchi iurent tactis scripturis coram dictis officialibus, quod bene, legaliter et bona fide et pro utilitate comunis Bononie solcite facient et dicent que sibi incombent, nec habeant ipsi marischalchi aliquid salarium ob predicta, nec aliquid comodum, nisi prout inferius scriptum est. Notariorum autem dictorum officialium sit et esse debeat officium, quod ipsi vel alter eorum clare, aperte et distincte scribant conductiones firmas conventiones et pacta iniendas et faciendas et fienda inter dictos officiales pro comuni Bononie et conestabiles et caporales et ceteros stipendiarios per ipsos officiales ad stipendium dicti comunis conducendos et firmandos cum consensu dictorum dominorum ut supra. Ac etiam ipsorum consignationes et signa equorum singulariter et distincte. Et de predictis omnibus facere unum librum cui libro et scripturis fiendis per eos vel eorum alterum occasione dicti officii plena fides adhibeatur//

[c. 55v]

et detur. Et certas eorum et ipsorum stipendiariorum defectus et presentationes in libro defectuum scribere. Et quantitates retinendas pro ipsis defectibus et presentationibus et de eis facere copiam notariis, qui buletas solutionum fiendarum stipendiariis facere debent seu debebunt. Quibus libris et aliis scripturis scribendis per eos occasione dicti officii plena fides adhibeatur et detur. Et teneantur notarii predicti dictos libros a se conficiendos ut dictum est finito ipsorum officio dimittere penes successores suos, qui successores teneantur ipsos custodire et conservare et finito officio ipsorum teneantur suis proximis successoribus suos libros dimittere et consignare, libros autem suorum precessorum teneantur infra quinque dies ab exitu ipsorum officii dare et consignare ad camaram actorum comunis et populi Bononie et sic successive fieri debeat per omnes et singulos officiales et notarios officio conducte. Et possint dicti notarii recipere emolumenta consueta a stipendiariis quibuscumque, nec aliud percipere vel habere debeant a comuni Bononie. Quorum emolumentorum videlicet, que percipi contingerit a stipendiariis equestribus pro equis tantummodo dimidia pars pertineat et pertinere debeat ad marischalcos, qui stant ad bancham stipendiariorum et dictorum officialium. Alterius vero dimidie et ceterorum omnium emolumentorum ratione dicti officii percipiendorum dimidia pars pertineat ad dictos notarios, alia vero dimidia pertineat ad dictos dominos officiales conducte. Insuper habeant et habere debeant dicti duo officiales et quilibet eorum pro suo labore et salario ultra predicta de avere comunis Bononie libras octo bononinorum pro quolibet mense. Et predicta omnia et singula suprascripta facere et observare teneantur tam dicti officiales quam supradicti notarii, sub pena cuilibet predictorum librarum quinqueginta bononinorum in omnibus casibus in quibus non esset alia pena imposita. Teneantur etiam dicti officiales domos congruas recipere pro stipendiariis quocumque expedierit cum minori incomodo civium quo fieri potest et iusta plateam quam plus fieri potest. Et punire debeant quoslibet stipendiarios destruentes vel deteriorantes aliquam domum. Et procurent, quod dominis dictarum domorum dampna emendentur per dampna dantes. Que dampna possint dicti officiales extimare et extimari facere. Procurent etiam, quod pensiones congrue de talibus domibus dominis dictarum domorum solvantur. Et pro predictis redemptiones facere teneantur de ipsorum paghis ad petitionem cuiuslibet cuius intererit. Teneantur etiam ipsi officiales et notarii inventaria facere et fieri facere quarumcumque rerum hostiorum

et fenestrarum existencium in ipsis domibus quas invenerint pro stipendiariis. Et ante discessum stipendiarii de domo sibi deputata videre et videri facere dictam domum et dilligenter examinari siquid est perditum vel destructum et dampna facere emendari ut supra. Et habeant ipsi officiales et notarii pro eorum labore de penssione ipsarum domorum duos solidos bononinorum pro qualibet libra dividendos inter ipsos officiales conducte et eorum notarios ut supra. Et quilibet caporales occaxionibus predictis pro eius sociis et familiaribus teneantur. Adhicientes, quod quocienscumque fienda foret monstra generalis stipendiariorum in civitate Bononie dicti officiales teneantur secum habere unum confalonerium et unum massarium alicuius societatis civitatis Bononie qui ambo esse debeant cum dictis officialibus tempore cuiuslibet monstre. Et idem similiter fiat in quibuscumque monstris fiendis de domino potestate Bononie et eius familia. Et de domino capitaneo populi Bononie et eius familia et de quibuscumque officialibus comunis Bononie si fieri contingerit ipsam monstram in civitate Bononie. Habeant insuper dicti officiales potestatem iurisdictionem et bayliam in omnibus et singulis causis civilibus movendis inter aliquos stipendiarios ad invicem vel etiam aliquos ex stipendiariis predictis per quamcumque//

[c. 56r f. XLVI]

aliam personam quacumque de causa civiliter agentem super quibus omnibus possint procedere summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii omni tempore etiam feriato easque terminare et decidere et eorum sententias et precepta executioni mandare modo et forma predictis. Declarantes quod, per hoc non sit nec esse intelligatur adempta aliqua iurisditio alicuius officialis comunis Bononie de predictis iurisdictionem habentis.

LIBER SECUNDUS

cc. 56r-82v

[c. 56r f. XLVI]

Incipit liber secundus. Rubrica.

[1] De electione domini potestatis civitatis Bononie eiusque comitatus et districtus. Rubrica. [cc. 56r-56v]

Omnipotens Deus creator celi et terre, administratorque superiorum ordinum circha regimina terestria populorum disposuit ut ille homo hominibus et regimini preferatur et ad regiminem rey publice preponatur, qui sciat et possit ac velit sua providentia et virtute iniquitates erumpere ac iudicium impendere et decreto sibi populo iusticiam ministrare. Et ut ille caput existat in cuius virtute membra cetera et universi gubernentur incolumes. Ea propter in Dey nomine a capite sumentes initium et ut civitati et populo Bononie de regimine bene provideatur dignum arbitramur et congruum, quod ellectio domini potestatis civitatis Bononie eiusque comitatus forcie et districtus fiat hoc modo, videlicet, quod ante finem regiminis cuiuslibet potestatis civitatis predictae per tres menses domini anciani civitatis Bononie teneantur vinculo iuramenti et sub pena vigintiquinque libris bononinorum pro quolibet eorum per quem steterit coadunari facere dominos confaloneros et massarios artium comunis et populi Bononie et tres notabiles cives predictae civitatis pro quolibet quarterio. Quibus coadunatis vel saltem tribus partibus omnium predictorum preponatur per alterum ex dictis dominis ancianis de electione novi potestatis Bononie⁹⁰ fienda. Et statim cuilibet coadunato ibi defferatur sacramentum per cancelarium dictorum dominorum vel per alterum ex notariis dictorum dominorum de ipsa electione fienda fideliter ad honorem et bonum statum dicti comunis et populi Bononie et status libertatis dicti populi. Demum quilibet ibi existens possit nominare coram omnibus congregatis unum forensem quem voluerit et putaverit esse meliorem in futurum potestatem civitatis Bononie per sex mensibus secuturis finito officio tunc domini potestatis Bononie. Qui nominandus debeat esse miles vel dux vel baro vel marchio vel comes etatis ad minus quadraginta annorum, qui sit ipse et sui adscendentes amator comunis et populi Bononie. Et sit oriundus et habitator de loco distante a civitate Bononie per sexaginta miliaria ad minus et qui non sit expulsus de civitate de qua oriundus vel incola fuit nec sit bannitus pro aliquo crimine publico vel enormi nec fuerit habitator civitatis Bononie infra//

[c. 56v]

sex annos proxime precedentes, nec etiam fuerit ipse vel eius coniunctus usque ad quartum gradum inclusive infra sex annos proxime precedentes in officio aliquo in civitate Bononie. Qui potestas elligendus habeat pre oculis cultum Dey, statum presentem conservet, superbos humiliet, humiles exaltet, premiet virtuosos et delinquentes penis debitis corigat et castiget semperque in semitis iusticie ambulet et officium sibi incumbens prout et sicut in statutis sequentibus continetur pro bono statu predicto et pace et tranquillitate comunis et populi Bononie pro tempore sui officii faciat et foveat ac conservet. Prohybentes expresse propter enormitates domini Raymondi de Tholomeis de Senis olim potestatis Bononie, quod ipse dominus Raymondus vel aliquis eius adscendens vel descendens aut aliquis eius frater vel descendens ex eius fratre vel fratribus non possit elligi vel esse potestas civitatis Bononie vel ad aliquid officium civitatis predictae. Et similiter sit prohibitus quilibet de progenie illorum de Calbullo propter prodictionem et selera Fulcerii de Calbullo olim capitanei guerre dicti comunis. Et similiter volumus, quod aliquis descendens domini Bindacii de Ricaxoli vel aliquis

⁹⁰ <Bononie> a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

eius frater vel ex eius fratre descendens non possit esse vel eligi potestas Bononie vel ad aliquod aliud officium comunis Bononie propter seleratam memoriam dicti domini Bindacii Quas nominationes scribat alter ex dictis notariis. Et nomina eorum qui fuerint nominati faciant dicti domini scrupituarum cum fabis albis et nigris per predictos, qui dicte nominationi et congregationi intererint, et ille talis qui habuerit plures voces seu fabas albas sit et esse intelligatur potestas civitatis Bononie pro sex mensibus futuris si eum acceptare contigerit. Et si aliter vel alio modo dicta electio fiat non valeat ipso iure et nominato vel electo non servata dicta forma nullum ius queratur. Declarantes etiam, quod dicta electione solemniter facta nullum ius queratur tali electo nisi postquam eidem electo presentata fuerit electio per syndicum vel syndicos dicti comunis ad hoc deputandos eligendum vel eligendos per dictos dominos ancianos, quibus presentis legis auctoritate potestatem concedimus predictum syndicum vel syndicos ad predicta eligendi et constituendi et cum per⁹¹ eum sic electum fuerit acceptata, quam acceptationem facere teneatur per publicum instrumentum infra tres dies a die presentationis dicte electionis et ipso non acceptante infra tempus predictum eidem electioni et presentationi renunciasset intelligatur. Adhucientes, quod dicti domini anciani pro evictione sumptuum et pro honore comunis predicti teneantur antequam mittant electionem predictam intimare per eorum literas tali electo de nominatione predicta et habito seu cognito, quod talis nominatus acceptare intendat per ipsius nominati literas suo sigillo munitas mittere debeant dictum syndicum seu syndicos pro electione predicta et non ante. Et tali sic in potestatem Bononie nominato non acceptante infra tempus predictum vel expresse renunciente, tunc incontinenti postquam hoc pervenerit ad notitiam dictorum dominorum teneantur, pena et banno supradictis, procedere ad electionem novi domini potestatis modo et forma suprascriptis.

[2] De familia et salario domini potestatis Bononie et de hiis quos secum ducere prohibetur. Rubrica. [cc. 56v-58r]

Decernimus quod potestas Bononie qui pro tempore fuerit secum ducere debeat et in dicto officio tenere continue quinque iudices iuris peritos, bonos legales et expertos quorum quilibet sit etatis legitime, unus quorum sit legum doctor, qui esse debeat vicarius ipsius domini potestatis//

[c. 57r f. XLVII]

et qui cum ipso domino potestate esse et stare debeat ad ius reddendum in causis civilibus ad dischum Leonis et dicti domini potestatis et ad alia facienda, que ipsius domini potestatis vicario conceduntur. Qui vicarius infra octo dies ab introitu sui officii numerandos fidem facere teneatur de suo doctoratu defensoribus averis comunis Bononie, sub pena centum librarum bononinorum, alius vero iudex causis civilibus preesse debeat ad dischum Aquile, tercius preesse debeat iudex ad malefficia in quarteriis porte Sterii et porte Sancti Proculi civitatis et districtus Bononie, quartus preesse debeat ad malefficia in quarteriis porte Sancti Petri et porte Ravenatis dicte civitatis et districtus, quintus preesse debeat iudex ad dischum Ursii ad exigendum condempnationes et multas et avere comunis Bononie et ad alia dicto officio attributa Qui iudex Ursii esse debeat legalis et expertus in iure et pratica et preesse in corporationibus et descriptionibus⁹² bonorum que publicantur et venient seu devenire debent in comune Bononie. Et etiam habere debeat quatuor milites sive socios etatis ad minus vigintiquinque annorum, qui dictum potestatem debeant sociare et alia facere que eis incumbent ratione sui officii. Et quorum unus presit et sit cum officialibus civibus

⁹¹ <cum per> a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁹² <descriptionibus> corregge descriptionibus.

officio pontium et aquarum et stratarum guardie comitatus et districtus Bononie, qui continue horis debitis sedeat ad banchum cum dictis officialibus Et debeat pro suo officio exercendo ire per guardiam, comitatum et districtum Bononie expensis domini potestatis et nichil percipere debeat ab aliquo comuni vel singulari persona. Et novem notarios bonos legales et expertos, quorum sex debeant malefittiis deputari, septimus sit officio stratarum civitatis et aliorum dicto officio comissorum qui sit etatis ad minus treginta annorum, octavus officio coronarum et armorum et etiam presit officio vinearum et guardie ipsarum et aliarum rerum prout sibi competit ex forma nostrorum statutorum, nonus sit super exactionibus fiendis cum iudice exactoris ad discum Ursii. Et habere debeat decem domicellos et quinqueingenta beroarios armigeros et bene armatos et octo ragatios et equos duodecim quorum decem sint armigeri boni et sufficientes et ipsorum decem duo sint destrarii ad minus seu duo curserii magni, boni et sufficientes. Et habere debeat quatuor banderias et unum penonem et pavesios pro omnibus suis beroariis ad insigna seu arma ipsius domini potestatis et cum insignis armorum populi et comunis Bononie. Et dicti milites omnes uno panno seu colore induti esse debeant. Et dicti domicelli omnes de alio colore seu panno. Dicti beroarii omnes de una partita ad unum intaglium ad penam centum solidorum bononinorum pro quolibet eorum. Et dicti ragaci omnes de alio panno seu colore diverso. Qui omnes familiares silicet domicelli et beroarii et ragacii debeant continue ire induti dictis vestibus et si sine eis fuerint inventi per civitatem, comitatum et districtum Bononie iniurie eis illate vel que eis inferrentur vendicentur et puniantur in dimidia tantum eius in quo puniri deberent si illate essent in personam alicuius private persone, non obstantibus aliquibus statutis aut ordinamentis aliter disponentibus. Dum tamen de iniuria illata domino potestati vel alicui de sua familia cognitio et punitio spectet et pertineat ad dictum capitaneum populi Bononie et eius curiam et eo non existente ad eum cui domini anciani commiserint et de dictis iniuriis dictus potestas vel eius curia//

[c. 57v]

nullatenus se valeat intromittere, pena trecentarum librarum bononinorum eidem tempore sui sindicatus auferenda. Nec possit ipse potestas aliquam suam vel sui iudicis vel militis uxorem vel filium vel aliquem suum descendentem maiorem quindecim annorum ducere vel tenere secum vel in sua familia vel extra in civitate Bononie vel eius districtu stare permittere durante suo officio. Nec etiam habere possit pro eius officiali aliquem qui fuerit in aliquo officio in civitate Bononie infra tres annos proxime precedentes diem introytus officii ipsius Nec aliquem iudicem vel militem, qui non sit de loco distante a civitate Bononie per quinqueingenta miliaria et ultra Nec aliquem pro officiali vel familiari habere possit, qui sit civis vel districtualis civitatis Bononie vel qui fuerit scholaris vel habitator in civitate, comitatu seu districtu Bononie tribus annis proxime precedentibus dictum officium vel qui sit bannitus civitatis Bononie quavis ex causa vel alterius loci pro falsitate vel prodictione vel qui non sit amator et fidelis populi et comunis Bononie. Qui potestas habere debeat a comuni Bononie pro salario dicte potestarie et tocuis sue familie et equorum predictorum pro singulis sex mensibus tria millia trecentas libras bononinorum et pro cartis, vernice et atramento et aliis ad scribendum necessariis pro toto tempore sui officii viginti quinque libras bononinorum. Et ultra directe vel indirecte aliquid petere, percipere vel exigere non⁹³ possit per se vel alium. Que salaria eidem persolvi debeant singulis mensibus pro rata per depositarios generales seu tesaurarium populi et comunis Bononie sine aliqua detractioe. Salvo quod dicta pecunia cartarum in una vice solvi debeat dicto domino potestati in principio sui regiminis. Et salvo quod pecunia salarii ipsius domini potestatis familie sue et

⁹³ <non> in infralineam con segno di rinvio.

beroariorum duorum ultimorum mensium sui regiminis per ipsos depositarios seu texaurarium debeat retineri donec ipse potestas, finito officio suo et eius familie syndicati fuerint et absoluti vel condempnati. Et si condempnatio sequeretur dictum salarium quantum concureret cum ipsa condempnatione compensetur et per predictos depositarios seu thexaurarium retineatur et quid supererit vel totum si fuerit absolutus ipse vel eius familia eidem integre persolvatur. Nec ultra dictum salarium ipse vel aliquis de sua familia possit percipere vel habere quocumque modo ratione custodie, detemptionis vel torture vel quacumque alia ratione vel causa directe vel per oblicum per se vel alium quovis quesito colore vel causa etiam a sponte dare volente. Non obstante aliqua consuetudine vel abusu actenus observato, quam consuetudinem vel abusum omnino capsamus et iritamus nisi pro menda aliquorum suorum equorum deperditorum in servitio populi et comunis Bononie aliquid deberetur eidem secundum formam statuti quid loquitur 'De extimatione et emendatione equorum domini potestatis' [20] vel alia quacumque de causa ex qua aliud permetteretur secundum formam nostrorum statutorum. Et pro dicto salario teneatur ipse dominus potestas et sua familia ac etiam beroarii facere omnes et singulas ambaxiatas, cavalcatas, exercitus, custodias et andatas que et qui occurrerent fiende in civitate vel districtu Bononie et omnia et singula que facere tenerentur et deberent. Volumus insuper quod potestas teneatur et debeat inscriptis dari facere manu notarii publicata notario camere actorum comunis Bononie vel alteri eorum infra quinque dies ad introitu eius officii nomina et prenomina cuiuslibet de sua familia et terram sive locum de quo est quilibet de predictis. Et ad quod officium quilibet eorum est deputatus, pena ipsi domino potestati si in predictis fuerit negligens centum librarum bononinorum ab eo de facto auferenda tempore sui sindicatus de quo specialiter sindicari debeat per eius syndicatores. Et idem intelligatur de subrogando seu subrogandis loco aliquorum seu alicuius siqua subrogatio fieri contingerit infra terciam diem postquam dicta//

[c. 58r f. XLVIII]

subrogatio facta fuerit. Et teneatur mostram dictus dominus potestas de dictis suis officialibus, familia et equis quolibet mense facere et quociens ab officialibus conducte seu a dominis ancianis comunis Bononie fuerit requisitus, sub pena centum librarum bononinorum qualibet vice, de quibus requisitione mostra et deffectibus stetur et credatur scripturis dictorum officialium vel notarii ipsorum vel alterius ex notariis dominorum ancianorum cui scripture ponende ad camaram actorum ut supra stetur contra quemcumque quando in dubium verteretur talem fuisse officialem vel tali officio deputatum. Teneatur etiam dare unam robam integram ex robis suis quibus in regimine uteretur videlicet, varatam extimationis ad minus tregintaquinque librarum bononinorum magistro Iohanni de Viola capelle Sancti Iohannis in Monte et Iohanni condam Michaelis Addami orbo seu cecho⁹⁴, inter ipsos equaliter dividendam Qui pro predictis teneantur et debeant dominos ancianos et dominum potestatem sociare ad quascumque festivitates pulsando cum instrumentis eorum. Et eis vel aliquo eorum deficientibus vel remotis seu defuntis debeat dicta roba dari ei vel eis cui vel quibus providebitur per dominos ancianos qui pro tempore fuerint vel maiorem partem eorum. Qui etiam potestas teneatur in fine sui officii consignare et dimittere massarolo comunis Bononie pro ipso comuni recipienti duas bonas balistas a staffa cum crochis precii et extimationis duorum ducatorum pro qualibet balista et quatuor pavesia bona et sufficientia ad insignia armorum ipsius picta. Que pavesia et baliste si fuerint sufficientes vel sufficientia approbari debeant per massarolum predictum, sub pena viginti quinque librarum bononinorum dicto domino potestati ab eo auferenda tempore sui sindicatus.

⁹⁴ <cecho> segue una riga sagittale tracciata per un'ampiezza corrispondente a circa 7 lettere.

[3] **De mittendo per dominum potestatem comunis et populi Bononie. Rubrica.**
[cc. 58r-58v]

Ordinamus quod facta nominatione seu electione potestatis novi infra terciam diem proxime subsequentem, elligatur per dominos ancianos, qui pro tempore erunt, unus ex bannitoribus comunis Bononie in syndicum dicti comunis, qui infra quintam diem a die qua constiterit ipsis dominis ancianis ipsum talem electum in potestatem acceptare velle vadat una⁹⁵ cum notario ad hoc specialiter elligendo in consilio quatuormillium civitatis Bononie ad potestatem novum et electum et presentet eidem literas ex parte comunis et populi Bononie et dictorum ancianorum de electione ipsius. In quibus literis continentur quod infra tres dies a die presentationis predictae debeat respondere si acceptat electionem potestarie de se factam vel eidem renunciat infra terminum predictum. Et si acceptaverit iuret atque promittat dicto sindicho nomine comunis Bononie recipienti in consilio sue terre vel in consilio terre ubi erit de veniendo ad regimen potestarie civitatis Bononie sibi presentatum et ipsum regimine faciendo et exercendo secundum formam sacramenti et officii sui, forma cuius sacramenti etiam mittatur eidem in publicam formam et copia statuti de adventu domini potestatis et statuti de syndicato ipsius cum statuto de salario et familia ipsius. Notarius vero predictus de ipsa presentatione, acceptatione, sacramento et promissione vel renunciatione, si renunciaverit, conficiat publicum instrumentum. Et predictus syndicus possit et debeat potestati acceptanti promittere solutionem salarii ipsius secundum modum et formam statutorum comunis Bononie. Quam presentationem dictus syndicus facere teneatur dicto domino potestati electo ea die vel sequenti qua idem syndicus applicuerit civitati seu in loco in quo//

[c. 58v]

vel qua fuerit ipse electus. Predictas autem literas faciat seu fieri faciat cancellarius comunis Bononie seu alter ex notariis dominorum ancianorum et mittantur litere infrascripti tenoris, quarum literarum talem tenorem volumus esse. Decenti salutatione premissa, quia mundo posito in maligno merito inter ceteras populorum solitudines hoc temporaliter debet esse principium sicut sibi bonum rectorem elligere cum de manibus cuiuscumque rectoris tocuis sibi commissi regiminis et officii pendet salus. Et maxime cum ex dispositione sani capitis membrorum universa tranquillitas gubernetur huius nempe desiderii fervore viri solliciti et prudentes quibus iuxta formam nostrorum statutorum elligendi fuit attributa potestas vestri cellebris nominis vires metiendo ac ponderando virtutes personam vestram a kalendis proxime venturis in antea pro semestri tempore accessuram in nostrum potestatem populi et comunis civitatis Bononie consensu et voluntate unanimi elegerunt. Quo circa nobilitati vestre, pro illa salarii quantitate et cum hiis sociatus vicario et militibus, notariis ac equis et reliqua familia, qui per ipsos actus laudabiles vos ornent et honorent, et aliis que transmissa vobis per nostrum syndicum et etiam alia comunis et populi Bononie statuta declarant⁹⁶ ipsius officii regimen offerentes, grandi vos aviditate precamur quantus ipsam electionem et oblatum officium acceptantes si complacet iuxta premissorum statutorum formam ordinato termino debeatis ad civitatem Bononie vos conferre alioquin electionem de vobis factam cassamus et irritamus omnino.

[4] **De adventu domini potestatis Bononie. Rubrica.** [cc. 58v-59r]

⁹⁵ <una> segue la lettera a cancellata.

⁹⁶ <deklarant> segue et cassato.

Statuimus quod quilibet potestas Bononie de ceptero elligendus venire debeat cum tota sua familia et equis, insignis, armis et arnesiis ad civitatem Bononie per quatuor dies ad minus ante primam diem sui officii incoandi. Et eo die quo ingressus fuerit civitatem predictam ante omnia accedere debeat ad palatium dominorum ancianorum et consulum comunis et populi civitatis Bononie, et ibidem iurare ipse et suus vicarius in manibus domini vexiliferi iustitie vel prioris dominorum ancianorum vel vicarii domini summi pontificis pro romana Ecclesia in civitate Bononie existenti secundum modum et formam nostrorum statutorum super libris statutorum comunis Bononie ibidem presentatis corporaliter, ipsis libris tactis in manibus iuramentum deferentis et recipientis vice et nomine predictorum dictum officium potestarie bene et legaliter facere et exercere secundum formam statutorum et ordinamentorum civitatis predictae et iuris et secundum formam sui officii et sacramenti infrascripti et alia iuret et fatiat que in ipso officio vel sacramento continentur simpliciter et absolute et sine aliqua protestatione vel appositione seu obmissione verborum ex quibus ipsa forma sacramenti posset aliquo modo viciari. Et incontinenti, dicto sacramento prebito, visitare debeat altare beati Petri apostoli maioris ecclesie bononiensis. Et eodem modo et tempore vel postea infra duos dies post initium officii dicti domini potestatis iurare teneantur iudices, milites et notarii et beroarii ipsius potestatis in manibus eius cui predicti domini anciani commiserint. Qui potestas teneatur dare in scriptis nomina et prenomina suorum officialium et familie secundum formam statuti positi sub rubrica 'De syndicato domini potestatis' [22]. Ac etiam infra quinque dies ab introitu sui officii facere registrari literas sue electionis et sui officii et baylie per notarios qui preherunt ad camaram actorum comunis et populi Bononie. Et stare et morari debeat suis expensis ipse potestas cum tota eius familia dictis quatuor diebus ante primam diem sui officii incoandi in hospitio et interim videre et//

[c.59r f. XLVIII^{or}]

examinare statuta comunis Bononie. Et a principio sui regiminis usque ad finem in palaciis et domibus palaciorum ipsius domini potestatis et comunis Bononie in quibus potestates soliti sunt morari. Et si non venerit ipse potestas ad regimen vel si venerit, set non ad terminum predictum vel si venerit et non steterit ad illud officium operandum, quocumque modo impeditus, non possit petere nec recipere ipse vel eius heredes aliquid de salario sibi ordinato in totum vel pro parte aliqua. Si vero ad terminum venerit et steterit et per aliquam partem temporis fuerit officium operatus, tunc etiam habere non debeat, nisi pro ea parte temporis quo fuerit operatus officium, si pro residua parte temporis illud operari morte vel excusabili casu vel causa fuerit impeditus, aliarum nichil etiam pro preterito tempore consequatur. Et venire debeat et reddere et ad syndicatum stare cum tota sua familia omnibus suis risighis, periculis et expensis. Et cum ingressus fuerit districtum Bononie adventum suum et diem et horam qua civitatem ingredi voluerit dominis ancianis vel ei cui in officio succedet notificare teneatur⁹⁷ quod dictum est supra et si non venerit huc usque idem intelligatur in domino capitaneo populi et in quolibet alio officiali forensse.

[5] **De forma sacramenti domini potestatis Bononie. Rubrica.** [cc. 59r-59v]

Iuro ego potestas Bononie per Deum omnipotentem, et Filium eius unigenitum dominum nostrum Iesum Christum, et Spiritum Sanctum, et per sanctam et gloriosam genitricem et semper virginem Mariam, et per quatuor Evangelista et per sanctos archangellos Michaellem et Cabrielem, quod cristianus sum et communicator sancte Dey et apostolice Ecclesie et fidelis amator presentis status comunis et populi civitatis

⁹⁷ <teneatur> *segue et cassato.*

Bononie nec a comunione fidelium sum remotus, et civitatem, comunitatum, castra, terras et loca districtus Bononie, et personas dicte civitatis et districtus et iura ipsius toto tempore meo regiminis bona fide, solícite et cum omni studio et labore sine fraude et machinatione regere, gubernare, defendere et tueri, ac etiam iusta posse augere curabo ad honorem et statum predictum et augmentum predicti comunis et populi Bononie Et ad honorem et statum magnificorum dominorum dominorum ancianorum et consulum populi et comunis Bononie. Et iuro societates artium dicte civitatis et homines earundem defendere et manutenere totis viribus Quod regimen gerere et terminare profiteor et intendo prout Dominus michi gratiam ministrabit et puram conscientiam ab omni vicio separatam fideleque servitium me exhibiturum promitto populi et comuni Bononie et omnem laborem et sudorem cum favore, sine dolo et arte seu malignitate aliqua in comissa michi administratione officii potestarie predictae lectanter suscipiam nullique penitus dedi nec dabo nec promisi occasione dicte potestarie michi concessae et pure et simpliciter me exhibebo circa subiectos singulos civitatis et districtus eiusdem et devotos patriae tractabo et undique iusta meam possibilitatem illesos custodiam et in causis et publicis disciplinis omnibus ero equus nil ultra quam iustum erit impetrabo, universa delicta puniam eosque qui innoxii erunt undique illesos servabo, nosiis autem debitum supplicium imponam et omnem equitatem et iusticiam secundum iuris civilis et statutorum presencium formam servabo, contentusque sum et ero meo salario ordinato nec ultra aliquid petam vel accipiam puras manus ab omni illicita perceptione et questu habeo, credencias michi impositas//

[c. 59v]

tenebo et per me meumque vicarium et meam familiam michi assidentem dictum regimen exercebo et curabo, quod sicut ego ita et ipsi puri erunt et legaliter officium exercebunt. Iuro etiam servare et servari facere statuta et ordinamenta comunis Bononie facta et fienda et ubi ius municipale deesset ius comune civile servare et cetera alia facere et servare que ad meum officium vel regimen quomodolibet pertinerent et servari facere per quemlibet de familia mea omnia que ad meum vel eorum officium pertinerent Si vero hec omnia ita non servabo, in hoc seculo recipiam talionem et in futuro in terribili iudicio magni Dei domini et salvatoris nostri Iesu Christi et habeam partem cum Iuda et lepram greci et tremorem Chayni. Et insuper subiectus ero pro quolibet statuto, ordinamento vel capitulo huius sacramenti non servato penis que reperirentur in iure aliquo municipali statutorum comunis Bononie vel aliquo iure comuni civili, deficientibus statutis, quibus omnibus et singulis me sponte obligo et submitto.

[6] **De officio et iurisdictione domini potestatis. Rubrica.** [cc. 59v-61r]

Declaramus quod quilibet potestas Bononie, qui pro tempore fuerit duraturus tempore sui officii habeat et habere intelligatur et exercere possit in tota civitate, comitatu et districtu Bononie merum et mistum imperium et ordinariam, voluntariam et contenciosam iurisdictionem, animadversionem⁹⁸ et gladii potestatem in cognoscendo, procedendo, terminando et exequendo in quibuslibet litibus seu causis civilibus et criminalibus, servando semper in predictis omnibus iura municipalia populi et comunis Bononie in hiis casibus in quibus disponent, alias ius comune civile hiis exceptis, que⁹⁹ eidem potestati quomodolibet sint interdicta. Ita tamen quod predicta non sic in ipsum potestatem transferantur quin quocumque quod per ipsum comune Bononie generaliter seu particulariter revocari valeant et ab eodem auferi. Et honorem et iurisdictionem dominorum ancianorum et consulum populi Bononie et societatum artium

⁹⁸ <animadversionem> *nel testo* animadversionem.

⁹⁹ <que> *segue et cassato*.

dicte civitatis et homines earundem defendere et manutenere totis viribus teneatur. Et singulis diebus et horis iuridicis in causis civilibus vel criminalibus debeat palatia aperta tenere et cum suis officialibus stare in palatio veteri ad loca ordinata et cuicumque petenti ius reddere et redi facere debeat. Facilemque in audiendo se prebeat et pacientur audiat et iuste respondeat, nec prohiberi paciatur vel faciat aliquem libere accedere ad eum et suos iudices, officiales seu familiares. Et hostium aliquod nullo modo patiatur apponi ad aliquas schalas palacii seu domorum ipsius in quibus habitat per quod liber et expeditus additus quoquomodo non possit haberi horis iuridicis et aliis horis debitis congruis et honestis ad ipsum dominum potestatem eius iudices et familiam, nec portam seu portellum ipsius domini potestatis paciatur stare clausum vel clausam, quim ad eum vel eius familiam liber habeatur accessus. Nec aliquod hedictum prohibitorium vel personale esse vel poni permittat per quem vel quid impediri possit iter ad ipsum dominum potestatem et ad camaras iudicum vel notariorum ipsius domini potestatis. Et omnibus iusticiam observet et fatiat ne impotentes a potencioribus opprimantur. Orffanis, pupillis et viduis et etiam miserabilibus personis secundum iusticiam faveat iusta posse. Ab iniuriis et obrobriis illicitis se abstineat, fideliter et honeste se gerat, nec ad loca//

[c. 60r f. L]

inhonesta accedat ubi utilitas officii non adesset. Extra palatia et domos palaciorum non debeat pernotare, nec discedere debeat de civitate Bononie et districtu vel pati quod disedat aliquis de eius familia, nisi finito tempore syndicatus. Et mittere debeat ipse potestas per civitatem Bononie de die et de nocte rimando de armis et ludentibus ad azardum et facientibus aliud prohibitum. Nullosque captos detrudi vel incarcerari faciat vel fieri paciatur per aliquem eius officialem vel de sua familia in Predacoloria vel alio carcere quam novo vel veteri comunis Bononie, nisi banniti essent de maleficio ex quo mori deberent vel membro aliquo mutilari Et bannitos et malefactores capiat et contra eos procedat et puniat prout exigit forma iuris et statutorum comunis Bononie. Et civitatem et castra comitatum et districtum eiusdem protegere teneatur et protegat comune et singulares personas dilligat et eos in eorum iuribus defendat modis omnibus iuxta posse, et statuta societatum artium legiptime approbata observet et observari faciat. Et beneflicia studii et universitatis scolarium forensium civitatis Bononie, dum tamen non derogent aut contradicant constitutionibus aliquibus alicuius collegii doctorum, ac etiam constitutiones collegiorum doctorum civitatis Bononie cuiuscumque iuris et cuiuscumque facultatis. Et ipsum studium ac scholares manutenere, defendere et augere debeat et eis omnibus favere iusticia suadente. Providentes insuper et mandantes quod ipse potestas teneatur per se vel alium de sua familia maxime per iudicem exactorem ad discum Ursii exigere omnes et singulas condempnationes et multas factas et datas tempore sui regiminis vel precessorum suorum quorum terminus solutionis lapssus esset, que venirent comuni Bononie applicande si ad dischum Ursii consignate reperiantur a quibuscumque a quibus exigi possent vel deberent secundum formam statutorum comunis Bononie nisi per eandem statuta exactio prohibita videretur. Et si in predictis negligens fuerit condempnationes quas non exigerit in suo salario imputare et compensare teneatur, et sic idem imputentur et compensentur de qua negligentia credatur et stetur declarationi syndicorum, qui ipsum debuerint syndicare Que pena locum habeat in hiis et de hiis condempnationibus et multis tantum quarum terminus solutionis venisset infra quatuor primos menses sui regiminis antedicti. Et eodem modo exigere et exigi facere teneatur ut supra omne id et quidquid comuni Bononie deberetur quacumque de causa et maxime omne id de quo pro malpagho aliquis descriptus et datus reperiretur ad dischum Ursii infra quatuor menses predictos vel tempore suorum precessorum, si legiptima defensio non fieret ab eisdem, sub pena eidem negligenti

quatuor solidorum bononinorum pro qualibet libra eius de quo exactio facta non fuisset. Et teneatur dare et dari facere de beroariis suis unicuique petenti pro capiendis bannitos pro malefficio vel debito seu condempnatis vel multatis in comuni Bononie quacunque de causa in casu in quo exigi deberent ex forma presentium statutorum et pro agravandis et pignorandis quibuscumque qui in relatione nunptiorum pignora dare denegarent vel de ilius pignorandi familia et pro executionibus sententiarum¹⁰⁰ et aliorum quorumcumque actuum quibus aliqui se//

[c. 60v]

opponerent. Prohibentes expresse quod ipse dominus potestas vel aliquis de sua familia seu beroarii sui pro predictis vel aliquo predictorum vel pro aliquibus aliis que ad ipsorum vel alterius ipsorum officium pertinerent vel aliquibus aliis que eis committerentur vel per alterum eorum fierent eciam si ad eorum officium non pertinerent non possit vel debeat aliquid petere, exigere vel recipere a comuni Bononie vel aliqua alia singulari persona, collegio vel universitate etiam a sponte dare volentibus per se vel alium, directe vel per oblicum, sub pretestu salarii seu alicuius viatici vel espense vel alio quocumque colore et a ceteris aliis prohibitis et illicitis se debeat abstinere pena dicto domino potestati et cuilibet de dictis suis iudicibus, militibus, notariis, domicellis, beroariis, ragatiis et quibuscumque suis familiaribus in aliquo predictorum vel in predictis contrafacientibus centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice qua fuerit contrafactum, non obstante aliqua consuetudine vel abusu qui vel que diceretur hactenus observata. Et teneatur potestas pro quolibet dictorum suorum officialium et familiarium, qui contrafecerint, ut supra, nisi ipsum delinquentem exhiberet, cuius pene medietas sit comunis et alia dampnum vel iniuriam passi. Teneatur etiam ipse potestas per se vel suum vicarium libros processuum intitulos, subscriptos et publicatos manu notariorum, qui eos scripserint et pictos super eorum copertis ad arma seu insignia dicti domini potestatis ac etiam scripturas, acta et agitata coram eo vel aliquo de sua curia tempore sui officii, que per notarios de sua familia scripta fuissent etiam si terminata non essent per decem dies ante exitum sui officii consignare per publicum instrumentum cum inventario dictorum librorum et scripturarum scriptorum manu illius notarii, qui librum vel scripturam confecerit dominis ancianis comunis Bononie vel saltem duobus ex eis per ipsos custodienda et salvanda et assignanda novo successori vel eius vicario finito sindicatu precessoris sui et dictis libris reassignatis vel post terminum predictum datum ad assignandum ipse potestas vel aliquis de sua familia non possit procedere vel facere aliquam novitatem ex eis, sed eius successori terminanda relinquuntur in tempus sui regiminis et in eis aliqua tempora non curant, usque in dictum tempus quo dicti libri reassignati fuerint novo potestati vel eius vicario Qua consignatione facta dictis dominis ancianis ut supra teneantur ipsi domini anciani, ea die vel sequenti, elligere duos iuris peritos et duos notarios cives civitatis Bononie. Qui sic ellecti iurare teneantur sibi comissa seu comittenda fideliter facere et exercere et in secreto tenere durante officio talis sindicandi. Quibus sic ellectis dicti domini anciani tradant omnes libros, acta et scripturas eisdem ut supra assignata et tradicta per ipsos examinanda et videnda siquid in eis vel circha ea sit commissum seu obmissum contra formam iuris seu statutorum comunis Bononie et omnes et singulos defectus in eis vel aliquo eorum repertos in scriptis redigant et ipsos tradant et consignent prefatis dominis ancianis, una copia penes ipsos retenta, pro quibus expediendis teneantur dicti ellecti se bis in die congregare in palacio ressidencie dictorum dominorum ancianorum donec predicta expediverint Omnia vero per dictos ellectos ut supra reperta et dictis dominis ancianis consignata

¹⁰⁰ <sententiarum> *su rasura*.

teneantur ipsi dominis anciani tradere et consignare sindico ipsius domini potestatis quam primum fuerint deputati. In maleficiis vero postea commitendis usque in¹⁰¹ tempus novi potestatis et in preteritis super quibus¹⁰²//
[c. 61r f. LI]

nulla acta facta fuissent de quibus possit secundam formam nostrorum statutorum procedi per viam accusationis vel inquisitionis. Primus potestas possit cognoscere et procedere et acta que super eis fierent per duos dies ante finem sui regiminis consignare teneatur dictis dominis ancianis conservanda, examinanda et demum consignanda ut supra. Ubi vero successor non venerit consignatio fiat omnium actorum medio tempore factorum predictis dominis ancianis ut supra conservandorum ut supra nec tempora curant nisi ut supra. Si vero fuerint acta et scripture sui precessoris et ad camaram actorum populi et comunis Bononie et penes officiales ipsius camere debeat consignare nisi in dictis libris aliqui processus essent pendentes, quos libros teneatur consignare prefatis dominis ancianis eo modo et forma quo et qua tenetur libros sui officii consignare, de quibus designationibus fieri debeant publica instrumenta manu unius vel plurium notariorum civitatis Bononie, set si fuerint singularium personarum ei restituantur qui produxerit vel cuius fuerint ipsa iura si questiones fuerint terminate, alias consignentur dictis dominis ancianis ut supra. Et si contingerit ipsum dominum potestatem ratione alicuius inhobedientie vel excessus aliquam penam imponere in casu sibi permissio secundum formam statutorum teneatur preceptum de solvendo scribi facere per unum ex notariis suis seu ex notariis ad dischum Leonis seu ipsius potestatis, et in formam publicam consignari et dimicti ad dischum Ursii penes officiales dicti dischi infra octo dies a die precepti et aliter imponere non possit nisi sic scriptum fuerit. Et si consignatum non fuerit ut supra non possit cogi et cum consignatum fuerit per iudicem Ursii exigatur ipsa pena sine detractioe aliqua etiam termino mensis non expectato Et generaliter teneatur omnia et singula statuta et ordinamenta comunis Bononie facta et fienda servare et servari facere et executioni mandare omnia et singula que eius vel familie sue officio committuntur vel committentur, sub penis appositis et apponendis et de omnibus gestis et gerendis per eum et suam familiam in dicto officio vel eius occasione et in quibus etiam extra officium delinquissent eo tamen durante teneatur redere rationem et stare ad sindicatum cum tota dicta sua familia secundum formam statutorum comunis Bononie de hoc loquentium.

[7] **De officio vicarii domini potestatis Bononie et eius sacramento. Rubrica.** [cc. 61r-61v]

Providemus quod vicarius domini potestatis Bononie, qui pro tempore fuerit possit cognoscere de omnibus et singulis causis civilibus, que coram eo moverentur vel coram suis precessoribus mote fuissent et in eis procedere, terminare et executioni mandare secundum formam statutorum et ordinamentorum comunis Bononie, que in eis servari mandamus quatenus de eis disponerent, alias secundum formam iuris comunis civilis. Et etiam de quibuscumque causis criminalibus dum tamen penam sanguinis vel aliam personalem seu pecuniariam maiorem centum librarum bononinorum non possit imponere, quam solus potestas possit imponere etiam exactis vicarii supradicti secundum tamen formam statutorum vel iuris ut dictum est. Et generaliter omnia facere possit et teneatur exercere et expedire que ipse potestas facere, exercere et expedire posset vel teneretur vel eidem potestati comissa fuissent vel comitterentur quomodocumque preter dictam penam sanguinis vel aliam personalem seu pecuniariam

¹⁰¹ <in> scritto a margine laterale sinistro con segno di rinvio, sostituisce ad espunto.

¹⁰² Nel margine inferiore della carta: nulla acta facta fuissent.

supra prohibitam. Et in predictis omnibus habeat et habere intelligatur ipse vicarius ordinariam iurisdictionem et tam voluntariam quam contenciosam. Si tamen potestas// [c. 61v]

legitime absens fuerit a civitate Bononie vel taliter impeditus quod per ipsum illa expedire non possit. Et tunc ex speciali commissione per potestatem fienda possit vicarius etiam dictas penas imponere sicut potestas posset durante dumtaxat absentia seu impedimento predictis. Et hiis casibus absentie et impedimenti nedum possit, sed etiam teneatur dictus vicarius exequi omnia que potestatis officio comittuntur. Teneatur etiam dictus vicarius singulis diebus et horis iuridicis stare in palatiis comunis Bononie in solitis locis iuridicis, cum potestate et sine, et cuicumque petenti ius reddere, et in eorum causis procedere prout ex forma dictorum statutorum vel iuris civilis ut supra fuerit procedendum. Et generaliter omnia facere possit et teneatur que eiusdem vicarii officio commissa sunt vel comittentur. Et statuta et ordinamenta comunis Bononie servare et servari facere, tam facta quam fienda. Et de predictis omnibus servandis et executioni mandandis teneatur prestare corporale sacramentum. Et etiam de gestis et gerendis reddere rationem et stare ad sindicatum cum dicto potestate secundum formam statutorum comunis Bononie. Declarantes quod notarii disco et officio Leonis et domini potestatis deputati seu deputandi et quilibet eorum sint et esse intelligantur notarii et officiales in dictis causis civilibus per vicarium cognoscendis, reservato semper officio quorumlibet officialium officio malefficiorum novorum seu parvorum. Ubi vero de calumpnia alicuius accusationis facto de dampno dato coram aliquo officiali comunis Bononie tractaretur possint predicti notarii ad dischum Leonis deputati acta et sentencias dicte querele calumpnie scribere. Super quibus calumpniosis, accusationibus et denunptiationibus cognitionem habeat ipse potestas et eius vicarius secundum quod infra in nostris statutis continetur etiam officialibus inhibendo.

[8] De officio iudicis Aquille et eius sacramento. Rubrica. [c. 61v]

Item statuerunt quod iudex potestatis, qui preherit ad discum Aquille possit, teneatur et debeat cognoscere de omnibus et singulis causis civilibus, que coram eo moverentur vel coram suis precessoribus mote fuissent et in eis procedere, terminare et executioni mandare secundum formam statutorum et ordinamentorum comunis Bononie, que in eis debeant observari quatenus¹⁰³ de eis disponerent alias¹⁰⁴ secundum formam iuris comunis civilis et in predictis omnibus et singulis habeat ordinariam iurisdictionem, tam voluntariam quam contenciosam. Et singulis diebus et horis iuridicis stare debeat in palaciis comunis Bononie in solito loco suo et cuicumque petenti ius reddere et in eorum causis procedere prout ex forma statutorum comunis Bononie vel iuris civilis ut supra fuerit procedendum. Et generaliter omnia et singula facere possit et teneatur que eidem vel eius officio comissa sunt vel committentur et in omnibus servare statuta et ordinamenta comunis Bononie. Et in predictis omnibus observandis et executioni mandandis teneatur prestare corporale sacramentum et etiam de gestis et gerendis per eum redere rationem et stare ad sindicatum cum dicto potestate secundum formam statutorum comunis Bononie de hoc loquentium.// [c. 62r f. LII]

[9] De officio iudicum domini potestatis ad maleficia et eorum sacramento. Rubrica. [c. 62r]

¹⁰³ <quatenus> *su rasura.*

¹⁰⁴ <alias> *su rasura.*

Item statuerunt quod iudices potestatis, qui pro tempore fuerint ad malefficia deputati, possint inquirere de omnibus et singulis maleficiis de quibus inquisitio eis vel potestati permittitur ex forma statutorum seu ordinamentorum comunis Bononie. Et etiam inquirere teneantur de maleficiis in casibus in quibus ipsi vel dictus potestas teneatur inquirere per statuta predicta inquirendo et inquisitionem perficiendo semper secundum formam dictorum statutorum. Et etiam accusationes et denuntiationes que de ipsis maleficiis vel aliis quibuscumque pertinentibus ad iurisdictionem domini potestatis fierent recipere si de iure recipiende fuerint. Et super inquisitionibus, accusationibus et denuntiationibus et omnibus predictis procedere, et omnia occurrentia in media cause usque ad difinitivam sententiam prosequi, perficere et terminare. Que sententia difinitiva potestati et etiam eius vicario in casu in quo condempnatio ad ipsum vicarium pertineret relinquatur suo tempore facienda. Possint etiam et teneantur eodem modo de civilibus ex maleficiis defendentibus cognoscere et procedere, si in accusatione vel inquisitione de eis principaliter intendatur. Et etiam eodem modo possint cognoscere, procedere et terminare de dampnis et interesse ac expensis ad quas et que partes ad invicem tenerentur¹⁰⁵ ex¹⁰⁶ processibus, accusationibus seu inquisitionibus supradictis vel eorum occasione. Et de predictis omnibus observandis et executioni mandandis teneantur prestare corporale sacramentum. Et etiam de gestis et gerendis per eos reddere rationem et stare ad sindicatum cum dicto potestate secundum formam statuti de hoc loquentis. Nec ab ipsorum iudicum sententiis seu pronuntiationibus in dictis causis civilibus et criminalibus liceat appellare vel restitutionem impetrare.

[10] **De officio iudicis exactoris ad dischum Ursii. Rubrica.** [cc. 62r-66r]

[10.1] **Primum capitulum de condempnationibus exigendis et non exigendis. Rubrica.** [cc. 62r-62v]

Statuimus ut comune Bononie sibi debitum consequatur quod iudes potestatis Bononie exactor ad dischum Ursii, qui pro tempore fuerit possit et teneatur efficaciter exigere et exigi facere omnes et singulas condempnationes et multas quocumque tempore et ex quacumque causa et per quencumque factas et fiendas ac datas et dandas que veniant comuni Bononie applicande si et quatenus in forma publica posite et consignate reperirentur ad dischum Ursii et penes officiales dicti dischi, ellapso demum termino solutionis fiende et non ante. Et si terminus non esset appositus a condempnante vel a lege municipali, tunc quam cicius fieri poterit, non obstantibus exceptioni predictae aliquibus exceptionibus seu appositionibus que fierent nisi foret exceptio solutionis vel absolutionis vel alia que eidem competeret ex forma alicuius nostri statuti, et etiam penam quarti ratione sortis ad terminum non solute. Salvo semper termino dato condempnatis et eorum fideiussoribus ad solvendum post terminum principalem et beneffitio post terminum predictum principalis eisdem fideiussoribus concessio.//

[c. 62v]

[10.2] **Secundum capitulum de exactione daciolorum et gabellarum. Rubrica.** [c. 62r]

Item possit et teneatur exigere omne id et quicquid comuni Bononie deberetur pro precio vel mercede seu causa alicuius daci vel gabelle quid vel quam dictum comune seu eius officiales ad hoc deputati vendidissent vel locavissent et omne illud datum seu honus impositum seu imponendum de tempore in tempus quod principaliter comuni Bononie solvi debuisset vel deberet tam pro preterito tempore quam futuro. Elapso

¹⁰⁵ <tenerentur> segue il compendio di pro canellato.

¹⁰⁶ <ex> in infralinea.

demum termino cuiuslibet solutionis fiende et etiam penam quarti ratione sortis ad terminum non solute, que pena quarti tunc demum exigatur si ille qui ad terminum non solvisset de ipso non soluto ad discum Ursii pro malpagho fuerit consignatus Possit etiam teneatur et debeat iudex predictus prestare ausilium et favorem quibuscumque daciariis et conductoribus daciarum contra quoscunque solvere debentes datia vel gabellas conductoribus predictis ad requisitionem dictorum conductorum vel alterius pro eis. Ac etiam habeat iurisdictionem, potestatem et bayliam procedendi, cognoscendi et terminandi de omnibus et singulis questionibus occurrentibus tam inter conductores ipsorum daciarum et socios et participes et officiales ipsorum, quam etiam inter ipsos conductores et solvere debentes datium aliquid seu debitores esse dicerentur alicuius dacia vel gabelle summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii omni tempore etiam feriato, quo ius in criminalibus reddi posset. Quas questiones terminare teneatur et debeat infra duos menses a die contradictionis facte post legiptimationem personarum utriusque partis si legiptimate fuerint aliter si legiptimate non fuerint quia de personis non fuerit contentio a die contradictionis. Et idem decernimus in iudice daciarum.

[10.3] Tertium capitulum de modo exigendi condempnationes, dacia et gabellas et de iurisdictione que competit in predictos et a quibus fiat exactio. Rubrica. [cc. 62v-63v]

Item quod ipse iudex exactionem predictam facere possit et teneatur simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, ipso facto, omni loco et tempore etiam feriato, quo ius in criminalibus¹⁰⁷ reddi posset et etiam¹⁰⁸ petitione non oblata et pronuntpiatione aliqua non fienda a quibuscumque pro predictis quomodolibet obligatis videlicet, ab ipsis principalibus et eorum heredibus, ab ipsorum principalium fideiussoribus siqui prestiti fuerint et fideiussorum heredibus et in subsidium ab ipsorum fideiussorum approbatoribus et approbatorum heredibus ac fideiussoribus¹⁰⁹ eorundem ubi intervenerint dicte nominate persone et sic asensive in subsidium ab approbatoribus fideiussorum dictorum aprobatorum et ab ipsorum primorum approbatorum heredibus et fideiussoribus et aliis similibus personis anterioribus usque in infinitum et in bonis cuiuslibet predictorum obligatorum seu pro predictis quomodolibet obligatis successive et asensive ut supra. Predictorum autem omnium bona seu ab eis vel altero eorum possessa tempore obligationum personalium de quibus ageretur vel ante per tres menses seu tempore malificii vel inhobedientie si ex maleficio vel inhobedientia, condempnatio vel multa processisset sint et esse ac fuisse intelligantur comuni Bononie expresse et specialiter obligata ab ipso tempore in antea etiam si ex conventionem obligata non fuissent tacite vel expresse. Salvo quod bona heredum talium personali obligatione obligatorum seu ex contractu vel quasi vel ab eis possessa//

[c. 63r f. LIII]

solum a die adhite hereditatis obligata sint et esse intelligantur ut supraEt salvo beneffitio inventarii quid ab heredibus legiptime processisset, quo casu heres non teneatur ultra vires hereditarias. Et pro predictis exequendis et exigendis possit et teneatur principales predictos et ipsorum heredes et fideiussores et fideiussorum heredes personaliter capi et deptineri facere, ac etiam in carceribus comunis Bononie si haberi poterunt sequestrari, nec relapsari possint nisi integre satisfecerint comuni Bononie de sorte et pena predicta, que dicto comuni Bononie deberetur. Et nichilominus eis

¹⁰⁷ <criminalibus> *nel testo* criminabilibus.

¹⁰⁸ <etiam> *nel testo* etia.

¹⁰⁹ <fideiussoribus> *corregge* fideiussorum.

detemptis vel non de bonis predictis mobilibus sive¹¹⁰ immobilibus possit et teneatur capere et incorporare in comuni Bononie, vendi et alienari facere, usque ad integram satisfactionem predictorum, non obstantibus in predictis aliqua obligatione vel alienatione, que post obligationem talium bonorum fuerit subsecuta ordine tamen modo et forma inferius denotatis videlicet, quod primo principalium heredum et fideiussorum suorum et ipsorum fideiussorum heredum capiantur et incorporentur, vendantur et alienentur ut supra et cuiuslibet eorum videlicet, principalium et fideiussorum in solidum, usque ad solidam satisfactionem predictorum inter eos ordine seu obligationis vel solutionis divisionum non atentis. Ubi autem nulla predictorum talia bona reperiantur vel non sufficientia, tunc ad personas approbatorum et heredum ipsorum fideiussorum perveniatur capiendo, deponendo et sequestrando ut supra et nichilominus ad talia bona ipsorum capienda, incorporanda, vendenda ac alienanda ut supra, quatenus a primis exactio fieri realiter non valeat inter ipsos eciam approbatores et eorum heredes et fideiussores¹¹¹ et fideiussorum heredes vel bona ipsorum predicta ordine seu divisione obligationis vel solutionis non atentis ut supra et sic asensive procedatur circa personas et bona approbatorum et fideiussorum dictorum approbatorum et ipsorum primorum approbatorum heredum et fideiussorum et heredum et fideiussorum et aliorum ultimorum in subsidium quatenus a prioribus exactio fieri non valeret. In quibus et super quibus omnibus et super incidentibus et emergentibus possit ipse iudex cognoscere, procedere et terminare et executioni mandare omni modo et tempore ut supra. Nec ab eius sententiis vel processibus liceat contra comune Bononie appellare, salvo quod si condempnatus de preterito vel in futurum ex malefficio ante condempnationis exactionem moriatur seu mortuus esset ipsius condempnatio post mortem predictam ab heredibus seu fideiussoribus suis vel aliis predictis ulterioribus vel in bonis ipsius mortui vel alicuius predictorum fieri non valeat ullo modo nec bona publicari vel destrui ymo possit ad petitionem cuiuslibet cancelari libere¹¹² et impune. Et idem intelligatur et servetur de quibuscumque condempnatis oblatis seu ofertis. De quorum oblatione credatur et stetur scripture publice facte manu alterius notarii dominorum ancianorum vel alterius notarii de hoc potestatem habentis. Si vero talis condempnatus pro malefficio pro ipsa condempnatione detemptus fuerit quamdiu sic detemptus fuerit vel si postquam detemptus fuisset relaxaretur contra voluntatem fideiussorum vel eis non requisitis legitime ab ipsis fideiussoribus vel aliis supra dictis ulterioribus vel in bonis ipsorum exactio non procedat ut supra. Salvo etiam quod condempnationes et banna pecuniaria ratione malefficii vel qui imposita seu imponenda et quocumque//

[c. 63v]

tempore facta vel fienda de aliquibus absentibus quia passi fuerint si poni in banno pro malefficio vel qui nullo modo realiter exigi valeant.

[10.4] Quartum capitulum de modo exigendi onera comitatus et a comunibus terarum et hominibus ac fideiussoribus eorum. Rubrica. [c. 63v]

Item possit et teneatur eodem modo et forma et ordine exigere et exigi facere omnia et singula honera imposita et imponenda comunibus terarum comitatus seu districtus Bononie per ipsum comune Bononie elapso termino cuiuslibet solutionis fiende et in bonis tam ipsorum comunium quam singularum personarum ipsarum terarum vel que per ipsa comunia vel singulares personas ipsorum possiderentur tempore exactionis¹¹³

¹¹⁰ <sive> *su rasura*.

¹¹¹ <fideiussores> *nel testo* fideiussores.

¹¹² <libere> *su rasura*.

¹¹³ <exactionis> *su rasura*.

fiende vel que per ipsa comunia possessa fuissent tempore confectionis extimorum ad que seu quorum tempore dicta honera imposita fuissent, que exactio fiat secundum formam statuti positi sub rubrica 'In quibus locis et qualiter fumantes et cetera' [VI, 74]. Que bona capi et incorporari, vendi et alienari possint ut supra. Et quorum etiam comunium massarii, syndici et singulares persone reperti et reperte in civitate Bononie vel burgis et etiam fideiussores ipsorum comunium si quos pro generali obedientia comuni Bononie facienda prestiterint et ipsorum fideiussores heredes et bona possint capi, deponeri et sequestrari pro exactione predicta et non debeant relaxari ut supra et nichilominus procedatur ut supra. Salvo quod fideiussores comunium vel eorum heredes personaliter vel realiter pro predictis agravari non possint nisi primo requirantur et moneantur per iudicem supradictum pro comune pro quo fideiuserint faciant solvere honera de quorum solutione tunc fienda tractaretur. Et ad hec faciendum terminus competens arbitrio iudicis ordinetur. Salvo quod aliquis opera ruralia non exercens de terris predictis, qui tempore exactionis habitator esset civitatis Bononie vel burgorum et fuisset per duos annos retro continue pro debito vel honore comunis sue terre capi vel deponeri non possit, nec bona ipsius nisi pro rata eum contingente de honore seu debito supradicto. Ubi vero de predictis honeribus pro malpaghis descripti et consignati reperirentur ut supra possint et teneantur etiam penam quarti exigere ratione sortis ad terminum non solute ut supra de sorte dictum est.

[10.5] Quintum capitulum de generali exactione omnium que comuni Bononie deberentur. Rubrica. [c. 63v]

Ordinamus quod eodem modo, forma et ordine predictis iudex Ursii possit et teneatur exigere et exigi facere omne id et quicquid comuni Bononie deberetur vel debebitur alia quacumque ratione vel causa a quibuscumque tam principalibus quam heredibus et fideiussoribus et fideiussorum heredibus et approbatoribus. Et ceteris aliis et in bonis cuiuslibet predictorum ut supra facta fide eidem iudici summarie de debito et monitione et exactione talis debiti facienda. Verum si diceretur aliquem debitorem esse dicti comunis ex eo quia diceretur ipsum generalem seu specialem depositarium fuisse pecunie et averis comunis Bononie seu partis ipsius vel ad eum etiam non depositarium aliquid de bonis vel rebus comunis Bononie pervenisse quid comuni Bononie restituere teneretur et ipsius debiti quantitas seu quid restitui deberet non fuerit liquidata vel liquidatum liquidari solum debeat per illum vel illos cui vel quibus per dominos ancianos comunis Bononie nomine ipsius comunis committeretur. Ita quod sola exactio ad ipsum iudicem exactorem pertineat in eo et de eo quod sic fuerit declaratum vel liquidatum quam facere teneatur et possit ut supra. Salvo quod tales quibus committeretur non possint absolvere talem qui debitor diceretur.//

[c. 64r f. LIIII]

[10.6] Sextum capitulum de excussione bonorum facienda de bonis malpagorum et debitorum comunis Bononie. Rubrica. [c. 64r]

Verum quia dictum est exactionem primo fieri a primis obligatis et in bonis ipsorum et in subsidium ad alios ulteriores perveniri ut supra, decernimus ne¹¹⁴ in excuciendo bona nimia iuris solempnitas requiratur, quod ipse iudex requirat omnes a quibus seu in quorum bonis secundo loco exactio fieri posse diceretur et quibuscumque legitime comparentibus terminum assignet competentem ad indicandum et denunciandum de bonis eorum a quibus et in quibus primo debet fieri exactio. Et eis non indicantibus infra terminum vel legitime citatis non comparentibus ipsi vel alius pro eis postea indicare

¹¹⁴ <ne> *su rasura.*

vel denunciare volentes vel excussionem bonorum fieri petentes non audiantur et ab eis et in bonis ipsorum exactio fiat ut supra eciam excussione alia non precedente. Si vero indicaverint vel denunciaverint et iudex invenerit bona sufficientia, tunc pro ea parte pro qua sufficient in ipsis bonis fiat exactio et pro alia parte seu pro residuo contra ceteros obligatos et in bonis ipsorum ut supra. Ubi autem bona indicata fuerint primorum obligatorum vel aliter ad ipsius iudicis noticiam pervenerint teneatur ipse iudex facere fieri unam cridam per alterum¹¹⁵ ex bannitoribus comunis Bononie in palatio ad discum Ursii et eciam ad arengheriam comunis et super ambabus scalis palacii et per totam civitatem Bononie in locis consuetis et etiam ante domum solite ultime habitationis illius debitoris ad quem dicta bona pertinere dicerentur si in civitate Bononie habitet vel sit solitus habitare quod siquis haberet ius aliquid in ipsis bonis coram ipso iudice infra decem dies si¹¹⁶ fuerint ipsi qui iura haberent habitatores civitatis Bononie vel guardie si vero in districtu infra quindecim dies si vero extra districtum infra mensem a die cride cum omni suo iure per se vel aliam legiptimam personam debeant comparere et quod alias a termino in antea non audientur. Et nullo comparente infra terminum vel non legiptime vel alio comparente qui iura pociora et priora non haberet in eorum bonis quorum deffensio facta non fuerit exactio fiat ut supra. Si vero aliqui comparuerint priora et pociora iura¹¹⁷ habentes ut supra pronunciet ipse iudex illos priora et pociora habere de quibus iuribus prioribus et pocioribus vel non possit quomodolibet cognoscere, procedere et terminare etiam iuris ordine vel solempnitate non servata solempniter tamen cytatis hiis quorum interesset et sindico comunis Bononie vel saltem officialibus officio gubernatorum iurium dicti comunis et perinde habeatur ac si talia bona indicata non fuissent et bonorum excussio facta esset. Et si ab ulterioribus obligatis et in bonis ipsorum fieri valeat exactio supradicta et sic asensive fieri debeat ubi de bonis esset contentio nec ante ad ultiores gradus pro dicta exactione valeat perveniri. In bonis autem predictis in quibus privati preferri videantur ut supra exactione non procedat pro rata eius pro qua ius ratione sortis pretenderet, salvo quod pro aliquibus penis vel iure pro eisdem penis competente talibus privatis exactio non valeat impediri.

[10.7] Septimum capitulum de vendicione bonorum malpagorum ac debitorum comunis et incorporatione ipsorum. Rubrica. [cc. 64r-65r]

Item cum propter occurrentes expenssas comunis Bononie magis interdum expediat dicto comuni pecuniam habere de bonis debitorum suorum quam ipsa bona in comuni incorporare et ea per se vel alium possidere. Idcirco pro executione et efficaci exactione predictorum, providemus quod si iudex predictus//

[c. 64v]

invenerit de bonis predictis obligatis ut supra a quocumque possideantur qui legiptimam deffensionem non fecerit in quibus fieri debeat dicta exactio possit et teneatur ipse iudex vendi facere nomine comunis Bononie bona predicta seu tantum de suis bonis quid sufficiat ad satisfationem fortis et penarum predictarum cuicumque plus offerenti. Et fiat ipsa venditio ad incantum in palatio veteri comunis Bononie et modo et forma quo locantur datia per illos qui locabunt seu locare debuerint datia comunis Bononie. Et modo et forma quo locantur datia supradicta contractus tamen ipsius venditionis per sindicum comunis Bononie celebretur et fiat Emptores vero ipsorum bonorum plena securitate gaudeant in ipsis bonis ut veri domini et possessores et qui ipsorum bonorum et iurium ad ipsa bona pertinentium efficiantur et sint et perinde

¹¹⁵ <alterum> *segue bannitorum espunto.*

¹¹⁶ <si> *in infralinea.*

¹¹⁷ <iura> *in infralinea.*

habeantur ac si pro veros dominos et possessores vel quasi ipsa venditio facta esset in ipsis bonis ipsi emptores vel qui ab eis in fecturum causam¹¹⁸ pretenderent immediate vel successive non possint inquietari vel molestari per comune Bononie vel aliquam aliam personam vel universitatem ratione seu occasione alicuius alterius iuris prioris vel pocioris seu alia quacumque ratione vel causa dictam venditionem precedente nisi quatenus ex ipsius emptoris vel successoris vel alicuius eius heredis existerit facto contractu vel obligatione tenerentur vel obligata essent dicta bona vel ipse emptor existeret obligatus seu successor eius. Ad ipsam autem venditionem faciendam requirantur illi a quibus in subscidium exactio fieri deberet ne fraus vel colluxio comitatur et ne pro minori precio vendantur quam valerent in eorum preiudicium. Ita quod si ipsi ultra dare vel offerre vellent ad hoc admittantur et ceteris aliis prefferantur antequam fiat instrumentum venditionis predictae. Precium autem quid ex inde percipietur depositario generali seu tesaurario comunis Bononie solvatur et ad introytum comunis Bononie scribatur sub nomine debitoris seu eius cuius bona venderentur pro satisfactione debiti de quo ageretur quatenus concureret cum eodem. In residuo vero quod deesset exactio fiat a ceteris ulterioribus et in bonis modo predicto. Et ita fiat et fieri ac servari debeat ubicumque ad alliam¹¹⁹ venditionem procedi debeat nomine comunis Bononie ratione officii supradicti vel alicuius exactionis faciende. Ubi autem emptor haberi non possit de talibus bonis ter ad minus eis expositis venalibus ad incantum ut supra, tunc per eosdem qui venditionem facere debuerint elligantur extimatores per quos talia bona de quibus emptor non¹²⁰ haberetur extimentur si fuerint immobilia et pro ipsa extimatione comuni Bononie adiudicentur et in ipso comuni incorporentur per iudicem antedictum ad que bona nullus postea possit habere regressum et in eo quid deesset ad satisfactionem comunis ius omne salvum remaneat dicto comuni contra omnes alios supradictos et in aliis bonis ut supra Adhiecientes quod si principales vel alii quorum bona venderentur vel adiudicarentur et incorporarentur ut supra essent pro ipso debito carcerati relaxari non debeant, nisi primo venditionem factam aprobaverint et ratificaverint per publicum instrumentum ac etiam de evictione et defensione generali rerum venditarum promiserint et se et bona sua solempniter obligaverint cum ceteris omnibus que in instrumentis venditionum comuniter in civitate Bononie apponuntur. Et sive detempti fuerint sive non etiam sine promissione vel conventionem aliqua emptori et habentibus causam ab eo ipsi tales quorum bona venderentur et quecumque alia bona eorum teneantur et obligati et obligata sint et esse intelligantur et perinde conveniri et exigi possint ac si ab eis predicta omnia procesissent//

[c. 65r f. LV]

in casu in quo evictio sequeretur et pro rata evitionis. Sed si bona vendita non essent imo adiudicata et incorporata ut supra non relassentur et si capti non essent capiantur et deptineantur nec relapsentur nisi ipsi idem emptores invenerint pro precio pro quo talia bona extimata fuerint ut supra. Cui emptori vel alteri cuicumque postea apparenti fiat venditio per officiales predictos et procedant ut supra et eo casu soluto precio relassentur, salvo quod si exactio facta esset contra alios quam contra principales vel alios contra quos primo fieri debebat ut supra principales vel alii a quibus primo fieri debebat non relapsentur et si capti non essent capiantur et deptineantur donec integre satisfiat hiis contra quos exacto facta fuisset aut consenserint relapsationi eorum.

¹¹⁸ <causam> segue perti espunto e depennato.

¹¹⁹ <alliam> corregge allam.

¹²⁰ <quibus emptor non> su rasura.

[10.8] Octavum capitulum de scripturis et libris malpagorum ad discum Ursii assignandis. Rubrica. [c. 65r]

Item ut debitorum malpaghorum comunis Bononie noticia habeatur et copia per iudicem supradictum, mandamus quod quilibet qui habet vel in futurum haberet aliquos libros malpaghorum vel aliquorum honerum vel debitorum dicti comunis deponere et consignare ac dimittere teneatur penes officiales dischi Ursii infra decem dies a die cride de predictis fiende, sub pena centum librarum bononinorum, quam cridam fieri facere quilibet potestas teneatur infra quindecim dies ab introytu sui officii numerandos, sub pena periurii et vigintiquinque librarum bononinorum de suo salario reptinendarum in prima solutione sui salarii facienda. Et nichilominus ad hoc compelli possint per iudicem supradictum et alium quemcumque iudicem competentem remediis opportunis de predictis possit ipse iudex absolute inquirere et procedere pena autem predicta imponatur per dictum potestatem. Preterea dicimus quod depositarii seu texaurarii generales, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint teneantur omnes malpaghos datiorum et gabellarum et quorumcumque honorum que et quas comune Bononie vendidisset seu locasset vel imposuisset¹²¹ silicet de preciis eorundem et quantitates de quibus essent malpaghi dare in scriptis dicto iudici infra quinque dies elapssis terminis solutionum fiendarum in formam publicam manu unius ex notariis dicti officii, sub pena quinquaginta librarum bononinorum pro qualibet vice qua obmiserit facere supradicta. Et idem facere teneatur de comunibus terrarum que malpaghe reperirentur de solitis honeribus eis impositis per comune Bononie que dictis depositariis solvi consueverunt sub eadem pena. Officiales vero venditioni et distributioni salis comunis deputati et deputandi idem facere teneantur de comunibus terrarum malpaghis de ipso sale sub eadem pena et possit ipse iudex predictos compellere ad predicta remediis opportunis Et hoc nisi aliter reperiretur esse provisum.

[10.9] Nonum capitulum de inquisitione fienda de malpaghis et libris ipsorum et de locationibus registrandis in campione. Rubrica. [cc. 65r-65v]

Item ad hoc ut dicta exactio facilius et celerius fieri valeat mandamus quod dictus iudex debeat dilligenter inquirere de malpaghis predictis ex quacumque de causa malpaghi reperiantur et de libris et scripturis ipsorum vel de eorum heredibus et fideiussoribus et ceteris aliis qui pro predictis conveniri possent vel ab eis exigere valerent supradicta et etiam de conductoribus datiorum et gabellarum tam preteriti temporis quam futuri et fideiussoribus ipsorum et fideiussorum approbatoribus et ipsorum approbatorum fideiussoribus//

[c. 65v]

et de terminis solutionum quibus precium ipsorum datiorum solvi debuisset vel deberet et ante solverint in terminis ordinatis et penes se in scriptis habere et tenere et suo successori consignare et eciam scribi facere in libro campionis locationum daciorum omnes locationes ipsorum daciorum tam factas quam fiendas per alterum ex notariis ad hoc deputatis et ipsos compellere ad predicta remediis opportunis et idem per omnia dicimus in iudice daciorum.

[10.10] Decimum capitulum de iure reddendo fideiussoribus, aprobatoribus et aliis qui pro principalibus gravarentur. Rubrica. [cc. 65v-66r]

Preterea statuimus et iubemus quod si contingeret exactionem predictam vel solutionem debiti seu pene fieri in aliquo casuum premissorum ab aliquibus qui non

¹²¹ <vel imposuisset> a margine laterale destro con segno di rinvio.

fuerint vel essent principales debitores aut heredes eorum vel in bonis ipsorum non principalium vel heredibus ut supra regressum habeant ipsi tales a quibus exactio facta fuerit vel in bonis ipsorum vel qui solverint ut supra pro omni eo toto quid exactum seu solutum fuerit. Et pro expensis et interesse ipsorum contra principales debitores vel eorum heredes et alios quoscumque qui pro predictis essent comuni Bononie obligati a quibus fieri deberet seu debuisset exactio antequam ab ipsis contra quos facta fuisset exactio vel qui solvissent ut supra et in bonis et contra possessores bonorum iuxta ordinationem supradictam. Et quod in omnibus et per omnia quantum est pro eo et toto quid exactum vel solutum fuerit ac expensis et interesse predictis succedat in locum comunis Bononie, ita quod de predictis ius eisdem reddi possit et debeat contra predictos et in bonis predictorum prout et sicut fieri posset vel fieret comuni Bononie et ad eius utilitatem per ipsum iudicem exigendo predicta. Quod ipse iudex facere possit et teneatur et etiam quilibet alius ex iudicibus domini potestatis causis civilibus deputatis qui adhitus fuerit pro predictis. Cui etiam sic solventi vel a quo exactum esset ut supra teneatur dictus iudes dare in solutum de bonis dicti principalis debitores pro quo solvissent vel pro quo ab eo exactio facta fuisset, obligatis comuni Bononie ut supra in precedentibus statutis continetur summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii pro extimatione fienda per extimatores per eum assumendos tantum quid valeat quantitatem quam solverit vel ab eo exacta fuerit et expensas et interesse ipsius ad omnem requisitionem et voluntatem ipsius solventis vel exacti ut supra. Et idem in pluribus principalibus intelligatur ultra virilem portionem solventibus seu a quibus fieret exactio ut supra et in quolibet alio solvente etiam qui pro predictis non fuerit obligatus solvendo choate, precise vel causative silicet ut succedat in predictis in locum comunis Bononie vel de voluntate eius pro quo solverit. Et si fuerit fideiussor comunis alicuius terre comitatus seu districtus Bononie vel singularis persone dicte terre a quo vel qua fieret seu facta esset dicta exactio vel in bonis ipsorum regressum habeant ut supra contra dictum comune et contra quascumque alias singulares personas ipsius terre ex cuius debito exactio procesisset pro quibus omnibus procedatur ut supra. Salvo quod si fuerit fideiussor in aliquo casuum predictorum qui confideiussores haberet qui debitum solvissent vel ultra virilem portionem contra eum exactio facta fuisset contra confideiussores vel alios qui ex persona fideiussoris tenerentur regressum non habeant, nisi pro eo tantum quod ultra suam virilem quod pro virili solvissent vel ab eo//

[c. 66r f. LVI]

exactum fuisset nec etiam pro eo nisi solum pro virili portione cuiuslibet aliorum et pro quibus omnibus exequendis teneatur ipse iudex omnem curam et sollicitudinem habere et stare et esse continue ad dictum officium exercendum hiis diebus exceptis quibus in criminalibus ius reddi non deberet et maxime ad dischum Ursii. Et teneatur dicti potestatis et sue familie quociens opus fuerit ausilium et consilium implorare Et generaliter omnia et singula facere et exercere possit et teneatur que ad exactionem et executionem predictorum expedientia seu neccessaria viderentur et que et prout eidem vel eius officio committuntur vel committentur et observare statuta comunis Bononie et a contis prohibitis et illicitis abstinere. Et si in predictis negligens fuerit puniatur in duobus solidis pro libra eius quantitatis vel rey in qua fuerit negligens arbitrio sindicorum qui eum syndicare debuerint, de qua negligentia stetur declarationi ipsorum. Et pro predictis omnibus observandis corporale iuramentum prestare teneatur, salvo quod non intelligatur negligens si non exigerit condempnationes factas ultimis duobus mensibus sui officii.

[10.11] **Undecim capitulum de conclusione et determinatione dicti officii iudicis exactoris. Rubrica.** [c. 66r]

Ultimo decernimus et firmamus quod potestas tam per se quam per suum vicarium possit et teneatur facere et fieri facere supradicta omnia que ad ipsius etiam officium pertineant maxime in defectu iudicis supradicti, ita quod defectus iudicis non excusetur.

[11] **De generali officio omnium iudicum domini potestatis. Rubrica.** [cc. 66r-66v]

Decernimus quod quilibet ex iudicibus domini potestatis teneatur stare continue cum ipso domino potestate in palatio seu domibus pallatorum in quo ipse morabitur toto tempore sui officii. Et quod extra dictum palatium pernoctare non possit cum licentia vel sine licentia, nec etiam de dicto palatio discedere sine licentia domini potestatis Bononie nisi pro utilitate comunis Bononie vel expeditione eorum que ad ipsorum officia pertinerent. Et dare et prestare eidem potestati ausilium, consilium et favorem quod ipse possit et debeat suum officium bene, rationabiliter et efficaciter exercere et omnia que ad ipsius officium pertinerent laudabiliter et utiliter explicare omnibusque cuiuscumque gradus debitam iusticiam facere ipsos etiam in suis iuribus conservare universamque civitatem Bononie et populum ac districtuales eiusdem regere, gubernare et in statu pacifico et libero ipsum populum conservare et in predictis omnibus statuta et ordinamenta comunis Bononie tam facta quam fienda observare et etiam ius civile ubi statuta deficerent. Credentias que eis per potestatem vel comune Bononie impositas in secreto tenere et observare toto posse, quod dominus potestas vel aliquis de sua familia non debeat aliquid facere vel in suo officio exercere contra formam statutorum comunis Bononie nec etiam ipsi per se aliquid facient contra formam dictorum statutorum vel ordinamentorum ymo ea omnia observare et observari facere teneantur, sub penis in nostris statutis contentis. Et quod debeant ipsi iudices per se vel//

[c. 66v]

alios scribere vel scribi facere durante suo officio aliquos libros vel scripturas legales seu canonicas nec etiam petere vel pati se admitti ad aliquam examinationem publicam vel privatam in iure civili vel canonico in civitate Bononie dicto officio durante vel eo finito infra unum mensem subsequentem. Nec etiam possint vel debeant ultra salarium eis ordinatum a potestate aliquid petere, extorquere, exigere seu recipere etiam a sponte dare volente pro aliquo actu quem facere deberent vel facerent tamquam officiales seu ratione sui officii vel occaxione alicuius compromissi seu laudi vel arbitramenti aut consilii publice dati seu privatim vel colloqui de quibus compromissis, laudis, arbitramentis, consiliis seu colloquiis in causis privatorum ad invicem vel inter comune et privatos se nullatenus intromittant nec eis vel alicui eorum possit comitti aliqua questio consulenda etiam per modum colloqui nec alicui alteri forensi etiam de partium voluntate per aliquem officialem comunis Bononie, sub pena committenti et acetanti pro quolibet et qualibet vice centum librarum bononinorum quam incidat ipso facto et ab eisdem ipso facto auferatur eaque omnia eisdem interdiciamus et que ex talibus compromissis, arbitramentis, laudis seu consiliis vel colloquiis sequerentur vel fierent decernimus non valere. Et si contigeret ipsos vel aliquem eorum ratione alicuius inhobedientie vel excessus aliquam penam imponere in casu eis seu alicui ipsorum permissio ex forma nostrorum statutorum teneantur preceptum de solvendo scribi facere per unum ex notariis suis suo officio deputatum et in formam publicam consignare et dimittere ad dischum Ursii penes officiales dicti dischi infra octo dies a die precepti et aliter imponere non possint nisi sic scriptum fuerit. Et si consignatum non fuerit ut supra

non possit exigi et cum consignatum fuerit per iudicem Ursii exigatur ipsa pena sine aliqua detractioe etiam termino mensis non expectato. Et generaliter omnia et singula facere et observare que eisdem seu eorum officiis generaliter vel specialiter committuntur seu committentur in posterum. Et de hiis omnibus rationem reddere et stare ad sindicatum quem admodum stare debuerit et steterit ipse potestas et si in alio contrafecerint ipso facto contrafacientes seu non observantes penam incidant centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice comuni Bononie applicandam, salvis semper maioribus penis si que in eo casu maiores imposite per nostra statuta reperiantur de quibus omnibus sacramentum generale corporaliter prestare teneatur.

[12] **De officio militum domini potestatis et eorum sacramento. Rubrica.** [cc. 66v-67r]

Dicimus etiam quod milites seu socii domini potestatis teneantur stare continue in palaciis seu domibus pallatorum comunis Bononie in quibus morabitur ipse potestas et simul cum eo toto tempore sui regiminis ad eorum officia exercenda que per ipsum dominum potestatem vel comune Bononie ex forma presentium statutorum comictuntur eisdem et de hiis non discedere, nisi pro utilitate comunis Bononie vel pro expeditione suorum officiorum que comiterentur eisdem per regimina civitatis Bononie. Et ire cum notariis et beroariis domini potestatis et sine, prout eis vel alteri eorum committeretur, per civitatem et districtum Bononie ad inquirendum de bannitis pro maleficio [III, 31] et de malefactoribus quibuscumque et maleficiis que comisa dicerentur [V, 6, 7] et de portantibus arma vetita [V, 87] et ludentibus ad ayardum [V, 86] contra formam statutorum vel facientibus aliquid aliud contra formam ipsorum statutorum vel ea non servantibus et ipsos prosequendum et si poterint capiendum et ipsi domino potestati et comuni Bononie presentandum prout eis seu eorum alteri pro honore et utilitate comunis Bononie//

[c. 67r f. LVII]

et expeditione officii ipsius domini potestatis videbitur convenire et ad custodiam civitatis et ad exercitus et cavalcatas dicti comunis prout eisdem seu alteri eorum committeretur. Et in predictis omnibus servare et servari facere statuta et ordinamenta comunis Bononie. Et dare operam toto posse quod ipse dominus potestas et quilibet de sua familia ea debeant observare et in predictis ei dare ausilium, consilium et favorem. Credencias que eisdem impositas secretas tenere debeant. Et generaliter omnia et singula facere et observare et executioni mandare teneantur que eisdem comissa reperirentur et a prohibitis omnibus abstinere Et specialiter quod non possint vel debeant aliquid petere, exigere, extorquere vel recipere etiam a sponte dare volente per se vel alios directe vel per oblicum pro predictis vel predictorum occasione nec permittere quod pro eo vel eius commitiva aliquid expendatur vel solvatur maxime sub pretestu alicuius viatici vel expenssarum quas facerent in predictis seu alio quocumque¹²² colore. Que omnia fieri debeant expenssis ipsius domini potestatis et stare debeant ad sindicatum cum ipso domino potestate et prout ipse stare debuerit et de gestis et gerendis reddere rationem. Et si in aliquo contrafecerint seu predicta non observaverint contrafacientes et non observantes penam incidant centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice comuni Bononie applicandam, salvis semper maioribus penis eis impositis per nostra statuta presencia vel alia de novo fienda de quibus omnibus sacramentum generale corporaliter prestare teneatur.

¹²² <quocumque> *segue* predictorum *espunto*.

[13] **De generali officio notariorum domini potestatis Bononie. Rubrica.** [cc. 67r-67v]

Item statuimus quod notarii domini potestatis, quos secum ducere debet, teneantur esse et stare continue cum domino potestate toto tempore sui regiminis in domibus palaciorum in quibus morabitur ipse potestas ad eorum officia exercenda. Et de ipso palatio seu domibus non exire, discedere nisi pro expeditione eorum que ad ipsorum seu alicuius eorum vel dicti domini potestatis officium pertinerent vel pro utilitate comunis Bononie vel nisi quatenus per dictum comune committerentur eisdem vel nisi de licencia domini potestatis ut supra in statuto posito sub rubrica 'De generali officio omnium iudicum' [11] Et possint et teneantur scribere omnia et singula acta causarum civilium et criminalium quibus proponerentur, et omnes scripturas que per ipsum dominum potestatem vel eius iudices seu milites comiterentur eisdem in hiis et pro hiis que ad officium ipsius domini potestatis vel eorum aut sue familie pertinerent. Que omnia in scriptis in libris intitulatis et¹²³ eorum manu scriptis et subscriptis reducere debeant, ita quod de eis copia possit per quemcumque cuius interesset haberi etiam finito officio ipsorum notariorum de quibus copiam describendi omnibus et gratis facere teneantur si fuerint publicata. Et scripturis eorum in sibi commissis credatur et stetur nisi contrarium legitime probaretur. Manu autem propria nemini copiam faciant nec per manum sociorum nec alicuius qui non sit de societate notariorum civitatis Bononie, sed ipsam copiam subscribere teneatur manu propria predictus notarius potestatis ad petitionem copiam sumentis. Et parere teneantur dicto potestati et suis iudicibus et militibus in hiis omnibus que ad eorum officia pertinerent. Et pro aliquibus per eos¹²⁴ agendis vel scribendis in eorum officiis vel eis durantibus vel predictorum occasione non possint vel debeant aliquid petere, exigere, //

[c. 67v]

extorquere vel recipere etiam a sponte dare volente ultra salarium eis a potestate ordinatum. Et in predictis omnibus servare teneantur statuta et ordinamenta comunis Bononie facta et fienda, credentias eis impositas in secreto tenere. Et generaliter omnia et singula facere et observare que ad ipsorum et cuiuslibet eorum officium pertinerent seu committerentur eisdem et de predictis omnibus reddere rationem et stare ad syndacatum cum ipso potestate sicut et ipse stare debuerit. Et si in aliquo contrafecerint seu non observaverint predicta penam incidant contrafacientes et non observantes centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice comuni Bononie applicandam, salvo maioribus penis in singularibus casibus per nostra statuta specialiter imponendis de quibus generale sacramentu corporaliter prestare teneantur.

[14] **De speciali officio notariorum domini potestatis ad malefficia. Rubrica.** [c. 67v]

Mandamus quod notarii domini potestatis Bononie qui pro tempore fuerint ad malefficia deputati teneantur sedere cum suis iudicibus cum quibus deputarentur singulis diebus et horis iuridicis in locis consuetis et ipsis iudicibus parere et obedire in hiis omnibus que ad ipsorum iudicum officia pertinerent. Et omnes accusationes, denunciationes seu notificaciones et nomina testium in scriptis porigendorum que coram suo iudice cui deputarentur fierent vel darentur recipere et in suis actis scribere et inquisitiones de malefficiis que per ipsum iudicem fierent vel per alium per quem inquisitio fieret scribere in actis cum actestationibus testium qui reciperetur seu producerentur in predictis clare et distinte, sub suis titulis et diebus et secundum formam

¹²³ <et> *in infralinea.*

¹²⁴ <eos> *segue fiendis espunto e depennato.*

statutorum et ordinamentorum comunis Bononie. Et cetera acta que in predictis fierent tam ex parte iudicis quam etiam ex parte accusantium seu notificantium Et accusatorum vel notificatorum seu prosequentium causas eorundem dictaque testium in secreto tenere et cetera que secreta tenenda fuerint et de ipsis omnibus actis et scripturis describendis copiam facere cuicumque cuius interest de mandato iudicis supradicti, et servata forma statuti precedentis. Et si contingeret aliquem debere banniri et in libris bannitorum comunis Bononie pro maleficiis exemplari teneantur citationes et cridas fieri facere et bannum suo loco et tempore silicet elapssis terminis formare et formatum tradere officialibus comunis Bononie, qui debuerint exemplare librosque omnes actorum et actestationum completos et terminatos et alias quascumque scripturas, quas in officio fecerint ad comune Bononie pertinentes consignare prout et quando per ipsum potestatem acta sua deduerint consignari secundum formam nostrorum statutorum. Scripturas vero omnes singularum personarum ad eos pertinentes que ad ipsos quoquomodo pervenerint ratione sui officii restituere hiis ad quos pertinerent si cause fuerint terminate vel consignare eo modo et forma traditis supra in statuto posito sub rubrica ‘De officio et iurisdictione domini potestatis’ [6].

[15] De speciali officio notariorum domini potestatis ad exactionem ad discum Ursii. Rubrica. [cc. 67v-68r]

Pretera dicimus quod notarii domini potestatis, qui deputabuntur ad dischum Ursii cum iudice exactore teneantur ipsi iudici subesse et parere in omnibus que ad ipsius iudicis officium pertinent et scripturas//

[c. 68r f. LVIII]

omnes qui in predictis occurerent fiende scribere manu propria et acta quecumque in scriptis reducere. Hiis exceptis que notariis civibus committerentur deputandis ad dictum dischum ipsamque exactionem sollicitare, procurare et dare operam toto posse, et fiat ipsa exactio ad utilitatem comunis Bononie et secundum formam nostrorum statutorum librosque actorum predictorum intitulatos, subscriptos et publicatos et ceteras scripturas quas fecerint de predictis ad comune Bononie pertinentes consignare teneantur prout et quando potestas acta sua tenetur consignare et alia faciant que sibi ex forma nostrorum statutorum sunt comissa, sub pena vigintiquinque librorum bononinorum.

[16] De speciali officio notarii domini potestati officio stratarum deputati. Rubrica. [cc. 68r-68v]

Quia notario domini potestatis vel alteri officiali officio stratarum deputato multa committuntur et conceduntur que et prout in nostris statutis continentur providemus quod ipse notarius de omnibus et singulis eidem commissis seu que eius officio quomodolibet comittuntur possit et teneatur solicite et dilligenter inquirere ubicumque locorum et omni tempore per se ipsum et eciam per testes et aliis quibuscumque modis et super eis procedere, terminos ordinare, excusationes, securitates recipere et omnia media cause facere et expedire usque ad difinitivam sententiam seu condempnationem que domino potestati vel eius vicario servetur si de hiis fuerit ferenda sententia vel condempnatio fienda, salvo quod possit ad condempnationem procedere in casibus eidem commissis et concessis specialiter ex forma nostrorum statutorum. Si vero¹²⁵ sola¹²⁶ excutio comitteretur eidem et sine sententia posse fieri videretur possit et

¹²⁵ <vero> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 6 lettere.

¹²⁶ <sola> a margine laterale destro con segno di rinvio.

teneatur ipse notarius executionem facere et fieri facere etiam sine ipso potestate vel eius vicario. Et quilibet in commissis et comittendis eidem obedire teneatur et procuret toto posse quod ipse potestas seu eius vicarius condemnationes faciat de premissis secundum formam statutorum in quibus condemnatio spectet solum ad potestatem predictam et ad eius vicarium, et de predictis omnibus acta propria manu scribere. Quibus etiam inventionibus quas de contrafacientibus seu in premissis delinquentibus scripserit se fecisse credatur et stet nisi contrarium legitime probaretur. In quibus omnibus possit procedere summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii etiam non servata forma nostrorum statutorum que de inquisitionibus vel processibus locuntur et etiam iuris communis solemnitatibus non servatis dum tamen nemini tortum vel iniusticiam faciat, nec a sententiis ex delicto vel qui descendunt in quantum tagunt comune Bononie in premissis ferendis liceat appellare vel restitutionem impetrare vel de nullitate proponere omnes que sententias et condemnationes per quas aliquid comuni Bononie deberetur consignare et dimittere manu propria in formam publicam ad dischum et penes officiales dicti dischi Ursii. Librosque omnes actorum suorum et ceteras scripturas quas fecerit ad comune Bononie pertinentes consignare teneatur prout et quando ipse potestas acta sua debuerit consignare et scripturas privatorum quas reciperit ipsis privatis restituere ad quos pertinerent. Et alia faciat que eidem ex forma presentium statutorum sunt comissa. Et de predictis omnibus teneatur sacramentum corporaliter prestare. Adicientes quod dictus notarius omnes et singulos defectus quos reperiret teneatur statim scribere in uno libricullo seu vacheta et non in aliquo stracafoleo, sub pena quinque librarum bononinorum.//

[c. 68v]

pro qualibet vice. Et si aliter fieret vel sequeretur occasione defectus sic non descripti non valeat ipso iure. Qui libricullus et vacheta debeat tempore restitutionis librorum potestatis assignari dominis ancianis et tradi sindicis, qui eum sindicabunt. Qui libricullus seu vacheta bullatus seu bulata esse debeat in quolibet sui folio bulla eis deputanda per dominos ancianos pena dicto notario, qui dictam vachetam seu libricullum in principio sui officii bullari non fecerit viginti quinque librarum bononinorum. Et teneatur mutare nuncium suum singulis duobus mensibus Et dominus potestas teneatur similiter singulis duobus mensibus mutare notarium predictum, teneatur etiam ipse notarius ad penam predictam ostendere dictum librum seu vachetam cuicumque petenti.

[17] **De officio notarii domini potestatis officio coronarum¹²⁷ deputati. Rubrica.**
[c. 68v]

Item firmaverunt quod notarius domini potestatis officio coronarum deputatus possit et teneatur inquirere per se ipsum et alios quoscumque de omnibus et singulis eidem seu eius officio commissis seu ascriptis et comittendis seu ascribendis ubicumque locorum et quocumque modo et tempore et etiam super eis procedere et omnia alia et singula facere et exercere possit et teneatur in sibi commissis et committendis et eorum occasione que in precedenti statuto 'De officio notarii stratarum' [16] circa ipsius officium specialiter et generaliter disponuntur Que omnia in presenti notario et officio coronarum et scripturis eiusdem repetita et disposita intelligantur in quantum huic notario et officio possint adaptari Et de predictis omnibus observandis specialem sacramentum corporaliter prestare teneatur

¹²⁷ <coronarum> nel testo coronorum.

[18] **De officio notarii domini potestatis guardie vinearum deputati. Rubrica.**
[cc. 68v-69r]

Ordinamus quod notarius domini potestatis vel alius officialis vinearum guardie deputatus possit et teneatur per se ipsum et quoscumque beroarios domini potestatis omni loco et tempore inquirere de omnibus et singulis, qui dampnum darent vel dedissent cum personis vel bestiis in aliquibus ortis, broylis, vineis seu pratis, nemoribus seu aliis terris in civitate vel guardia civitatis Bononie vel in portis, clavaturis, cedis, fructibus, seu¹²⁸ arboribus earundem et de capris et porcis qui et que tenerentur contra formam statutorum in locis predictis et de hiis qui amanicos, vinciglias, vincos, uvas, agrestum, amidolas vel alios fructus portarent seu deferent a suis vineis vel locis seu alienis et vendimiari facientibus vel uvas seu predicta alia tenentibus vel tenere repertis contra formam statutorum seu qui predictorum aliquid fecisse dicerentur. Et aliis quibuscumque que eidem vel eius officio committuntur et de predictis querimoniam recipere et accusationes que tamen bullate sint bulla conductoris daciai accusationum. Et super tam inquisitionibus quam querimoniis seu accusationibus procedere et excusationes et securitates recipere et omnia alia media cause expedire usque ad diffinitivam sententiam seu condemnationem que solo domino potestati vel eius vicario reservetur nec aliquid audeat percipere pro dictis scripturis etiam a sponte dare volentibus Et penas per nostra statuta delinquentibus ordinatas imponi facere et procurare toto posse quod ipse dominus potestas vel eius vicarius condemnationes faciat de predictis, salvo quod ad condemnationem procedi non possit super predictis si dampnum passus noluerit non procedi. Teneatur etiam ire cum aliquibus ex beroariis domini potestatis per guardiam supradictam et circumcirca civitatem et per ipsam civitatem singulis diebus quibus//

[c. 69r f. LVIII^{or}]

comode poterit ad custodiendum et prohibendum ne huiusmodi dampna dentur. Et si quos invenerit dampnum dare vel dedisse ipsos capere et in forciam comunis Bononie presentare vel saltem ab eis securitatem recipere de se presentando et solvendo omne id et quicquid in quo debuerit condemnari Et ipsius inquisitioni et inventioni quam de predictis dampnum dantibus et dampnis datis et eorum extimatione scripserit se fecisse et de omnibus et singulis que in predictis et circha predicta manu propria¹²⁹ scripserit se fecisse credatur et stetur nisi contrarium legiptime probaretur. Et omnia alia et singula facere possit et teneatur in sibi commissis et committendis que et prout supra in precedentibus statutis 'De officio notarii stratarum et coronarum' [16, 17] generaliter et specialiter disponuntur. Que eciam hec statuta et disposita intelligantur in quantum huic notario et officio possunt adaptari de quibus omnibus speciale sacramentum corporaliter prestare teneatur. Prohibentes dictum notarium et officialem habere et tenere aliquem beroarium et familiarem toto tempore sui officii, qui sit habitator ipse cum sua familia civitatis vel districtus Bononie vel beroarium familiarem seu nuncium, qui in dicto officio fuerit et steterit cum aliquo notario et officiali nisi vacaverit per annum a dicto officio et si tenuerit aliquem talem beroarium familiarem seu nuncium vel cum ipso eius officio exercebit, incidat penam vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet tali beroario familiari seu nuncio. Et nichilominus talis beroarius familiaris seu nuncius a dicto officio repellatur et puniatur pena decem librarum bononinorum auferenda eisdem de facto per iudicem Ursii sine aliqua condemnatione fienda postquam eidem denunciatum fuerit, cuius pene medietas sit denunciantis et alia comunis Bononie.

¹²⁸ <seu> *in infralinea*.

¹²⁹ <propria> *a margine laterale destro con segno di rinvio*.

[19] **De beroariis domini potestatis et hiis qui facere tenentur et comituntur eisdem. Rubrica.** [cc. 69r-69v]

Item statuimus quod beroarii domini potestatis teneantur esse et stare continue in domibus palatiorum in quibus moratur seu morabitur ipse potestas ad servendum eidem et toti eius familie et ad hoberiendum eisdem in hiis omnibus et singulis que ad eorum et cuiuslibet eorum officium pertinerent et asociare ipsum dominum potestatem et omnes et singulos de sua familia ad exequendum ea que committerentur eisdem Et etiam nuncios et alios¹³⁰ executores comunis Bononie ad pignorandum et exequendum que committerentur eisdem dum tamen cum ipsis nunciis seu executoribus ire non debeant sine licentia ipsius potestatis vel alterius ex suis iudicibus, millitibus vel aliis quibus ipse dominus potestas auctoritatem dandi licentiam comisisset. Et in predictis omnibus se ipsos prontos et sollicitos exhibere et auxilium prebere et omnia facere in predictis que necessaria viderentur. Nichilque pro predictis possint vel debeant petere, recipere et habere etiam a sponte dare volente in civitate vel comitatu Bononie, nisi solum ab ipso potestate non obstante aliqua consuetudine vel abusu que diceretur actenus observata Et quod per tabernas vel postribulla vel alia loca inhonesta ire non debeant nisi essent vel irent seu mitterentur pro executionibus predictorum, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice et semper debeant ire induti suis vestibus usitatis cum quibus comuniter alii beroarii ibunt, ita quod ab omnibus cognoschantur nec in domo//

[c. 69v]

alicuius in civitate Bononie vel burgis eiusdem debeant ire ad comedendum vel ad bibendum nec etiam in comitatu vel districtu Bononie, nisi in comitatu et districtu solverint scotum seu precium cibi et potus, ita quod a nemine gratis recipiant aliquid de predictis nec aliquid dicti beroarii ab aliquo pro eis solvi permittant dicta de causa vel alia quacumque, sub pena predicta pro quolibet et qualibet vice qua contrafactum fuerit, salvis aliis maioribus penis si que per nostra statuta imposite reperirentur.

[20] **De extimatione et emendatione equorum domini potestatis et domini capitanei. Rubrica.** [c. 69v]

Ordinamus quod dominus potestas teneatur facere extimari infra quindecim dies ab ingressu sui regiminis equos quos intendit et debet tenere tempore sui regiminis per officiales ad hoc pro tempore elligendos in consilio quatuormilium et ubi electi non essent elligendos per dominos ancianos. Quam extimationem ipsi officiales eorum sacramento bona fide facere teneantur et in secreto debeant tenere donec equus mortuus fuerit cuius emendatio fieri deberet et peteretur, ita tamen quod extimatio alicuius equi non possit excedere summam centum librorum bononinorum. Post quindecim vero dies non possit fieri vel variari extimatio de aliquo eius equo. Et tempore quo fieret dicta extimatio debeant dicti equi bullari una bulla que extranea sit ab alia bulla qua bullatus sit vel bullari debuerit aliquis equus in civitate Bononie. Item dicimus, quod si aliquis de predictis equis extimatis moriatur morte naturali non emendetur ei. Si vero aliquis de predictis equis vulneraretur in rissa vel prelio facta vel facto in exercitu vel cavalcata seu civitate vel ambasiata vel alia andata facta in servitio comunis Bononie et moritetur tunc emendetur ei tantum equus per comune Bononie quantum fuerit extimatus. Quo emendato loco eius infra octo dies eiusdem valoris vel maioris alium equum habere teneatur qui extimetur per eosdem extimatores. Aliter vero equus qui non sit de predictis

¹³⁰ <alios> segue et depennato.

extimatis nullatenus emendetur eidem nec ei computetur in numero equorum quos tenere debet. Et idem observetur in omnibus et per omnia in equis domini capitanei populi civitatis Bononie.

[21] De familiaritate non habenda cum familia domini potestatis vel domini capitanei populi. Rubrica. [cc. 69v-70]

Statuimus quod aliqua persona nisi fuerit causa testificandi super aliqua re vel facto vel causa deponendi suam confessionem vel causa accipiendi copiam aliquorum actorum vel scripturarum prout infra dicitur, non possit vel debeat aliqua ratione vel causa esse, stare vel morari cum iudicibus domini potestatis vel cum notariis vel militibus potestatis infra stangas vel cameras ubi exercent officia eorum predicti officiales sine licentia dictorum officialium. Sed extra dicta loca ubi prope possint morari approbatores securitatum et conductores seu emptores dacia bonorum comunis Bononie accusationum et testium vel alius pro eis colligens ipsa datia dum tamen aliquas scripturas vel aliqua acta facere, scribere vel exemplare non debeant, sub pena centum solidorum bononinorum pro quolibet dictorum approbatorum vel conductorum vel aliorum colligentium pro eis dictum datium facienti contra predicta. Et siquis miles vel iudex vel notarius domini potestatis passus fuerit aliquem stare vel esse contra predicta condempnetur in decem libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice si fuerit iudex vel miles et si//

[c. 70r f. LX]

fuerit de notariis condempnetur in quinque libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice De hiis excipimus officiales civitatis Bononie, qui possint sibi commissa officia exercere in locis deputatis ad ipsa officia operanda etiam cum iudicibus et officialibus supradictis. Et ut predicta efficacius valeant observari et ne sub pretestu alicuius amicitie vel familiaritatis aliquis officialis declinet ad aliquid illicitum committendum prohibemus expresse quod nullus de familia domini potestatis vel capitanei populi Bononie, cuiuscumque gradus et conditionis existat, audeat vel presumat durante suo officio habere vel tenere in dicta civitate vel districtu Bononie uxorem, concubinam vel familiam aliquam nec domum seu habitationem aliquam pro se vel sua familia in dicta civitate vel comitatu seu districtu, sub pena quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet eorum qui in predictis vel aliquo predictorum contrafecerit.

[22] De sindicatu domini potestatis et capitanei populi et aliorum officialium forensium comunis Bononie. Rubrica. [cc. 70r-73v]

Hac editali lege in perpetuum valitura, decernimus quod potestas et capitaneus quilibet civitatis Bononie et alii quilibet officiales forenses dicte civitatis tam presentes quam futuri suo finito officio stare debeant ipsi et omnes et singuli de familia eorum personaliter ad sindicatum videlicet, capitaneus cum eius familia decem diebus et potestatis cum eius familia quindecim diebus vel paucioribus prout inferius continetur. In quo sindicatu procedatur hoc modo, forma et ordine videlicet, quod debeat ipse sindicandus cum suis officialibus et familia personaliter die sequenti de mane finito suo officio comparere coram sindicis qui eum debuerint syndicare et illis recipientibus nomine comunis Bononie promittere presente eius successore capitaneo vel potestate vel eius vicario stare ad sindicatum cum suis officialibus et familia, secundum formam huius statuti toto tempore sui sindicatus et solvere omnem condempnationem que de ipso suisque officialibus et familia fieret vel aliquo ipsorum ad terminum unius mensis et observare omnia et singula que in hoc statuto sindicatus continentur. Qui syndici

ultima die officii talis sindicandi vel ante per unam diem ellici debeant per dominos ancianos confalonerios et massarios artium comunis et populi Bononie videlicet, quatuor boni legales et experti viri cives civitatis Bononie arbitrio ipsorum dominorum quorum unus sit legum doctor alius procurator praticus et expertus et alii duo sint boni et probi viri quorum unus sit de colegio confaloneriorum et alius sit de colegio massariorum artium civitatis Bononie etatis ad minus pro quolibet ipsorum treginta annorum et etiam duo notarii cives Bononie pratici et experti in arte et officio notarie etatis ad minus predictae, qui presint ad scribendum acta et scripturas pro dicto sindicatu neccessaria et incombenca. De quorum casum predictorum etate si revocetur in dubium probetur per aspectum corporis et per prononciationem fiendam per vicarium novi potestatis vel eo deficiente per vicarium capitaneum. Et si in dubium non revocetur intelligatur et sint legitime etatis quantum ad hunc actum. Nec aliquis ellici possit vel debeat in sindicum vel notarium, qui per ipsum sindicandum fuerit condempnatus vel bannitus in quantitate vigintiquinque librarum bononinorum vel maiori aut personaliter, nec etiam aliquis ascendens vel descendens vel frater talis condempnatus vel bannitus, nec aliquis qui fuerit officialis cum ipso sindicando vel aliquo de sua familia. Et electio que fiet de predictis sindicis et notariis incontinenti ipsa facta scribi debeat per alterum ex notariis dictorum dominorum ancianorum Et quod predicti sindici et notarii die qua electi fuerint iurare debeant in manibus dominorum ancianorum vel alterius de ipsorum voluntate bene, legaliter et bona fide et cum omni instantia procedere super sindicatu eius//

[c. 70v]

de cuius sindicatu ageretur et hiis que circa sindicatum occurrerint. Et quod, finito officio talis sindicandi, predicti sindici teneantur fieri facere cridam in palatio veteri comunis Bononie et super schalis ipsius palatii et per civitatem Bononie in locis consuetis, quod omnes volentes conqueri de eo de cuius sindicatu ageretur vel eius familia usque ad tres dies computata die cride et peremptorie compareant coram dictis sindicis et suas offerant petitiones et quod ab inde in antea non audirentur Et eadem crida fiat sequenti die quod in termino trium dierum compareant cum suis petitionibus ad exponendum querimonias de ipso sindicando vel aliquo de eius familia prout voluerint. Et quod in crida contineantur infrascripta verba vel equipolentia videlicet, quod quicumque voluerit conqueri peremptorie veniat infra dictum terminum scientes hii qui ad dictum terminum non venerint quod de cetero non audirentur. Dicimus tamen quod ex eo quod dicte cride seu aliqua earum obmisse fuerint vel obmissa seu aliquid quid contineri debeat in eis vel aliqua earum non vicietur aliquis processus nec aliqua in sindicatu agenda. Et si infra dictum terminum peticio aliqua vel libellus vel querimonia quoquomodo porrecta fuerit ille contra quem porrecta fuerit citetur personaliter vel ad solitam cameram potestatis vel capitanei cum de sindicatu potestatis vel capitanei ageretur vel ad domum seu locum solite habitationis eius officialis de cuius sindicatu ageretur semel inventus vel bis non inventus, quod veniat responsurus dicte petitioni, querimoniae vel libello et ad contestandum litem super ea et ad iurandum de calumpnia sit tamen intervallum inter unam citationem et aliam dum tamen inter ambas citationes seu dilationes non excedatur terminus unius diei. Et sive venerit sive non per se vel alium legitime elapsis terminis citationum procedatur ad recipiendum probationes conquerentis eciam lite non contestata que pro contestata habeatur et sit eo casu¹³¹ non obstante predicta absentia citati. Et si predicti qui querelam vel petitionem vel libellum obtulissent vel aliquis eorum suas probationes velent facere per positiones fiendas ei vel eis contra quem vel quos peticio vel libellus vel aliqua querimonia porrecta esset teneatur

¹³¹ <casu> *in infralinea*.

citari facere modo predicto ipsum vel ipsos, quod veniant responsuri positionibus reiectis exceptionibus sive oppositionibus que obicerentur vel obici possent ex eo, quod diceretur non esse pertinentes vel non relevare vel quoquomodo vel causa fieri non debere. Quibus exceptionibus sic reiectis si citatus ad respondendum non venerit personaliter vel non respondiderit vel legiitime non respondiderit vel respondere recusaverit habeantur ipso iure pro confessis et perinde procedatur et fiat ac si comparuisset et confessus fuisset quicquid in positionibus continebatur. Salvo quod potestati vel capitaneo qui sindicari debuerint si sui copiam fecerit publice et cuicumque de cuius sindicatu ageretur cum esset a Deo infirmitate gravatus quod comode venire non posset, debeant mitti positiones ad ipsum talem impeditum venire per alterum ex notariis dictorum sindicorum quibus respondere teneatur ut supra, delato sibi prius sacramento per dictum notarium et prestito per ipsum sindicandum ut supra Statuimus eciam quod dicti syndici et notarii teneantur sedere durante dicto sindicatu pro eorum officio exercendo singulis diebus usque ad ellectionem consultorum de quibus infra fit mentio de mane per duas horas et post nonas per duas temporibus congruis ad discum Ursii cum quibus continue sedeat unus ex militibus novi potestatis. Item teneantur requirere procuratorem sive gubernatorem iurium comunis Bononie infra dictos^{132//} [c. 71r f. LXI]

tres dies quod debeat suam petitionem porrigere contra officialem sindicandum vel suis familiam quam possit porrigere quandocumque infra quatuor dies primos dicti sindicatus et quod eam prosequatur et quod prosequatur iura dicti comunis coram eis, sub pena viginti quinque librorum bononinorum pro quolibet ipsorum sindicorum de facto auferenda in quolibet casuum predictorum. Item quod omnes et singule probationes quas fieri contigerit in sindicatu potestatis et sue familie et eius occaxione fiant et fieri debeant super quibuscumque petitionibus¹³³ et querelis que offerentur coram dictis sindicis infra quinque dies incoandos finitis dictis tribus diebus et infra primos tres dies si possibilitas aderit. Quibus quinque diebus elapsis nulla probatio recipiatur per testes vel instrumenta In sindicatu vero capitanei et sue familie et eius occaxione quelibet probationes fieri debeant infra tres dies incoandos finitis dictis tribus diebus vel ante. Item quod quilibet conventus vel in qualicumque querimonia deductus vel vocatus coram dictis sindicis quascumque exceptiones quas opponere voluerit nominatim specialiter distinte et expresse et non per modum alicuius clausule generalis opponere debent infra primos tres dies de dictis quinque infra quos si non opposuerit volens excipere sive exceptiones iuris sive facti proponere de ceptero non audiatur. Hec tamen salvo quod aliquam exceptionem opponere non possit que non respiciat merita cause nec etiam possit opponi libello sive petitioni sive querimonie quod in eo vel ea sit proposita civilis et criminalis simul et semel quas ambas simul proponere possit et prosequi cum effectu vel quod plura delicta contra diversos vel eundem sint proposita in eodem libello seu petitione vel querimonia vel quod locus non sit legiitime appositus vel quod plures in eodem libello fuerint accusationes vel alique alie exceptiones que non respiciant merita cause ut supra que si opposite fuerint sive omnes sive aliqua earum reiciantur omnimodo et pro non oppositis habeantur. Dicimus tamen quod nulli liceat libellum sive petitionem generalem de statutis, ordinamentis, reformationibus vel provisionibus non servatis porrigere et si porrectus vel porrecta fuerit non valeat ipso iure et lacerari debeat. Et de aliena iniuria vel offensa non liceat alicui libellum vel libellos seu petitionem vel querimonia porrigere. Et si porrigeretur non recipiatur nec possit procedi super tali libello petitione vel querimonia et si procederetur non valeat

¹³² *Nel margine inferiore della carta: tres dies quod debeat suam petitionem.*

¹³³ <petitionibus> *su rasura.*

nisi porrigeretur de voluntate seu consensu iniuriati vel offensi vel heredis offensi vel nisi sua interesset vel nisi de eo quod principaliter tangeret comune Bononie porrigeretur libellus vel petitio querimonia vel nisi de lege municipali non servata ex qua de iure municipali aliqua pena esset applicanda comuni Bononie et ad eam ageretur vel nisi propter membrum absisum vel mortem illatam vel nisi suorum prosequeretur iniuriam in quibus casibus et quolibet eorum recipiatur et procedatur in ea seu eo vel eis et super ea seu eo vel eis usque ad determinationem cause. Salvo quod si infra dictos tres dies datos ad exponendas querimonia comparuerit offensus vel eius heres et petitionem offerat vel querimonia de eo de quo fuerit porrecta admittatur et excludatur petitio vel querimonia alterius qui prevenisset in proponendo in aliquo ex casibus supra premissis per petitionem sive querimonia de iniuria dicti offensi superinventis vel eius heredis. Possit tamen invito offenso vel eius herede ille qui prevenerat adesse cause et prosequi et probationes inducere et etiam offensus principaliter differens per tres dies possit//

[c. 71v]

petitioni ab alio porrecte de eo quid principaliter tangeret ipsum veniens adesse et probationes inducere. Si autem in aliquo ex casibus supra proxime dictis¹³⁴ plures infra tres primos dies datos ad petitiones seu querimonia exponendas concurerint vel unius offensi plures heredes et petitiones seu querimonia de eodem vel super eodem porigerent seu porigere velent preferatur ille cuius magis interesse videretur vel qui magis videretur idoneus vel qui magis ex fide causam prosequeretur quid remaneat providendum arbitrio sindicorum vel maioris partis eorum. Possit tamen quilibet predictorum quibus vel cui alius prefereretur ut dictum est adesse cause et probationes inducere et usque ad finem peragere causam. Item dicimus, quod predicti syndici teneantur et debeant, sub pena quinqueginta librarum bononinorum pro quolibet infra primos tres dies sindicatus inquirere de omnibus et singulis in quibus diceretur ipsum potestatem vel capitaneum vel aliquem de sua familia vel alium officialem de cuius sindicatu ageretur delinxisse in committendo vel obmittendo aliquid de hiis que spectabant ad eius vel eorum vel alicuius eorum officium vel fecisse aliquid contra formam iuris vel statutorum vel ordinamentorum comunis Bononie presentium vel futurorum etiam si de hiis vel aliquo eorum libellus vel accusatio seu petitio seu querimonia porrecta foret. Quam inquisitionem possint facere tam generaliter quam specialiter seu singulariter vel utroque vel altero modo vel una inquisitione vel pluribus super qua vel quibus inquisitionibus teneantur et debeant recipere et examinare vigintiquinque testes ydoneos ad minus et quos melius crediderint scire veritatem. Et quod infra duos dies proxime subsequentes post primos tres dies quilibet volens coadiuvare officium inquisitionis admittatur et suas probationes inducat et faciat. Salvo quod si compareret ille cuius principaliter interesset volens coadiuvare officium inquisitionis vel eius heres preferatur ceteris incoadiuvando officium inquisitionis circa id in quo ipsius principaliter interesset quo ad alia tamen in inquisitione contenta quilibet etiam admittatur. Infra vero tres dies sequentes dictos duos dies fiant omnes alie probationes a partibus que fiende occurrerint super processu inquisitionis et ex probationibus accusationis vel libelli vel querimoniae et ex probationibus, inquisitionum et ex probationibus utriusque possit procedi ad condemnationem. Possint quoque syndici receptiones testium aliis etiam quam suis comittere notariis dum tamen non prohibitis eligi in syndicos vel notarios sindicorum eius de cuius sindicatu ageretur datis suspectis apartibus si dare voluerint et citari debeant partes ad hoc semel invente vel bis non invente dum tamen inter ambas citationes non excedatur terminus unius diey. Item

¹³⁴ <dictis> *nel testo* ditis.

dicimus quod elapsis octo primis diebus sindicatus domini potestatis Bononie et sue familie infra primum diem proxime subsequentem publicetur processus omnis et fiat partibus copia actorum et processuum, ita quod infra dictam diem unam recipiant copiam et recipere possint. Sed in sindicatu domini capitanei et sue familie publicetur processus septima die sui sindicatus et¹³⁵ fiat¹³⁶ copia actorum et processuum ut supra. Et eadem die elligantur sapientes si elligi debuerint, qui auditis interim alegationibus partium suum exhibere et tradere debeant in scriptis consilium tali tempore quod infra tempus sindicatus ipsius domini potestatis et sue familie vel domini capitanei//
[c. 72r f. LXII]

et sue familie sententia de die ferri possit que summa omnimodo infra dictum tempus feri debeat. Dicimus etiam quod ex eo quod inquisitio aliqua non fieret per syndicos supradictos vel aliqua¹³⁷ de solemnitatibus iuris vel statutorum comunis Bononie obmitteretur in inquisitionibus vel processibus inquisitionis seu inquisitionum aut aliquarum petitionum vel accusationum vel querimoniarum vel libellorum vel quod per partes plus esset dictum vel factum vel aliquid obmissum in aliquo vel aliquibus libello vel libellis seu petitionibus vel querimonia vel querimoniis non vicietur quid actum sit, set solum habito respectu adprobationes possit et ebeat omnimodo procedi perinde ac si omnia fuissent recte et solempniter observata et rite seu recte et legiptime proposita. Non obstante etiam quod aliquo modo renunciatum esset per aliquam partium post probationes factas que renunciationes irritae sint et inanes et pro non factis habeantur et eis renunciationibus non obstantibus procedatur et pronuncietur. Salvo et exceptato quod opponi possint infra terminum statutum ad opponendum exceptiones quod petitio vel accusatio vel libellus seu querimonia propositus vel proposita sit contra formam huius statuti quid de sindicatu loquitur. Item dicimus quod dictis decem diebus elapsis in sindicatu domini potestatis et sue familie prima die sequenti summo mane elligantur quatuor sapientes iuris periti, qui sint veri cives civitatis Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis de collegio iudicum civitatis Bononie et etatis ad minus quadraginta annorum et ultra inter quos sint ad minus duo doctores et qui non sint de supra prohibitis, qui sapientes elligantur per dictos syndicos. Et sic electi sapientes prima die electionis eorum se congregare debeant in aliqua parte palatiorum comunis Bononie. Et teneatur potestas predictus successor cogere predictos sapientes realiter et personaliter ad veniendum et se congregandum et ad alegationes audiendas et ad consulendum et consilium scribendum et tradendum. Et habeat predictus potestas purum, merum et liberum arbitrium cogendi, procedendi, multandi et puniendi et condempnandi predictos sapientes non explicantes predicta et quodlibet predictorum Et teneantur partes undecimo vel duodecimo die in sindicatu potestatis alegare et alegari facere de iure eorum coram dictis sapientibus vel alegationes in scriptis dare. Sapientes autem predicti teneantur et debeant examinare querimonias seu petitiones coram syndicis porectas et probationes, processus et acta solempniter et distincte et scribere eorum consilium per se vel alium pure, clare, distincte et non condicionaliter vel obscure vel ambigue et dare in scriptis sigillatum ipsis syndicis tali tempore quod comode et de die sententia ferri possit per dictos syndicos infra tempus sindicatus dicti domini potestatis. Et si infra dictos terminos sindicatus domini capitanei et sue familie et dicti domini potestatis et sue familie¹³⁸ dicti sapientes non dederint consilium ut dictum est incidant penam pro quolibet eorum centum librarum bononinorum eis et cuilibet eorum

¹³⁵ <et> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 8 lettere.

¹³⁶ <fiat> a margine laterale sinistro.

¹³⁷ <aliqua> segue de depennato.

¹³⁸ <et dicti domini potestatis et sue familie> a margine laterale sinistro su 2 righe con segno di rinvio e di inserzione.

aufferendam summarie et sine strepitu et figura iudicii per predictum potestatem infra decem dies ea comissa sub simili pena, et sufficiat tres ex ipsis sapientibus esse in concordia. Quod quidem consilium sic sigillatum aperiri debeat in Consilio Octingentorum publico et secundum dictum consilium ferratur sententia inscriptis absolutoria vel condempnatoria super omnibus et singulis inquisitionibus, querimoniis seu petitionibus et processibus supradictis per dictos syndicos vel maiorem partem eorum//

[c. 72v]

que fieri et omnimodo terminari et terminata esse debeant infra quindecim dies quantum ad potestatem et infra decem dies quantum ad capitaneum incoandos incontinenti deposito officio eius de cuius syndicatu ageretur. Et si per predictos syndicos steterit quominus infra dictos terminos feratur sententia penam centum librarum bononinorum incurant et nichilominus ipsam sententiam secundum formam dicti consilii ferre teneantur inscriptis infra tres dies statim proxime subsequentes sub eadem pena et ad predicta omnimodo compellantur per dominum potestatem Bononie vel dominum capitaneum populi. Et sententia quelibet ferenda per predictos syndicos infra dicta tempora in predictis valeat non obstante exceptione aliqua iuris vel facti. Ita quod non possit dici nulla vel de nullitate opponi, nec ab ea appellari, nec adversus eam restitutio peti nec aliquo modo infringi, retractari vel annullari etiam si non fuerit deposita vel consignata ad discum Ursii. Si vero infra primos tres dies syndicatus, qui prefisi sunt ad porigendum petitiones seu querimonias nemo comparuerit qui libellum seu petitionem sive querimoniam porerit contra eum de cuius syndicatu ageretur vel aliquem de eius familia nec repertum fuerit aliquid contra ipsum vel aliquem de eius familia tunc elapso termino dictorum trium dierum infra tres dies proximos teneantur dicti syndici absolvere eum de cuius syndicatu ageretur et eius familiam. Si vero porecte fuerint petitiones seu querimonie et ipsis ante probationes factas infra quinque dies proxime secuturos renunciatum fuerit vel non fuerint producte alique probationes supra petitionibus productis licet renunciatum non fuerit nec esset repertum aliquid contra ipsum vel eius familiam ante dictam renunciationem tunc, facta renunciatione ultima infra tres dies proximos, teneantur dicti syndici absolvere eum de cuius syndicatu ageretur et eius familiam non expectata ellectione vel assumptione dictorum sapientum. Quibus sex diebus vel octo elapsis si sententia absolutoria lata non fuerit infra terminos antedictos, ut dictum est, habeat dictus syndicatus et eius familia licentiam recedendi. Et cum cautum sit per formam presentium statutorum contineri debere in qualibet ferendi sententia per potestatem nomina iudicum de quorum fuerit lata consilio. Statuimus quod quilibet iudicum teneatur perinde ac si ipse personaliter protulisset sententiam de quorum lata consilio seu voluntate fuerit et sic possint conveniri tempore syndicatus et per syndicos condempnari posit eciam contra potestatem procedi et querimonia et petitio porrigi et executione facta contra unum alium liberetur ab eo de quo facta fuerit executio et similiter in capitaneo. Item quod quodcumque sententia condempnatoria fuerit ferenda per syndicos supradictos sive per dictos sapientes occurerit consullendum de condempnatione facienda siquidem personalis fuerit fiat executio in illum vel illos contra quem lata fuerit. Si vero pecuniaria condempnatio lata fuerit in quemcumque executio in potestatem vel capitaneum seu alium officialem de quorum syndicatu ageretur vel cuius condempnatus fuisset assessor vel officialis fiat omnino. Officialis tamen condempnatus cuius condempnationis executio fuerit facta vel fieri potest contra ipsum potestatem vel alium officialem principalem predictum deptineatur ad eius petitionem in quem facta fuerit vel fieri potuerit executio per successorem quousque fuerit sibi integre satisfactum de eo quid pro tali suo officiali solverit vel condempnatus fuerit. Item quod in favorem alicuius syndicandi non possit adesse aliquis advocatus vel

procurator vel coadiuvator nisi forensis vel qui fuerit de sua familia nec in ipsius favorem coram sindicis vel sapientibus//

[c. 73r f. LXIII]

verba proferre, sub pena centum librarum bononinorum cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice. Dicimus eciam quod si aliqua dictarum penarum in presenti ordinamento sive forma sindicatus contentarum sive impositarum comissa fuerit et non fuerit exacta ut supra est declaratum quod tunc et eo casu potestas successor teneatur et debeat summarie et de facto eas et quamlibet earum exigere et id quid exigerit applicetur comuni Bononie. Et quia dicti sindicandi non tenentur satisfacere ut tenebantur ex forma veterum statutorum volumus et statuimus ad hoc ut executio melius et efficacius fiat in potestatem vel capitaneum et quoslibet alios officiales forenses comunis Bononie, quod depositarius sive texaurarius comunis Bononie et quilibet qui solutionem debuerit facere vel facere posset predictis vel alteri eorum sui salarii teneantur et debeant omni exceptione reiecta apud se retinere salarium ultimorum duorum mensium regiminis sui officii ipsorum potestatis et capitanei et aliorum officialium predictorum donec sententia absolutoria vel condempnatoria lata fuerit super sindicatu ipsorum Et insuper dictus potestas et capitaneus et alii officiales sindicandi teneantur et debeant loco pignoris consignare ubi et cui syndici elegerint et ad eorum petitionem omnes equos et arma et alias arnesias tenendas et conservandas donec dicti sindicandi fuerint absoluti vel condempnati seu licenciati¹³⁹, in quibus rebus possit et debeat fieri executio supradicta. Qui elligendi per dictos syndicos teneantur predictas res recipere et salvare ad petitionem dictorum sindicorum et ipsas ad mandata ipsorum designare et tradere massario sive depositario predicto comunis Bononie. Et si condempnatoria lata fuerit ea die pronuntpiationis vel sequenti salarium predictum quatenus concureret cum ipsa condempnatione compensetur et per ipsos massarium vel depositarium retineatur et quid exercere vel totum si fuerit absolutus¹⁴⁰ is¹⁴¹ de quo ageretur et eius familia eidem integre persolvatur et dicti equi et arnesie relassentur. Si vero condempnatio excederet vel excedere videretur ipsis sindicis antequam facta esset dictum salarium retentum et extimationem rerum designatarum ut supra, eo casu deptineatur ipse sindicandus quamdiu ydonee satisfacerit de solvendo condempnationem de eo fiendam. Si autem dictus sindicandus veniret personaliter puniendus ratione alicuius delicti per probationes suspiciones vel iudicia que viderentur dictis sindicis etiam sine aliqua declaratione inde fienda per ipsos possit et debeat personaliter deptineri de mandato dictorum sindicorum. Et in predictis et quolibet predictorum et eorum occaxione potestas vel capitaneus et quilibet eius officialis et familiaris teneatur ipsis sindicis prestare ausilium et favorem quemcumque per ipsos fuerint requisiti, sub pena ipsi potestati vel capitaneo librarum mille bononinorum ab eo auferenda tempore sindicatus. Et quod syndici qui preerunt ad sindicandum ipsum potestatem vel capitaneum seu alium officialem teneantur prima die sui sindicatus inquirere et investigare dilligenter num quid¹⁴² ei de cuius sindicatu ageretur aut alii pro eo sit facta solutio salarii dictorum duorum ultimorum mensium, et si reperiretur solutionem factam in totum vel parte salarii dictorum mensium precise teneantur et debeant omni exceptione et defensione iuris sive facti reiecta condempnare talem potestatem vel capitaneum seu officialem in duplum dicti salarii cuius solutio facta fuisset ubi equum videatur//

[c. 73v]

¹³⁹ <seu licenciati> a margine laterale sinistro con segno di rinvio e di inserzione.

¹⁴⁰ <absolutus> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 4 lettere.

¹⁴¹ <is> a margine laterale sinistro.

¹⁴² <num quid> su rasura.

dominis sindicoribus vel maiori parti eorum. Et quod dictus sindicandus detineatur personaliter donec dictum salarium dictorum duorum mensium vel partem quam acceperit restituerit seu deposuerit. Et nichilominus tales solventes incurant penam centum librarum bononinorum auferendam ut supradictum est. Dicimus eciam, quod si aliquis infra terminum cridarum comparuerit et contra sindicandum vel aliquem de sua familia, libellum, querimoniam seu petitionem poseserit seu proposuerit coram dictis sindicis siquidem ad aliquam penam infligendam dicto sindicando vel alicui de sua familia que comuni Bononie veniat applicanda. Et ipsum libellum, querimoniam seu petitionem non probaverit seu ipsi renunciaverit primo lite contestata vel quasi incurrat penam duarum librarum bononinorum in quibus condemnari debeat per dictos syndicos ac etiam in expensis tempore absolutionis fiende de ipso sindicando a libellis petitionibus seu querimoniis antedictis taxandis per dictos syndicos ea die vel sequenti. Et ne labor dictorum sindicorum consultorum et notariorum sit eis dampnosus, statuimus quod potestas et capitaneus populi et quilibet ipsorum pro se et tota sua familia dare teneatur dictis sindicis pro quolibet eorum tres libras bononinorum et cuilibet eorum notario duas libras bononinorum. Et pro eodem salario ipsi notarii sententiam absolutoriam vel condemnatoriam autenticare teneantur et condemnatoriam in publicam formam ad camaram actorum comunis et populi Bononie ponere teneantur pro eodem salario infra mensem, sub pena viginti librarum bononinorum, que sententie valeant etiam si ad dischum Ursii non reperiantur. Si vero consiliarios assummi contingerit tunc partes prosequentes contra ipsum sindicandum consultoribus solvere teneantur dimidiam eius quid aliis consiliariis debetur et secundum formam statutorum alius vero officialis sindicandus solum dimidiam eius quid solvitur per capitaneum vel potestatem solvere teneatur sindicis et notariis supradictis a salario vero consultorum sint immunes officiales supradicti. Adhicientes quod ubi aliquis ex officialibus vel familiaribus dominorum potestatis vel capitaneus populi sindicari contingerit durante officio eius rectoris cum quo erit in officio teneatur ipse sindicandus ydonee satisfacere de ea quantitate que videbitur dominis sindicis qui talem sindicabunt alias ipse talis sindicandus mittatur ad carceres comunis Bononie et etiam mittatur ad carceres quilibet sindicandus in casu in quo ipse talis sindicandus deberet puniri personaliter et in omni alio casu quo dictis sindicis videbitur et placuerit etiam non obstante aliqua satisfactione prestita per talem sindicandum. Et idem fiat et observetur in aliis quibuscumque officialibus forensibus sindicandis.

[23] **De electione, officio et salario notariorum forensium deputatorum ad scribendum responsiones reorum et atestationes in causis criminalibus. Rubrica.**
[cc. 73v-75r]

Ut officialibus plerumque inmodice serventibus freni temperies adhibeatur et ne pretestu iusticie iniustitia committatur utque equaliter omnibus iusticia ministretur et delinquentes penis debitis puniantur, statuimus quod in civitate Bononie continue esse debeant duo notarii forenses probi, legales et experti in arte et ministerio notarie et bene scribentes elligendi et nominandi per dominos ancianos et consules comunis et populi Bononie quorum notariorum officium duret et durare possit ad plus per//

[c. 74r f. LXIII^{or}]

sex menses et fiat ipsa electio per prefatos dominos ancianos temporibus congruis pro sex mensibus dumtaxat et sic successive de sex mensibus in sex menses infrascriptis modo et forma videlicet, quod prelibati domini anciani qui pro tempore fuerint scribant regiminibus alicuius civitatis vel comunitatis de qua ipsi domini fuerint in concordia quod ipsis placeat transmittere pro semestri tempore duos bonos, legales et expertos

notarios et bene scribentes qui sint de ipsa civitate seu terra ad civitatem Bononie specificando in litteris tempus quo ipsi notarii incohare debebunt ipsorum officium et ipsorum salarium et familiam quam secum ducere debent et tempus quo finito eorum officio stare debebunt ad syndicatum. Qui sic transmittendi ut supra sint et nominentur notarii forenses malefficientium et habeant salarium infrascriptum in quantum eorum officium in civitate Bononie pro dictis sex mensibus quibus electi fuerint continue exercuerint et non aliter eisdem solvendum de duobus mensibus in duos menses pro rata dicti salarii retinendo tamen eisdem salarium ultimorum duorum mensium usque ad finem syndicatus ipsorum prout retinetur salarium domini potestatis et capitanei populi. Qui notarii ante innitium eorum officii iurare debeant in manibus cancellarii predictorum dominorum eorum officium bene et legaliter exercere et omnia facere ad que tenentur secundum formam presentis statuti.¹⁴³ Quorum notariorum forensium et cuiuslibet ipsorum sit et esse debeat officium quod tempore responsionum fiendarum quibuscumque accusationibus, denunciationibus vel inquisitionibus factis vel fiendis coram domino potestate civitatis Bononie vel domino capitaneo populi aut altero ex officialibus predictorum domini potestatis et capitanei occasione cuiuscumque maleficii vel delicti per quemcunque denunciatum, accusatum vel inquisitum ipsis responsionibus alter ipsorum prout deputati erunt seu ad quem pertinebit personaliter adesse debeat et ipsos audire et ipsas responsiones factas ipsi inquisitioni, denunciationi vel accusationi cum fient et prout et sicut facte fuerint seu fient per ipsum denunciatum, acusatam vel inquisitum vel per eius procuratorem legitimum de verbo ad verbum in uno libro bambucinis per se scribere teneatur, quarum responsionum, cum facte fuerint, cuilibet petenti copiam sumere permittant. Et predicta similiter notarius actorum in suo libro scribat. Et etiam debeant interesse omnibus et singulis depositionibus et examinationibus quorumcunque testium examinandorum occasione cuiuscumque criminis vel delicti sive acusatio precedat sive non et sive inquisitio sit formata sive non. Et sive sit responsum acusationi, inquisitioni vel denunciationi sive non. Et ipsorum testium dicta et atestationes prout protulerint et testificati fuerint ore proprio de verbo ad verbum ipse notarius forensis ad quem pertraebit scribere teneatur et debeat in alio libro cartarum bambucinarum. Et similiter notarius actorum scribat in suo libro. Et si qua responsio vel examinatio aut receptio testium occasione alicuius criminis aliter facta fuerit seu scripta reperiatur ipso iure sit nulla et eius vigore non possit procedi ad aliquam condemnationem vel absolutionem. Et iudex vel officialis qui responderi fecerit vel responsionem vel examinationem receperit in predictis non servata dicta forma puniatur de facto in quingentis libris bononinorum. Et notarius actorum non servata forma predicta scribens responsionem aliquam vel examinationem vel dicta testium occasione alicuius criminis factam vel fiendam in curia potestatis vel capitanei populi puniatur in libris centum bononinorum pro qualibet vice. Et si differentia vel discordantia erit in predictis inter scripturam dicti notarii forensis et scripturam dicti notarii actorum potestatis vel capitanei credatur et stetur scripture dicti notarii forensis// [c. 74v]

nisi contrarium legitime probaretur. Item statuimus quod dicti notarii forenses elligendi ut supra teneantur singulis diebus de mane statim post pulsatam missam sancti Petri usque ad horam prandii et statim post nonam usque ad primum sonum campane que pulsatur de sero pro custodia civitatis et aliis horis quibus requirentur pro parte dicti domini potestatis vel domini capitanei residenciam facere et esse et stare in palacio potestatis Bononie et capitanei populi et palam. Ita quod quilibet ex iudicibus domini potestatis Bononie et vicarius seu iudex domini capitanei eorum copiam habere possint,

¹⁴³ *Sul margine destro di questo comma, su due righe: que sit officium notariorum forensium.*

sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet eorum et qualibet vice Et teneantur dicti domini anciani ante innitium officii dictorum notariorum deputare unum ex ipsis notariis pro tribus mensibus in quarteriis porte Sterii et porte Sancti Proculi alium pro quarteriis porte Sancti Petri et porte Ravenatis in curia domini potestatis Bononie. Et pro aliis tribus mensibus fiat revolutio et permutatio ipsorum notariorum in aliis quarteriis. In curia vero domini capitanei quilibet eorum ad predicta scribenda sit et esse intelligatur specialiter et generaliter deputatus pro qua deputatione fienda ipsi notarii teneantur ante introitum eorum officii accedere ad presenciam dominorum ancianorum et eos rogare de dicta deputatione fienda. Addicientes, quod dominus potestas Bononie et dominus capitaneus populi et quilibet ex suis iudicibus, officialibus et familiaribus benigne tractare debeant atque tractent ipsos notarios et quemlibet eorum et eos ad eorum officium admittant. Et facere et currare ita et taliter quod contenta in presenti statuto omnino serventur Et quod ipsi notarii et quilibet eorum continue habeant liberum accessum et aditum ad ipsos dominos potestatem et capitaneum et ad quemlibet ex predictis iudicibus et officialibus. Et quod porte palatiorum eorum residentie eisdem et cuilibet ipsorum apperiantur quancumque voluerint, sub pena ipsis domino potestati et domino capitaneo et cuicumque ipsorum vel alterius ipsorum officiali et familiari qui contrafecerit centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et teneatur quilibet ex dictis notariis forensibus toto tempore sui officii tenere unum famulum de quo mostram facere teneantur quocienscumque fuerit requisitus per officiales super mostras deputatos. Et habeat quilibet ipsorum pro suo salario et mercede tam pro se quam pro dicto eius famullo in sex mensibus sexaginta florenos auri et libros necessarios pro dicto eorum officio exercendo et competentem habitationem toto tempore eorum officii eisdem constituendam arbitrio dominorum ancianorum iusta seu prope plateam comunis Bononie expensis ipsius comunis. Veniant autem et venire debant predicti notarii ad dictum officium exercendum eorum risigo, periculis et expensis tam veniendo quam stando et redeundo. Et nichil aliud vel aliter habeant vel recipiant etiam a sponte dare volente, sub pena quinquaginta librarum bononinorum et etiam ad restitutionem dupli eius quid ultra acceperint teneantur. Et in dictis eorum libris et non alibi vel in alia carta scribant responssiones et dicta testium et ipsorum atestationes et omnia alia que ratione eorum officii eis occurent scribenda specificice, clare et aperte prout rei veritas fuerit et prout ipsi testes dixerint et testificati fuerint et non scribendo quod testis dixerit seu testificatus fuerit vera esse que continentur in accusatione, inquisitione vel denunciatione seu aliquo alio actu super quo talis testis examinaretur. Quorum testium dicta et actestationes donec publicata erunt in secreto retineant et nemini pandant cum vero publicata erunt unicuique copiam accipere seu sumere//

[c. 75r f. LXV]

permitant, sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet eorum et qualibet vice qua in predictis vel aliquo eorum contrafecerint. Et predictis libris per ipsos vel alterum eorum intitulatis secundum morem in similibus consuetum plena fides adhibeatur et detur donec contrarium probaretur. Quos libros ultima die sui officii intitulatos cum titulis et subscriptionibus ipsorum presentare et relaxare teneantur sindaco seu sindicis qui deputati fuerint ad ipsos sindicandum et sindicatu terminato teneatur notarius sindici predicti ipsos libros consignare et relaxare infra duos dies notariis ad camaram actorum deputatis vel uni ex eis, sub pena ducentarum librarum bononinorum dictis officialibus seu notariis et notario predicti sindici et cuilibet eorum contrafacienti de qua presentatione et relaxatione seu consignatione per alterum ex predictis notariis prescientibus ad dictam camaram fiat publica scriptura, sub pena notario dicte camere negligenti in predictis decem librarum bononinorum. Predictorum

autem notariorum forensium officium non extendatur nec extendi debeat ad causas seu processus syndicatorum nec ad causas dampnorum datorum nec ad causas datiorum et gabellarum nec ad causas de quibus officiales cives Bononie cognitionem haberent vigore eorum officii vel ex commissione facta vel fienda ipsis civibus. Qui notarii forenses finito ipsorum officio stent et stare debeant ad syndicatum per tres¹⁴⁴ dies pro quibus sindicandis unus vel plures elligantur syndici per prefatos dominos ancianos qui pro tempore fuerint qui elligendi ipsos notarios de quibuscumque ad ipsorum spectantibus officium syndicare debeant. In quorum syndicatu procedatur summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii et sola veritate inspecta.

¹⁴⁴ <per tres> *dittografato e espunto*.

[24] **De electione domini capitaneus comunis et populi civitatis Bononie.**
Rubrica. [cc. 75r-76r]

Creator celi et terre Deus omnipotens administrator superiorum ordinum terrestrem gerarciam circa regimina populorum disponit volens non angellus quevis altera creatura, sed homo dumtaxat preferatur omnibus qui graciosi eorum nature consimili gaudeat plantura. Preferendus est igitur omnibus homo, sed talis utique qui sciat et possit prudentia et virtute iniquitates irrumpere et iudicium impendere in mensura vero iusticiam sibi decreto populo ministrare hiis igitur inspectis ut in posterum civitati et populo Bononie de regimine digne provideatur sub cuius manu civitas comune et populus dicte civitatis iuste regatur et salubriter gubernetur. Statuimus et ordinamus quod electio domini capitanei comunis et populi Bononie fiat et fieri debeat hoc modo et forma videlicet, quod infra quindecim dies ultimos primorum trium mensium regiminis cuiuslibet capitanei populi Bononie domini anciani comunis et populi Bononie qui pro tempore fuerint teneatur vinculo iuramenti et sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet eorum coadunari facere dominos confaloneros et massarios artium civitatis Bononie et tres notabiles cives civitatis Bononie pro quolibet quarterio. Quibus coadunatis cum ancianis predictis vel saltim tribus partibus omnium predictorum de ipsa electione fienda per dominum confalonarium iusticie vel per priorem//

[c. 75v]

dominorum ancianorum coram predictis proponatur. Et illico defferatur per notarium vel cancellarium dictorum dominorum ancianorum sacramentum cuilibet predictorum de ipsa electione fienda fideliter ad honorem et bonum et pacificum statum dicti comunis et populi civitatis predicte, qua propositione facta et iuramento prestito ut supra, quilibet in dicta coadunatione existens possit nominare publice coram omnibus unum forensem quem voluerit et putaverit esse meliorem in futurum capitaneum comunis et populi predicti pro sex mensibus secuturis finito officio tunc presentis capitanei. Qui nominandus debeat esse millex armate militie vel baro vel dux aut marchio vel comes etatis ad minus quadraginta annorum. Et qui sit vere amator comunis et populi predicti et presentis status libertatis. Et cuius nominandi et eligendi habitatio et origo et domicillium distet a civitate Bononie per sexaginta miliaria ad minusEt dum tamen talis eligendus vel nominandus non sit bannitus pro aliquo crimine publico vel enormi nec qui fuerit habitator in Bononie vel comitatu infra proximos quatuor annos precedentes, nec aliquis qui fuerit in dicto officio vel in officio potestarie ante per quinque annos proxime preteritos, nec aliquis cuius adsidentes vel aliquis agnatus ipsius usque ad quartum gradum inclusive infra tres annos a die electionis predicte fuerit potestas vel capitaneus populi civitatis Bononie nec aliquis qui sit de aliqua civitate vel loco subiectis vel subiecto¹⁴⁵ alicui tyranno nec aliquis qui tempore dicte nominationis vel electionis sit in aliquo officio dicte civitatis, nec aliquis qui fuerit condempnatus ratione sui officii in civitate Bononie pro suo facto et persona tantum nec eius adsidentes, desidentes vel frater. Insuper non immemores iniqui et sevicioxi regiminis sceleriorumque facinorum et operum et enormium baratariarum ignominiosi militis domini Raymundi de Tolomeis de Senis potestatis Bononie, qui homines dicte civitatis sub pretestu liciti inlicita comittens dissipavit et consumpsit iusta posse. Statuimus expresse, quod idem dominus Raymundus vel eius adsidentes vel aliquis desedens vel aliquis eius frater vel ex eius fratre vel fratribus desedens non possit eligi in capitaneum comunis et populi Bononie vel ad aliquid officium dicti comunis Et nullus desedens olim domini Bindacii de Ricaxoli nec aliquis eius frater

¹⁴⁵ <subiecto> *nel testo* subieto.

nec ex eius fratre vel fratribus descendens possit eligi in capitaneum comunis et populi Bononie nec ad aliquid officium dicti comunis et hoc propter seleratam memoriam dicti domini Bindacii olim rectoris comunis et populi Bononie quas nominationes predictas scribere debeat alter ex notariis dictorum dominorum ancianorum. Ipsi autem nominationibus sic factis et scriptis teneantur ipsi domini anciani incontinenti nomina cuiuslibet nominati in capitaneum scrupinuari facere cum fabis albis et nigris per illos qui dicte congregationi intererint. Et ille qui habuerit plures voces seu fabas albas sit et esse intelligatur capitaneus populi et comunis predicti cum eum acceptare contigerit. Et si alter vel alio modo dicta ellectio fieret non valeat ipso iure. Et nominatio vel ellectio ex dicta nominatione vel ellectione nullum ius queratur. Declarantes quod ex ellectione predicta nullum ius acquiratur ellecto, nisi postquam eidem ellecto ellectio presentata fuerit per syndicum seu syndicos comunis ad hoc deputandos, elligendos et constituendos per dominos ancianos quibus dominis ancianis elligendi//

[c. 76r f. LXVI]

et constituendi quantum ad predicta syndicum predictum damus et concedimus liberam potestatem. Et cum per eum fuerit acceptata quam acceptationem facere teneatur per publicum instrumentum infra tres dies a die presentationis dicte ellectionis et ipso non acceptante infra tempus predictum eidem ellectioni renunciasset intelligatur Adicientes quod domini anciani predicti pro evictione sumptuum et pro honore comunis predicti teneantur antequam mittant ellectionem predictam intimare per eorum literas tali ellecto de nominatione predicta. Et habito seu cognito quod talis nominatus acceptare intendat per ipsius nominati literas suo sigillo munitas mittere debeant dictum syndicum seu syndicos pro ellectione predicta et non anteEt tali sic in capitaneo nominato non acceptante infra tempus predictum vel expresse renunciaverit, tunc incontinenti postquam hoc pervenerit in noticiam dominorum ancianorum teneantur, pena et banno supradictis procedere ad ellectionem novi capitanei modo et forma suprascriptis.

[25] **De mittendo pro domino capitaneo comunis et populi Bononie. Rubrica.**
[cc. 76r-76v]

Ordinamus quod facta nominatione seu ellectione capitanei novi infra terciam diem proxime subsequentem elligatur per dominos ancianos qui pro tempore erunt unus ex bannitoribus comunis Bononie in syndicum dicti comunis, qui infra quintam diem a die qua constiterit ipsis dominis ancianis ipsum talem ellectum in capitaneum acceptare velle vadat una¹⁴⁶ cum notario ad hoc specialiter elligendo in consilio quatuormilium dicte civitatis ad capitaneum novum ellectum. Et presentet eidem literas ex parte comunis et populi Bononie et dictorum dominorum ancianorum de ellectione ipsius in quibus literis contineatur quod infra tres dies a die presentationis predictae debeat respondere si acceptat ellectionem capitaneatus de se factam vel eidem renunciat infra terminum predictum. Et si acceptaverit iuret ac promittat dicto syndico nomine comunis Bononie recipienti in consilio sue terre vel in consilio terre ubi erit de veniendo ad regimen capitanearie civitatis Bononie sibi presentatum et ipsum regimen faciendo secundum formam sacramenti et officii sui. Forma cuius sacramenti eciam mittatur autentica eidem et copia statuti de aventu eius et statuti de syndicato ipsius cum statuto de salario et familia ipsius. Notarius vero predictus de ipsa presentatione, acceptatione, sacramento et promissione vel recusatione si recusaverit conficiat publicum instrumentum. Et predictus syndicus possit et debeat capitaneo acceptanti promittere solutionem ipsius salarii secundum modum et formam statutorum comunis Bononie.

¹⁴⁶ <una> nel testo unaa.

Quam presentationem dictus syndicus facere teneatur dicto domino capitaneo electo ea die vel sequenti qua idem syndicus applicuerit civitati seu loco in qua vel quo fuerit ipse lectus. Predictas autem literas in forma faciat seu fieri faciat cancelarius comunis Bononie seu alter ex notariis dominorum ancianorum et mittantur litere infrascripti tenoris quarum literarum tenorem talem volumus esse. Decenti salutatione premissa. Quia mundo posito in maligno merito inter cepteras populorum sollicitudines hoc debet temporaliter esse precipuum silicet, sibi bonum rectorem elligere cum de manibus cuiuscumque rectoris tocuis sibi comissi regiminis et officii pendet salus et maxime cum ex dispositione sani capitis membrorum universa tranquillitas gubernetur. Huius nempe// [c. 76v]

desiderii fervore viri solliciti et prudentis quibus iusta formam nostrorum statutorum elligendi fuit acatributa potestas vestri celebris nominis vires metiendo et ponderando vertutes personam vestram a kalendis proxime venturis in antea pro semestri tempore accessuro in nostrum capitaneum populi consensu et voluntate unanimi ellegerint. Quo circha nobilitati vestre pro illa salarii quantitate et cum hiis¹⁴⁷ sociatus vicario et militibus, notariis et equis et reliqua familia, qui per ipsos actus laudabiles vos ornent et honorent. Et aliis quod transmissum vobis per nostrum syndicum et etiam alia comunis et populi Bononie statuta declarant ipsius officii regimen offerentes grandi vos aviditate, precamur quantum ipsam ellectionem et oblatum officium acceptantes si complacet iusta promissorum statutorum formam ordinato termino debeatis ad civitatem Bononie vos conferre alioquin ellectionem de vobis factam capssamus et irritamus omnino.

[26] De aventu domini capitanei comunis et populi civitatis Bononie. Rubrica.
[c. 76v]

Providemus et firmamus quod dominus capitaneus comunis et populi Bononie venire debeat cum tota sua familia cum insignis, armis, equis et arnixiis ad civitatem Bononie et ipsam civitatem intrare armatus cum eius sociis domicellis et familiaribus per tres dies ante primam diem sui officii incoandi et prima die sui introytus in civitate Bononie debeat accedere ad palatium dominorum ancianorum et ibidem iurare ipse et suus vicarius in manibus domini vexiliferi iusticie vel prioris dominorum ancianorum et in manibus vicarii presidentis in civitate Bononie pro sancta romana Ecclesia secundum formam sui iuramenti et deinde incontinenti cum eius familia ad ecclesiam maiorem Sancti Petri accedere et die sequenti cum tota sua familia debeant se presentare in palatio residence dominorum ancianorum et ibidem similiter iurare in manibus cancelarii vel alterius ex notariis dominorum ancianorum et hiis tribus diebus debeat stare in quodam hospitio sito in civitate predicta suis expensis. Et finitis dictis tribus diebus sequenti die in mane accedere debeat cum dicta sua familia ad palatium eius residence ibique cunctis iusticiam ministret et omnia exerceat et fatiat ipse et sua familia prout tenetur et debet tam ex forma ellectionis sue quam ex forma statutorum comunis Bononie. Qui dominus capitaneus continuam residence facere teneatur in civitate Bononie et extra dictam civitatem pernotare non possit absque expressa licencia dominorum ancianorum ad penam quingentarum librarum bononinorum.

[27] De familia et salario domini capitanei comunis et populi civitatis Bononie.
[cc. 76v-78r]

Decernimus quod dominus capitaneus populi qui pro tempore fuerit secum ducere debeat et in dicto officio tenere continue unum sufficientem, probum et expertum virum

¹⁴⁷ <hiis> su rasura.

in pratica et theoricha legum doctorem etatis ad minus tregintaquinque annorum et qui fuerit doctor ante introytum sui officii ad minus per unum annum et qui doctor¹⁴⁸ infra octo dies a die introytus sui officii teneatur et debeat fidem facere defensoribus averis comunis Bononie de suo doctoratu per privilegium sui doctoratus ad penam centum librarum bononinorum. Et notarius dictorum defensorum//

[c. 77r f. LVII]

dictum privilegium de verbo ad verbum registrare teneatur, sub pena decem librarum bononinorum. Qui doctor vocetur et sit vicarius dicti domini capitanei et qui vicarius cum ipso domino capitaneo esse et stare debeat ad ius reddendum in quibuscumque causis civilibus et criminalibus que ad ipsius domini capitanei et eius vicarii officium pertinerent vel specialiter comitterentur eisdem. Et ad omnia alia faciendum que ipsius domini capitanei et vicarii officio committuntur et conceduntur. Item teneantur secum ducere et tenere in dicto officio et pro dicto officio exercendo duos probos et expertos viros literatos et praticos in officiis qui sint eius socii milites et quorum quilibet sit ad minus etatis treginta annorum, qui continue morentur et esse debeant cum ipso domino capitaneo in palatio sue residentie et intendere solícite in palatio et extra palatio ad eis comissa et committenda per capitaneum predictum et ad discurrendum et perquirendum per civitatem Bononie de omnibus et singulis qui arma prohibita defferunt et de ludentibus ad ludum azardi vel alterius biscaçarie contra formam statutorum comunis Bononie in ipsa civitate vel comitatu vel aliqua parte ipsius et de quibuscumque de nocte repertis contra formam statutorum predictorum. Et delinquentes repertos in franganti crimine capere et ducere in fortiam dicti domini capitanei ut pena debita puniantur vel a talibus fideiussoribus recipere, considerata conditione persone et qualitate facti. Et quascumque inquisitiones, processus et executiones facere que ad dictum officium pertinebunt. Qui milites cum erint et etiam ad omnem requisitionem dictorum dominorum ancianorum et cum illa familia ipsius domini capitani equestri et pedestri que fuerit opportuna vel que fuerit eidem iniuncta pro parte dictorum dominorum ancianorum in comitatu et per comitatum Bononie tam in partibus montanee quam in partibus planicie dicti comitatus ire debeant et scrutari et investigare a vicariis comitatus Bononie et a massariis terrarum dicti comitatus Bononie si in eorum vicariatibus sunt aliqui ex banniti vel receptatores eorum, homicide vel asasini, vulneratores vel incendiarii domorum, luxores, bescaçatores, decipientes, transeuntes per hospicia et in ipso comitatu capere omnes et singulos bannitos seu rebelles comunis Bononie et publice infamatos de enormibus delitis de quibus puniri possent et delinquentes infringanti crimine repertos nec non tractantes aliquid contra statum comunis et populi Bononie. Et tales captos presentare domino capitaneo ut pena debita eos puniat. Qui milites debeant esse induti de una consimili partita et de eodem pano cum domino capitaneo ut disernantur ab aliis. Item teneatur secum ducere et retinere tres notarios etatis ad minus vigintiquinque annorum bonos et expertos in arte et ministerio notarie, qui solícite contendere et expedire debeant ea que eis committentur occasione eorum officii bene et legaliter et omni negligentia ac deffectu reiectis. Quorum unus teneatur et debeat solícitare et fideliter perquirere de omnibus et singulis que spectant ad officium fanghi Et eandem iurisdictionem arbitrium et bayliam habeat predictus notarius quam habet notarius potestatis deputatus officio fanghi. Et in omnibus et singulis contentis in dictis officiis procedat prout et secundum quod in statutis comunis Bononie continetur, sub penis in dictis statutis contentis. Ita tamen quod processu aliquo incoato per unum ex ipsis contra aliquem alius procedere non possit super eodem negotio qui quidem notarius mutetur de duobus mensibus in duos menses. Et faciat ipse dominus

¹⁴⁸ <doctor> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 5 lettere annullato con una linea sagittale.

capitaneus ipsum officium bene, solicite et dilligenter ac fideliter omnino exerceriEt nichilominus potestas Bononie habeat suum notarium ad dictum officium et quilibet ipsorum notariorum ipsum officium exercere debeat. Item teneatur//

[c. 77v]

secum ducere et retinere octo domicellos omnes indutos de eodem panno seu partita. Item teneatur secum ducere et retinere pro dicto officio et ad dictum officium exercendum quinqueginta sufficientes famulos armigeros et bene armatos in quorum numero sint et esse debeant duo conestabiles cum una banderia seu penone pro quolibet ad insignia dicti domini capitanei septem ragacii a stabullo et a porta et tres chochi, qui quidem famulli teneantur et debeant secum habere et portare insignia dicti domini capitanei in pavexiis, rotellis vel saltim in penonibus lancearum ut ab omnibus cognosci valeant qui stare et morari debeant in domibus residentie dicti domini capitanei ad dictum officium exercendum. Possint tamen et debeant ire per civitatem et comitatum Bononie pro officio dicti domini capitanei exercendo. Quorum aliquis non debeat fuisse in officio vel familiaris alicuius officialis vel civis civitatis Bononie per unum annum ante neque habitasse et moram transisse in dicta civitate per duos annos ante. Et si fuerit aliquis predictorum repertus culpabilis puniatur famullus qui scienter fecerit pena decem librarum bononinorum per dominum potestatemEt ipse capitaneus scienter recipiens puniatur tempore eius sindicatus, pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet famullo. Que omnia et singula teneatur dictus dominus capitaneus facere preconizari infra decem dies ab introytu sui officii, sub pena quinqueginta librarum bononinorum. Item duodecim equos quorum octo saltem sint armigeri et ipsorum octo duo ad minus sint destrarii et duo corserii magni, boni et sufficientes. Ipse vero dominus capitaneus pro se et tota sua familia habeat et habere debeat pro suo salario singulis sex mensibus tria milia libras bononinorum et quindecim libras bononinorum pro cartis, vernice et atramento sine aliqua detractioe. Quod salarium eidem persolvi debeat singulis mensibus pro rata per depositarium generalem seu per tesararium comunis et populi Bononie qui pro tempore fuerint. Salvo quod pagha duorum ultimorum mensium reptineri debeat donec fuerit sindicatus. Et de hiis usque ad concurentem quantitatem satisfiat pro condemnationibus si que fient de ipso vel aliquo de sua familia non derogando si ad plus teneretur solvantur autem dicto domino capitaneo per dictum depositarium dicte quindecim libras bononinorum in una vice in principio officii dicti domini capitanei. Et de predicto suo salario sit omnimode contentus et nichil ultra percipere vel habere possit ipse vel alius eius officialis vel familiaris ab aliquo massario vel sindico alicuius comunitatis vel ab aliqua comunitate aut ab aliqua singulari persona aliqua occaxione directe vel indirecte etiam a sponte dare volente, sub penis in nostris statutis contentis. Item etiam teneatur ipse dominus capitaneus et omnes alii de sua familia supradicti finito suo officio stare ad sindicatum spacio decem dierum et pare sindicis seu sindicatoribus qui habebunt ipsum syndicare et omnibus processibus per eos fiendis in et pro sindicatu predicto. Et dare et solvere omnes et singulas quantitates et alia quecumque que vel in quibus condemnari contingerit vel aliquis de sua familia quod Deus advertat ex causis sindicatus predictis Et in eius sindicatu locum habeat et servetur in omnibus et per omnia statutum positum sub rubrica 'De sindicatu potestatis Bononie' [22] in quantum et prout melius poterit adaptari. Qui dominus capitaneus teneatur in fine sui officii consignare et dimittere massarolo comunis Bononie pro ipso comuni recipienti quatuor bonas balistas a stafa cum crochis precii et extimationis duorum ducatorum auri pro qualibet balista et sex pavesios//

[c. 78r f. LXVIII]

bonos et¹⁴⁹ sufficientes pictos ad insignia eius, sub pena quinqueginta librarum bononinorum auferenda eidem domino capitaneo tempore sui sindicatus. Qui pavexii et baliste si fuerint sufficientes vel non cognosci debeant per massarolum predictum Ac etiam teneatur ipse dominus capitaneus monstra facere et fieri facere de equis et tota familia sua ubicumque et quocienscumque fuerit requisitus pro parte dominorum ancianorum vel officialis ad hec deputati vel deputandi Teneatur etiam in fine sui officii vel ante dare unam robam integram ex robis suis quibus in regimine uteretur videlicet, varatam extimationis ad minus tregintaquinque librarum bononinorum Iohanni condam domini Cai dicebatur Lo Guerço Dalachatarea capitanei Sancti Donati pro dimidia. Et pro alia dimidia magistro Bertolomeo condam Henrici de Buvalinis Sonatori et eo vel eis deficientibus vel remoto debeatur dicta roba ei cui providebitur per dominos ancianos qui pro tempore fuerint vel per maiorem partem ipsorum.

[28] **De forma sacramenti domini capitanei comunis et populi civitatis Bononie.**
Rubrica. [cc. 78r-78v]

Iuro ego capitaneus populi et comunis Bononie per Deum omnipotentem et filium eius unigenitum dominum nostrum Iesum Christum et Spiritum Sanctum et per sanctam Dey genitricem semper virginem Mariam et per quatuor Evangellia et per sanctos archangellos Michaellem et Cabrielem et per beatum Petrum appostolorum principem quod christianus sum et comunicator fidey catolice et appostolice Ecclesie nec a comunione fidelium sum exemptus et quod sum amator presentis regiminis et status civitatis Bononie. Et de pura consiencia cum omni labore, sudore et studio, sine dolo et sine arte quacumque officium capitaneatus michi commissum a dicto comuni et populo facere et operari per me ipsum et per meam familiam toto tempore mey regiminis et regere, gubernare et salvare comune et populum et homines civitatis, comitatus et districtus predicti. Et specialiter officium dominorum ancianorum et vexiliferi iusticie nec non officium dominorum confaloneriorum et massariorum artium civitatis Bononie et officia consiliariorum et consilii civitatis Bononie. Et avere bona et iura comunis Bononie custodiri faciam toto posse et studium et scolares studii civitatis Bononie et ipsorum rectores et universitatem deffendam et manutenebo et ipsorum honores augebo et eis favorabillis ero. Officium domini potestatis et sue familie substinebo et cetera alia que michi comissa sunt vel comitentur fideliter observare studebo. Ac etiam studebo et curabo quod omnes de mea familia idem facient. Et que eisdem comissa sunt vel comitentur observabunt. Contentusque ero salario michi ordinato a comuni Bononie et hiis que michi promissa sunt tam pro me quam pro mea familia ratione officii supradicti. Et pro ipso salario omnes ambasiatatas, andatas et¹⁵⁰ cavalcatas faciam et fieri faciam per me et familiam meam. Et quod nichil ultra petam, exigam vel recipiam a dicto comuni Bononie vel aliqua singulari persona vel universitate etiam a sponte dare volente per me ipsum vel per alium detemptum vel per oblicum predictorum occaxione vel ex aliqua alia causa alioque colore quesito. Et quod non patiar quod aliquis de mea familia aliud petat, exigat vel recipiat ut supra nulli que dedi aliquid nec dabo, promisi vel promittam occaxione dicte capitanearie//

[c. 78v]

michi commisse. Et pure et simpliciter me exhibebo circa subiectos civitatis et districtus predicti et devotos paterne tractabo et in causis michi commissis occaxione mei officii omnibus equus ero, nullumque ultra quam iustum erit prestabo, universa delicta de quibus iurisdictionem habuero puniam eos qui inoscii essent undique inoscios et

¹⁴⁹ <et> *dittografato.*

¹⁵⁰ <et> *aggiunto in infralinea con segno di inserzione.*

ilexos servabo, nossociis autem debitum supplicium imponam. Et omnem equitatem et iusticiam secundum iuris et statutorum comunis Bononie formam servabo. Credencias michi impositas et imponendas secretas tenebo et nemini propalabo. Et curabo quod sicut et ego ita et familia mea faciet et a contis prohibitis et illicitis abstinebit. Et statuta et ordinamenta comunis Bononie tam facta quam facienda ad bonum et rectum et sanum intellectum et ubi statuta deficerent ius civile servabo et servari faciam. Et quod de civitate Bononie et eius districtu non discedam sine expressa licentia dominorum ancianorum nec extra palatia mee residence pernotabo nec permittam aliquem de mea familia discedere vel pernotare toto tempore mei regiminis vel sindicatus, nisi pro utilitate comunis Bononie et pro expeditione eorum que michi vel mee familie committerentur. Et non procurabo vel permittam quod ego vel aliquis de mea familia elligatur vel confirmetur in aliquo officio in civitate vel districtu Bononie nec aliquis alius qui sit de civitate terra vel loco unde ego sum. Et quod si fuero ellectus de novo vel confirmatus non acceptabo. Et stabo ego cum tota familia mea et officialibus meis ad sindicatum secundum formam statutorum comunis Bononie. Si vero non ita predicta omnia et singula servabo et servari faciam in hoc seculo recipiam talionem et in futurum in terribili iudicio magni Dei domini salvatoris nostri Iesu Christi. Et insuper subiectus ero pro quolibet statuto et ordinamento civitatis predicte ac etiam pro quolibet capitullo huius sacramenti non servato pene quingentarum librarum bononinorum et aliis penis que reperirentur statuta in iure aliquo municipali Bononie vel comuni. Quibus omnibus et singulis suprascriptis sponte me obligo et submicto et tam pro me quam pro familia mea et quolibet de ipsa familia.

[29] **De officio, arbitrio et iurisdictione domini capitanei comunis et populi civitatis Bononie. Rubrica.** [cc. 78v-82v]

Habeat autem ipse dominus capitaneus iurisdictionem ordinariam et merum et mistum imperium super hiis que¹⁵¹ idem vel suo officio specialiter committuntur et specialiter super custodia et in custodia facienda in civitate Bononie ubi et prout cognoverit expedire pro conservatione boni et pacifici status comunis et populi civitatis predicte eiusque comitatus et districtus. Et etiam habeat arbitrium et bayliam et liberam facultatem inquirendi contra omnes et singulos qui aliquid dicerent, facerent, atemptarent vel tractarent per se vel alium quovis modo contra statum predictum vel in diminutionem dicti status et comunis et populi Bononie et libertatis eius et contra ipsorum regimina videlicet, contra magnificos dominos dominos ancianos vel contra dominos confaloneros et massarios artium vel aliquem predictorum et qui dicerent vel facerent aliquid propter quod verisimiliter pacificus et tranquillus status comunis et populi Bononie vel libertatis dicti populi turbari posset// [c. 79r f. LXVIII^{or}]

aut concitatio vel sedicio oriri posset in populo civitatis Bononie. Et contra quoscumque rebellantes seu tractantes rebellare aliqua castra vel fortificia comitatus vel districtus predicti. Et contra quoscumque intrantes vel exeuntes¹⁵² civitatem Bononie aliunde quam per portas dicte civitatis. Et contra frangentes seu frangi facientes in aliqua parte murum civitatis Bononie aut aliquam stelatam vel gradam ligneam vel feream per quam posset haberi introitus et exitus in civitate Bononie et extra. Et quemcumque culpabilem repertum puniendi realiter et personaliter arbitrio ipsius domini capitanei considerata facti qualitate et personarum conditione, semper tamen legitimis iudiciis precedentibus in casibus predictis et quolibet eorum. Insuper per

¹⁵¹ <que> *su rasura.*

¹⁵² <vel exeuntes> *a margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

dictam civitatem pro custodia ipsius civitatis die notuque possit et debeat mittere suos officiales socios et familiares et quoscumque repertos ire seu stare per dictam civitatem vel aliquam eius partem contra formam statutorum et ordinamentorum dicti comunis in pertinentibus et super pertinentibus ad officium ipsius capitanei capere et ducere in forciam ipsius domini capitanei et sue curie vel ab ipsis fideiussores accipere considerata condicione personarum et qualitate facti. Et quemlibet sic repertum inspecta et, cognita eius culpa et defectu, considerata condicione persone et qualitate culpe delicti seu deffectus, punire et condemnare secundum formam statutorum et ordinamentorum dicti comunis. Et dictis de causis et qualibet earum procedere possit contra quemlibet facientem et delinquentem in predictis vel aliquo predictorum vigore sui officii et ipsum condemnare secundum formam statutorum predictorum. Ac etiam teneatur et debeat ipse dominus capitaneus capere et capi facere tam in civitate quam in comitatu et districtu Bononie quoscumque bannitos comunis Bononie pro quocumque malefficio descriptos in figura banni in aliquo ex libris bannitorum comunis Bononie positos seu ponendis ad discum bannitorum. Et ipsa banna executioni mandare debeat secundum formam statutorum et ordinamentorum comunis et populi Bononie procedere etiam debeat¹⁵³ ipse dominus capitaneus contra omnes et singulos receptantes in eorum domibus propriis vel conductis aliquem bannitum et in figura banni conscriptum ut supra receptari prohibitum. Et eciam capere et capi facere quoscumque rebelles ipsius comunis et populi et ipsos punire et condemnare secundum formam statutorum dicti comunis et populi. Et quod custodia dicte civitatis, comitatus et districtus Bononie teneatur et debeat alterius diebus mittere pro dominis provisoribus. Qui super custodia dicte civitatis, comitatus et districtus sunt vel erunt ordinati et cum eis de guardia et custodia tam civitatis Bononie quam comitatus et districtus tractare et disponere ac providere prout et sicut eorum discretioni videbitur convenire. Item possit, teneatur et debeat omnes et singulas comissiones que eidem fierent per dominos ancianos super hiis que ad officium seu potestatem ipsorum dominorum ancianorum spectarent assummere per se vel eius vicarium et exequi et executioni mandare tam per se quam per eius familiam. Possit etiam et teneatur cognoscere, procedere et terminare secundum formam statutorum comunis Bononie de omnibus et singulis malefficiis que comiterentur in palaciis seu domibus palaciorum in quibus morantur dicti domini anciani dicte civitatis vel curtili dictorum palatiorum vel platea comunis Bononie vel in domibus in quibus ipse dominus capitaneus cum sua familia moraretur vel residenciam facit vel per ipsum// [c. 79v]

dominum capitaneum vel eius curiam ius reditur. Item una cum domino potestate Bononie de omnibus et singulis baratariis et extorsionibus que comisse et facte dicerentur per aliquos ancianos vesilifer iustitie et consules comunis et populi predicti vel eorum seu alterius eorum notarii ipsorum durantibus officiis de aliquibus et super aliquibus que ad ipsorum vel alterius ipsorum officia pertinerent ubicunque facta reperiantur et quoscumque repertos culpabiles punire et condemnare possint et debeant ipsi domini capitaneus et potestas. Insimul secundum formam iuris et statutorum comunis Bononie. Et si predicti discordes essent in puniendo vel condemnando vel absolvendo eo casu requirere teneantur consilium illius legum doctoris qui tunc temporis esse reperiretur prior colegii doctorum iuris civilis et quod per duos ex eis deliberatum et terminatum fuerit executionem mereatur dum tamen durante officio ipsorum dominorum ancianorum et vesiliferi iusticie et consulum populi delinquentium procedere non possit. Item contra predictos dominos ancianos vexiliferum iusticie officiales notarios et quoscumque sapientes per dictos dominos ancianos ex quacumque

¹⁵³ <procedere etiam debeat> *su rasura*.

causa congregatos et consiliarios predicti populi et quoslibet alios quibus aliquae credentiae essent impositae per commune Bononie seu eius regimina quas propalarent seu propalasse dicerentur extra loca predicta. Volumus etiam, quod predictus dominus capitaneus per se vel eius vicarium teneatur syndicare quoscumque officiales cives comunis et populi Bononie, qui possent seu deberent syndicari per syndicum maiorem comunis Bononie secundum formam statuti positi sub rubrica 'De officio, familia, salario et iurisdictione domini syndici maioris' [I, 30]. Et quoscumque reperuerit aliquid commisisse contra debitum eorum vel alterius eorum officii punire et condemnare penis debitis, et insontes absolvere in casu quo non esset syndicus maior in civitate Bononie quod statutum predictum loquens de iurisdictione et officio syndici maioris locum habeat in omnibus et per omnia quando syndicatus fiet per dictum dominum capitaneum vel eius vicarium et debeat observari. Item etiam possit et teneatur ipse dominus capitaneus inquirere et procedere contra quoscumque delinquentes contra officium confalonierorum et massariorum. Et contra non servantes contenta in statutis comunis Bononie loquentibus de officio confalonierorum et eos punire et condemnare ut in ipsis statutis continentur dum tamen contra aliquem confalonierum procedere non possit occasione contentorum in dicto statuto de officio confalonierorum nisi de licentia et mandato dominorum ancianorum vel maioris partis eorum. Habeat etiam ipse dominus capitaneus potestatem et iurisdictionem procedendi contra omnes et singulos repertos per eius familiam in aliquo frangenti crimine vel delicto et quemcumque sic repertum culpabilem et delinquentem puniendi et condemnandi secundum formam statutorum comunis Bononie. Item etiam teneatur dictus dominus capitaneus procedere contra omnes et singulos stipendiarios comunis et populi Bononie quomodolibet delinquentes et eos punire secundum formam statutorum comunis Bononie. Item possit et teneatur dictus dominus capitaneus procedere contra omnes et singulos quos captos habuerit pro homicidio vel latrocinio vel robaria vel assassinatu efectualiter facto seu sacrilegio//

[c. 80r f. LXX]

et contra quoscumque qui dolo dicerentur comisisse aliquid incendium in aliqua domo posita in civitate et comitatu Bononie etiam si per dominum potestatem vel eius iudices seu curiam ante capturam esset formata inquisitio vel processus quo casu super ipsa inquisitione et processu pronuncietur per ipsum dominum potestatem vel eius iudices non esse pretendendum prius tamen facta executione vel absolute lata per dictum dominum capitaneum et interim dicto domino potestati non curant tempora pro expeditione processus et etiam interim supersedere teneatur ipse dominus potestas et eius iudices. Item teneatur ipse dominus capitaneus procedere contra omnes et singulos cives comitatinos vel forenses quomodolibet delinquentes in exercitiis vel chavalchatis fiendis pro parte comunis et populi Bononie et eos punire secundum formam statutorum comunis Bononie¹⁵⁴. Et etiam contra omnes et singulos debentes ire in exercitiis vel cavalcatis predictis non euntes et de hiis eos punire secundum formam statutorum comunis Bononie. Ac etiam procedere teneatur ipse dominus capitaneus contra omnes et singulos tenentes seu occupantes de rebus seu publicis comunis Bononie indebite vel iniuste vel de bonis in comuni Bononie quacumque de causa confischatis vel confischandis et pro ipsis bonis incorporandis, recuperandis et in comuni Bononie efficaciter perveniendis ad utilitatem comunis Bononie et de omnibus et singulis litibus et questionibus que coram eo moverentur seu orirentur pro deffensione bonorum predictorum vel rerum predictarum seu publicorum predictorum. De maleficiis autem

¹⁵⁴ <et eos punire secundum formam statutorum comunis Bononie> a margine laterale sinistro su due righe con segno di rinvio e di inserzione.

omnibus de quibus in presenti statuto non est data potestas ipsi domino capitaneo iurisdicio, cognitio et punitio solum pertineat ad dominum potestatem civitatis Bononie et eius domini potestatis curiam vel ad alium cui comitteretur per statuta comunis Bononie. Et quod in omnibus et singulis casibus in quibus dominus capitaneus poterit inquirere vel iurisdictionem aliquam exercere teneatur ipse dominus capitaneus et quilibet eius officialis servare et servari facere statuta et ordinamenta comunis et populi Bononie que locuntur de processibus in causis civilibus et criminalibus quatenus eis possunt adaptari tam inquirendo et procedendo quam in terminando, condemnando et executioni mandando, salvo quam in causis pertinentibus ad statum predictum et salvis statutis aliter disponentibus et etiam in absolvendo et penas debitas et statutas in condemnando non excedat et ante condemnationem competentem terminum seu terminos assignet et defensiones legitimas audiat et admitat et nemini in predictis vel in sibi commissis tortum vel iniusticiam faciat. Condemnationesque et sententie quecumque in criminalibus causis ferende et quas faceret ipse dominus capitaneus vel aliquis de sua familia fieri debeant in domibus ressidentie dicti domini capitanei. Primo facta proclamatione per alterum ex bannitoribus comunis Bononie, sono tube premissa super ambabus scalis palatii comunis Bononie, quod siquis vult audire sententias ferendas in causis criminalibus tali hora comparere debeat in palatio dicti domini capitanei non tamen ex dicte cride seu proclamationis obmissione dicte sententie vicentur, sed capitaneus predictus incurat penam decem librarum bononinorum et pulsata campana comunis Bononie prout pulsari consuevit pro condemnationibus fiendis per dominum potestatem Bononie et ferantur in scriptis in formam publicam quas omnes et singulas consignare et dimittere teneatur officialibus et penes officiales dischi Ursii statim cum lecte fuerint si pecuniarie fuerint si vero¹⁵⁵ personales ponantur ad camaram actorum comunis et populi bannum vero deponi faciat ad discum bannitorum comunis Bononie//

[c. 80v]

infra tempus contentum in nostris statutis. Et dare operam quod dicte condemnationes pecuniarie efficaciter exigantur. Et salvis eciam quibuscumque aliis statutis nostris in quibus caveretur in premissis vel aliquibus aliis alio modo, forma vel ordine posse vel debere inquire, procedi vel terminari seu executioni mandari. Que omnia in suis casibus volumus observari Item etiam teneatur ipse dominus capitaneus ad voluntatem dominorum ancianorum civitatis Bononie eciam cum sua familia et suis expensis et eciam aliis gentibus equitare et stare prout eis dominis ancianis placuerit et omnia dilligenter facere et exercere bona fide que habuerit in mandatis. Declarantes quod dictus dominus capitaneus vel eius vicarius aut aliquis eius officialis non audeat vel presumat aliquam causam civilem vel criminalem extra suam naturam et extra veritatem facti directe vel indirecte trahere maxime causa habendi iurisdictionem vel potestatem de eis de quibus secundum formam et sanum intellectum presentis statuti habere non debet. Teneatur etiam ipse dominus capitaneus seu eius vicarius quocienscumque ipsi vel alter eorum fuerint requisiti pro parte dominorum ancianorum accedere ad quamlibet congregationem quam fieri contingerit de consiliariis consilii populi Bononie. Et etiam ad quamlibet aliam congregationem ad quam debuerit ipse dominus capitaneus vel eius vicarius interesse in congregatione dicti consilii populi. Et coram dictis consiliariis ipse dominus capitaneus seu eius vicarius proponere de voluntate dictorum dominorum ancianorum. Et secundum deliberationem ipsorum omnes et singulas postas et scripturas postarum quas proponi legi et publicari voluerint ipsi domini anciani in dicto consilio et super contentis in qualibet posta proponenda.

¹⁵⁵ <vero> *su rasura*.

Conscilia que proferri contingerit a quocunque consciliario audire et in scriptis reddigi facere per alterum ex notariis dominorum ancianorum et talibus consciliis auditis et examinatis per ipsos dominos ancianos secundum formam deliberationum et approbationum inter eos factarum. De dictis consciliis de talibus pro talibus postis propositis ut dictum est partitum et partita facere ipsis consciliariis et inter eos cum fabis albis et nigris datis ipsis consciliariis in dicto conscilio. Et postea eas colligi facere per aliquos fratres religiosos et specialiter de conventu fratrum Heremitarum civitatis Bononie et ipsis recoletis et presentatis coram dictis dominis ancianis in dicto conscilio et ipsis fabis numeratis publicari facere alta voce per alterum ex bannitoribus comunis Bononie numerum fabarum albarum et nigrarum colectorum ut dictum est ut noticia habeatur de obtemptis et firmatis super dictis postis et qualibet earum et contentis in eis et super hiis consciliis datis seu eorum occasione. Et teneatur facere quod notarii dominorum ancianorum interesse debeant congregationibus conscilii supradicti ac legere et publicare quamlibet postam proponendam in conscilio quolibet vulgari sermone. Et similiter publicare et legere omnia et singula que aprobata et deliberata essent per dictos dominos ancianos vel maiorem partem eorum super qualibet posta proposita et lecta in dicto conscilio et super quibus ipsi domini anciani consentient fieri partitum per dominum capitaneum vel eius vicarium. Et etiam debeat et teneatur ipse dominus capitaneus facere et curare ita et taliter quod alter ex notariis dictorum dominorum ancianorum^{156//}

[c. 81r f. LXXI]

scribat, legat et publicet omnes et singulas reformationes fiendas de predictis pro predictis et quolibet predictorum secundum formam statutorum loquentium ‘De officio notariorum dominorum ancianorum’ [I, 13]. Et etiam teneatur ipse dominus capitaneus et eius vicarius omnes et singulas reformationes faciendas de predictis et quaslibet alias provisiones fiendas per predictos dominos ancianos deponi facere per predictos notarios vel alterum eorum vel etiam per cancellarium si per eum eas scribi contingerit in cartis membranis in camara et ad camaram actorum comunis et populi Bononie infra viginti dies postquam facte fuerint. Et ad hoc compelli possint et debeant realiter et personaliter tales notarii vel cancellarius per ipsum dominum capitaneum vel per eius vicarium quibuscumque remediis oportunis. Et etiam similiter quod iam factas a die vigesima mensis marcii milesimi trecentissimi septuagesimi sestis citra deponantur infra tres menses a die publicationis presentium statutorum ad dictam camaram per dictos notarios seu cancellarium in cartis membranis. Vicarius vero dicti domini capitanei cognoscat et cognoscere debeat de omnibus et singulis pertinentibus ad officium dicti domini capitanei et super hiis procedere illaque expedire et terminare possit et modo et forma quo et qua potest ipse dominus capitaneus dum tamen sententias corporales ipse dominus capitaneus proferre teneatur de conscilio sui vicarii quod in sententia exprimi debeat. Item habeat dominus capitaneus et eius vicarius iurisdictionem et arbitrium cognoscendi et terminandi summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii de et super litibus omnibus questionibus et controversiis civilibus que orientur inter aliquos stipendiarios comunis Bononie vel ubi ex parte actoris iure directo vel ex parte reus esset aliquis stipendiarius comunis Bononie. Mandantes etiam quod vacante officio sindici maioris in civitate Bononie vicarius domini capitanei populi dicte civitatis iuxta dispositionem dominorum ancianorum dicte civitatis sit et esse intelligatur syndicus maior comunis et populi Bononie et iudex daciorem dicte civitatis et comitatus cum potestate arbitrio et baylia concessa dicto sindico ex forma nostrorum statutorum. Item teneatur dictus dominus capitaneus ad penam centum librarum pro qualibet vice qua in

¹⁵⁶ *Nel margine inferiore della carta: scribat, legat et publicet.*

infrascriptis fuerit negligens mittere saltem bis in edemada unum ex suis sociis, militibus vel saltem unum ex suis notariis circumcircha muros civitatis Bononie et ad quamlibet portam dicte civitatis ubi morantur custodes portarum et de eis facere mostram et quos reperit abesse a dicta porta qui residenciam ibi facere debent et presentare et referre domino capitaneo cuius militis seu notarii relationi stetur quos predictus dominus capitaneus punire et condempnare et multare possit prout eidem domino capitaneo videbitur nisi iusta causa talis abesset a porta. Teneatur etiam ipse dominus capitaneus procedere contra capitaneus et custodes portarum predictarum de extorsionibus et violenciis et baratariis sique per eos vel aliquem eorum comitterentur quoquomodo et eos punire et condempnare secundum formam iuris et statutorum comunis Bononie. Teneatur insuper ipse dominus capitaneus qualibet die mittere unum ex militibus suis una¹⁵⁷ cum sua familia pro rimando pro armis et portantibus arma contra formam statutorum comunis Bononie et pro rimando de ludentibus ad ludum açardi vel ad alium ludum bescaçarie contra formam dictorum statutorum cuius familie in predictis relationi stetur. Et tales delinquentes punire et//

[c. 81v]

condempnare secundum formam dictorum statutorum in predictis tamen in contrarium¹⁵⁸ fieri possit probatio et legiptime facta admitatur. Insuper teneatur alter ex notariis dicti domini capitanei infra octo dies sui officii facere et procurare cum cancelario vel altero ex notariis dominorum ancianorum populi et comunis Bononie quod habeat inscriptis omnia nomina et prenomina consciliariorum conscilii quadringentorum. Qui notarius ad requisitionem dominorum ancianorum qui pro tempore erunt et quociens ab eis fuerit requisitus teneatur facere mostram de consciliariis et vocare consciliarios conscilii predicti et quos reperierit non venisse ad conscilium pulsata campana ad conscilium more solito apuntet et eos et quelibet eorum qui non venerint ad conscilium condempnare possit usque ad quantitatem decem solidorum bononinorum infra octo dies a die presentationis predicte nisi talis non veniens habuerit iustam causam impedimenti quas excusationes predictus notarius audire et recipere teneatur infra octo dies alias compellat tales non venientes ad solvendum. Et condempnare teneatur dictus dominus capitaneus vel eius vicarius quemlibet qui non sit de conscilio venientem ad dictum conscilium et eius congregatione usque ad quantitatem centum solidorum bononinorum ad plus procedente tamen monitione quod qui non sit de conscilio recedat Ac etiam teneatur predictus dominus capitaneus tociens quociens contingerit ignem acendi vel oriri in aliqua parte civitatis Bononie de die vel de note mittere saltem unum ex officialibus suis cum sua familia ad predictum ignem et dare operam toto posse ut dictus ignis extinguatur et ibidem stare debeat donec dictus ignis sit extinctus Et cavere ne aliquis rumor, rissa, robaria, tumultus vel malefficiam fiat occaxionibus supradictis vel insurgat. Et teneatur ipse dominus capitaneus facere brentatores civitatis Bononie servare statuta comunis Bononie de ipsis loquentia. Et etiam teneatur facere quod quatuor brentatores qualibet note faciant custodiam cum eorum brentis ad domum eorum deputatam de quibus omni note fieri debeat mostra per unum ex eius notariis. Qui brentatores dictis de causis sint exempti a custodiis dicte civitatis. Et nichilominus facere quod tempore incendii alii brentatores veniant cum eorum brentis ad ipsum ignem et pro igne extinguendo Statuentes quod in omnibus predictis et singulis casibus in quibus est attributa potestas dicto domino capitaneo inquirendi, procedendi vel puniendi non sit nec esse intelligatur adempta vel diminuta potestas vel iurisditio domino potestati Bononie nec eius curie,

¹⁵⁷ <una> nel testo unaa.

¹⁵⁸ <contrarium> nel testo contrium.

sed super predictis omnibus et singulis procedere ipse dominus potestas et eius curia possit. Et delinquentes in predictis vel aliquo predictorum punire secundum formam statutorum comunis Bononie salva semper in predictis preventionem ut supra. Et si de preventionem fuerit contemptio inter dictum potestatem et capitaneum populi stetur declarationi dominorum ancianorum qui pro tempore erunt. Insuper etiam dicimus quod si contigat familiam seu officiales dominorum potestatis et capitaneum concurrere ad capturam alicuius persone pro evictanda discordia et rissa que inter eos oriri posset quod ipsa talis persona per quemvis dictorum officialium capi possit et capta duci possit et debeat ad carceres comunis Bononie et ibidem//

[c. 82r f. LXXII]

producentes recomendare ad petitionem domini potestatis et capitanei et postea potestati vel capitaneo debeat tradi prout declaratum fuerit per dictos dominos ancianos. Salvo quod dictum est supra in presenti statuto in paragrapho: 'Item possit et teneatur dictus dominus capitaneus procedere contra omnes et singulos quos captos et cetera' [c. 79v]. Multare autem possit dictus dominus capitaneus et eius vicarius quemcumque inhobedientem et contumacem usque ad quantitatem quinque librarum bononinorum et ab inde infra considerata qualitate facti et conditione persone. Preterea declaramus quod dominus capitaneus populi non possit aliquo modo per se vel aliquem de sua familia cognoscere de aliqua iniuria personali illata per aliquam personam contra aliquem de sua familia, sed cognitionem talis delicti atribuimus et reservamus domino potestati Bononie. Et si per dictum dominum capitaneum vel aliquem de sua familia contra aliquem procederetur occaxione talis iniurie processus talis qui fieret occaxione predicta non valeat nec teneat ipso iure. Et nichilominus dictus capitaneus incidat penam trecentarum librarum bononinorum ab eo auferenda tempore sui sindicatus. De maleficiis vero comissis in personam alicuius de familia domini potestatis Bononie ipse dominus potestas vel aliquis de sua familia se intromittere non possit cognoscendo vel puniendo, sub pena predicta, sed cognitio et punitio talium delictorum spectet ad dominum capitaneum et suam curiam servatis semper hoc casu nostris statutis. Item volumus quod dominus capitaneus populi Bononie qui pro tempore erit teneatur et debeat singulis mensibus et diebus quibus macinatur mittere unum ex suis sociis militibus vel saltim unum ex notariis suis asociatum cum sua familia ad molendina que sunt in civitate Bononie ad rimandum si molendinarii vel victurales comittunt fraudem vel negligenciam circha frumenta que debent macinari vel circha farinas que ibi macinate fuerint. Et faciat amoveri sestoria, gradicios et alia que essent supra vel iusta macinas. Et quod omnes defectus quos talis officialis reperuerit reddigere in scriptis in quodam libro et referrat predicto domino capitaneo cuius relationi stetur et credatur, salvo quod legitima probatio in contrarium admittatur. De quibus defectibus dominus capitaneus possit inquirere et quoscumque repertos culpabiles punire et condempnare realiter et personaliter suo arbitrio considerata qualitate delicti vel defectus. Quod si dictus dominus capitaneus negligens fuerit in predictis vel aliquo predictorum penam incidat ducentarum librarum bononinorum et de dicta negligentia specialiter et expresse sindicari debeat per syndicatores qui eum sindicabunt tempore sui sindicatus. Providemus etiam et ordinamus, quod dictus dominus capitaneus populi qualibet edemada semel ad minus teneatur mittere ad carceres comunis Bononie novos et veteres suum vicarium ibique dictus vicarius a quocumque carcerato inquisitionem et investigationem singulariter facere si ipsi carcerati vel alter eorum in dictis carceribus existentes opprimitur vel opprimuntur ultra debitum rationis a custodibus carcerum vel ab eis aliquid indebite extorquitur per predictos custodes vel ab aliquo qui esset superstes carceris aut ab aliquo ex carceratis. Et si repererit aliquem carceratum oprimi

vel ab eo aliquid illicite extorqueri ut supra. Contra tales sic delinquentes omni iure et nostrorum statutorum solempnitate obmissa procedere possit et quoscumque//

[c. 82v]

reperitos culpabiles dictus dominus capitaneus condempnare possit et teneatur usque ad quantitatem quinqueginta librarum bononinorum et minus considerata qualitate delicti et conditione persone. Et si in predictis vel aliquo predictorum predictus dominus capitaneus vel eius vicarius fuerit negligens condempnetur ipse dominus capitaneus pro sua negligentia in libris ducentis bononinorum. Et ipse dominus vicarius pro sua negligentia in libris centum bononinorum. Et de hoc specialiter uterque eorum possint et debeant sindicari per eorum syndicatores tempore eorum sindicatus.

[30] De sindicatus domini capitanei comunis et populi civitatis Bononie et sue familie. Rubrica. [c. 82v]

Quoniam officialibus immodice servientibus freni temperies adhiberi debet, et ut officiales ab illicitis sindicatus timor reprimatur. Statuimus et ordinamus, quod dominus capitaneus comunis et populi Bononie et sua familia, finito suo officio, stare debeant ad sindicatum decem diebus continuis. Et quod statutum de sindicatu domini potestatis Bononie in omnibus et per omnia locum habeat in sindicatu domini capitanei predicti et sue familie quam melius adaptari poterit. Item ordinamus, quod dominus capitaneus comunis et populi Bononie per octo dies ante finem sui officii teneatur reassignare per publicum instrumentum libros et acta sui officii dominis ancianis vel duobus ex eis qui pro tempore erunt publicatos manu notarii qui tales libros scripssit et pictos ad arma et insignia dicti domini capitanei super copertis talium librorum, pena eidem domino capiteo si in predictis vel aliquo predictorum fuerit negligens quingentarum librarum bononinorum super quibus processibus in dictis libris contentis vel aliquo eorum facta reassigna predicta predictus dominus capitaneus ulterius procedere non valeat, sub pena predicta. Et procesus pendentes reservet et reservare teneatur novo capiteo. Et interim dicto domino capiteo tempora non curant. Quos processus novus capitaneus expedire teneatur secundum formam iuris et statutorum comunis Bononie. Et nichilominus procedat in novis delictis de quibus ipse dominus capitaneus cognitionem habet supervenientibus post predictam reassignmentem. Et facta reassignmente predicta, teneantur anciani facere in omnibus et per omnia prout tenetur facta reassignmente librorum domini potestatis Bononie ut in statuto posito sub rubrica ‘De officio et iurisdictione domini potestatis’ [6] latius continetur. Et in omnibus et per omnia observetur et fiat prout in illo statuto continetur in quantum melius adaptari potest.

LIBER TERTIUS

cc. 82v-166r

[c. 82v]

Incipit liber tercius

[1] **De consilio quatuormilium civitatis Bononie. Rubrica.** [cc. 82v-83v]

Conservare volentes comuni Bononie consilium quatuormilium et ipsius consilii comoditatem, decernimus, quod semper esse debeat in civitate Bononie unum consilium quatuormilium et tot ipsius consilii possint et debeant esse consiliarii et non ultra modo aliquo vel ingenio coequando quarteria, ita quod in quolibet quarterio sint mille consiliarii//

[c. 83r f. LXXIII]

et non ultra masculi et etatis ad minus quatuordecim annorum. In quo seu de quo consilio non possit esse vel scribi aliquis bannitus comunis Bononie pro aliquo malefficio vel rebellis ipsius comunis tempore electionis fiende de ipsis consiliariis. Nec aliquis qui tempore dicte electionis sit scutifer, brentator, aburatator, mondator, fornarius, qui propriis manibus ipsam artem operetur mulinarius, victuralis, tricollus fructuum vel erbarum, asinarius, portator cum sacco vel nuncius comunis Bononie vel episcopatus vel qui sit ortolanus vel laborator terrarum vel qui faciat alia laboreria rusticalia in comitatu Bononie pro maiori parte temporis, nisi aliud provideatur. Nec aliqua infamata persona de assassinatu, proditione, falsitate vel lenocinio, nec aliquis clericus habens ultra primam tonsuram et quatuor minores ordines, nec aliquis religiosus vel ecclesiastica persona, nec aliquis qui non sit ipse vel eius ascendens per masculum oriundus de civitate vel districtu Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis, de qua origine vel de quibus originibus, si vertatur in dubium, sufficiat probare per publicam vocem et famam cuius onus probandi incumbat ei contra quem opponitur. Nec aliquis fumans seu extimatus comitatus Bononie nec aliquis ex eis descendens per masculum, nec aliquis descriptus pro fumante vel estimado in aliquo ex libris dictorum fumantum vel extimatorum seu hominum comitatus Bononie etiam si habitatores sint civitatis Bononie vel natus in civitate vel pater eius. Et si in dubium revocetur utrum quis sit fumans vel non quantum ad contenta in presenti statuto ei incumbat onus probandi cui domino vicario videbitur considerata personarum condicione. Statuentes, quod aliquis qui sit vel esse possit in dicto vel de dicto consilio non possit esse vel describi nisi in uno tantum quarterio silicet in eo quarterio in quo habitaret cum sua familia tempore electionis de eo facte in consiliarium dicti consilii et nisi in tribus vicibus seu in tribus locis de se ipso ille qui elligere debuerit, alia vero duo nomina seu voces sue electe scribi facere teneatur in dicto consilio duabus aliis diversis personis vel uni qui possit esse de dicto consilio. Et nisi electus sit vel fuerit secundum formam sequentis statuti et solverit tempore electionis fiende vel postea ad terminum ordinandum comuni Bononie vel eius officialibus ad hoc deputatis solidos viginti bononinorum pro toto tempore quo durare debuerit dictum consilium, ita quod non fiat solutio nisi semel. Quod consilium duret et durare debeat quatuor annis finito presenti consilio. Et singulis quatuor annis debeat renovari et de novo mitti ad brevina secundum formam sequentis statuti. Et per novos consiliarios successive elligendos fiat solutio supradicta. Preterea dicimus, quod consiliarius elligendus ut supra et heredes eius possint alium in sui seu defuncti locum subrogare, seu scribi facere, seu consentire dummodo subrogandus non sit tunc temporis prohibitus esse de dicto consilio vel fuerit de alio quarterio quam fuerit ille in cuius locum fuerit subrogatus tempore talis subrogationis. Et nisi ipse subrogandus solverit comuni Bononie tempore subrogationis

de eo fiende quinque solidos bononinorum pro toto tempore ipsius consilii tunc subsecuturo. Subrogandus vero ut supra perpetuo non possit postea alium in sui locum subrogare vel poni facere durante tempore ipsius consilii. Heres autem consiliarii de quocumque quarterio fuerit durante tempore dicti consilii de ipso consilio sit et esse intelligatur nisi defuntus vel ipse heres alium subrogaverit loco sui. Super questionibus autem que orientur¹⁵⁹//

[c. 83v]

occasione predictis vel aliqua earum procedi possit summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii et sola veritate inspecta et quocumque loco et tempore etiam feriato.

[2] De electione consiliariorum consilii quatuormilium. Rubrica. [cc. 83v–84v]

Ordinamus, quod electio consiliariorum consilii quatuormilium comunis Bononie cum fieri et renovari debuerit fieri debeat pro quatuor annis inchoandis in kalendis mensis ianuarii singulis quatuor annis ultimo anno quorumlibet quatuor annorum de mense novembris tempore quo officiales comunis Bononie mittuntur ad brevia in ipso consilio ut moris est et non ante aliquo modo vel causa infrascripto modo et forma videlicet. Quod fieri debeant brevia electorum dictorum consiliariorum tot numero pro quolibet electore quinque consiliarios elligente donec totus numerus predictus futuri consilii compleatur. Et equaliter ipsa brevia dividantur, ita quod tot numero habeat unum quarterium quot aliud. Et scribi, examinari, publicari et mitti debeant ad brevia dicti electores. Et ei quem sors brevis electoris contigerit dari prout et sicut fiet de aliis brevibus officialium predictorum ad brevia in ipso consilio mitendorum. Quorum electorum nomina per eos scribantur per quos scribentur nomina electorum officialium supradictorum. Quilibet autem cui sors talis brevis electoris obvenerit per se vel alium qui pro eo legitime seu modo usitatis ad accipiedum breve comparuerit et sibi datum fuerit, possit et debeat elligere et nominare in ipso consilio et eo durante vel postea quandocumque infra quinque dies immediate subsequentes diem dicte electionis generalis quinque consiliarios qui possint esse de dicto consilio et sint habitatores illius quarterii pro quo breve electionis habuerit dictus elector inter quos possit se ipsum elligere seu principalem quem sors brevis contingerit tribus vicibus seu in tribus locis ad plus. Alia vero duo nomina seu voces sue electe scribi facere teneatur duabus aliis personis diversis vel uni qui possit esse de dicto consilio. Quam electionem in scriptis dare teneatur notario qui nomina consiliariorum dicti sequentis consilii scribere debuerit et de hiis librum conficere modo consueto. Que nomina in scriptis danda scribi debeant per alterum ex notariis qui scribere debuerint nomina consiliariorum dicti consilii secundum quod dabuntur dicte electiones in scriptis per elligentem. Qui notarii seu notarius tempore poremptionis seu dationis nominum dictorum consiliariorum non possit recipere vel habere pro quolibet nomine nisi solum sex denarios bononinorum et non ultra etiam a sponte dare volentibus, pena dicto notario seu notariis ultra accipientibus centum solidos bononinorum pro qualibet electione si ultra acceperint auferenda de facto per iudicem Ursii omni exceptione remota et hoc non obstante aliquo alio nostro statuto in contrarium disponente. Que nomina in scriptis danda ipse notarius cui dabuntur teneatur in scriptis reddigere in uno libro papiri una cum aliis consiliariis pro dicto quarterio elligendis nominibus uno ab alio cum aliquo spacio segregatis et electis per unum quemque positus et consignatis sub ipsius electoris electione. Et si contingerit aliquem prohibitum//

[c. 84r f. LXXIII^{or}]

¹⁵⁹ <orientur> *nel testo* orrientur.

elligi possit ipse ellector eciam invito ellecto et non requisito in loco talis alium non prohibitum scribi et poni facere infra alios quinque dies postea subsequentes, quibus elapsis variare volens non audiatur eciam consenciente ellecto. Et si repertum fuerit ellapsis dictis terminis aliquem prohibitum subrogatum esse et subrogatio de eo facta per alterum ex notariis ad hoc deputatis tempore cancellationis fiende appareat ellector pro quolibet tali prohibito quem elegerit si electionem non correxerit infra terminos supradictos, penam incidat ipso facto viginti solidorum bononinorum. Et ellectus vel subrogatus eandem penam incurrat qui sciens se esse ellectum et subrogatum infra octo dies a die scientie se non petierit a dicto notario cancellari et removeri. Et nichilominus possit talis ellectus vel subrogatus per quencunque non prohibitum elligi denunciari domino potestati vel eius vicario qui pro tempore fuerit. Et denunciator in locum talis prohibiti subrogetur et subrogatus esse intelligatur eciam si in dicto consilio alibi descriptus et ellectus esset in pluribus locis, super quo ipse dominus potestas vel eius vicarius possit, teneatur et debeat summarie procedere et super hoc pronunciare infra octo dies facta sibi denunciatione predicta. Qua pronuntiatione facta notarius predictus omni appellatione et exceptione cessante remota ipsum denunciatores loco talis denuntiati scribere et subrogare teneatur eodem die quo pronuntiatum fuerit vel sequenti, sub pena librarum decem bononinorum etiam sine aliqua solutione alicuius quantitatis pecunie fienda dicto comuni pro tali subrogatione nec in ipsorum ellectorum prohybitorum locum ut supra vel ellectorum etiam non prohibitorum qui tamen non solverent vel solvissent quantitates ordinatas in precedenti statuto ad terminum quem debebant aliquis postea in ipso consilio modo aliquo valeat poni vel subrogari nisi ut supra, etiam si solvisset quantitatem quam quilibet non prohibitorum solvere debuisset et eo casu quo non solvisset ellectus prohibitus ellector pro omnibus ellectis prohibitis vel non quantitatem debitam et electiones ascriptas ex forma dicti precedentis statuti comuni Bononie solvere teneatur. Notarius autem predictus de predictis consiliariis elligendis pro ipso quarterio qui prohibiti, reprobati vel remoti et cancellati non fuerint et solvissent quantitates predictas quas solvere teneatur ex forma precedentis statuti ellapso tempore dicte solutionis fiende unum librum conficiat in cartis membranibus cum substitutionibus ellectorum et spaciis consuetis cum titullo libri et subscriptione ipsius notarii. Et idem quilibet ex aliis notariis pro suo quarterio facere teneatur. Qui libri durantibus eorum officiis per ipsos et penes eos et eorum socios conserventur. Et finito eorum officio custodiendi et salvandi tradantur successoribus in eorum officio, et sic fiat successive donec duraverit tempus novi consilii supradicti incoandi ut supra. Et si accideret, quod aliqua subrogatio fieret de aliquo consiliario in locum alicuius ex dictis consiliaris in casu permissio ex forma precedentis statuti fiat per illum notarium seu alterum ex eis quorum duraret officium et penes quem vel quos conservari debent dicti libri pro qua subrogatione ipse subrogatus notario duodecim denarios solvere teneatur. Et quod//

[c. 84v]

omnes et singuli conscribendi et qui conscripti reperirentur in dictis libris scriptis in cartis membranibus intitulatis et subscriptis non prohibiti tamen ut supra intelligantur esse et sint dicti consiliarii dicti consilii de dicto consilio quatuormilium incepturo ut supra. Interim tamen si contingat ipsos prohibitos descriptos ut supra antequam questio referatur in ipso consilio aliquid breve per se vel alium habere vel habuisse ex quo ad aliquam electionem processerit dicta ellectio vicietur et nulla sit ipso iure. Et in electione devenerit de novo mittatur ad breviam salvis semper in omnibus supradictis statutis loquentibus 'De consilio quatuormilium' [1] omnibus circa hoc provisus et providendis.

[3] De modo et forma elligendi officiales comunis Bononie in consilio quatuormilium. Rubrica. [cc. 84v-87r]

Preterea dicimus, quod singulis annis pro toto sequenti anno elligantur infrascripti officiales in dicto consilio quatuormilium in alio quocunque tali consilio postea successive finiendo infra tempora quibus durare debuerit ad brevia tempore, modo et forma suprascriptis videlicet, quod conciliariorum dicti consilii nomina singulariter in brevibus undique equalibus in scriptis reducantur per illos qui ad hoc fuerint deputati faciendo de quolibet nomine unum breve divisum per quarteria in quibus descripti fuerint et examinetur dicta brevia cum originali librorum per vicarium domini potestatis. Et dummodo corectorem et consules societatis notariorum vel maiorem partem eorum cum fratribus infrascriptis ne eror vel fraus committantur. Et ne aliquis qui non sit de dicto consilio in ipsis brevibus ponatur, et si positus fuerit breve laceretur et contra ponentem procedatur prout videbitur domino potestati vel eius vicario. Que brevia nominum silicet nomina cuiuslibet quarterii per se plicentur equaliter per unum vel duos ex fratribus conventuum fratrum Predicatorum vel Minorum civitatis Bononie quem vel quos dominus vicarius requisiverit ad predicta et requirere teneatur in presencia ipsius domini vicarii et corectoris et consulum societatis notariorum vel maioris partis eorum et unus ex notariis deputatis seu deputandis ad dictum consilium quatuormilium faciendum pro quarterio de quo essent brevia que plicari deberent et notariorum qui brevia scripserint. Et sic equaliter plicata numerentur et ponantur in quatuor saculis silicet uno pro quolibet quarterio. Qui saculi in presencia predictorum claudantur, ligentur¹⁶⁰ et sigilentur sigillo ipsius domini vicarii et corectoris predicti. Et sic clausa et sigillata dentur custodienda dictis fratribus donec fieri debuerit ellectio dictorum officialium que fieri debeat singulis annis de mense novembris. Fiant autem de dictis officialibus elligendis tot brevia undique equalia quot fuerint officiales elligendi ponendo in quolibet breve unum officialem dicendo ellectio talis officialis. Et si fuerit talis officialis qui micti debuerit ad plura brevia dicatur in uno unus ellector talis officialis, in alio dicatur unus ellector talis officialis et sic successive in aliis quotcumque esse debuerint. Et etiam tot brevia equalia cum dictis brevibus ellectorum quot inter ipsa brevia ellectorum et brevia alba//

[c. 85r f. LXXV]

tot sint in numero quot brevia nominum conciliariorum illius quarterii in quo ellectores dictorum officialium ad brevia mitti deberent. Et sic fiat de quolibet quarterio coequando semper quarteria de officialibus elligendis ut supra, ita quod in quolibet quarterio tot officiales elligantur ad brevia quot elligi debent ex forma presentium statutorum. Et officiales qui in uno anno elligentur in uno quarterio in sequenti anno elligantur in alio, et sic successive de uno quarterio in aliud quarterium, incipiendo primo in quarterio porte Sancti Petri, secundo in quarterio porte Sterii, tercio in quarterio porte Sancti Proculi, quarto in quarterio porte Ravenatis, et deinde in quarterio porte Sancti Petri et sic per ordinem. Et fiant dicta brevia tam ellectorum quam alba in cartis membranis per illos qui ad hoc deputati fuerint. Que brevia alba plicentur equaliter per fratres predictos in presencia predictorum et plicata in saculis ponantur silicet brevia cuiuslibet quarterii per se in uno saculo. Brevia vero ellectorum plicentur forma qua plicata fuerint alba, et ponantur ipsa brevia ellectorum silicet brevia cuiuslibet quarterii per se in uno saculo sive busolo qui ligetur et sigiletur ut supra et ipsis fratribus custodiendum tradatur usque ad diem ipsius ellectionis et cum fieri debuerint ellectio fiat qualibet die ellectio de uno quarterio in prima die de quarterio porte Sancti Petri, et alia die de quarterio porte Sterii, et alia de quarterio porte Sancti

¹⁶⁰ <ligentur> nel testo lighentur.

Proculi, et alia die de quarterio porte Ravenatis. Et antequam fiat ellectio preconicetur per civitatem et burgos in locis et triviis ordinatis per bannitores comunis Bononie per tres dies ad minus ante diem ellectionis quod quilibet de dicto consilio pro quarterio quod primo mittetur ad brevia die tali que certa ordinetur venire debeat per se vel alium legiptimum ad dictum conscilium pro faciendo ellectionem de novis officialibus comunis Bononie pro sequenti anno et fiat de aliis quarteriis successive. Die vero ordinata potestas seu eius vicarius pulsari faciat dictum conscilium tempore et modo consuetis et in ipso consilio in quolibet dictionum quarteriorum debeant esse continue duo ex iudicibus domini potestatis vel saltim unus iudex et unus milex et quatuor ex notariis forensibus dicti domini potestatis et duo ex banitoribus comunis Bononie. Et duo pueri qui bone et pure fidey videantur per dictum vicarium vel illum cui comisserit elligendum. Quorum quilibet habeat unum capellum magnum, in quorum uno ponantur omnia brevia nominum consiliariorum, que bene misceantur, et in alio omnia brevia ellectionum et alba que simul bene et equaliter misceantur per dominum corectorem predictum. Et hoc fiat in presentia dicti consilii. In quo consilio veniant dicti fratres qui brevia habuerint et per eos in presencia consilli apertis sacolis et busolis ponantur brevia in dictis capellis et misceantur ut supra. Retento exinde extra capellum uno breve ellectionis quod sors obtulerit pro quolibet quarterio quod iudici plicatum tradatur, et ei cui ultimo vocabitur dari debeat deinde remotis fratribus pulsato consilio et ordinato ut supra hora debita antequam consiliarii vocentur publicentur//

[c. 85v]

per unum ex bannitoribus quot brevia nigra in dicto quarterio mitantur et cridetur in dicto consilio per alterum ex banitoribus predictis quod nullus veniat ad acipiendum aliquid breve qui non fuerit vere de dicto consilio. Et vere ille qui vocatur¹⁶¹ fuerit vel eius heres, vel ipsius consiliarii seu heredis, procurator, tutor vel curator vel actor talis tutoris vel curatoris vel pater vel avus¹⁶², filius vel nepos per masculum seu frater vel patruus ipsius vocati¹⁶³ vel heredis eius ubi procurator, tutor vel actor non venirent et si de agnatione vel cognatione talis comparentis dubitetur stetur sacramento talis comparentis. Et quilibet descriptus in dicto consilio possit constituere procuratorem ad contenta in presenti statuto et in precedenti statuto eciam si minor vigintiquaque annis sit vel licet sit in potestate patris et etiam ad contenta in statutis loquentibus ‘De consilio quatuormilium’ [1].¹⁶⁴ Et quod nullus debeat elligere aliquem qui non possit esse officialis eius officii quid in breve eum contingente continebitur. Et maxime aliquem in iudicem qui non sit et esse possit de colegio iudicum civitatis Bononie. Et etiam non possit aliquis in iudicem elligi qui publice exercent seu ministerium procuracionis exercuerit aliquo tempore infra sex menses precedentes vel qui sit minor vigintiquaque annorum. Et non possit aliquis elligi in vicarium comitatus qui non sit habitator civitatis Bononie per maiorem partem temporis cum sua familia, et qui non sit maior treginta annis. Nec possit aliquis elligi in ipso consilio in notarium qui non sit de societate notariorum civitatis Bononie, et qui non exercent publice artem notarie, et qui aliam artem seu artificium seu ministerium exercent, et qui non sit maior viginti annorum. Nec aliquam ellectionem faciat que sit contra formam statutorum comunis Bononie, et maxime de aliquo qui non habitaret in illo quarterio pro quo elligi deberetur officialis in breve contentus, exceptis ellectionibus fiendis de iudicibus et notariis, qui possint elligi de alio quarterio licet non habitent in illo quarterio pro quo fit ellectio. Nec aliquem

¹⁶¹ <vocatur> *nel testo* vohatur.

¹⁶² <avus> *nel testo* avius.

¹⁶³ <vocati> *nel testo* vohati.

¹⁶⁴ *Sul margine laterale sinistro in corrispondenza di questo paragrafo è tracciata una manicola e la scritta mira.*

elligat qui ad aliquod officium in eodem consilio foret electus quod cum illo non possit concurrere. Et si aliter fieret in predictis electio non valeat ipso iure, nec possit in contrarium provideri vel dispensari. Item liceat in ipso consilio et eo durante et per totam diem dicti consilii vel per tres dies sequentes electionem factam variare consensiente electo qui sit idoneus, et ubi non sit idoneus etiam invito vel ignorante electo et non aliter. Et omnia faciant a prohibitis absterneant in predictis que et prout statutorum comunis Bononie forma exigit et requirit, sub penis in eis contentis. Quibus creditis vocentur consiliarii singulariter et successive prout per puerum qui capellum nominum consiliariorum habuerit extrahentur successive extrahendo solum unum breve quod sors protulerit pro qualibet voce, quid breve statim apperiat per iudicem seu militem qui interfuerit et publicetur et creditur nomen in eo contentum per alterum ex dictis bannitoribus et eodem concursu alter puer de suo saculo sive capello extrahat unum breve quod sors pretulerit per alium iudicem seu militem apperiat et publice ostendatur, et si album vel nigrum fuerit per banditorem publicetur et creditur. Et si album fuerit ad vocandum//

[c. 86r f. LXXVI]

alios procedatur, et sic successive. Si vero nigrum in quo contineatur electio alicuius officialis, iterum vocetur ille¹⁶⁵ quem sors dicti brevis contingerit et nullo modo respondente, iterum vocetur et eo expectato per aliquod spacium temporis quod iudici competens videatur ipse vel alio pro eo legitime non¹⁶⁶ veniente, breve nigrum electionis non publicetur, sed in capello brevium electorem reponatur et cum aliis misceatur, et in locum illius unum breve album extrahatur et laceretur. Vocatus vero non respondens ulterius non vocetur, nec ad breve admittatur. Et invocando alios continue et successive procedatur donec omnes vocati fuerint qui omnino vocari debeant prout sors eos pretulerit. Si vero venerit vocatus per se vel alium in casu premissis, teneatur incontinenti eligere officialem ad officium in breve contentum. Ad quod officium possit etiam se ipsum eligere si abilis fuerit vel alium non prohibitum eligi ad ipsum officium. Et electione facta statim electus et ad quod officium elligitur in ipso consilio publicetur, nec paciatur dominus vicarius vel iudex qui consilio interfuerit aliquem morari ad discum ad quod brevia mittentur vel prope ipsum discum nisi bannitor sit qui credere debuerit vel alius qui capella brevium tenere debuerit vel nisi sit de notariis ad predicta deputatis vel familia domini potestatis, nec etiam pati quod aliquis dicat elligas me vel talem et contrafacientes puniat pecunialiter suo arbitrio usque ad quantitatem centum solidorum bononinorum et non ultra. Electiones vero que fierent de dictis officialibus scribi debeant per dictos notarios forenses domini potestatis vel alterum eorum scribendo nomen electoris qui suo nomine elegerit vel alieno et eius cuius nomine electio fieret et electi et officium ad quid electus fuisset que facere teneantur dicti notarii forenses sine aliqua solutione vel premio aut spe aliqua premii, sub pena librarum vigintiquinque bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et si qua varietas dubium seu questio in predictis vel ex predictis insurgeret per ipsum iudicem qui consilio interfuerit celeriter decidatur simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii. Que electiones exemplentur et iterum in scriptis redigantur per dictos notarios forenses sine solutione aliqua ut supra vel eorum alterum ut supra saltem in cartis papiis infra quinque dies a die facte electionis et ponantur ad discum domini potestatis, ita quod quilibet possit inspicere et videre deinde preconigetur in palatio veteri horis iuridicis. Quod si quis velet opponere contra aliquem electum ad aliquod officium in dicto consilio quod eligi non debuerit vel potuerit illud opponere et

¹⁶⁵ <ille> *nel testo* illem.

¹⁶⁶ <non> *nel testo* no.

notificare possit domino potestati vel eius vicario infra quinque dies a die cride publice vel occulte et in credentia teneatur si teneri voluerit. Et ellapso termino cride quam citius fieri poterit ipse dominus vicarius vel alter ex iudicibus domini potestatis cum ipsis officialibus in ipso consilio ellectis ad examinandum ellectiones predictas vel maiore parte ipsorum examinare possit et debeat dictas ellectiones et notificationes et oppositiones si que facte fuissent. Et etiam per se ipsos vel alios inquirere absolute de ipsis ellectionibus et ellectis si que vel si qui facte vel facti seu ellecti fuerint contra formam statutorum comunis Bononie. Et si quas indebite ellectiones factas invenerint eis primo citatis et eorum defensione audita et examinata si comparuerint et si iniusta fuerit recepta ipsos ellectos vel ellectiones de eis factas capssare et cancellare//
[c. 86v]

teneatur. Et si ellectio nulla fuerit ratione persone ellecte vel modi et forme possit et debeat dictus ellector iterum elligere ydoneum eadem die vel sequenti qua dicta sua ellectio fuerit capsata, si vero nulla fuerit ratione elligentis, tunc ipsorum officialium ellectores de novo in eodem quarterio mittantur ad brevia. Salvo eo quod supra proximo statuto 'De denunptionibus' [65] dictum est quod hic repetitum sit et esse intelligatur et in ipsis ellectionibus locum habeat. Ceteros vero quos ellectos debite fuisse crediderint, teneantur per quarteria registrare et scribi facere in formam publicam manu alterius ex notariis predicti potestatis in cartis membranarum et sic registrati et scripti ponantur, consignentur ac dimitantur ad camaram actorum populi et comunis Bononie infra decem dies elapso termino infra quem possunt fieri scambia et varationes et penes officiales dicte camere ibidem perpetuo conservandos ponendo et scribendo officiales ordinarios sub titullo officialium ordinariorum, et officiales extraordinarios sub titulo officialium extraordinariorum clare et aperte, ita quod veritas semper appareat de ellecto et elligente et officio ad quod fuisset ellectus. Nec prosit talis descriptio, depositio vel consignatio alicui indebite ellecto quamvis ut supra non fuerit capsatum vel cancellatum. Qui notarii forenses domini potestatis pro predictis vel pro subrogatione fienda non possint aliquid percipere directe vel indirecte sub pena predicta. Que omnia fieri et expediri debeant per decem dies ad minus ante kalendas menssis ianuarii subsequentis. Mandantes, quod quilibet officialis qui debite ellectus fuerit ad aliquid officium in dicto consilio teneatur iurare coram vicario domini potestatis de eo mense quo sit ellectio vel sequenti vel ad terminum arbitrio domini potestatis vel eius vicarii statuendum de ipsius officio bene et legaliter exercendo et faciendo et ad illud operandum continue stando. Et etiam satisfacere comuni Bononie si tale sit officium pro quo satisfacere deberet ex aliqua lege municipali prout et sicut in ipsa lege continetur et omnia et singula faciendo et adimplendo que ad ipsius officium quomodolibet pertinerent vel illud renunciare infra dictum terminum ad quam renunptionem admitatur. Que sacramenta scribantur per unum ex notariis presidentibus tunc ad discum domini potestatis ad hoc specialiter deputandum et omnia in uno libro actorum ponantur et conserventur penes notarium supradictum, nec possit vel debeat talis officialis dicto sacramento non prestituto dictum officium exercere vel eidem quomodolibet se immiscere et si contrafecerit penam incidat librarum decem bononinorum comuni Bononie applicandam et ab ipso officio repellatur et excludatur nisi absentia vel alia iusta causa fuerit impeditus. Gesta tamen per eum vel cum eo pretestu talis officii interim ex hoc non vicientur nec ipsius dolus vel culpa seu negligentia ad alios non culpabiles extendatur. Et idem servari volumus in gestis per quemcumque elligi prohibitum licet postea eius casetur ellectio. Verum quia in predictis alique expense licet modice fiende ocurant, mandamus, quod quilibet qui breve ellectionis officialis vel consiliariorum habuerit antequam breve recipiat teneatur solvere uni ex notariis deputatis ad dictum consilium quatuormilium seu ellectis in consilio existenti duodecim denarios Et

tantum solvere teneatur dictus officialis electus, qui iurare debuerit tempore dicti iuramenti officialibus deputatis ad examinandum officiales pro eorum salario. Et si elector//

[c. 87r f. LXXVII]

electionem variare voluerit vel variaverit in casu premissis. Iterum tantundem solvere compellatur de quibus denariis solvendis ipsis notariis ad predicta deputatis ipsi notarii facere debeant dictas expensas occurrentes et que occurrerint, et si quid supererit inter se et socios ad dictum officium dividere teneantur. Adhucientes, quod nullus possit eligi ad duo officia ordinaria que eodem tempore concurrant, nec etiam in alio anno nisi ab eo vacaverit saltem per sex menses vel per aliud tempus per nostra statuta provisum. Nec etiam ad unum ordinarium et ad aliud extraordinarium eodem tempore nisi tale extraordinarium sit, quod cum ordinario possit concurrere secundum formam nostrorum statutorum. Et possit heres alium loco primi vel ulterioris subrogare si contingat primum electum mori vel etiam alium subrogatum, nec in predictis seu circa predicta vel ipsorum occasione aliquid prohibitum facere vel fiendum obmittere possit, sub penis contentis in nostris statutis et aliis quibuscumque statutis et ordinamentis comunis Bononie quibus per nostra statuta non fuerit derogatum. Statuentes etiam, quod nullus qui prohibetur esse de dicto consilio quatuordecim possit eligi et subrogari ad aliquid officium quid vadat ad brevia in dicto consilio vel illud exercere. Adhucientes, quod nullus cui contingerit vel obvenerit aliquid breve nigrum ad brevia vel electus fuerit per aliquem cui contingerit vel obvenerit aliquid breve quid sibi videatur honorosum illud non compellatur accipere¹⁶⁷ nec aliquam solutionem vel honorem aliquid pro ipso subire. Tamen eligere aliquem teneatur et electus illud acceptare possit ad quam electionem fiendam compelli possit per vicarium domini potestatis. Dicimus etiam, quod si contingat aliquem admitti ad aliquid officium contra formam nostrorum statutorum, quod quilibet sic admissus et scienter acceptans quomodocumque contra formam nostrorum statutorum solvat et solvere teneatur depositario comunis Bononie libras decem bononorum. Declarantes, quod bannitores predicti nil petere vel recipere etiam a sponte dare volentibus possint ab aliquo qui habuerit breve aliquid, sub pena viginti solidorum bononorum pro quolibet contrafaciente de facto eidem auferenda per dictum vicarium.

[4] De officialibus seu officiis qui et que mitti debeant ad brevia in consilio quatuordecim civitatis Bononie. Rubrica. [c. 87r]

Providemus, quod singulis annis in consilio quatuordecim civitatis Bononie mictantur ad brevia infrascripta officia et brevia et in ipso consilio infrascripti officiales ad ipsa officia elligatur. Imprimis in uno quarterio infrascripta officia et infrascripti officiales et infrascripta brevia videlicet.

[4.1] In uno quarterio. Rubrica. [cc. 87r-92r]

Electio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro primis sex mensibus.

Electio unius notarii ut supra pro primis sex mensibus.

Electio unius notarii officio memorialium, contratum, instrumentorum et ultimarum voluntatum pro primis sex mensibus.

Electio unius notarii ut supra.

Electio unius notarii ut supra.

¹⁶⁷ <accipere> *nel testo* accipere.

Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.//

[c. 87v]

Ellectio unius notarii ad discum Aquile pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ad dischum Griffonis pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ad camaram actorum comunis et populi Bononie pro primis sex mensibus.
Ellectio unius custodie carcerum comunis Bononie cum salario viginti librarum bononinorum pro primis sex mensibus.
Ellectio unius vicarii terre Sancti Iohannis in Persiceto pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius in dicta terra stare debeat cum sua familia et cum aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit.
Ellectio unius vicarii ut supra.
Ellectio unius vicarii ut supra. Qui vicarius solvere debeat cuilibet electori unum solidum pro qualibet libra sui salarii.
Ellectio unius vicarii terre Seravalis et aliarum terrarum dicto vicariatus subiectarum pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius personaliter stare debeat cum familia sibi deputata alias salarium exigere non possit.
Ellectio unius vicarii ut supra.
Ellectio unius vicarii ut supra. Qui vicarius solvere teneatur unum solidum pro libra sui salarii cuilibet electori.
Ellectio unius vicarii tere Caprarie supra Panicum et aliarum terrarum dicto vicariatus subiectarum pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve tantum. Qui personaliter in dicta terra stare debeat cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit concordet se cum electore.
Ellectio unius vicarii terre Galerie et aliarum terrarum dicto vicariatus subiectarum pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve tantum. Qui personaliter in dicta terra stare debeat cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit concordet se cum electore.
Ellectio unius castelani terre Roche Bargi pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castellani ut supra.
Ellectio unius castellani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos duos.
Ellectio unius castelani terre Roche Plumacii a mane pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castellani ut supra.
Ellectio unius castellani ut supra.
Ellectio unius castellani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos tres.
Ellectio unius castellani Roche magne Castri Franchi pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos quinque.//

[c. 88r f. LXXVIII]

Ellectio unius castelani Roche Mançolini pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos tres.
Ellectio unius castelani roche Crevalcorii a sero pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos tres.
Ellectio unius castelani Roche de Corneta pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos duos.
Ellectio unius castelani turis de Cavagli pro toto anno et vadit ad unum breve tantum concordet se cum ellectore.
Ellectio unius castelani Castri Bargatie pro toto anno et vadit ad unum breve tantum concordet se cum ellectore.
Ellectio unius capitanei Ponte Lamarum pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos tres.
Ellectio unius capitanei porte Peradelli pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos tres.
Ellectio unius capitanei ad portam Sancti Mame pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos tres.
Ellectio unius massaroli super laboreriis comunis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius massaroli ut supra.
Ellectio unius massaroli ut supra. Solvat cuilibet ellectori libras quatuor bononinorum.
Ellectio unius notarii qui esse debeat continue cum duobus dominis provisoribus et ire cum altero eorum quando ipsis videbitur ad faciendum mostras comitatus et munitionum rocharum et//

[c. 88v]

alia facere et scribere que ad officium dominorum predictorum spectant et pertinent pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos duos.
Ellectio unius ingegnerii super laboreriis comunis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve concordet se cum ellectore.
Ellectio unius notarii dominorum ancianorum pro mense maii et iunii.
Ellectio unius clauditoris portarum civitatis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius clauditoris ut supra.
Ellectio unius clauditoris ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos duos.
Ellectio unius notarii domini capitanei populi Bononie ad civilia pro primis sex mensibus.

Ellectio unius magistri bombardarum et qui debet reparare et manutenere omnes clavatorias portarum civitatis Bononie suis expensis et videre et reparare bombardas cum salario sex librarum bononinorum in mense et equitare cum ei mandatum fuerit. Et habere quolibet die quo equitaverit ultra eius salarium solidos decem bononinorum cum uno ronceno pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio conducte stipendiariorum pro primis sex mensibus et vadit a tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori solidos quadraginta.

Ellectio unius notarii depositarii generalis ultra officium contralatoris pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori solidos viginti bononinorum.

Ellectio unius domini salsarum pro toto anno.

Ellectio unius iudicis appellationum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius superstitis daciurum salis, molendinorum, moliturarum et panis pro sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum.

Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius depositarii daciurum, venditionum et docium, carcerum et banorum et notariatus iudicis daciurum pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras quatuor bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos pro primis sex mensibus.

Ellectio unius superstitis daciurum merchantorum folixellorum circularum et aliorum daciurum que colliguntur in domus gabelle marcationum pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras bononinorum sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad datium bestiarum et retagli pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.//

[c. 89r f. LXXVIII^{or}]

Ellectio unius officialis in Sancto Iohanne in Persiceto super gabellinis molendinorum tocius legationis predicte cum uno ronceno cum salario libras duodecim bononinorum in mense pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius venditoris panis ad schaffam platee pro primis sex mensibus.

Ellectio unius capitanei montanearum qui esse debeat forensis pro primis sex mensibus et qui residenciam facere debeat in terra Monçoni vel Ronchastaldi et vadit ad tria brevia pro quo quilibet ellector habere debeat ab elligendo florenos quatuor auri. Ellectio vero spectet ad duos ancianos.

Ellectio unius castelani roche Ducie pro toto anno. Et habeat ellector ab elligendo florenos tres et vadit a quatuor brevia, ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio ut supra.

Ellectio ut supra.

Ellectio ut supra.

Ellectio unius castelani roche chucherle Montisolli pro toto anno et habeat ellector ab elligendo florenos duos et vadit ad quatuor brevia, ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio ut supra.

Ellectio ut supra.

Ellectio ut supra.

Ellectio unius castelani Roche Roffeni pro toto anno et vadit ad duo brevia et habeat ellector ab elligendo libras duas bononinorum. Ellectio vero spectet ad duos ancianos.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius iudicis ad discum Griffonis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et milex dicti domini iudicis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis ad discum dampnorum datorum seu malefficiarum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum dampnorum datorum seu malefficiarum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursii pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum bannitorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad scribendum brevia pro toto anno qui adesse debeat in ordinatione et descriptione nominum et officiorum consilii quatuormilium et adesse debeat ad dischum Ursii tempore dicti consilii ad faciendum scribi officia. Et habeat pro quolibet breve nigro solidum unum bononinorum et pro quolibet alio scambio solidum unum bononinorum et teneatur solvere omnes expensas occurrentes predictorum occaxionibus.

Ellectio unius notarii ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis literati¹⁶⁸ officio aquarum, pontium et stratarum guardie civitatis, comitatus et districtus Bononie cum salario treginta libras bononinorum pro primis sex mensibus pro qua electione ellector habeat ab electo quatuor libras bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.//

[c. 89v]

Ellectio unius nuncii officio aquarum, pontium et stratarum guardie civitatis, comitatus et districtus Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis ad dischum Cervi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocetur socius et milex literatus domini iudicis officio procuratorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio multeriorum pro toto anno.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad recipiendum et scribendum pignora quacumque de causa pignoranda pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad examinandum electiones officiorum et officialium elligendorum in consilio quatuormillium pro toto anno.

¹⁶⁸ <literati> a margine laterale sinistro con segno di rinvio e di inserzione.

Ellectio unius notarii officio inventariorum et curatorum bonis indefenssis in causis civilibus pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis super illis qui prestant roncenos, equos et equas ad victuram pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad recipiendum et scribendum vigintiquinquenas porigendas per ministras capellarum pro toto anno.

Ellectio unius approbatoris securitatum et fideiussionum que dantur in comuni Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis assaçatoris panni lini et bixelli in trivio porte Ravenatis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio cartexellarum venditionum et dotium et qui notarius debeat facere librum sua propria manu assignandum ad camaram actorum comunis et populi Bononie subscriptum et intitulatum manu propria dicti notarii infra sex mense finito officio conductionis dicti dacia, sub pena librarum quinquaginta bononinorum pro primis sex mensibus nisi dictum datium vendi seu locari contingerit, quo casu conductor ipsum notarium elligat et ellectori solvat id quod per dominos ancianos deliberabitur¹⁶⁹.

Ellectio unius officialis ad recipiendum pecunias condempnationum que fiunt ad dischum Ursii cum salario decem libras bononinorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii officio memorialium, contractuum, instrumentorum et ultimarum voluntatum per secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarius ut supra.

Ellectio unius notarius ut supra.

Ellectio unius notarius ut supra.

Ellectio unius notarius ut supra.

Ellectio unius notarius ut supra.

Ellectio unius notarius ad discum Griffonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarius ut supra.

Ellectio unius notarius ad discum Aquile pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarius ad dischum Cervi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarius ad camaram actorum comunis et populi Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius custodis carcerum comunis Bononie cum salario viginti libras bononinorum pro secundis sex mensibus.//

[c. 90r f. LXXX]

Ellectio unius vicarii terre Butrii pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius personaliter in dicta terra stare debeat cum familia et aliis sibi deputatis, alias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra, solvat pro taxa cuilibet ellectori unum solidum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Savigni et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum et vadit ad tria brevia pro secundis sex mensibus. Qui vicarius personaliter in dicta terra stare debeat cum familia et aliis sibi deputatis, alias salarium exigere non possit.

¹⁶⁹ <nisi dictum datium vendi seu locari contingerit, quo casu conductor ipsum notarium elligat et ellectori solvat id quod per dominos ancianos deliberabitur> a margine laterale sinistro con segno di rinvio su 5 righe.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori ut supra.

Ellectio unius vicarii terre Bagnarole et aliarum terrarum dicto vicariatu subiectarum¹⁷⁰ et vadit ad unum breve tantum pro secundis sex mensibus pro qua electione elector habeat a comuni Bononie libras quindecim bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius vicarii terre Castagnoli Maioris et aliarum terrarum dicto vicariatu subiectarum et vadit ad unum breve tantum pro secundis sex mensibus pro qua electione elector habeat a comuni bononinorum libras quindecim. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius custodis turis de Mulinella pro secundis sex mensibus concordet se cum electore.

Ellectio unius custodis turis de Canoli pro secundis sex mensibus concordet se cum electore.

Ellectio unius officialis super conducta stipendiariorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra. Solvat cuilibet electori pro taxa florenos quatuor.

Ellectio unius cancelerii dominorum ancianorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius cancelerii ut supra.

Ellectio unius cancelerii ut supra. Solvat cuilibet electori florenos quinque.

Ellectio unius ingignerii comunis Bononie pro secundis sex mensibus concordet se cum electore.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum pro mensibus novembris et decembris.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum pro mensibus iulii et augusti.

Ellectio unius iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii domini capitanei ad civilia pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius spaçatoris platee pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad faciendum bolitas stipendiariorum et aliorum et vadit ad tria brevia pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos quatuor.

Ellectio unius notarii depositarii generalis qui sit contralator pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra. Solvat cuilibet electori pro taxa florenos tres.//

[c. 90v]

Ellectio unius marischalchi ad bancham stipendiariorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius marischalchi ut supra.

Ellectio unius marischalchi ut supra. Nichil percipit a comuni, set habet partem emolumentorum contentam in statuto. Solvat cuilibet electori pro taxa florenos duos.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius superstitis daciorum vini, bestiarum, retagli, sgarmigliati, feni et palearum pro secundis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

¹⁷⁰ <subiectarum> *nel testo* subgliectarum.

Ellectio unius defensoris averis comunis Bononie pro secundis mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius defensoris averis ut supra.

Ellectio unius defensoris averis ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori libras quatuor bononinorum et ellectio spectet ad dominos ancianos et colegia.

Ellectio unius depositarii cum uno coadiutore daciorum merchationum follexellorum circularum et aliorum daciorum que coliguntur in domibus dacii merchationum pro quo ellector habere debeat ad elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad dischum ordinarium dacii vini pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad datium merchationum pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum civitatis Bononie pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad campionem et ad alias scripturas dacii molendinorum pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius venditoris panis ad scaffam porte Ravenatis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius capitanei montanearum qui esse debeat forensis et qui residenciam facere debeat in terra Monçoni vel Ronchastaldi pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia pro quo quilibet ellector habere debeat ab elligendo florenos quatuor. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius capitanei montanearum ut supra.

Ellectio unius capitanei montanearum ut supra.

Ellectio unius officialis literati qui vocetur socius et miles domini iudicis ad discum dampnorum datorum seu malefficiarum parvorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad discum dampnorum datorum seu malefficiarum parvorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis ad discum Griffonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum Griffonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ut supra.¹⁷¹//

[c. 91r f. LXXXI]

Ellectio unius notarii ad discum Ursi pro secundis sex mensibus

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad discum bannitorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis qui vocetur socius et miles domini iudicis ad discum bannitorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius approbatoris securitatum et fideiupsionum que dantur in comuni Bononie pro secundis sex mensibus.

¹⁷¹ *Nel margine inferiore della carta:* Ellectio unius notarii ad discum Ursii.

Ellectio unius notarii officio procuratorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii super illis qui prestant roncenos, equos et equas ad victuram pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio defensorum averis comunis Bononie cum salario libras vigintiquinque bononinorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad recipiendum et scribendum pignora quacumque de causa pignoranda pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio inventariorum et curatorum bonis indefensis in causis civilibus pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii custodum carcerum comunis Bononie cum salario libras vigintiquinque bononinorum pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii officio aquarum, pontium et stratarum guardie, comitatus et districtus Bononie cum salario quindecim libras bononinorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Butrii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Baçani et Savignani.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Pucichalvoli et Runcumaruni.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Plumacii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sancti Cristoffari de Planorio et Sancti Laurentii de Agugnano.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montis Sancti Iohannis, Roche de Rodulfis, Scoveti, Raxigli et Sancti Ylaris.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Vignole Comitum, Vedegeti, Montaxighi, Venole et Ripe Magliarie.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Funi.

Ellectio unius potestatis ut supra.//

[c. 91v]

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Crespelani et Pragatuli.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montispoli, Ronche Montisverii, Montis Pasturi et Sassimullarii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Nonantule, Pançani, Gagii de Sancto Ambrosio, Burgeti et Sancti Cesarii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Vilole, Cadriani, Calamuschi et Calchadone.
 Ellectio unius potestatis ut supra.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Volte.
 Ellectio unius potestatis ut supra.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Mançolini.
 Ellectio unius potestatis ut supra.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Vighi, Trasserre, Podii Russi, Savignani de Lungoreno.
 Ellectio unius potestatis ut supra.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Argelate.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre burgi Panicalis.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Sassuni.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Medicine.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Varignane.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Castri Franchi.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Ceretuli, Lauri, Predoxie et Sancti Martini in Casola.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Duglioli.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Thiolo.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Bagnarole.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Crevalcorii.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Casalicli ultra Ydicem.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Stagni.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Riosti.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Frassinete, Galegate et Montisarmati.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Caxi.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Camognani, Sancti Martini et Moncionis.
 Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Camognani, Sancti Martini et Montionis.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Ulgiani.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Vimignani, Verçuni et Carnigliani.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Bibolani, Sassichascholi et Campiani.//
 [c. 92r f. LXXXII]
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Bondanelli et Sancti Laurentii in Funi.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Ulmetule.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Caçanesche et Castri Alpis.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sancti Iohannis in Tiçano et Mugli.
 Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Cinquante, Fregaroli, Cenacli et Salecti.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Castri Leonis.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Flessi.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Munçuni.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Muxiglioli.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Montixii.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Clagnani.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Garnaroli.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Seravallis.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Bixani.
 Ellectio unius potestatis ut supra.
 Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancte Agate.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis in Triario.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Çapolini.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Stanchi et Agliarii de Fregnano.

[4.2] **In secundo quarterio infrascripta officia. Rubrica.** [cc. 92r-97v]

Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis ut supra.

Ellectio unius notarii officio memorarium, contractuum, instrumentorum et ultimarum voluntatum pro primis sex mensibus¹⁷².

Ellectio unius notarii officio predicto ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum Montonis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum Aquille pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Cervi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad camaram actorum comunis et populi Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius custodis carcerum comunis Bononie cum salario viginti libras bononinorum pro primis sex mensibus.//

[c. 92v]

Ellectio unius defensoris averis et iurium comunis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius defensoris averis ut supra.

Ellectio unius defensoris averis ut supra. Solvat¹⁷³ pro taxa cuilibet ellectori libras quatuor bononinorum. Et ellectio spectat ad dominos ancianos et collegia.

Ellectio unius iudicis ad dischum Montonis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur sotius et milex dicti iudicis ad dischum Montonis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum bannitorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et milex domini iudicis officio dampnorum datorum seu malleficiorum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum dampnorum datorum seu malleficiorum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio aquarum, pontium et stratarum guardie, comitatus et districtus Bononie cum salario quindecim libras bononinorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius approbatoris securitatum et fideiupsionum que dantur in comuni Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad scribendum brevia pro toto anno qui adesse debeat in ordinatione et descriptione nominum et officiorum consilii quatuormilium et esse

¹⁷² <pro ... mensibus> a margine laterale sinistro con segno di inserzione.

¹⁷³ <solvat> nel testo solva.

debeat ad dischum Ursi tempore consilii ad faciendum scribi officia, et habeat pro quolibet breve nigro solidum unum bononinorum et pro quolibet alio scambio solidum unum. Et teneatur solvere omnes expenssas occurrentes predictorum occaxione.

Ellectio unius officialis ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad faciendum extima ut supra.

Ellectio unius notarii ad examinandum ellectiones officiorum et officialium elligendorum in consilio quatuormilium pro toto anno.

Ellectio unius officialis super deffectibus molendinorum qui defraudant farinas cum salario vigintiquinque libras bononinorum pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ad ellectore florenos duos. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii officio cartexellarum venditionum et dotium et cetera pro primis sex mensibus. Qui notarius debeat facere librum sua propria manu assignandum ad camaram actorum populi et comunis Bononie subscriptum et intitulum manu propria dicti notarii infra sex menses finito officio conducte dacia, sub pena quinqueginta librarum bononinorum nisi dictum dacium vendi seu locari contingerit per comune Bononie, quo casu conductor ipsum notarium elligat et electori solvat id quod per dominos ancianos deliberabitur¹⁷⁴.

Ellectio unius officialis officio mulateriorum pro toto anno.

Ellectio unius notarii officio procuratorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii super illis qui prestant roncenos, equos et equas ad victuram pro primis sex mensibus.//

[c. 93r f. LXXXIII]

Ellectio unius notarii officio inventariorum et curatorum bonis indeffenssis in causis civilibus pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad recipiendum et scribendum pignora quacumque de causa pignoranda pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius vicarii terre Crevalcorii pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius in dicto loco stare debeat personaliter cum familia et aliis sibi deputatis, alias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori solidum unum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii Castri Sancti Petri et aliarum terrarum subglictarum dicto vicariatui pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius stare debeat personaliter in dicto loco cum familia et aliis sibi deputatis, allias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii Castri Sancti Petri ut supra.

Ellectio unius vicarii Castri Sancti Petri ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori unum solidum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Varignane et aliarum terrarum subiectarum dicto vicariatui pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius stare debeat personaliter in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis, allias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

¹⁷⁴ <vendi seu locari contingerit per comune Bononie, quo casu conductor ipsum notarium elligat et electori solvat id quod per dominos ancianos deliberabitur> a margine laterale sinistro, su 5 righe, con segno di rinvio.

Ellectio unius vicarii ut supra. Solvat cuilibet electori solidum unum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Schargalaxini et aliarum terrarum dicto vicariatu subgliectarum pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve tantum. Qui vicarius personaliter stare debeat in dicto loco cum familia et aliis sibi deputatis, alias salarium exigere non possit concordet se cum electore.

Ellectio unius vicarii terre Altedi et aliarum terrarum dicto vicariatu subgliectarum pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve tantum. Qui vicarius personaliter stare debeat in dicto loco cum familia et aliis sibi deputatis, alias salarium exigere non possit concordet se cum electore.

Ellectio unius vicarii Casalici de Reno et aliarum terrarum dicto vicariatu subgliectarum pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve tantum pro qua electione elector habeat a comuni Bononie libras quindecim bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius castelani Roche Oselini pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos tres.

Ellectio unius castelani Roche Batidicii pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.//

[c. 93v]

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos quatuor.

Ellectio unius castelani Roche Garnaglioni pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos tres.

Ellectio unius castelani roche magne Castri Sancti Petri pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat¹⁷⁵ pro tassa cuilibet electori florenos quinque.

Ellectio unius castelani Roche Belvederis pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos quinque.

Ellectio unius castelani Roche Stagni pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius castelani Roche Rascilini pro toto anno. Et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori florenum unum.

Ellectio unius castelani turis Asinellorum pro primis sex mensibus. Et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

¹⁷⁵ <Solvat> *nel testo solva.*

Ellectio unius castelani ut supra. Solvat cuilibet ellectori florenum unum.
Ellectio unius castelani Capreni pro toto anno et vadit ad quatuor brevia. Et debet solvere cuilibet ellectori florenos quatuor.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius capitaneus porte strate Sancti pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius capitaneus ut supra.//

[c. 94 f. LXXXIII]

Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra. Et solvere debet cuilibet ellectori florenos tres auri.
Ellectio unius capitanei porte Sancti Vitalis pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra.
Ellectio unius capitanei ut supra. Et solvere debet pro tassa cuilibet ellectori florenos tres auri.
Ellectio unius depositarii generalis pecunie et averis comunis Bononie pro primis sex mensibus. Et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius depositarii ut supra.
Ellectio unius depositarii ut supra. Et solvat cuilibet ellectori florenos decem auri.
Ellectio unius notarii qui esse debeat continue cum duobus dominis provisoribus et ire cum altero eorum quando ipsis dominis provisoribus videbitur ad videndum et faciendum mostras comitatus et munitionum rocharum et omnia alia scribere que ad officium provisorum spectant et pertinent pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra. Et solvat cuilibet ellectori duos florenos auri.
Ellectio unius clauditoris portarum civitatis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius clauditoris ut supra.
Ellectio unius clauditoris ut supra. Et solvat cuilibet ellectori florenos duos auri.
Ellectio unius marischalchi ad banchum stipendiariorum pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius marischalchi ut supra.
Ellectio unius marischalchi ut supra. Et non percipit aliquid a comuni, set habeat emolumentorum contentorum in statuto et solvat cuilibet ellectori florenos duos.
Ellectio unius notarii officio conducte stipendiariorum pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra. Et solvat cuilibet ellectori libras duas bononinorum.
Ellectio unius ingignerii comunis Bononie pro primis sex mensibus concordet se cum ellectore.
Ellectio unius notarii dominorum ancianorum mensium ianuarii et februarii.
Ellectio unius iudicis appellationum pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii dominorum ancianorum mensium marcii et aprilis.
Ellectio unius gubernatoris pontis de Casaliclio Reni pro toto anno et vadit ad duo brevia. Et habeat quilibet ellector a comuni Bononie libras quatuor bononinorum.
Reditus vero possessionum dicti pontis spectet ad comune Bononie.

Ellectio unius superstitis¹⁷⁶ datiorum vini, bestiarum, retagli, sgarmigliati, feni et palearum pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.//

[c. 94v]

Ellectio unius depositarii cum uno coadiutore daciorem salis, molendinorum, moliturarum et panis pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis daciorem merchationum folixellorum, circularum, gualchiararum, fructuum, pissium et scadirole pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad librum parolarii, daci vinii pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab eligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum civitatis Bononie pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad discum ordinarium gabelle salis pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius colectoris et visitatoris portarum circularum civitatis Bononie pro datio circularum et pro aliis daciis, qui colliguntur et extrahuntur in domibus gabelle merchationum iuxta mandatum superstitem et depositariorum pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius capitanei montanearum qui esse debeat forensis et qui residentiam facere teneatur in terra Monçoni vel Ronchastaldi pro primis sex mensibus pro quo quilibet ellecto habere debeat ab elligendo florenos quatuor auri. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius capitanei montanearum ut supra.

Ellectio unius capitanei montanearum ut supra.

Ellectio unius notarii ad discum domini potestatis et Leonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii officio memorialium, contractuum, instrumentorum et ultimarum voluntatum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad discum Aquille pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad discum Aquille pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad discum Montonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad discum Montonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad camaram actorum comunis et populi Bononie pro secundis sex mensibus.

¹⁷⁶ <superstitis> nel testo supstitis.

Ellectio unius custodis carcerum comunis Bononie cum salario viginti libras bononinorum pro secundis sex mensibus.//

[c. 95r f. LXXXIII^o]

Ellectio unius defensoris averis et iurium comunis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius defensoris averis ut supra.

Ellectio unius defensoris averis ut supra. Solvat pro taxa cuilibet ellectori libras quatuor bononinorum et ellectio spectet ad dominos ancianos et colegia.

Ellectio unius officialis ad faciendum extima non extimatis et qui volunt de novo extimari pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius iudicis ad discum dampnorum datorum seu malleficiorum parvorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum dampnorum datorum seu malleficiorum parvorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis ad discum bannitorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad discum bannitorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis ad discum Montonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum Montonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad discum Ursi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius approbatoris securitatum et fideiusionum que dantur in comuni Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad officium inventariorum et curatorum bonis indefenssis in causis civilibus pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et milex domini iudicis officio procuratorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et milex domini iudicis officio Cervi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad recipiendum et scribendum pignora quacumque de causa pignoranda pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati officio aquarum pontium et stratarum guardie comitatus et districtus Bononie cum salario treginta libras bononinorum pro secundis sex mensibus. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius officialis super illis qui prestant roncenos, equos et equas ad victuram pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius vicarii Castri Franchi et aliarum terrarum dicto vicariatui subglicetarum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia, qui vicarius stare debeat personaliter in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis allias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra. Solvat pro taxa unum solidum bononinorum cuilibet ellectori pro qualibet libra sui salari.

Ellectio unius vicarii terre Sancte Agate et aliarum terrarum subglicetarum dicto vicariatui pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius personaliter

stare debeat in dicta terra cum familia et aliis deputatis alias salarium exigere non possit.//

[c. 95v]

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra. Solvat pro taxa cuiuslibet electori solidum unum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii Montisvelli et aliarum terrarum dicto vicariatu subglicetarum et vadit ad tria brevia. Qui vicarius stare debeat personaliter in dicta terra cum familia et aliis deputatis alias salarium exigere non possit pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra. Solvat cuiuslibet electori solidum unum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Corvarie et aliarum terrarum dicto vicariatu subglicetarum pro secundis sex mensibus. Et vadit ad unum breve tantum habeat elector a comuni Bononie libras quindecim. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius vicarii terre Burgi Panichalis et aliarum terrarum dicto vicariatu subglicetarum pro secundis sex mensibus. Et vadit ad unum breve tantum, habeat elector a comuni Bononie libras quindecim. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius custodis turris Predacolorie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius custodis Turris de Vergha pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis super conducta stipendiariorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra. Solvat cuiuslibet electori florenos quatuor auri.

Ellectio unius officialis presentationum forensium et super cursoribus et spiis pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra. Solvat cuiuslibet electori pro taxa florenos quatuor.

Ellectio unius notarii ad faciendum boletas stipendiariorum et aliorum et cetera pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra. Solvat pro taxa cuiuslibet electori florenos quatuor.

Ellectio unius notarii, qui debet ire cum sindico comunis Bononie pro electione dominorum capitanei populi et potestatis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra. Solvat cuiuslibet electori solidos viginti.

Ellectio unius ingignerii comunis Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum mensium septembris et octubris.

Ellectio unius iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii massaroli comunis Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius superstitis daciurum salis et molendinorum, moliturarum et panis pro secundis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectat ad dominos ancianos.//

[c. 96r f. LXXXV]

Ellectio unius depositarii datiorum vini, bestiarum, retagli, sgarmigliati, feni et palearum cum uno choadiutore pro secundis sex mensibus pro quo elector habere

debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad discum ordinarium daciai vini pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad discum sgarmigliati pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum civitatis Bononie pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad dischum gabelle panis pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii daciorem circularum folixellorum et aliorum que coligi debent in domibus merchationum pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius officialis gualchariarum pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras duas bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius castelani Roche Masselombardorum pro toto anno et habeat quilibet ellector ab elligendo florenos quinque et vadit ad quatuor brevia. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio ut supra.

Ellectio ut supra.

Ellectio ut supra.

Ellectio unius vicarii Crespelani pro primis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo florenos duos. Ellectio spectet ad dominos ancianos et vadit ad unum breve tantum.

Ellectio unius vicarii Crespelani pro secundis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo florenos duos et vadit ad unum breve tantum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Castri Sancti Petri et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Castri Sancti Petri.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Castri Sancti Petri.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Rognatici, Podii Rognatici, Sivratici, Dalmançatici et Greghençani.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Rognatici, Podii Rognatici, Sivratici, Dalmançatici et Greghençani.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.//

[c. 96v]

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Crede, Montis Aguti, Argatie, Tavernole et Prade et Scanchi.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Crede, Montis Aguti, Argatie, Tavernole, Scanchi et Prade.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Nonantule, Pançani, Gagii de Sancto Ambrosio, Burgeti et Sancti Cesarii.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Nonantule, Pançani, Gagii de Sancto Ambroxio, Burgeti et Sancti Cexarii.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Altedi.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Altedi.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Altedi.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montisbelli, Mandrie et Sancti Andree in Curiano.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montisbelli, Mandrie et Sancti Andree in Curiano.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montisbelli, Mandrie et Sancti Andree in Curiano.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sivigliane, Badi, Custoge, Piderle, Camognani et Carpenete.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sivigliane, Badi, Custoge, Piderle, Camognani et Carpenete.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sivigliane, Badi, Custoge, Piderle, Camognani et Carpenete.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montisrençoli, Cassani et Sassinigri et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montisrençoli, Cassani et Sassinigri.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montisrençoli, Cassani et Sassinigri.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Georgii de Plano.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Georgii de Plano.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montis Santi Petri, Roche Masinate, Monsiverii, Oçani, Lamole et Sancti Fabiani.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montis Sancti Petri, Roche Masinate, Monsiverii, Oçani, Lamole et Sancti Fabiani.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montis Santi Petri, Roche Masinate, Monsiverii, Oçani, Lamole et Sancti Fabiani.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Caprarie supra Panichum.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Caprarie supra Panichum.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Piçani et Roche Malapasque.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Piçani et Roche Malapasque.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Buçanelle, Beçani, Domalfolis, Sancti Damiani, Sassi Mullarii, Sancti Ylaris et Sivriçani de Val de Sambro.//

[c. 97r f. LXXXVI]

Ellectio unius potestatis de sacho terarum Buçanelle, Beçani, Domalfolis, Sancti Damiani, Sassi Mullarii, Sancti Ylaris et¹⁷⁷ Sivriçani de Val de Sambro.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Varignane.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Varignane.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Bagni.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Bagni.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Policini a sero Reni.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Policini a sero Reni.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Policini a sero Reni.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Butrii.

¹⁷⁷ <et> in infralinea.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Butrii.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Burgi Panichalis.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Burgi Panichalis.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Argelis.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Argelis.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancte Elene.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Capreni et Pretamale.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Capreni et Pretemale.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montoni, Aquealti et Brigole.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sancti Domini Camurate, Quarti Superioris et Quarti Inferioris.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Vallis Elli, Montis Rumixi, Montisredentis, Roche de Seta et Trasasse.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Montisii de Plebe, Sassadelli, Sancti Anastaxii et Stioli de Pliverio.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Capognani, Lissani, Moschacchie et Caxole et Chasi.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Capognani, Lissani, Moschacchie et Caxole et Chasi.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancte Agate.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Castagnoli Maioris.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Planchaldoli et Masse Pliverii.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Policini a mane Reni.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Unçole.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Medicine.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Prunarii, Centi de Butrio et Galixani.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Schargalaxini et Monghodorii et vadit ad duo brevia.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Schargalaxini et Monghodorii.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Burgi Novi.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Burgi.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Argelate.//

[c. 97v]

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sucide et Garnaglioni et vadit ad duo brevia.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sucide et Garnaglioni.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Crevalchorii.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Ulgiani.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Montis Caldararii et vadit ad duo brevia.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Montis Caldararii.

[4.3] **In tercio quarterio mittantur infrascripta officia. Rubrica.** [cc. 97v-102r]

Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii officio memorialium, contractuum et ultimatum voluntatum pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ad dischum Bovis pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ad dischum Cervi pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ad camaram actorum populi et comunis Bononie pro primis sex mensibus.
Ellectio unius custodis carcerum comunis Bononie cum salario viginti librarum bononinorum pro primis sex mensibus.
Ellectio unius vicarii Castri Franchi et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum cum familia et salario ordinatis et vadit ad tria brevia pro primis sex mensibus.
Ellectio unius vicarii ut supra.
Ellectio unius vicarii ut supra. Solvat pro taxa cuilibet electori solidum unum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.
Ellectio unius vicarii terre Sancte Aghate pro primis sex mensibus cum salario et familia ordinatis et vadit ad tria brevia.
Electio unius vicarii ut supra.
Ellectio unius vicarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori solidum unum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.
Ellectio unius vicarii terre Montisbelli pro primis sex mensibus cum salario, familia et conditionibus ordinatis et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius vicarii ut supra.
Ellectio unius vicarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori unum solidum pro qualibet libra sui salarii.
Ellectio unius vicarii terre Corvarie et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum pro primis sex mensibus cum salario, familia et conditionibus ordinatis et vadit ad unum breve pro qua electione elector habeat a comuni Bononie libras quindecim bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.//

[c. 98r f. LXXXVII]

Ellectio unius vicarii terre Burgi Panicalis pro primis sex mensibus et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum cum familia, salario et conditionibus ordinatis et vadit ad unum breve pro qua electione elector habeat a comuni Bononie quindecim libras bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.
Ellectio unius castelani terre Sancti Iohannis Impersiceto cum pagis et stipendio consuetis et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos sex.
Ellectio unius castelani Roche Savigni pro toto anno cum stipendio et pagis consuetis et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra solvat cuilibet electori pro taxa florenos quinque.
Ellectio unius castelani Roche Plumacii a sero pro toto anno cum pagis et stipendio consuetis et vadit ad quatuor brevia.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra.
Ellectio unius castelani ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos quatuor.

Ellectio unius castelani Roche Seravalis pro toto anno cum pagis et stipendio consuetis et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos quinque.

Ellectio unius capitanei ad portam strate Sancti Donati pro toto anno cum pagis et stipendio consuetis et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius capitaneus ut supra.

Ellectio unius capitaneus ut supra.

Ellectio unius capitaneus ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius castelani Roche Predacolorie pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve tantum cum pagis et stipendio consuetis concordet se cum electore.

Ellectio unius custodis Turris de Verga pro primis sex mensibus cum pagis et stipendio consuetis et vadit ad unum breve concordet se cum electore.

Ellectio unius officialis super conducta stipendiariorum et vadit ad tria brevia pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra solvat cuilibet electori florenos quatuor.

Ellectio unius cancelarii dominorum ancianorum pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius cancellarii ut supra.

Ellectio unius cancelarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos quinque¹⁷⁸..//

[c. 98v]

Ellectio unius officialis ad faciendum buletas solutionum stipendiariorum provisionatorum et aliorum et cetera pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra solvat cuilibet electori florenos quatuor pro taxa.

Ellectio unius ingignerii comunis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum pro mensibus ianuarii et februarii.

Ellectio unius iudicis appellationum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii domini capitanei populi ad civilia pro primis sex mensibus.

Ellectio unius scopatoris platee pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius notarii depositarii generalis qui sit contralator pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra solvat cuilibet electori pro taxa florenos tres.

Ellectio unius mareschalchi ad banchum conducte stipendiariorum pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius marischalchi ut supra.

Ellectio unius marischalchi ut supra. Nichil habet de salario a comuni Bononie, sed habet partem emolumentorum contentam in statuto solvat cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius defensoris averis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius defensoris averis ut supra.

¹⁷⁸ <electori florenos quinque> in questo punto la carta è lacera. Il restauro con una sottile striscia di carta di riso copre la scrittura rendendone impossibile la lettura. La trascrizione delle tre parole è stata possibile sulla base del microfilm del codice che, eseguito tempo addietro, presenta questa carta ancora intatta.

Ellectio unius defensoris averis ut supra solvat cuilibet electori libras quatuor bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius gubernatoris pontis de Casaliclio Reni pro toto anno et habeat elector a comuni Bononie libras quatuor bononinorum. Redictus vero possessionum dicti pontis spectet ad comune Bononie et vadit ad duo brevia.

Ellectio unius superstitis daciorum salis, molendinorum, moliturarum et panis pro primis sex mensibus pro quo elector habeat ad elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius depositari daciorum vini, bestiarum et retagli, sgarmigliati, feni et palarum pro primis sex mensibus et habeat elector ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad datium sgarmigliati pro primis sex mensibus et habeat elector ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum pro primis sex mensibus et habeat elector ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii officio gabelle panis pro primis sex mensibus et habeat elector ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii datiorum circularum, folixellorum et aliorum daciorum que coliguntur in domibus gabellorum mercationum pro primis sex mensibus et habeat elector ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius officialis ad gualcherias civitatis Bononie pro primis sex mensibus et habeat elector ab elligendo libras duas bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius capitanei montanearum comitatus Bononie qui esse debeat forensis et qui residenciam facere debeat in terra Caxi pro primis sex mensibus et habeat elector ab elligendo florenos quatuor. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos et vadit ad tria brevia.//

[c. 99r f. LXXXVIII]

Ellectio unius capitanei montanearum ut supra.

Ellectio unius capitanei montanearum ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum ordinatum daciai vini pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius capitanei ad portam Strate Maglioris pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos tres auri.

Ellectio unius iudicis ad discum Bovis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur milex et socius domini iudicis ad dischum Bovis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio aquarum, pontium et stratarum guardie et comitatus Bononie cum salario quindecim librarum bononinorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio aquarum pontium et stratarum guardie et comitatus Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursii pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursii pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro primis sex mensibus pro quo ellector habere debet ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimare pro primis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius iudicis ad dischum dampnorum datorum seu malefficiarum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum dampnorum datorum seu mallefficiarum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius milex domini iudicis ad dischum bannitorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum bannitorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio procuratorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio defensorum averis cum salario vigintiquinque librarum bononinorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad scribendum brevia pro toto anno qui adesse debeat in ordinatione et descriptione nominum et officiorum consilii quatuormilium et adesse debeat ad dischum Ursii tempore dicti consilii ad faciendum scribi dicta officia et habeat pro quolibet breve unum solidum bononinorum et pro quolibet scambio solidum unum bononinorum.

Ellectio unius notarii ad scribendum et recipiendum pignora quacumque de causa pignoranda pro primis sex mensibus.

Ellectio unius approbatoris securitatum et fideiussionum que dantur in comuni Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis super illis qui prestant roncenos, equos et equas ad victuram pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii inventariorum et curatorum bonis indefenssis in causis civilibus pro primis sex mensibus.//

[c. 99v]

Ellectio unius officialis ad examinandum electiones officiorum et officialium elligendorum in consilio quatuormilium pro toto anno.

Ellectio unius notarii ad recipiendum et scribendum vigintiquinquenas porrigendas per ministras capellarum pro toto anno.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio mulateriorum pro toto anno.

Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii officio memorialium, contractuum et ultimarum voluntatum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum Aquile pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum Bovis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad camaram actorum populi et comunis Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius custodis carcerum pro secundis sex mensibus cum salario viginti librarum bononinorum.

Ellectio unius vicarii terre Sancti Iohannis Impersiceto pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori unum solidum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Seravalis et aliarum terrarum dicto vicariatu subiectarum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori unum solidum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Caprarie supra Panichum pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve concordet se cum electore.

Ellectio unius vicarii terre Galerie pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius custodis Castri Bargatie pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius custodis turis de Cavagli pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius depositarii generalis pecunie et averis comunis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius depositarii ut supra.

Ellectio unius depositarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos decem.

Ellectio unius notarii dominorum provisorum qui esse debeat continue cum dominis provisoribus vel altero eorum ad faciendum et scribendum ea que pertinent ad eorum officium et cetera pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.//

[c. 100r f. LXXXIII^{or}]

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra solvat¹⁷⁹ pro taxa cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius clauditoris et apperitoris portarum civitatis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius clauditoris ut supra.

Ellectio unius clauditoris ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius marischalchi ad banchum conducte stipendiariorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius marischalchi ut supra.

Ellectio unius marischalchi ut supra nichil percipit a comuni Bononie, sed habet partem emolumentorum in statuto contentam solvat pro taxa cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius notarii conducte stipendiariorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori libras duas bononinorum.

Ellectio unius ingignerii comunis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve.

¹⁷⁹ <solvat> *nel testo* solva.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum pro mensibus iullii et augusti.

Ellectio unius iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum pro mensibus septembris et octubris.

Ellectio unius superstitis daciorum vini, bestiarum et retagli sgarmigliati, feni et palearum pro secundis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius depositarii cum uno cohadiutore daciorum salis, molendinorum, moliturarum et panis pro secundis sex mensibus et habeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis daciorum mercationum, folixellorum, fructuum, pissium, gualchariarum, circularum et stadirole pro secundis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad librum parolarii dacii vini pro secundis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum civitatis Bononie pro secundis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad dischum ordinatum gabelle salis pro secundis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius colectoris pecuniarum dacii circularum et visitoris portarum civitatis Bononie pro daciis que coliguntur in domibus mercationum et ellector habeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum dampnorum datorum seu malleffiorum parvorum pro secundis sex mensibus.//

[c. 100v]

Ellectio unius notarii ad dischum dampnorum datorum seu malleffiorum parvorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum bannitorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius iudicis ad dischum Bovis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum Bovis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius officialis ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro secundis sex mensibus et habeat ellector solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro secundis sex mensibus et habeat ellector solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii officio inventariorum et curatorum bonis indefenssis in causis civilibus pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis officio procuratorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad recipiendum et scribendum pignora quacumque de causa pignoranda pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius approbatoris securitatum et fideiussionum que dantur in comuni Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio carteselarum venditionum, docium et cetera pro secundis sex mensibus qui facere teneatur unum librum sua manu et ipsum tradere ad camaram actorum infra sex menses finito officio conductoris dicti dacii, sub pena quinquaginta librarum bononinorum nisi dictum dacium vendi seu locari contigerit per comune Bononie quo casu conductor ipsum notarium elligat et ellectori solvat id quod per dominos ancianos de[libera]bitur¹⁸⁰.

Ellectio unius officialis super deffectibus molendinariorum qui defraudant farinas cum salario vigintiquinque librarum bononinorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis officio Cervi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati officio aquarum, pontium et stratarum guardie et comitatus Bononie cum salario treginta libras bononinorum pro secundis sex mensibus pro qua ellectione ellector habere debeat ab elligendo quatuor libras bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii super illis qui prestant roncenos, equos et equas ad victuram pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius castelani Roche Piancaldoli pro toto anno et habeat ellector ab elligendo florenos duos et vadit ad duo brevia. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius capitanei ad portam strate Castiglionis pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos duos.

Ellectio unius vicarius terre Oliveti pro secundis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo florenos duos et vadit ad unum breve tantum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.¹⁸¹ //

[c. 101r f. LXXXX]

Ellectio unius vicarii terre Oliveti pro primis sex mensibus et habeat ellector ab elligendo florenos duos et vadit ad unum breve tantum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum castri Sancti Pauli, podii Sancti Blaxii et Triforce.

Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Argelate.

Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Nonantule, Pançani, Gaççi de Sancto Ambrosio, Burghetti et Sancti Cexarii.

Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis in Persiceto.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

¹⁸⁰ <nisi dictum dacium vendi seu locari contigerit per comune Bononie quo casu conductor ipsum notarium elligat et ellectori solvat id quod per dominos ancianos de[libera]bitur> a margine laterale sinistro su 5 righe con segno di rinvio. Le ultime 2 righe di scrittura presentano una schiaritura dell'inchiostro tale da rendere illeggibile l'ultima parola, che è stata integrata sulla base dell'analogia inserzione di c. 105v. V. la nota corrispondente.

¹⁸¹ Nel margine inferiore della carta: Ellectio unius vicarii terre Oliveti.

Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Vetrane.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Marani.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Roche Pidigliani, Montisluchi, Predacolorie et Belvederis et Vediçatici et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Stiatichi, Salapoçete, Tiçanelli, Coloreti, Spisii, Castagnoli Minoris et Lovoleti et vadit ad tria brevia.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Butrii.
Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Plebis Sancti Laurençii, Predalbini et Castri Sancti Laurençii.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Malavolte, Russi et Barbiani Cermaçoris, Pontis Maioris et Fossole.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Varignane.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Laygune, Mongardini, Montisflasconis, Sassi Aygonum et Tignani.
Ellectio unius potestatis ut supra.//

[c. 101v]

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancte Marie in Donis.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis da sacho terre Monçorgii.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Asiglie, Sancti Andree in Boscho, Sancti Benedicti de Plano, Sancti Vicentii et Gavaseti.
Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Castenaxii et Vigursii.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Salvari, Cavrigliani et Sassi Pertuxii.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Roffeni, Caxigni, Plebis Rofeni, Caregli, Sancti Salvatoris et Toleti.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Scanelli.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Gargognani.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum roche de Mugnis Cidriglie et Montis Aguti Alpis.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Unçole.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sancti Rophilli, Lastignani, Montis Calvi et Octo.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Medicine.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Calcarie et Sancte Marie in Strata.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Bagnarole.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Gene.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancte Agate.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Samodie.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Crevalcorii.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Bertalie desuper et de subtus et Panicalis Veteris.
Electio unius potestatis de sacho terre Vegii.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Pini, Montislunghi, Favalis et burgi Abadie.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Burgi Panichalis.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Campeçii.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sancti Martini in Argile, Baratini, Duratii, Ruili et Villenove et Biliemis et Sanctorum Iohannis et Pauli.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Macharetici, Villanove et Surixani.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Crucis Biachi, Gaybole et de Casellis.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Logliani et Lognole.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Padulis Sale.//

[c. 102r f. LXXXXXI]

Ellectio unius potestatis de sacho terre Castri Franchi.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Panici, Preduxi, Fulixani, Canevelle, Luminaxii, Batidicii et Castri Episcopi.
Ellectio unius potestatis ut supra.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Plumacii.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Labanti.
Ellectio unius potestatis de sacho terre Viadagole.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Coderunchi, Canssigni, Camurate et Camurate de Pleverio.
Ellectio unius potestatis de sacho Ulgiani.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Ceretuli, Lauri, Predoxe et Sancti Martini in Caxola.
Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Panarie, Porecte et Roche de Corneta.

[4.4] **In quarto quarterio mitantur infrascripta offitia. Rubrica.** [cc. 102r-106v]

Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii officio memorialium, contratum et ultimarum voluntatum pro primis sex mensibus.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.
Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum equi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad camaram actorum populi et comunis Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius custodis carcerum cum salario viginti librarum bononinorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Aquille pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius vicarii terre Butrii pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia, qui vicarius stare debeat in loco predicto personaliter cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori unum solidum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Savigni et aliarum terrarum dicto vicariatu subiectarum pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia, qui vicarius stare debeat personaliter in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori unum solidum bononinorum pro libra qualibet sui salarii.//

[c. 102v]

Ellectio unius vicarii terre Bagnarole et aliarum terrarum dicto vicariatu subiectarum pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve pro qua electione habeat elector a comuni Bononie quindecim libras bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius vicarii terre Castagnoli Maioris et aliarum terrarum dicto vicariatu subiectarum pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve tantum pro qua electione habeat elector a comuni Bononie quindecim libras bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius castelani Roche Crevalcorii a mane pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos quatuor.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani Roche Montis Aguti Alpium pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius castelani Roche Castri Franchi a sero pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra. Ellectio unius castelani ut supra.¹⁸²

Ellectio unius castelani ut supra solvat cuilibet electori pro taxa florenos duos.

Ellectio unius castelani Roche Montisbelli pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos quatuor.

¹⁸² <Ellectio ... supra> *dittografato a margine laterale sinistro.*

Ellectio unius castelani roche parve castri Sancti Petri pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius castelani ut supra. Ellectio unius castelani ut supra.¹⁸³

Ellectio unius castelani ut supra solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos duos.

Ellectio unius custodis turre de Mulinella pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve concordet se cum ellectore.

Ellectio unius custodis turre de Canulli pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve pro quo ellector habeat ab elligendo duos florenos auri. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius capitanei porte Galerie pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos tres.

Ellectio unius capitanei porte Sancti Felicis pro toto anno et vadit ad quatuor brevia.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra.

Ellectio unius capitanei ut supra solvat pro taxa cuilibet ellectori florenos tres.

Ellectio unius officialis super conducta stipendiariorum pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra et solvat cuilibet ellectori pro taxa florenos quatuor.//

[c. 103r f. LXXXXII]

Ellectio unius officialis presentationi forensium pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra et solvat cuilibet ellectori florenos quatuor auri.

Ellectio unius ingignerii comunis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum mensium marcii et aprilis.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum mensium maii et iunii.

Ellectio unius iudicis appellationum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii massaroli super laboreriis comunis Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad faciendum buletas solutionum stipendiariorum et aliorum provisionatorum et salariatorum comunis Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ut supra.

Ellectio unius officialis ut supra solvat cuilibet ellectori florenos quatuor.

Ellectio unius notarii qui ire debet cum sindico comunis Bononie pro electione domini capitanei populi et domini potestatis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra solvat cuilibet ellectori solidos viginti bononinorum.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius superstitis daciorum vini, bestiarum, retagli, sgarmigliati, feni, palearum pro primis sex mensibus pro quolibet ellector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

¹⁸³ <Ellectio ... supra> *dittografato a margine laterale sinistro.*

Ellectio unius defensoris averis comunis Bononie pro primis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius defensoris ut supra.

Ellectio unius defensoris ut supra pro qua electione elector quilibet habeat ab electo libras quatuor bononinorum.

Ellectio unius depositarii cum uno coadiutore datiorum mercationum circularum, folixellorum et aliorum daciorum que colliguntur in domibus gabelle mercationum pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad dischum ordinarium dacii vini pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad datium mercationum pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum civitatis Bononie pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad campionem dacii molendinorum et ad alias scripturas dicti dacii pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius venditoris panis ad scaffam porte Ravenatis pro primis sex mensibus.

Ellectio unius capitanei montanearum qui esse debeat forensis et qui residenciam facere debeat in terra Caxi pro secundis sex mensibus//

[c. 103v]

et vadit ad tria brevia pro quolibet elector habere debeat ab elligendo florenos quatuor auri. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius capitanei montanearum qui esse debeat forensis et qui residenciam facere debeat in terra Monçoni vel Ronchastaldi pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia pro quo elector habere debeat ab elligendo florenos quatuor auri. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius capitanei montanearum ut supra.

Ellectio unius iudicis ad dischum bannitorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum bannitorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro primis sex mensibus pro quo elector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum dampnorum datorum seu maleficiorum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum dampnorum datorum seu malleficiorum parvorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius iudicis ad dischum Equi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum Equi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum Cervi pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad recipiendum pignora quacumque de causa pignoranda pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad scribendum brevia pro toto anno qui adesse debeat in ordinatione et descriptione nominum et officiorum consilii quatuormilium et adesse debeat ad dischum Ursi tempore dicti consilii ad faciendum scribi officia et habeat pro quolibet breve nigro solidum unum bononinorum et pro alio quolibet scambio solidum unum bononinorum et teneatur solvere omnes expensas occaxione predictorum.

Ellectio unius officialis iudicis officio procuratorum pro primis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati officio aquarum, stratarum et pontium guardie comitatus et districtus Bononie cum salario treginta librarum bononinorum pro primis sex mensibus pro qua ellectione ellector habeat ab elligendo libras quatuor bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius officialis mulateriorum pro toto anno.

Ellectio unius notarii ad examinandum ellectiones officiorum et officialium elligendorum in consilio quatuormilium pro toto anno.

Ellectio unius notarii officio inventariorum et curatorum bonis indefenssis in causis civilibus pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii super illis qui prestant roncenos ad victuram ac equos et equas pro primis sex mensibus.//

[c. 104r f. LXXXXIII]

Ellectio unius aprobatoris fideiussionum et securitatem que dantur in comunis Bononie pro primis sex mensibus.

Ellectio unius notarii custodum carcerum pro primis sex mensibus cum salario vigintiquinque librarum bononinorum pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad dischum domini potestatis et Leonis pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii officio memorialium, contratum et ultimarum voluntatum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum Equi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum Aquille pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad camaram actorum populi et comunis Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Cervi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius custodis carcerum comunis Bononie cum salario viginti librarum bononinorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius vicarii terre Crevalcorii pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia qui vicarius stare debeat personaliter in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis allias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra qui solvere debeat pro tassa cuilibet electori unum solidum pro libra qualibet sui salarii.

Ellectio unius vicarii Castri Sancti Petri et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius personaliter stare debeat in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra qui solvere debeat cuilibet electori solidum unum pro libra qualibet sui salarii.

Ellectio unius vicarii Scargalasini et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve. Qui vicarius personaliter stare debeat in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit et vadit ad unum breve concordet se cum electore.

Ellectio unius defensoris averis et iurium comunis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius defensoris averis ut supra.

Ellectio unius defensoris averis ut supra solvat taxa cuilibet electori libras quatuor et electio spectat ad dominos ancianos.

Ellectio unius vicarii terre Casalicli et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve pro qua electione electus habere debeat a comuni Bononie libras quindecim bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.//

[c. 104v]

Ellectio unius vicarii terre Varignane et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia. Qui vicarius stare debeat personaliter in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit.

Ellectio unius vicarii ut supra.

Ellectio unius vicarii ut supra solvat pro tassa cuilibet electori solidum unum bononinorum pro qualibet libra sui salarii.

Ellectio unius vicarii terre Altedi et aliarum terrarum dicto vicariatui subiectarum pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve. Qui vicarius personaliter stare debeat in dicta terra cum familia et aliis sibi deputatis alias salarium exigere non possit concordet se cum electore.

Ellectio unius custodis turis Asinellorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius custodis ut supra.

Ellectio unius custodis ut supra solvat cuilibet electori florenum unum pro taxa.

Ellectio unius massaroli super laboreriis comunis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius massaroli ut supra.

Ellectio unius massaroli ut supra solvat pro taxa cuilibet electori libras quatuor bononinorum.

Ellectio unius notarii, qui esse debeat continuo cum dominis provisoribus et ire cum altero eorum quando eis videbitur ad videndum et faciendum monstras comitatus et munitionum rocharum et alia scribere et facere ad officium dictorum provisorum spectant pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra solvat pro taxa cuilibet electori florenos duos.

Ellectio unius ingignerii super laboreriis comunis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius notarii dominorum ancianorum mensium novembris et decembris.

Ellectio unius iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius clauditoris portarum civitatis Bononie pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius clauditoris ut supra solvat cuilibet ellectori florenos duos pro taxa¹⁸⁴.

Ellectio unius clauditoris ut supra.

Ellectio unius notarii domini capitanei populi ad civilia pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius magistri bombardarum pro secundis sex mensibus et vadit ad unum breve.

Ellectio unius notarii officio conducte stipendiariorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra solvat pro taxa cuilibet ellectori libras duas bononinorm¹⁸⁵.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii depositarii generalis ultra officium contralactorum pro secundis sex mensibus et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ut supra solvat pro taxa cuilibet ellectori solidos viginti bononinorum//

[c. 105r f. LXXXXV]

Ellectio unius superstitis datiorum salis, molendinorum, moliturarum et panis pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras sex bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius depositarii daciorum venditionum et dotium carcerum et bannorum et notariatus iudicis daciorum pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras quatuor bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad datia bestiarum et retagli pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius superstitis in staderiis molendinorum civitatis Bononie pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras tres bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius officialis in Sancto Iohanne Impersiceto supra staderiis molendinorum tocus legationis Sancti Iohannis predicti cum uno ronceno pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo libras quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius venditoris panis ad scaffam platee civitatis Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius castelani roche Centi pro toto anno et habeat quilibet ellector ab elligendo florenos quinque auri et toto vadit ad quatuor brevia. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

Ellectio unius castelani ut supra.

¹⁸⁴ <florenos ... taxa> *in sopranea di seguito all'ultima parola del paragrafo successivo.*

¹⁸⁵ <libras ... bononinorum> *in sopranea di seguito all'ultima parola del paragrafo successivo.*

Ellectio unius castelani Roche Roffeni pro toto anno et habeat quilibet ellector ab elligendo libras duas bononinorum et vadit ad duo brevia. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius officialis ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius notarii ad faciendum extima non extimatis et qui volunt se de novo extimari pro secundis sex mensibus pro quo ellector habere debeat ab elligendo solidos quinque bononinorum. Ellectio vero spectet ad dominos ancianos.

Ellectio unius iudicis ad dischum Equi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis literati qui vocatur socius et miles domini iudicis ad dischum Equi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum Ursi pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius notarii ad dischum bannitorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ut supra.

Ellectio unius iudicis ad dischum damnorum datorum seu malleficiorum parvorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii ad dischum dampnorum datorum seu malleficiorum parvorum pro secundis sex mensibus.//

[c. 105v]

Ellectio unius notarii officio aquarum, pontium et stratarum guardie, comitatus et districtus Bononie cum salario quindecim librarum bononinorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius nuncii officio aquarum, pontium et stratarum guardie et comitatus et districtus Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio procuratorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio cartexellarum venditionum, dotium et cetera. Qui notarius facere debeat librum suum propria manu assignandum ad camaram actorum populi et comunis Bononie subscriptum et intitulum manu propria dicti notarii infra sex menses finito officio conductionis dacia, sub pena quinquaginta librarum bononinorum pro secundis sex mensibus nisi dictum datium vendi seu locari contingerit per comune Bononie quo casu conductor ipsum notarium elligat et electori solvat id quid per dominos ancianos deliberabitur¹⁸⁶.

Ellectio unius officialis literati ad recipiendum pecunias condempnationum que fiunt ad dischum Ursii cum salario decem libras bononinorum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius aprobatoris securitatum et fideiussionum que dantur in comuni Bononie pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii iudicis appellationum pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis ad recipiendum et scribendum pignora quacumque de causa pignoranda pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius notarii officio inventariorum et curatorum bonis indefensis in causis civilibus pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius officialis super illis qui prestant roncenos, equos et equas ad victuram pro secundis sex mensibus.

Ellectio unius assaçatoris panni lini et bixelli in trivio porte Ravenatis pro secundis sex mensibus.

¹⁸⁶ <nisi dictum datium vendi seu locari contingerit per comune Bononie quo casu conductor ipsum notarium elligat et electori solvat id quid per dominos ancianos deliberabitur> *a margine laterale sinistro con segno di rinvio su 5 righe.*

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Ronchastaldi, Casadri, Poricli sive Barbaroli.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Varignane.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Castri Britonum.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Iohannis Impersiceto.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Butrii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Pescarole, Rovoretuli, Ronchaglis, Cortexelle et Roncoris.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Nugareti, Montis Clari, Ponticli, Ancognani et Casole.

Ellectio unius potestatis ut supra.//

[c. 106r f. LXXXXVI]

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Nonantule, Pançani, Gaçii de Sancto Ambroxio, Burgheti et Sancti Cesarii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sassi Nigri.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Griçane, Roche de Setta, Conflenti, Capiani et Ripoli et vadit ad duo brevia.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Aururii, Sivriçani et Livrignani.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Burgi Panichalis.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Caçani, Sancti Martini in Sivriçano, Guaçarelli et Minervii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Oliveti.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sanguenete, Cavriglie, Rudigliani, Prunaroli et Lixerne.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sancti Marini et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Ceule.

Ellectio unius potestatis de sacho ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Galerie, Sancti Alberti, Sancti Petri in Caxale et Sancti Venancii.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Casole Canine, Corvarie, Meseraçani et Farneti.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Langugliarie, Bedoleti, Casole Sirani et Pariani, Brenti, Badali et Badi.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho Montis Morisini, Gissi, Belvederis de Pliverio.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Sale Aygonum.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Susani, Afrighi, Castri Novi, Montis Cavalorii et Liçani Macti.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Peule, Roarii, Caprarie de Plano et Oselini.//

[c. 106v]

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Urbiçani et Ville Ulmis.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Saliceti.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Gissi.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Sancti Andree in Corniglio, Franssincho, Valgatare et Stioli.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Vidriani et vadit ad duo brevia.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Canituli.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Ulgiani.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Montis Marvi et Montis Maioris.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Marani.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Crevalcorii.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Medexani.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Çervarie, Sancti Georgii de Montanea et Virigigliani.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Roche Gaçi.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Maçani, Roncorey et Sabluni de Montanea.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Casalicli de Reno et Domozole.

Ellectio unius potestatis de sacho terrarum Musigliani, Sesti, Paderni et Ieule.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Argelate.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Casi.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Stiffunti.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Plumacii.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Bargi.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Medicine.

Ellectio unius potestatis de sacho terre Ligliani et vadit ad tria brevia.

Ellectio unius potestatis ut supra.

Ellectio unius potestatis ut supra.

[5] De iuramento, offitio, familia, salario et iurisdictione vicariorum comitatus Bononie. Rubrica. [cc. 106v-116r]

Statuimus et ordinamus, quod vicarii et quicumque officiales comitatus Bononie et quilibet ipsorum si quos officiales elligi vel transmitti contingerit teneantur et debeant antequam ad dictos vicariatus et officium accedant et eorum officium incipiant se personaliter presentare cum eorum notariis et familiaribus coram dominis nostris dominis ancianis comunis et populi Bononie seu altero qui comissionem ab eis haberet. Et corporaliter, tactis scripturis sacrosanctis ad sancta Dey evangellia iurare, quod ipsi sunt veri amatores comunis et populi Bononie et presentis status libertatis. Item quod castra, terras, vilas et loca suis vicariatibus et officio supposita et iura iurisdictiones ipsarum terrarum et homines et singulares personas earundem, cum omni studio et labore, sine fraude et machinatione regent et gubernabunt et defendent iuxta//

[c. 107r f. LXXXXVII]

posse ad honorem et statum comunis et populi Bononie et bonam et puram consienciam in predictis et circa predicta habere et servare toto tempore ipsorum vicariatus et officii. Item servare statuta tam facta quam fienda ad eorum officium et iurisdictionem spectancia, nec contra formam dictorum statutorum facere nec per aliquos eorum notarios vel familiares fieri permittere. Item ius et iustitiam cuilibet petenti facere secundum formam dictorum statutorum, tam in civilibus quam in criminalibus sibi commissis per formam dictorum statutorum. Item quod contenti erunt salariis presentibus statutis comprehensis nec ultra dictum salarium aliquid a comuni Bononie vel subdictis, directe vel indirecte, petent¹⁸⁷, recipient vel exigent, etiam a sponte dare volentibus, nisi quatenus eis liceret ex forma dictorum statutorum et facere et curare, quod dicti eorum familiares et notarii idem facient. Item quod notarii dictorum vicariorum seu officialium iurare teneantur servare et adimplere omnia¹⁸⁸ eisdem commissa ex forma dictorum statutorum, et se contentos esse et stare salariis pro eorum actis et scripturis tassatis per formam statutorum comunis Bononie et quod nichil ultra petent, exigent vel recipient etiam a sponte dare volentibus. Predicti autem vicarii teneantur et debeant secum ducere et toto dicto tempore sex mensium continue tenere personas et equos, prout statutis nostris continetur in terris seu castris eis subditis, eorum sumptibus, periculis et expensis in quibus castris vel terris continue cum dictis personis et equis toto dicto tempore sex mensium stare et personaliter morari, nec inde disedere debeant predicti vicarii et persone sine expressa licentia dictorum dominorum, sub pena ipsi vicario viginti quinque librarum bononinorum et notario eius decem librarum bononinorum. Teneantur etiam dicti vicarii, si fuerint ellecti in aliquo castro vel fortificio comunis Bononie, ibidem continuam residenciam facere et inde non pernoctare sine expressa licentia dictorum dominorum, sub pena viginti quinque librarum bononinorum. Item teneantur curare, quod nullus audeat vel presummat in dictis castris vel fortificiis habere seu tenere aliquam domum copertam de paleis vel de canella, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro qualibet domo paleata vel de canella coperta que ibi reperiretur, et quod nullus audeat tales domos sic cupertas rectinere ultra terminum eisdem ad removendam statutum per dictum vicarium. Teneantur insuper dicti vicarii antequam ad dictum eorum officium accedant, dare in scriptis nomina tam notariorum quam familiarium suorum ponenda ad camaram actorum populi Bononie ad hoc ut eorum nomina possint haberi tempore sindicatus, sub pena quinquaginta librarum bononinorum. Item quod dicti vicarii possint, teneantur et debeant cognoscere de omnibus et singulis litibus et questionibus quibuslibet que¹⁸⁹ coram eis verterentur¹⁹⁰ et que essent inter aliquos habitatores terrarum eis subiectarum,

¹⁸⁷ <petent> segue vel depennato.

¹⁸⁸ <omnia> a margine laterale destro con segno di rinvio e di inserzione.

¹⁸⁹ <que> corregge quem.

¹⁹⁰ <verterentur> segue et essent depennato.

et ipsas questiones terminare et eorum sententias et precepta executioni mandare summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii usque ad quantitatem decem librarum bononinorum dum tassat ad plus et ab inde infra, que quantitas tamen non dependeat a maiori quantitate vel summa quacumque de causa. Et etiam de litibus et questionibus coram eorum precessoribus motis non dum terminatis et non excedentibus sumam seu quantitatem predictam quas terminare et executioni mandare teneantur infra mensem a die quo libri officii precessoris eorum per syndicos fuerint eisdem consignati alias vero lites et questiones coram eis agitandas terminare et executioni mandare debeant infra unum mensem ab introitu eorum officii. Questiones autem et lites coram ipsis movendas infra mensem a die^{191//}

[c. 107v]

comparitionis facte coram eis terminare teneantur, sub pena in quolibet casuum predictorum decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet causa non terminata ut supra. In questionibus autem seu litibus civilibus excedentibus dictam quantitatem librarum decem bononinorum vel super re vel facto dictam quantitatem excedente nullam iurisdictionem habeat etiam se partes eorum iurisdictionem prorogarent. Ita tamen quod per aliquam sententiam, prononciationem actum seu processum super aliqua causa incidenti vel emergenti nullum fiat preiudicium alicui partium in alia causa. ¹⁹²Item statuimus, quod a sentenciis et preceptis eorundem appellari non possit, nec de nullitate opponi vel proponi, nec etiam restitutio in integrum peti, nec tamquam suspecti recusari possint si questio fuerit de quantitate trium librarum bononinorum vel ab inde infra vel de re vel de facto cuius extimatio esset quantitatis trium librarum bononinorum vel ab inde infra, si tamen aliqui ex dictis vicariis tortum vel iniusticiam fecerint alicui partium dampnum parti lese restituere teneantur quatenus equum visum fuerit sindicis seu sindico eorum vicariorum. Item quod nullus audeat vel presumat de ipsorum officio se intromittere vel quoquomodo ipsos impedire, nisi fuerit potestas Bononie vel eius vicarius vel syndicus generalis ad querelam cuiuslibet de ipsis factam de furtis, baratariis et illicitis extorssionibus et quibuscumque aliis violenciis per ipsos et eorum notarios vel quoscumque alios eorum familiares commissis seu que comissa dicerentur in aliquos tam subditos quam non subdictos suis vicariatibus vel aliquibus accusationibus seu denunciationibus dampnorum datorum coram eis factis que dicerentur false vel calumpniöse vel nisi de hiis que non pertinerent ad eorum cognitionem vel iurisdictionem se intromiterent. De quibus omnibus et singulis etiam durante eorum officio possit dominus potestas Bononie et eius vicarius inquirere contra ipsos et eorum notarios vel familiares et contra ipsos procedere et ipsos punire et condempnare secundum formam statutorum comunis Bononie pro quibus notariis et familiaribus dicti potestas seu vicarius teneatur et cogi possint ad solvendum si pena infligenda fuerit pecuniaria et nichilominus syndici seu syndicus qui ipsos vicarios et officiales syndicare debebunt de predictis possint et teneantur inquirere et contra eos procedere tempore sindicatus ipsorum si predicta non fuerint per dictos dominos potestatem et vicarium vel alterum eorum cognita et terminata. Item possint dicti vicarii cognoscere de questionibus dampnorum datorum in eorum terris seu curiis terrarum eis subiectarum dum tamen cognoscere non valeant de aliquibus dampnis que data esse dicerentur ab aliquibus civibus civitatis Bononie habitantibus in civitate predicta per maiorem partem temporis vel eorum animalibus, set eorum cognitio spectet ad officiales civitatis predictae dischi malleficiorum parvorum. Intelligentes dampna data secundum formam statutorum

¹⁹¹ <a die> in questo punto la carta presenta uno strappo restaurato con carta di riso; le due parole sono visibili con la lampada di Wood.

¹⁹² A margine laterale sinistro in corrispondenza di questo paragrafo è tracciato il disegno di una testa maschile vista di profilo.

comunis Bononie usque ad quantitatem quadraginta solidorum bononinorum et non ultra ullo modo quod dampnum sufficiat probari per sacramentum eius qui passus fuerit dampnum, usque ad quantitatem viginti solidorum bononinorum inclusive ab inde vero supra usque ad quantitatem quadraginta solidorum bononinorum sufficiat probari per unum testem cum sacramento dampni passi sive coram eis procedatur per accusationem sive per denunciationem saltuariorum terrarum comitatus Bononie vel alicuius singularis persone que saltuarium habere posset secundum formam dictorum statutorum. Qui saltuarii possint, teneantur et debeant dampna data in eorum curiis subiectis//
[c. 108r f. LXXXXVIII]

ut supra denunciare dictis vicariis demum instante et petente dampnum passo vel eius familiare vel castaldo vel eius legitimo administratore alias denunciare non possint ullo modo nec super accusationibus seu denunciationibus alio modo factis procedere possint. Et condemnationes que ex eis que denunciari non possunt si fierent ipso iure nulle sint. Super quibus accusationibus et denunciationibus dampnorum datorum debito modo factis ut supra possint, teneantur et debeant procedere et eas terminare summarie et de plano sine strepitu et figura indicii etiam tempore feriato infra mensem a die accusationis vel denunciationis facte, condemnando vel absolvendo ipsos accusatos vel denunciatos, nisi dictis accusationibus vel denunciationibus infra dictum tempus per ipsum dampnum passum vel habentem causam ab eo fuerit renunciatum, qua renunciatione facta, post probationem dampni dati condempnetur comuni Bononie accusatus vel denunciatus in dimidia eius in quo condempnari debuisset dicto comuni ex delicto predicto si renunciatum non fuisset. Et pro ipsa pronunciatione recipere non possit ultra unum solidum bononinorum quotcumque fuerint accusati vel denunciati in una accusatione vel denuntiatione et pro qualibet accusa facta de dampno dato quotcumque fuerint in eadem accusatione accusati recipere possint ab accusatore unum solidum bononinorum tantum et pro excusatione cuiuslibet accusati unum solidum bononinorum tantum. Item quod dicti vicarii dictas condemnationes et quaslibet alias per ipsos factas in casibus sibi premissis per formam statutorum comunis Bononie scribi faciant in cartis membranis et ipsas condemnationes presentare debeant per se vel suos notarios in publicam formam infra quindecim dies a die condemnationis facte ad discum Ursii et penes officiales dicti dischi dimittere, sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet condemnatione non posita et consignata ut supra tempore eorum sindicatum auferenda. Et nichilominus parti lese omne dampnum resartire teneantur. Et si condempnatio non sit ad dictum terminum deposita, ipso iure sit nulla. Item quod dicti vicarii possint et teneantur dictas condemnationes dampnorum datorum applicandas parti dampnificate exigere et solvi facere remediis opportunis ad instanciam partis dampnificate. De parte vero dictarum condemnationum comuni Bononie applicanda et eius occaxione nullo modo se intromittant, sub pena centum solidorum bononinorum pro qualibet condemnatione eisdem auferenda ut supra. Dicimus etiam, quod coram dictis vicariis quilibet possit agere civiliter et etiam criminaliter in casibus premissis per formam statutorum comunis Bononie presentium, non obstante quod sit in alterius potestate vel minor viginti quinque annis, dummodo sit pubes vel ab inde supra etiam sine auctoritate vel consensu eius in cuius potestate esset vel sui curatoris et quod cum eis fieret valeat ac si cum maiore vel legitime etatis factum esset dum tamen quantitas vel extimatio rei vel facti super quo ageretur non excedat summam decem librarum bononinorum. Possint etiam eorum subiectis ut supra et non aliis aliquo modo curatorem non habentibus dare in causis tantum que coram eis verterentur et verti possunt secundum formam dictorum statutorum. Item quod dicti vicarii possint pro predictis omnibus et singulis et aliis necessariis occurendis citari et requiri facere quoscumque citandos et//

[c. 108v]

contumaces et inhobedientes pignorari facere per nuncios eisdem deputandos per massarium illius terre vel castri in qua residentiam facere deberet quilibet ipsorum. Quos nuntios dicti massarii eis deputare teneantur unum vel plures prout eisdem vicariis videbitur expedire, pro quibus nunciis massarii vel comune nullum honus nec expensas aliquas subire teneantur. Ipsi autem nuncii teneantur antequam dictum officium eorum exercent iurare et satisfacere coram dicto vicario de eorum officio exercendo prout satisfaciant alii nuncii comunis Bononie de libris viginti quinque bononinorum et de eo quod ad ipsorum manus pervenerit consignando ad voluntatem dictorum vicariorum et alter dictum officium exercere non valeant et ipso iure sit nullum et non valeat quod facerent tales nuncii qui non satisfaciderint et iuraverint ut supra. Et quilibet de subiectis ut supra teneatur eis et eorum notariis et familiaribus obedire et parere in hiis tantum que ad eorum officium spectant, inhobedientes vero punire et condemnare possint dicti vicarii et quilibet eorum pro qualibet inhobedientia vel pignore vetito in quicunque solidis bononinorum tantum. Et dictas condemnationes ponere ad dischum Ursii nec de exactione se intromittere possint ut supra. Item quod notarii eorum teneantur facere duos libros actorum, unum civilium et alium criminalium vel saltem unum civilium et criminalium in quibus vel quo scribant et scribere teneantur petitiones, citationes et pignorationes, relationes, responsiones, sententias et precepta et omnia alia acta que fieri coram eis contingerit in questionibus predictis ordinate cum diebus suis annis et mensibus sub quibus fieri contingerit. Quos libros dicti notarii reassignare teneantur in fine sui officii sindicis seu sindico qui ipsos habebunt syndicare tempore sindicatus, sub pena viginti quinque librarum bononinorum. Qui sindici libros predictos, finito dicto sindicatu, teneantur assignare vicario illius terre, qui tunc erit in officio. Qui quidem vicarius teneatur dictos libros finitis processibus pendentibus dictos libros precessoris sui dimittere et presentare ad cameram actorum comunis Bononie ut semper copia haberi possit de sententiis, preceptis et aliis que in dictis libris continentur per notarios dicte camere. Item quod notarii pro ipsorum scripturis, actis et sententiis predictis solutiones recipere possint et eis liceat ab hiis in quorum favorem dicte scripture facte reperirentur secundum formam statutorum comunis Bononie et copiam ipsarum scripturarum petentibus quorum interest vel interesse videretur dare teneantur cum competenti solutione ut supra. Et si ultra perceperint quam percipere debuerint per formam dictorum statutorum penam incidant quinque solidorum bononinorum pro quolibet solido et qualibet vice tempore sindicatus auferendam. Et pro plena probatione sufficiat sacramentum eius a quo extorserint ad quam ipsi vicarii et notarii ipsorum et quilibet eorum in solidum teneantur, una tamen exactio sufficiat. Nuncii vero pro ipsorum ambaxiatis et aliis spectantibus ad eorum officium solutiones recipere debeant secundum formam statutorum comunis Bononie et non ultra, sub eadem pena. Et quod aliquis pro eodem facto citari non possit pignorari vel gravari nisi semel in die. Et quotcumque sint nuncii cytantes vel gravantes aliquem non fiat solutio eis nisi pro uno nuncio tantum. Nec possint dicti vicarii familiares aliquos mittere cum nunciis ad citandum aliquem//

[c. 109r f. LXXXXVIII^{or}]

vel pignorandum nisi fuerit vetitum pignus per talem pignorandum, sub dicta pena et de vetatione talis pignoris credatur et stetur relationi nuncii qui ipsum pignorandum pignorare debuerit. ¹⁹³Item quod dicti vicarii et quilibet ipsorum ne sub pretestu alicuius ygnorantie se excusare valeant si contra ea que eis comissa sunt et que servare tenentur et a quibus abstinere debent aliquid fecerint, comiserint vel non observaverint et non

¹⁹³ *Sul margine destro all'altezza di questo paragrafo è tracciato il disegno di una manicola.*

abstinuerint habeant et habere debeant presens statutum et omnia alia statuta comunis Bononie ad quorum observationem dicti vicarii et eorum notarii et familiares et nuncii tenentur vigore presentis statuti vel alicuius alterius statuti comunis Bononie quomodolibet eorum officium tangentes tam facti quam de novo fiendi. Et precipue statutum ‘De solutionibus scripturarum’ [IV, 46] fiendis notariis in officio constitutis, et statutum ‘De dampnis datis ab homine vel animali’ [V, 132, 137], et statutum¹⁹⁴ quod loquitur de officio et salario nunciorum [18] et de pena nunciorum [V, 103, 104] in uno volumine. Que statuta ipsi et eorum notarii tenere continue debeant ad banchum iuris horis iuridicis toto tempore eorum officii ut statutorum inspiciendorum facultas cuilibet competat. Et librum statutorum designare teneantur eorum successoribus per publicum instrumentum, sub pena librarum decem bononinorum cuilibet vicario et quinque librarum bononinorum cuilibet notario contrafacienti tempore eorum sindicatus auferenda. Que statuta habere debeant expensis omnium eis subiectorum. Et pro predictis statutis habendis comunia eis subiecta gravare non possint ultra quinque libras bononinorum. Item quod dicti vicarii eorumque notarii et ceteri eorum familiares non audeant vel presumant aliquid petere, exigere, recipere vel extorquere etiam a sponte dare volentibus in pecunia vel rebus per se vel alium, directe vel indirecte, sed contenti esse debeant eorum salariis infrascriptis, sub pena tripli eius quod extorserint seu receperint vel extimationis ipsius cuius pene tertia pars sit eius a quo fuerit extortum et due partes comuni Bononie applicentur. Et nichilominus quod fuerit extortum restituatur vel eius extimatio pro quolibet et qualibet vice tempore sui sindicatus auferenda, nec aliqua comunia vel universitas vel singulares personas dictorum comunium vel universitatum cogere vel¹⁹⁵ compellere possint quoquomodo ad prestationem et preparationem sibi fiendam aliquorum lectorum, suppeletilium, massaritarum vel cuiuslibet alterius rey predictis necessarie excepta domo quam sufficientem gratis sibi prestare debeat comunitas illius terre in qua residenciam facit. Et nichilominus servent indemnes tales agravatos qui eciam durante ipsorum officio querimoniam exponere possint coram domino potestate vel eius vicario vel sindico qui teneantur et debeant ipsos conquerentes audire et eorum querimonias admittere et dictis vicariis et officialibus predicta inibere. Qui dominus potestas, vicarius vel sindicus vel eorum alter requisiti possint in predictis inquirere etiam durante ipsorum officio et ipsos punire ut supra. Teneantur etiam dicti vicarii toto posse prohibere ne aliqui habitantes in castris, terris, locis vel villis eis subiectis et curiis dictarum terrarum opprimantur, molestentur vel agreventur de facto ab aliquibus nobilibus vel potentibus//

[c. 109v]

in comitatu habitantibus vel ab aliquibus aliis tam civibus quam forensibus pro aliquibus angariis vel per angariis, carigiis, operibus personalibus vel cum animalibus ipsosque subdictos totis viribus defendere debeant ab omnibus violenciis et illicitis exactionibus et extorsionibus. Et si predicta per se facere non possent per potenciam extorquentium notificare teneatur domino capitaneo populi Bononie vel domino potestati Bononie sine mora et eorum auxillium invocare. Provideant etiam ut eorum nuncii pro eorum ambaxiatis, pignorationibus tenutis, relationibus et aliis sibi commissis moderatas solutiones recipiant ut superius continetur. Curent etiam dicti vicarii omnimodo et quilibet eorum et operam dent cum effectum, sub pena ducentarum librarum bononinorum cuilibet vicario et pro qualibet vice ne in castris terris seu villis eis suppositis aliqui banniti pro malefficio vel rebelles comunis Bononie stent seu morentur vel ressidentiam aliquam faciant, sed ipsos bannitos et rebelles prosequi et capere et capi

¹⁹⁴ <statutum> *nel testo* statum.

¹⁹⁵ <vel> *in infralinea con segno di inserzione*.

facere teneantur iuxta eorum posse et ipsos captos in fortiam comunis Bononie presentare. Ac etiam teneantur prosequi, capere et presentare ac prosequi, capi et presentari facere quoslibet homicidas, incendiarios vel robatores et quoslibet vulnerantes aliquem cum sanguinis effusione cum aliquo genere armorum. Ad que facienda massarii et homines terrarum predictarum teneantur et debeant ad requisitionem ipsorum eis opem, consilium et favorem prestare et eis parere et obedire, sub pena cuilibet massario inhobedienti viginti quinque librarum bononinorum et cuilibet singulari persone quinque librarum bononinorum per dictum dominum potestatem Bononie exigenda. Qui vicarii et quilibet eorum habeant et habere debeant pro quolibet dictorum banitorum seu rebelium, quem ceperint et comuni Bononie presentaverint, quantitatem et quantitates per nostra statuta capientibus et presentantibus in fortiam comunis Bononie tales bannitos seu rebelles. Pro presentatione vero dictorum malefactorum habeant facta condempnatione de eis et exacta medietatem eius quod haberent si pro maleficio bannitus fuisset de pecunia et avere comunis Bononie ultra salarium¹⁹⁶ eis tasatum. Et massarii dictarum terrarum sub dicta pena teneantur denunciare dictis vicariis tales bannitos et rebelles in eorum terris et villis comorantes et receptatores ipsorum. Contra quos receptatores ipsorum dominus potestas Bononie possit procedere et ipsos culpabiles repertos punire secundum formam statutorum comunis Bononie. Item teneantur dicti vicarii et quilibet eorum prohibere iuxta posse ne aliqua illicita congregatio hominum armatorum vel non armatorum fiat in eorum castris, teris seu villis eorum vicariatui subiectis ullo modo. Et si fieret, teneantur ipsi vicarii et quilibet ipsorum omni modo sine ulla tardatione temporis hoc denunciare et notificare dominis ancianis comunis Bononie et domino capitaneo populi Bononie et ad cuius petitionem fit et qua de causa dicantur fieri, et similiter massarii¹⁹⁷ terre et terrarum in quibus fieret dicta congregatio omni modo et in continenti teneantur denunciare et notificare predicta predictis dominis ancianis et dicto domino capitaneo et nomina et prenomina eorum quorum fit congregatio et eciam ad cuius petitionem fieri dicitur, etiam si alibi facta dicatur. Et si aliquis ex dictis vicariis et massariis fuerit negligens//

[c. 110r f. C]

in predictis incidat in penam centum librarum bononinorum pro qualibet vice. Item teneantur dicti vicarii et quilibet eorum toto posse qualibet septimana notificare cuilibet massario predicti. Et quod aliquis non audeat se congregare pro aliqua noxia novitate ullo modo fienda contra comune Bononie vel statum civitatis Bononie, sub pena cuilibet congreganti se pro tali causa amputationis pedis. Et quod ad petitionem alicuius persone singularis sub dicta pena non audeant aliqui trahere vel ire ad domum alicuius persone pro aliqua novitate noxia fienda ut supra, nec dicta de causa ire ad civitatem Bononie vel prope ad illam per unum miliare sub dicta pena pedis. Item quod nullus habitator comitatus Bononie audeat ire ad civitatem Bononie cum aliquo genere armorum quam cum cultello, lancea et spata, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet petio armorum, salvo quod tempore guerre possint quelibet arma portare. Item quod nullus subditus iurisdictioni dictorum vicariorum audeat vel presumat portare seu fere aliqua arma offensibilia portari vetita per formam statutorum comunis Bononie ad domos habitationis seu residentie dictorum vicariorum vel ad loca in quibus residentiam facerent pro iure redendo nec ad aliquam ecclesiam vel in sacro ecclesie nec ad aliquid arenghum vel consilium nec ad aliquod trivium consuetum vel ad aliquam tabernam vel ad aliquem locum in quo fieret aliqua congregatio hominum numero quindecim vel ultra nec prope aliquem dictorum locorum per viginti perticas. Et de predictis possint et

¹⁹⁶ <salarium> *nel testo* salariam.

¹⁹⁷ <massarii> *a margine laterale destro*.

teneantur inquirere per se vel suos familiares predictos ad eorum liberum arbitrium. Et si quos invenerint contrafacere ipsos et quemlibet ipsorum punire et condemnare teneantur in solidis quadraginta bononinorum pro quolibet ronchone et qualibet balista et quolibet manaresio et spito seu cliavarina et pro qualibet vice. Pro aliis vero quibuscumque armis vetitis in viginti solidis bononinorum quas condemnationes presentare et facere in scriptis teneatur ut supra. Item dicti vicarii teneantur personaliter cum eorum notariis et familiaribus accedere ad omnes terras et loca eis subiectas et subiecta in quibus fit aliquid forum seu mercatum publicum et ibi, tota dicta die dicti fori et ipso foro durante, stare et iusticiam cuicumque petenti facere secundum formam dictorum statutorum et toto posse prohybere ne in dictis foris seu mercatis alique risse, iniurie vel contumelie fiant vel alia malefficia comittantur vel aliqua arma portentur durante dicto foro et sub pena predicta. Et si aliquos invenerint contrafacientes ipsos malefactores iuxta posse eorum capere et capi facere et in fortiam domini potestatis ducere et duci facere teneantur et arma portantes condemnare ut supra et punire in dicta pena. Et ut predicta omnia et singula melius et plenius sortiantur effectum, teneantur ipsi vicarii facere, quod massarius castri terre vel loci in quo vel qua dictum mercatum fieret et in ipsis foris et quolibet eorum notificet contenta in hoc capitulo supra posito quod incipit 'Item teneantur dicti vicarii et quilibet eorum prohybere et cetera' [c. 109v] usque ad paragraphum 'istum', sub pena librarum quinque bononinorum ipsi vicario negligenti et totidem cuilibet massario terre vel loci qui fuerit negligens in predictis. Et homine dicte terre//

[c. 110v]

teneantur eisdem auxilium, consilium et favorem prestare quocienscunque per ipsos fuerint requisiti, sub penis supradictis. Item faciant dicti vicarii omnimodo, quod diebus solempnibus in honorem Dey introductis videlicet diebus dominicis et diebus Apóstolorum et in quatuor festivitatibus gloriose Virginis et diebus pascalibus et sanctorum Petronii¹⁹⁸, Dominici et Francisci abstineatur a quolibet laborerio, sub pena decem solidorum bononinorum pro quolibet faciente aliquod laborerium in aliquo dictorum dierum et qualibet vice. Item quod nullus ex dictis vicariis et officialibus audeat vel presumat quocumque colore quesito exigere seu recipere aliquam satisfactionem, cautionem seu promissionem etiam a sponte dare volentibus ab aliquibus massariis, comunibus, colegiis vel universitatibus nec etiam ab aliquibus singularibus personis, nisi quatenus necessitas incumberet dicte cautionis prestande ratione alicuius processus seu cause pendentis coram ipso de qua cognoscere possint secundum formam presentium statutorum. Et in dictis causis in quibus incumberet necessitas non possint accipere ultra unum solidum bononinorum, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro qualibet satisfacere prestanda recepta et decem librarum bononinorum notario qui eam scripserit applicanda comuni Bononie et eisdem auferenda tempore sindicatus et nichilominus teneatur ad restitutionem pecunie quam inde receperit cum pena tripli, cuius pene tertia pars sit eius a quo dictam quantitatem pecunie extorserit et alie due partes comuni Bononie applicentur. Insuper etiam volumus et mandamus, quod predicti vicarii quorum vicariatus extenduntur ad confinia comitatus Bononie et quilibet eorum debeant toto posse facere et etiam curare, quod aliquod bladum vel aliqua victualia vel aliqua grassa non portetur extra comitatum vel districtum Bononie et possint capere et capi facere libere et impune portantes et portari facientes victualia vel grassam cum animalibus et cum curibus sine licencia dominorum ancianorum. Et si quos sciverint portantes vel portari facientes contra formam predictam eos notificare teneantur domino potestati Bononie infra octo dies postquam ad noticiam talis vicarii

¹⁹⁸ <Petronii> *dittografato e depennato*.

pervenerit, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Qui dominus potestas tales delinquentes puniat et punire debeat secundum que in nostris statutis continetur. Et tertia pars dicte condempnationis sit et esse debeat dicti vicarii capientis vel capi facientis tales contraffacientes et alie due partes sint comunis Bononie. Salvo quod predicta non habeant locum in hiis que portarentur secundum formam pactorum alicuius daciai comunis Bononie. Addicientes expresse quod nullus possit¹⁹⁹ esse vicarius alicuius ex vicariatibus comitatus Bononie qui non sit vere civis comitatus Bononie, origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis et qui non sit maior treginta annorum bone opinionis, conditionis et fame, sub pena cuilibet acceptanti contra dictam formam librarum vigintiquinque bononinorum. Possint etiam dicti vicarii qui stant in castris muratis comunis Bononie precipere et precipi facere habitantibus in ipsis castris et in burgis ipsorum in quibus stant ipsi vicarii quod faciant custodias de die et nocte prout fuerit expediens. Et si fuerit tempus guerre vel dubium guerre possint precipere etiam omnibus et singulis qui sunt de vicariatibus eorum quod faciant in castro in quo ipsi vicarii habitant custodias de nocte et de die prout fieri viderint expedire. Et possint inhobedientes punire usque ad quantitatem decem solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Possint eciam dicti vicarii et quilibet eorum condempnare pro verbis iniuriosis coram se prolatis in solidis decem bononinorum et quemlibet blasphemantem Deum²⁰⁰//

[c. 111r f. CI]

vel eius matrem vel eius sanctos in solidis viginti bononinorum pro qualibet vice. Item possint videre mensuras sextaria et quecumque pondera penes quoscunque de terris seu locis suis vicariatibus subiectis existentes et existencia et quelibet iniusta pondera vel mensuras iniustas habentes condempnare in solidis decem bononinorum pro quolibet iniusto pondere et qualibet mensura iniusta et pro qualibet vice. Que condempnationes comuni Bononie applicentur et quod per se ipsos continue debeant stare ad loca ordinata personaliter nisi iustam excusationem haberent aut nisi de licencia dominorum ancianorum. Item quod quilibet vicarius teneatur in virtute prestiti sacramenti et sub pena decem librorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice visitare et cum suo notario personaliter accedere saltem bis in mense espenssis ipsius vicarii ad quamlibet terram sui vicariatus ibidemque inquirere de pertinentibus ad eius officium dum tamen vicarius alicuius castri vel fortilicii occasione predicta extra locum sibi deputatum pernottare non debeat. Item statuimus, quod dicti vicarii et alii officiales ituri in comitatu Bononie iurisdictionem exercentes, finitis eorum officiis infra quinque dies, cum eorum notariis et familiaribus venire et se presentare debeant Bononie coram eorum officiali seu officialibus ad eorum syndicatum deputandis ut infra cum literis sue ellectionis et libris scripturis et actis factis per eorum notarios et officiales, tam in civilibus quam in criminalibus et coram ipsis ydoneos fideiussores prestare aprobandas per alterum ex aprobatoribus comunis Bononie de quinqueginta libris bononinorum et de stando ad syndicatum secundum formam presencium statutorum et de reddendo rationem sue administrationis et reliquis consignandis ac de solvendo omnes quantitates in quibus condempnati fuerint tam comuni Bononie quam comunibus aliquarum terrarum suppositis iurisdictioni eorundem ac singularibus personis dictarum terrarum tam pro se quam dictis eorum notariis et familiaribus pro quibus teneantur in omnem casum ut supra. Que fideiussio et satisdatio recipi et scribi debeat per notarium officialis deputati ad syndicatum eorum, et si non dederint fideiussores ut supra dictum est deptimeantur sub fida custodia seu in carceribus comunis Bononie nec relapsentur donec

¹⁹⁹ <possit> a margine laterale sinistro con segno di inserzione.

²⁰⁰ Nel margine inferiore della carta: vel eius matrem.

satisderint seu fuerint absoluti vel condempnati et condempnationem de eis factam non solverint. Et quod tempore dicte satisfactionis prestande seu quo se excusaverint ab inquisitione generali formata contra eos teneantur dicti vicarii et officiales sindicandi deponere penes alterum ex dictis sindicis quadraginta solidorum bononinorum pro eorum et suorum notariorum salario inter eos equaliter dividendos. Qui cum eorum notario et familia debeant stare ad sindicatum per quindecim dies continuos a die cautionis presteite seu excusationis fiende per ipsos ab inquisitione generali nisi sindicarentur per sindicum generalem deputandum vel alium officialem forensem loco dicti sindici, quo casu servant contenta in statuto de officio ipsius sindici maioris circa sindicatum predictum et sindicari debeant per officiales deputatos seu deputandos secundum formam statutorum de singulis per eos factis et commissis et de negligencia et de non servatis per eos secundum formam dictorum statutorum. Qui sindici seu sindicus et officiales sindicantes nichilominus ex eorum officio inquirere possint contra predictos vicarios et officiales et eorum nuncios et familiares. Et super predictis acusationibus et querelis//

[c. 111v]

ac inquisitionibus predictis recipere probationes tam per testes quam per instrumenta et aliis quibuscumque modis legitimis et alia facere que in predictis et quolibet predictorum fuerint necessaria. Et si infra octo dies nullus comparuerit et querimoniam vel libellum de ipsis vel altero ipsorum proponens vel exponens tam coram ipsis sindicis qui fuerint in civitate Bononie quam coram alio sindico in comitatu transmittendo die sequenti post redditum predictorum sindici et notarii transmittendorum in comitatu absolvi debeant et possint, et suum salarium recipere debeant nisi per inquisitionem ex officio sindicorum aliquid culpabile repertum fuerit contra ipsos. Si autem aliquis comparuerit qui querimoniam vel libellum exposuerit, fecerit vel produxerit vel per inquisitionem aliquid contra ipsos repertum fuerit tam in civitate quam in terris eis subdictis predicti sindicandi venire et comparere debeant coram dictis sindicis personaliter cum fuerint requisiti personaliter vel ad locum quem elegerint in civitate Bononie quem locum elligere teneantur tempore satisfactionis prestande seu excusationis predictae si non habuerint habitationem in civitate Bononie alias ad domum ipsorum habitationis sufficiat eos citari ad respondendum dictis petitionibus et querelis et se excusandum ab inquisitionibus et processibus contra ipsos factis per syndicos supradictos terminis in ipsis citationibus contentis aliter pro confessis habeantur de hiis et super hiis que in predictis processibus et querelis continentur. Teneantur etiam positionibus et interrogationibus respondere clare, afirmando vel negando aliter pro confessis contra eos habeantur ut supra. Et tunc infra septem dies sequentes examinare debeant dilligenter dicti sindici omnia reperta contra dictos sindicandos et probationes quascumque recipere ita, quod infra dictos septem dies sindicari debeant absolvendo vel condempnando prout iuris fuerit. De baratariis autem extorssionibus et violenciis condempnare possint et absolvere prout conscientie ipsorum videbitur consideratis indiciis et presumptionibus quas habuerint in predictis. Et hoc quia ad liquidum talia de facili probari non possunt quo termino elapso eisdem liceat impune recedere et residuum sui salarii recipere et habere nisi fuerint condempnati et dicti sindici incidant penam vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet si non absolverint vel condempnaverint infra terminum supradictum. Super quibus omnibus et singulis dicti sindici possint procedere et cognoscere summarie omni loco et tempore etiam obmissis et non servatis aliquibus solemnitatibus iuris et statutorum comunis Bononie. Et predicta de sindicatu locum habeant quando sindicus maior non esset in civitate et comitatu Bononie. Prohibentes dictos syndicos et notarios ad aliquem locum occaxione sindicatus predicti stare, conversari, habitare, comedere et bibere cum sucessore

officialis sindicandi seu cum eorum familia, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Vicariatus autem comitatus Bononie esse volumus infrascriptos. Vicariosque predictos volumus manere et ressidenciam facere in infrascriptis terris et locis eis deputatis cum eorum notariis et familiaribus et salariis infrascriptis et terras et comunia infrascripta subesse ipsis vicariatus ut sequitur. Que salaria singulis sex mensibus pro rata solvi debeant per infrascriptas comunitates vicariis suis ut sequitur.// [c. 112r f. CII]

Imprimis vicarius terre Galerie comitatus Bononie qui residenciam faciat et facere debeat in dicta terra Galerie et habere debeat notarium civem Bononie et unum famulum durante suo officio continue et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario pro se et dicto notario et dicto famullo quolibet mense sui officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum subiectarum seu suppositarum dicto vicariatus sunt hec videlicet

Comune Galerie	Comune Dalmaçatici
Comune Argelate	Comune Rognatici
Comune Sancti Georgio de Plano	Comune Podii Rognatici
Comune Argelis	Comune Caprarie de Plano et Losilini
Comune Volte	Comune Sancti Vicentii
Comune Sancti Alberti	Comune Sivratici
Comune Sancti Petri in Caxale	Comune Sancti Prosperi
Comune Massimati	Comune Surisani
Comune Podii Massimati	Comune Macharetici
Comune Sancti Venancii	Comune Sancti Benedicti de Plano
Comune Asiglie et Sancti Andree in Busco	

Et non habet tassam quia vadit ad unum breve tantum debeat tamen scrupituarum si sufficiens sit vel non.

Ad que salaria solvenda pro rata dicte comunitates et quelibet earum et etiam singulares persone ipsarum terrarum pro rata tangente dicte comunitati de qua erit ipsa singularis persona possint et debeant compelli sumarie, sine strepitu et figura iudicii et omni tempore per quemlibet officialem comunis Bononie, facta adaequatione, quam melius fieri poterit. Et ipsi singulari persone gravate comunitas pro qua solverit²⁰¹ teneatur integraliter resarcire et sine figura iudicii omni tempore et de facto ad hoc compellatur. Et idem per omnia fiat et servetur in omnibus et singulis infrascriptis vicariatus et comunitatibus. Decernentes etiam, quod qui semel fuerit vicarius alicuius vicariatus comitatus Bononie non possit in eo in quo fuerit inde ad unum annum esse nec in aliquo alio vicariatu, nisi post sex menses a die depositi eorum officii.

Vicarius terre Altedi comitatus Bononie qui residentiam faciat et facere debeat in dicta terra Altedi et habere debeat durante suo officio continue unum notarium civem Bononie et unum famulum et debeat habere ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario pro se uno notario cive Bononie et uno famulo libras quindecim bononinorum mense quolibet sui officii. Nomina vero comunium comitatum et terrarum suppositarum seu subiectarum dicto vicariatus et eius vicario sunt hec videlicet

Comune Altedi	Comune Duglioli
Comune Sancti Marini	Comune Peule
Comune Lovoleti	Comune Maçari
Comune Sancti Iohannis Intriario	Comune Minervii

²⁰¹ <solverit> *corregge* solvere.

Comune Villenove, Cenacli et Boarie
Comune Sancte Marie in Donis
Comune Urbiçani
[c. 112v]
Comune Fregaroli
Comune Gavaseti

Comune Saleti
Comune Sancti Martini in Sivriçano
Comune Cinquante//
Comune Greghençani
Comune Tiçanelli

Et non habet tassam quia vadit ad unum breve tantum scrupituarum tamen debeat si sit sufficiens vel non.

Vicarius terre Butrii cum villis teritorii Butrii qui residenciam facere debeat in castro dicte terre Butrii et tenere debeat durante suo officio continue unum equum, unum notarium civem Bononie et unum famullum et habere debeat a comunitate dicte terre Butrii pro eius salario cum uno notario²⁰² cive Bononie, uno equo et uno famullo mense quolibet sui officii libras viginti bononinorum et vadit ad tria brevia et ipse ellectus qui fuerit per scrupituum aprobatus teneatur cuilibet eorum qui ipsa brevia habuerint solvere duodecim denarios parvos bononinorum pro libra qualibet tocus eius quod habere debuerit pro salario. Quam quantitatem solvere teneatur eis antequam accedat ad dictum officium exercendum. Et non habet alias comunitates suppositas nisi villas sui teritorii et etiam possit fieri retentio ad petitionem eorum quibus solvere teneretur ut supra prout fuerit iniunctum per deffensoris averis.

Comune Butrii cum villis suis
Comune Vetrane
Comune Centi de Butrio
Comune Flexi

Comune Duracii, Rioli et Baratini
Comune Masse Alerarii
Comune Vigursii
Comune Ricardine

Vicarius terre Bagnarole qui residenciam facere debeat in dicta terra Bagnarole et tenere debeat durante suo officio continue unum notarium civem Bononie et unum famullum et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et uno famulo mense quolibet sui officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium et comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Bagnarole
Comune Sancti Martini in Argele
Comune Çermaçoris
Comune Garnaroli
Comune Cadamuschi
Comune Camurate
Comune Cadriani et Chalchadone
Comune Vilole
Comune Quarti Superioris
Comune Quarti Inferioris

Comune Caçani
Comune de Casellis
Comune Crucis Biaque
Comune Villenove et Biliemis
Comune Castenasii
Comune Marani
Comune Viadagole
Comune Gulisani
Comune Prunarii

Et non habet tassam quia vadit ad unum breve tantum.

Vicarius terre Castri Sancti Petri qui residentiam facere debeat in dicto Castro Sancti Petri et tenere debeat continue durante suo officio unum equum, unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat pro suo salario cum uno equo, uno notario

²⁰² <uno notario> *nel testo* unotario.

cive Bononie et duobus²⁰³ famulis mense quolibet sui officii ab infrascriptis comunitatibus et terris libras viginti bononinorum et vadit ad tria brevia et ipse ellectus qui fuerit per scriptinum a probatus teneatur cuilibet eorum qui ipsa brevia habuerint solvere duodecim denarios parvos bononinorum pro qualibet libra tocus eius quod habere debuerit pro suo salario, quam quantitatem eis solvere teneatur antequam accedat ad ipsum officium exercendum//

[c. 113r f. CIII]

et qui semel fuerit in ipso officio inde ad bienium in eo esse non possit. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et dicto vicariatui sunt hec videlicet

Comune Castri Sancti Petri	Comune Podii Sancti Blaxii
Comune Castri Sancti Pauli	Comune Gaçi
Comune Casalicli Comitum	Comune Medesani
Comune Trifortie et Triforexii	Comune Frasenete
Comune Burginovi	Comune Ligliani
Comune Montisrençoli	Comune Galegate
Comune Vidriani	Comune Sassuni

Vicarius terre Varignane qui residenciam facere debeat in dicta terra Varignane et tenere debeat durante suo officio continue unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et teris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et duobus famullis mense quolibet sui officii libras quindecim bononinorum et vadit ad tria brevia et ipse ellectus qui fuerit per scriptinum a probatus teneatur cuilibet eorum qui ipsa tria brevia habuerint duodecim denarios parvos bononinorum pro libra qualibet tocus eius quod habere debuerit de suo salario predicto, quam quantitatem eis solvere teneatur antequam accedat ad ipsum officium exercendum et qui semel fuerit in dicto officio inde ab bienium esse non possit. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Varignane	Comune Montis Caldararii
Comune Montisarmati	Comune Stiffunti
Comune Casole Canine	Comune Piçani et Roche Malepasque
Comune Ulgiani	Comune Çene
Comune Pucihalvoli	

Vicarius terre Scareghalasini qui residenciam facere debeat in dicta terra Scareghalasini et tenere debeat continue durante sui officio unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et teris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et duobus famulis mense quolibet sui officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Scareghalasini	Comune Sassinigri
Comune Monghodoris cum villis suis	Comune Porichi et Barbaroli
Comune Scanelli	Comune Ronchastaldi
Comune Legnole	Comune Frassinicho ²⁰⁴
Comune Campegii	Comune Petramale
Comune Cassadri	Comune Vergiliani

²⁰³ <duobus> *nel testo* dubus.

²⁰⁴ <Frassinicho> *corregge* Fransinicho.

Comune Sancti Christoffori de Planorio	Comune Capreni
Comune Levrigani	Comune Anchonelle
Comune Sancti Georgii de Montanea et Cervari	Comune Logliani
Comune Burgi Abadie	Comune Valgatarie
Comune Bisani	Comune Veçani
Comune Cassani	

Et non habet tassam quia vadit ad unum breve tantum tamen debeat scrupituarium ut supra.//

[c. 113v]

Vicarius terre Monçoni qui residenciam facere debeat in dicta terra Monçoni et habere teneatur continue durante suo officio unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et duobus famulis mese quolibet sui officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Monçoni	Comune Sancti Andree in Corniglio
Comune Trasasse	Comune Brigole
Comune Aqualti	Comune Montisfredentis
Comune Podii Russi	Comune Ripoli
Comune Caçanesche	Comune Sassicascholi
Comune Lagugliarie	Comune Bubolani
Comune Montisrumisi	Comune Stioli
Comune Cedriglie	Comune Sancti Laurentii de Aguçano
Comune Campiani	Comune Montorii
Comune Conflenti	Comune Valis
Comune Suvriçani valis Sambri et Aguti Valesii	Comune Castri Alpis

Et vadit ad unum breve tantum unde non habet tassam tamen scrupituetur ut supra.

Vicarius terre Caprarie supra Panichum qui residentiam facere debeat in dicta terra Caprarie et tenere debeat continue in dicto officio unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario cive et duobus famulis et mense quolibet sui officii quindecim libras bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum suppositarum dicto vicario et vicariatui sunt hec videlicet

Comune Caprarie supra Panichum	Comune Eli et Polverarie
Comune Carmigliani	Comune Veçi
Comune Casole Siriani et Pariani	Comune Fulixani
Comune Canevelle	Comune Valis Runchi et Praduri
Comune Batidicii	Comune Lixerne
Comune Badali	Comune Luminaxii
Comune Beçani et Domalfolis	Comune Bregadelli
Comune Venole	Comune Salvari et Sassi Pertusii
Comune Capriglie	Comune Paniçi
Comune Montislonghi et Favalis	Comune Sanguinete
Comune Ignani	Comune Vadi

Non habet tassam et vadit ad unum breve tantum scrupituetur tamen ut supra.

Vicarius terre Casi qui residenciam facere debeat in terra Casi et tenere debeat in suo officio continue unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat ab

infrascriptis comunitatibus et teris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et duobus famullis mense quolibet sui officii quindecim libras bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet//

[c. 114r f. CIIII^{or}]

Comune Caxi	Comune Verçuni
Comune Bargi	Comune Trasere
Comune Camugnani Sancti Martini	Comune Sivigliane
Comune Vimignani	Comune Camugnani et Carpenete
Comune Montis Aguti Aregatie	Comune Stanchi
Comune Stagni	Comune Griçane
Comune Sancti Damiani	Comune Costoçe et Piderle
Comune Crede	Comune Vighi
Comune Prade	Comune Briçanelle
Comune Biche de Mognis	Comune Tavernole
Comune Montionis	

Et vadit ad unum breve tantum ideo non habet tassam scriptinuetur tamen ut supra.

Vicarius terre Roche Pidigliani qui residenciam facere debeat in dicta terra Roche Pidigliani et tenere debeat continue in suo officio unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario uno notario cive Bononie et duobus famulis mense quolibet suo officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicariatui sunt hec videlicet

Comune Roche Pidigliani	Comune Labanti
Comune Rudigliani	Comune Lixani
Comune Ceregli	Comune Agliarii de Fregnano
Comune Musioli	Comune Montis Cavalorii
Comune Sassimularii	Comune Pennaroli
Comune Susani	Comune Plebis Rofeni et Sancti Salvatoris
Comune Casigni	Comune Castri Novi
Comune Predacolorie	Comune Africi et Vulparie
Comune Roche de Corneta	Comune Savignani de Loncoreno

Et vadit ad unum breve tantum et non habet tassam scriptinuetur tamen ut supra.

Vicarius terre Capognani qui facere debeat residenciam in dicta terra Capognani et teneat in suo officio continue unum notarium civem Bononie et duos famulos et habere debeat ab infrascriptis²⁰⁵ comunitatibus et terris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et duobus famulis mense quolibet sui officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Capognani	Comune Moschaglie et Panarie
Comune Sucide et Garnaglioni	Comune Liçani Matti
Comune Badi	Comune Montis Aguti Alpium
Comune Casole supra Casi	Comune Roche de Gaço
Comune Porecte	Comune Belvederis cum rochis suis

Non habet tassam quia vadit ad unum breve tantum sed scriptinuetur ut supra.//

[c. 114v]

²⁰⁵ <ab infrascriptis> *dittografato*.

Vicarius terre Savigni qui residenciam faciat et facere debeat in dicta terra Savigni et teneat dicto officio continue unum notarium civem Bononie et unum famulum et unum equum et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario cum uno equo uno notario cive Bononie et uno famullo mense quolibet sui officii viginti libras bononinorum. Nomina vero comunium et comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Savigni	Comune Tholeti
Comune Sancti Ylaris	Comune Samodie
Comune Montis Pasturi	Comune Rive Magliarie et Gavignani
Comune Montis Severii	Comune Rasigli
Comune Vignole Comitum	Comune Ronche
Comune Oçani	Comune Schoveti
Comune Roche Masenati	Comune Laygune
Comune Vedegheti	

Et vadit ad tria brevia et ipse ellectus qui fuerit per scrupituum aprobatus et teneatur cuilibet ipsorum qui ipsa tria brevia habuerit solvere duodecim denarios parvos bononinorum pro qualibet libra tocuis eius quod habere debet pro salario in sex mensibus, quam quantitatem solvere teneatur eis antequam accedat ad ipsum officium exercendum.

Vicarius terre Serevalis qui residenciam facere debeat in dicta terra Serevallis et tenere debeat durante suo officio continue unum notarium civem Bononie et unum famulum et unum equum et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario cum equo uno notario cive Bononie et uno famullo mense quolibet sui officii libras viginti bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Serevalis	Comune Montis Sancti Petri
Comune Monçongri	Comune Roche Rodulforum
Comune Montis Marvi	Comune Montis Sancti Iohannis
Comune Çappolini	Comune Montispoli
Comune Thirole	Comune Montis Maioris

Et vadit ad tria brevia et ipse ellectus qui fuerit per scrupituum aprobatus teneatur solvere cuilibet ipsorum qui ipsa tria brevia habuerit duodecim denarios parvos bononinorum pro qualibet libra tocuis eius quod habere debet pro salario in sex mensibus, quam quantitatem solvere teneatur eis antequam accedat ad ipsum officium exercendum.

Vicarius terre Montisbelli qui residenciam faciat et facere debeat in dicta terra Montisbelli vel Sancti Andree in Curiano prout domini anciani ordinaverint et tenere debeat continue in dicto officio unum equum, unum notarium civem Bononie et unum famulum et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario cum uno equo, uno notario cive Bononie et uno famulo mense quolibet sui officii libras viginti bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet//

[c.115r f. CV]

Comune Montisbelli	Comune Sancti Andree in Curiano Montesbudelle
Comune Savignani de Scoltena	Comune Oliveti
Comune Prगतुलि	Comune Sancti Martini in Casola
Comune Sancti Laurencii in Colina	Comune villarum Plebis Sancti Laurencii

Colina

Comune Predalbini

Comune Crespelani

Et vadit ad tria brevia et ipse ellectus qui fuerit per scrupituum aprobatus teneatur cuilibet eorum qui ipsa tria brevia habuerit solvere duodecim denarios parvos bononinorum pro qualibet libra tocius eius quod habere debet pro salario in sex mensibus, quam quantitatem solvere teneatur eis antequam accedat ad dictum officium exercendum.

Vicarius terre Castri Franchi qui residenciam facere debeat in dicta terra Castri Franchi et tenere continue in suo officio exercendo unum equum, unum notarium civem Bononie et unum famulum et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus pro eius salario cum uno equo, uno notario cive Bononie et uno famullo mense quolibet sui officii viginti libras bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Castri Franchi cum villis suis

Comune Plumacii

Comune Paņani cum villis suis

Comune Gaņii de Sancto Ambrosio

Comune Burgheti

Comune Sancti Cexarii

Comune Baņani

Comune Nonantule cum villis suis

Comune Calcharie

Comune Sancte Marie in Strata

Comune Maņolini

Comune Unņole

Et vadit ad tria brevia et ipse ellectus qui fuerit per scrupituum aprobatus teneatur cuilibet eorum qui ipsa tria brevia habuerit solvere duodecim denarios parvos bononinorum pro qualibet libra tocius eius quod habere debet pro dicto salario, quam quantitatem eis solvere teneatur ante quam accedat ad dictum officium exercendum.

Vicarius terre Sancte Agate qui residenciam faciat et facere debeat in Castro Sancte Agate predicte et teneat continue in dicto officio unum notarium civem Bononie et unum famullum et habere debeat cum duobus famulis si fuerit notarius et si non fuerit notarius cum uno notario cive Bononie et uno famullo libras quindecim bononinorum mense quolibet sui officii ab infrascriptis comunitatibus videlicet a comuni et hominibus terre Sancti Iohannis in Persiceto non suppositis dicto vicariatui libras octo bononinorum mense quolibet et ab infrascriptis comunitatibus suppositis dicto vicario et eius vicariatui residuum quod est septem libras bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune Sancte Agate

Comune Padulis Sale

Comune Bagni

Ad quas septem libras bononinorum pro quolibet mense dicte comunitates Sancte Agate, Bagni et Padulis Sale et quelibet eorum et homines ipsarum comunitatum solvendas dicto vicario possint et debeant compelli summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii et de facto et omni tempore per quemlibet officialem comunis Bononie et ad solvendas dicto vicario dictas octo libras bononinorum pro quolibet mense possint et debeant compelli//

[c. 115v]

comune et homines dicte terre Sancti Iohannis Impersiceto sumarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii omni tempore et de facto per quemlibet officialem comunis Bononie. Et vadit ad tria brevia, et qui fuerit ellectus per scrupituum teneatur cuilibet eorum qui habuerit ipsa brevia solvere duodecim denarios parvos bononinorum pro qualibet libra tocius dicti salarii antequam accedat ad dictum officium exercendum.

Vicarius terre Sancti Iohannis in Persiceto qui residenciam facere debeat in castro dicte terre Sancti Iohannis et tenere continue in suo officio duos equos, unum notarium civem Bononie et duos famulos, et habere debeat a comune dicte terre Sancti Iohannis pro suo salario cum duobus equis uno notario cive Bononie et duobus famulis mense quolibet sui officii libras treginta bononinorum. Et vadit ad tria brevia et qui fuerit ellectus et aprobatas per scrupituum teneatur cuilibet eorum qui habuerit ipsa brevia solvere duodecim denarios parvos bononinorum pro libra qualibet tocius eius quod habere debuerit pro suo salario antequam accedat ad dictum officium exercendum.

Vicarius terre Crevalcorii qui residenciam faciat et facere debeat in dicta terra Crevalchorii et tenere continue in dicto officio unum equum, unum notarium civem Bononie et unum famulum, et habere debeat a comune et hominibus dicte terre pro eius salario uno equo, uno notario cive Bononie et uno famulo mense quolibet sui officii libras viginti bononinorum. Et vadit ad tria brevia et qui fuerit ellectus et per scrupituum approbatus cuilibet eorum qui habuerit ipsa brevia solvere teneatur duodecim denarios parvos bononinorum pro libra qualibet tocius dicti salarii antequam accedat ad dictum officium exercendum, nec habet aliquam aliam comunitatem suppositam ipsi vicario et eius vicariatui nisi villas terre Crevalcorii.

Vicarius terre Burgi Panicalis qui residenciam facere debeat in dicta terra Burgi Panicalis et tenere continue in dicto officio unum notarium civem Bononie et unum famulum et habere debeat ab infrascriptis comunitatibus et terris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et uno famulo mense quolibet sui officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet

Comune terre Burgi Panicalis	Comune Canitulli
Comune Panicalis Veteris	Comune Sale Aygonum
Comune Sancti Vitalis de Reno	Comune Sancte Elene ²⁰⁶
Comune Policini a sero Reni	Comune Ulmetulle
Comune Bertalie	

Et vadit ad unum breve ideo non habet tassam, sed scrupituetur ut supra.

Vicarius terre Corvarie qui residenciam faciat et facere debeat in dicta terra Corvarie et habere teneatur in suo officio continue unum notarium civem Bononie et unum famulum et habere et recipere debeat ab infrascriptis comunitatibus et teris pro eius salario cum uno notario cive Bononie et uno famulo mense quolibet sui officii libras quindecim bononinorum. Nomina vero comunium seu comunitatum et terrarum suppositarum dicto vicario et eius vicariatui sunt hec videlicet//

[c. 116r f. CVI]

Comune Corvarie	Comune Castri Britonum
Comune Farneti	Comune Russi
Comune Veçole	Comune Runchimaruni
Comune Sancti Rophilli	Comune Sesti
Comune Lastignani	Comune Musigliani
Comune Octo	Comune Meseraçani
Comune Montis Chalvi	Comune Ariosti
Comune Ieule	Comune Gargognani
Comune Clagnani	

²⁰⁶ <Elene> *nel testo* Alene.

Et vadit ad unum breve tantum ideo non habet tassam sed scrupitinetur ut supra.

Volentes, quod omnes et singule comunitates subiecte vicariatibus omnibus suprascriptis teneantur ad fortificationes et reparationes castrorum sub quorum vicariatibus sunt cum comune et hominibus castrum seu fortificande seu reparande pro rata earum tassationum quociens opus seu necesse fuerit fortificari seu reparari, exceptis comunitatibus que haberent earum curriis aliquod castrum vel fortificium que eo casu ad alterius castrum seu fortificii fortificationem seu custodiam vel reparationem minime tenentur. Decernentes insuper, quod per dominos ancianos predictos iuxta temporum et necessitatum occurrentiam providere possit quod alie comunitates et loca comitatus Bononie que ex forma presencium statutorum non tenentur conferre ad fortificationes et reparationes alicuius castrum vel fortificii conferrant et conferre teneantur pro rata eorum extimi seu tassationis ad fortificationes et reparationes castrorum et fortificiorum de quibus per prefatos dominos fuerit declaratum.

[6] De salario, familia et officio capitaneorum et custodum castrorum et rocharum comitatus Bononie et portarum civitatis Bononie. Rubrica. [cc. 116r-117r]

Preterea providerunt et statuerunt, quod infrascripta castra et infrascripta fortificia et etiam infrascripte roche comitatus Bononie custodiantur et custodiri debeant per comune Bononie et eius nomine et ad ea et eas et ipsorum et ipsarum custodias trasmittere debeant et ire teneantur debito tempore castelani et custodes principales et quilibet eorum electi legitime et scrupitinati secundum formam nostrorum statutorum cum sociis seu paghis infrascriptis et pro salariis infrascriptis, sub pena arbitrio dominorum ancianorum imponenda, considerata conditione persone si punire voluerint pro quolibet et qualibet vice nisi haberet iusta excusationem de qua an sit iusta vel non stetur declarationi dominorum ancianorum vel maioris partis eorum. Et in dictis castris, rochis et fortificiis stari et morari continue personaliter tempore eis et cuilibet eorum statuto limitato et ordinato teneantur. Et de ipsis castris, rochis et fortificiis non audeant exire durante tempore sui officii, sub pena et ad penam amputationis capitis cuilibet ex dictis castelanibus seu custodibus principalibus exeunti de fortificiis vel rocha cui castelanus vel custos principalis erit deputatus, nisi de licencia dominorum ancianorum vel maioris²⁰⁷ partis eorum de castris, rochis vel fortificiis eis assignatis exirent de qua quidem licencia debeat aparere per literas dictorum dominorum ancianorum sigilatas sigillo comunis Bononie quo casu talis exiens de castro, rocha vel fortificio ei assignata vel assignato//

[c. 116v]

ad penam predictam minime teneatur. Et sub pena quinque librarum bononinorum cuilibet socio et famullo talis castelani seu custodis principalis. Salvo quod pro necessitatibus imminentibus sibi vel predictis famulis seu custodibus talium castrorum seu fortificiorum vel rocharum sit licitum uni ex dictis famulis dum tamen non sit custos principalis vel castelanus exire extra domos, castrum, rocham vel fortificium de licencia castelani sui vel custodis principalis et non alter dum tamen ibi incontinenti reddeat et alibi non pernotet etiam cum licentiam sui castelani vel custodis principalis. Ac etiam volumus, quod unus solus custos de dictis castris, rochis vel fortificiis exire possit et illo non redeunte alius ex custodibus de dicto castro, rocha vel fortificio exire non possit etiam cum licencia sui castelani vel custodis principalis, sub pena cuilibet famullo

²⁰⁷ <maioris> *nel testo* maglioris.

contra predictam formam exeunti quinque librarum bononinorum et cuilibet castelano vel custodi principali permittenti exsire aliquem de suis famullis contra formam predictam vel concedenti licenciam alicui suo famullo vel socio exeundi vel standi contra formam predictam quinqueginta librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice a talibus contrafacientibus de facto auferenda tempore eorum sindicatus. Et habeat et habere debeat quilibet ex infrascriptis castelanis pro sua persona et suo salario et stipendio salarium ordinatum pro se et sociis et famullis. Que salaria solvi debeant ipsi castelanis et cuilibet eorum pro se et dictis sociis et famullis singulis mensibus pro rata temporis per depositarium comunis Bononie cum retemptione cambii et gabelle habita tamen prius bollictam ab officialibus deputatis ad hoc subscriptam et sigillatam ut moris est consuetum. Qui castelani²⁰⁸ et custodes principales et quilibet eorum teneantur mostras facere de se et eorum sociis tociens quociens fuerint requisiti per officiales ad hoc deputatos vel deputandos vel quoscumque alios cui vel quibus domini anciani specialiter comisserint, sub pena centum librarum bononinorum pro qualibet vice. Et teneantur predicti castelani et custodes principales et quilibet ipsorum antequam ad locha ipsis et cuilibet ipsorum deputata accedant coram provisoribus comunis Bononie vel aliis officialibus per comune Bononie ad hoc deputatos vel deputandos se principaliter obligare et promittere nec non dare et prestare bonos et ydoneos fideiussores aprobatos per aprobatos comunis Bononie de infrascriptis quantitatis et de bene, legaliter et dilligenter custodiendo et salvando castra, rochas et fortilicia eis et cuilibet eorum commissas et assignata et assignatas cum omnibus et singulis munitionibus et rebus sibi assignatis vel assignandis ad honorem et statum populi comunis Bononie et dictorum dominorum. Et de restituendis ipsis castris, rochis vel fortiliciis cum dictis rebus et munitionibus libere comuni Bononie vel habenti legiptime eam ab eodem comuni finito tempore sui officii et ante ad voluntatem dictorum dominorum vel maioris partis eorum. Et de predictis custodia restitutione corporale sacramentum teneantur ipsi et quilibet ipsorum prestare, tactis scripturis in manibus domini prioris dictorum dominorum ancianorum de quo constare debeat per scripturam cancellarii dictorum dominorum ancianorum vel alterius ex notariis dictorum dominorum. Item statuimus, quod ipsi castelani et custodes principales et quilibet ex dictis sociis debeant esse armati videlicet quilibet ex balisteriis debeat esse armatus barbata//

[c. 117r f. CVII]

vel cerveleria vel batineto in capite et de bona balista propria et crocho proprio et cum veretonibus et una panceria vel coracina in dorso. Castelani vero et socii sui debeant esse armati in capite cerveleria vel barbata aut bacineto et in dorso panceriis vel coracinis pro quolibet eorum et lanceis, cultellis, ensibus, pavesiis vel tabolaciis. Proybentes autem ipsos castelanos et principales custodes aliquarum rocharum vel fortiliciorum comunis Bononie secum ducere vel tenere ad custodiam dictorum castrorum, rocharum vel fortiliciorum vel suis sociis vel familiaribus aliquos qui sint de castris, rochis vel fortiliciis ad quarum vel quorum custodiam mitantur vel qui sint de terris seu villis suppositis vicariatui in quo est ipsum castrum, rocha vel fortilicium quod et que custodirent vel custodire deberent. Nec aliquem qui sit bannitus vel rebellis comunis Bononie vel aliquem qui sit de terra inimica vel suspecta comuni Bononie vel presenti statu libertatis, sub pena tali castelano vel custodi principali alicuius castri vel fortilicii qui talem supra prohybitum retineret centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et sub pena quinqueginta librarum bononinorum tali famulo prohybito qui ad custodiam alicuius castri, roche vel fortilicii staret. Item statuimus, quod quilibet castelanus vel custos alicuius fortilicii civitatis, comitatus vel districtus

²⁰⁸ <castelani> *nel testo* custelani.

Bononie cuius dolo, culpa, negligencia vel defectu vel eius sociorum castrum, rocha vel fortilicium aliquod comitatus Bononie civitatis vel comitatus vel districtus ad cuius custodiam esset deputatus devenerit ad custodiam vel potestatem alterius quam comunis Bononie vel contra statum popularem civitatis Bononie puniatur pena proditoris seu rebelis comunis Bononie. Et simili pena teneatur qui non assignaverit ipsum castrum, rocham vel fortilicium ad voluntatem dictorum dominorum ancianorum seu maioris partis eorum et ei cui voluerint et quando voluerint vel mandaverint habito signo ipsius roche vel fortilicii sibi assignato pro parte dictorum dominorum et cum literis eorum sigilatis sigillo dicti comunis. Et eius fideiussores nichilominus compellantur realiter et personaliter eciam nulla facta excussione omnino de facto omni iuris et facti exceptione et excusatione reiectis ad solvendum comuni Bononie quantitates in quibus intercesserint pro tali castelano vel custode principali et quam cicius fieri poterit. Et teneatur quilibet castelanus et custos principalis pro se et suis sociis in solidum, nec debeant asbassare vel asbassari permittere pontem vel pontexellam vel apertam portam fortilicii seu roche noctis tempore. Inhibemus etiam elligi pro castelano vel custode alicuius castri, roche vel fortilicii aliquem qui non potuerit elligi in consillio quatuormilium comunis Bononie. Volumus eciam, quod ipsi castelani et custodes vel aliquis eorum non audeat recipere aliquos qui non sint de ipsius familia quam tenere debet in ipsa rocha vel fortilicio secundum formam nostrorum statutorum in eorum vel alicuius eorum vel comunis Bononie rochis et fortiliis sive expressa licentia dominorum ancianorum comunis Bononie de qua legitime constet nisi sint officiales qui irent pro mostris faciendis.

[6.1] **Castri Sancti Iohannis Impersiceto. Rubrica.** [cc. 117-117v]

Imprimis unus castelanus roche Sancti Iohannis Impersiceto comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam viginti socios armigeros ut supra et non prohibitos ut supra quorum//

[c. 117v]

octo ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliciarum comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie quinquemillia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligencia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in prejudicium status et libertatis dicti populi. Et eciam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et habere debet ipse castelanus a comuni Bononie pro persona sua pro quolibet mense florenos sex auri, et pro sociis seu famulis viginti florenos quinquaginta auri pro quolibet mense. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur ipse castelanus qui in scrupitino optinuerit solvere cuilibet ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche tassam ordinatam, videlicet sex florenos auri pro quolibet qui ipsum breve habuerit. Et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc

defensores averis sint executores. Et quod retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractioe, pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.2] **Castri Crevalcorii. Rubrica.** [cc. 117v-118r]

Item duo castelani in castro Crevalcorii comitatus Bononie quorum unus stare debeat continue suo officio durante in rocha et castro dicti castri a mane cum duodecim sociis ultra personam suam armatis ut supra et non prohibitis ut supra. Quorum sex ad minus sint balistarii et omnes armigeri et non prohibiti ut supra. Qui sex balistarii habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus etiam custodiam dicte roche a mane durante eius officio. Alius vero castelanus stare debeat continue in turri et cassaro seu rocha dicti castri a sero cum octo sociis armigeris armatis ut supra et non prohibitis ut supra. Quorum quatuor sint balistarii qui habeant proprias balistas cum crochis. Et habeat ipse castelanus universam curam et custodiam dicte turris, cassari seu roche a sero durante dicto officio. Et teneatur quilibet ex dictis castelanis dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro ipso comuni idoneos fideiussores approbatos seu approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie tria milia florenos auri pro quolibet eorum qui neglexerit vel obmiserit ipsam rocham cui deputata erit finito suo officio vel quodocunque ad mandata dictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relapsare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relapsari aut si eius vel eorum//

[c. 118r f. CVIII]

vel sociorum alterius eorum castelanorum culpa, negligencia vel defectu dicte roche vel altera earum ad aliquem inimicum comunis Bononie vel presentis status devenerit vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam quilibet dictorum castelanorum ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et habere debet ipse castelanus roche parve a sero a comuni Bononie pro sua persona et octo sociis seu famulis quolibet mense florenos vigintiquinque. Dicitus vero castelanus roche a mane habere debet a comuni Bononie pro sua persona et dictis duodecim sociis seu famulis pro quolibet mense vigintiquinque florenos auri. Et vadant dicte castelanie quelibet ipsarum ad quatuor brevia. Et etiam teneatur quilibet ex dictis castelanis solvere cuilibet electori qui breve habuerit de castelania cui erit deputatus tassam ordinatam, videlicet castelanus dicte roche parve a sero solvat cuilibet electori tres florenos auri. Castelanus vero dicte roche a mane solvat cuilibet electori florenos quatuor auri. Et cuilibet ex dictis castelanis retineri debeat per depositarium comunis Bononie de pagha primi mensis ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractioe, hiis qui tale breve habuerint pro rata.

[6.3] **Castri Franchi. Rubrica.** [cc. 118r-118v]

Item duo castelani in Castro Francho comitatus Bononie. Quorum unus stare debeat continue suo officio durante in rocha et casaro dicti castri a mane cum decem octo sociis armigeris ultra personam suam quorum octo ad minus sint balistarii armati ut supra et non prohibiti ut supra. Qui octo balistarii habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche a mane durante eius officio. Alius vero castelanus stare debeat continue in turri et casaro seu rocha dicti castri a sero cum sex sociis armigeris armatis ut supra et non prohibitis ut supra ultra personam suam. Quorum tres sint balistarii qui habeant proprias balistas cum crochis. Et

habeat castelanus universam curam et custodiam dicte turris, casari seu roche a sero durante eius officio. Et teneatur quilibet ex dictis castelanis dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos seu aprobandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie quinquemillia florenos auri pro quolibet eorum qui neglexerit vel obmiserit dictam turrim, castrum seu rocham cui deputatus erit finito suo officio vel quandocumque ad mandata dicatorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum, habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra, reddere et libere relapsare successori suo vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel eorum vel sociorum alterius eorum castelanorum culpa, negligentia vel defectu dicte roche vel altera earum ad aliquem inimicum comunis Bononie vel presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam quilibet ipsorum castelanorum ad predicta omnia principaliter se obligare teneantur solempniter. Et habere debeat dictus castelanus roche a sero pro sua persona et sex sociis seu famullis a comuni Bononie pro quolibet mense florenos viginti auri. Et dictus castelanus dicte roche//

[c. 118v]

magne a mane habere debeat a comuni Bononie pro sua persona et decem et octo sociis quos tenere debet ultra personam suam florenos quinqueingenta auri pro quolibet mense. Et vadant dicte castelanie et quelibet ipsarum ad brevia quatuor. Et teneatur quilibet ex dictis castelanis solvere cuilibet ellectori qui breve habuerit de castelania cui erit deputatus tassam ordinatam, videlicet castelanus dicte roche a sero solvat cuilibet ellectori duos florenos. Et castelanus dicte roche a mane solvat cuilibet ellectori florenos quinque auri. Et cuilibet ex dictis castelanis retineri debeat per depositarium comunis Bononie de pagha primi mensis ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sit executores et quod retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractone, hiis qui tale breve habuerint pro rata.

[6.4] **Castri Mançolini. Rubrica.** [c. 118v]

Item unus castelanus roche Mançolini comitatus Bononie, qui retinere debeat claves dicti castri et habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam sex socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra. Quorum tres ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel aprobandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie tria millia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel alicuius sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad omnia predicta principaliter se obligare teneatur solempniter. Et habere debeat a comuni Bononie dictus castelanus pro persona sua et dictis sex sociis seu famullis viginti florenos auri pro quolibet mense. Et vadit ad

quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus qui optinuerit in scrupitino solvere cuilibet ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche tassam ordinatam videlicet tres florenos auri et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc deffensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit per depositarium comunis Bononie solvere teneatur libere, sine ulla detentione, pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.5] **Castri Plumacii. Rubrica.** [cc. 118v-119r]

Item duo castelani in castro Plumacii comitatus Bononie quorum unius stare debeat continue suo officio durante in rocha et casaro dicti castri a mane cum octo sociis armatis ut supra ultra personam suam quorum quatuor sint balistarii et omnes armigeri et non prohibiti ut supra. Qui quatuor balistarii habeant suas proprias balistas cum crochis et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche a mane et teneat claves dicti castri durante eius officio. Et habere debet a comuni Bononie pro persona sua et dictis//

[c. 119r f. CVIII^{or}]

octo sociis quolibet mense vigintiquinque florenos auri. Alius vero castelanus stare debeat continue in rocha dicti castri a sero cum octo sociis armigeris armatis ut supra, et non prohibitis ut supra, ultra personam suam. Quorum quatuor sint balistarii, qui habeant proprias balistas cum crochis et habeat ipse castelanus universam curam et custodiam dicte roche a sero durante eius officio. Et habere debet ipse castelanus roche a sero pro persona sua et dictis octo sociis vel famulis a comuni Bononie vigintiquinque florenos auri pro quolibet mense. Et teneatur quilibet ex dictis castelanis dare provisoriis castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis seu deputandis, stipulantibus et recipientibus pro comuni predicto ydoneos fideiussos, approbatos seu approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie tria milia florenos auri pro quolibet eorum qui neglexerit vel obmiserit ipsam rocham cui deputatus erit finito suo officio vel quandocunque ad mandata dictorum dominorum ancianorum vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel eorum vel sociorum alterius eorum castelanorum culpa, negligentia vel defectu dicte roche vel altera earum ad aliquem inimicum comunis Bononie vel presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in prejudicium status et libertatis dicti populi et etiam quilibet ipsorum castelanorum ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur²⁰⁹ solempniter. Et vadant dicte castelanie et quelibet ipsarum ad quatuor brevia. Et teneatur quilibet ex dictis castelanis solvere cuilibet ellectori qui breve habuerit de castelania cui erit deputatus tassam ordinatam videlicet castelanus dicte roche a sero solvat cuilibet electori florenos tres auri castelanus dicte roche a mane solvat cuilibet ellectori florenos tres auri. Et cuilibet ex dictis castelanis retineri debeat per depositarium comunis Bononie de pagha primi mensis ad instanciam cuiuslibet²¹⁰ qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractioe, hiis qui tale breve habuerit pro rata.

²⁰⁹ <teneatur> segue spazio bianco corrispondente a circa 6 lettere, su questa riga, e a circa 5 lettere su quella successiva.

²¹⁰ <cuiuslibet> nel testo cuiuslibet.

[6.6] **Castri Montisbelli. Rubrica.** [cc. 119r-119v]

Item unus castelanus roche Montisbellii comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam tredecim socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra quorum sex ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debeat a comuni Bononie pro persona sua et dictis tredecim sociis seu famulis tregintaseptem florenos auri et dimidium alterius floreni quolibet mense. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus dicti comunis ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro ipso comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie quatuormillia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quodocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relassare successori suo vel comuni Bononie predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani//

[c.119v]

eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche tassam ordinatam videlicet florenos quatuor auri et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retemptum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere sine ulla detractone pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.7] **Castri Seravalis. Rubrica.** [c. 119v]

Item unus castelanus roche castri Seravalis comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam tredecim socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra. Quorum sex ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debet dictus castelanus a comuni Bononie pro persona sua et dictis tredecim sociis seu famulis tregintaseptem florenos auri et dimidium alterius floreni quolibet mense. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie et aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie quatuormillia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quodocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum suorum culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche tassam ordinatam que est florenos quinque auri pro quolibet ellectore et tantum eidem retineri

possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractioe, pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.8] **Castri Savigni. Rubrica.** [cc. 119v-120r]

Item unus castelanus roche seu casari castri Savigni comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam tredecim socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra quorum sex ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche seu casari durante eius officio. Et habere debet dictus castelanus//

[c. 120r f. CX]

pro sua persona et dictis tredecim sociis seu famulis a comuni Bononie quolibet mense treginta florenos auri et dimidium alterius floreni. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel aprobandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie quatuormillia florenos auri si negleserit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligencia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et eciam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche tassam ordinatam que est florenos quinque cuilibet ellectori et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere sine ulla detractioe pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.9] **Castri Belvederis. Rubrica.** [cc. 120r-120v]

Item unus castelanus roche castri Belvederis comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam tredecim socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra quorum sex ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus pro persona sua et dictis tredecim sociis seu famulis a comuni Bononie quolibet mense tregintaseptem florenos auri et dimidium alterius floreni. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel aprobandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie quatuormillia florenos auri si negleserit²¹¹ vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra

²¹¹ <negleserit> *nel testo* negresserit.

reddere et libere relaxare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relaxari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra et in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor²¹² brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche florenos quinque auri. Et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractone, pro rata hiis qui tale breve habuerint.//
[c. 120v]

[6.10] **Castri Montis Aguti Alpium**²¹³. [c. 120v]

Item unus castelanus roche seu casari Montis Aguti Alpium comitatus Bononie qui habere debeat suo officio durante continue ultra personam suam sex socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra, quorum quatuor sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debeat dictus castelanus a comuni Bononie pro persona sua et dictis sex sociis seu famulis quolibet mense viginti florenos auri. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliciarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni idoneos fideiussores approbatos vel approbandos per aprobatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie duomillia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quodcumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et relaxare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relaxari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori et sociis qui habuerint brevia castelanie dicte roche florenos duos auri et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensoris averis sint executores et quod retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine aliqua detractone, pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.11] **Roche Cornete. Rubrica.** [cc. 120v-121r]

Item unus castelanus roche Cornete comitatus Bononie qui habere debeat suo officio durante continue ultra personam suam quinque socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra quorum quatuor ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debeat dictus castelanus pro persona sua et dictis quinque sociis a comuni Bononie quolibet mense florenos decem et septem cum dimidio alterius floreni. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliciarum comunis

²¹² <quatuor> *nel testo* quatuor.

²¹³ <Castri ... Alpium> *scritto con carattere minore sul margine laterale sinistro.*

Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie duomillia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relapsare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari²¹⁴//

[c. 121r f. CXI]

aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et eciam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche duos florenos auri et tantum eidem tenere possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractioe, pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.12] **Castri Garnaglioni.** [c. 121r]

Item unus castelanus roche seu casari Garnaglioni comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam sex socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra quorum tres ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debet dictus castelanus pro persona sua et dictis sex sociis seu famulis a comuni Bononie viginti florenos auri quolibet mense. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos pro approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie duomillia florenos auri²¹⁵ si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relapsare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere omni ellectori qui habuerit breve castelanie dicte roche florenos tres auri et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractioe, pro rata hiis qui tale breve habuerint.

²¹⁴ *Nel margine inferiore della carta:* aut si eius vel sociorum eius.

²¹⁵ <auri> *segue autem depennato.*

[6.13] **Castri Stagni.** [cc. 121r-121v]

Item unus castelanus roche castri Stagni comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam tres socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra, quorum duo ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debet dictus castelanus a comuni Bononie pro persona sua et dictis sociis pro quolibet mense florenos duodecim et dimidium alterius floreni auri. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie duo millia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quodcumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris//

[c. 121v]

partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori et sociis qui habuerint castelanie dicte roche florenos duos auri et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc provisos averis sint executores et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere sine ulla detractone pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.14] **Castri Bargi. Rubrica.** [c. 121v]

Item unus castelanus roche seu casari castri Bargi comitatus Bononie qui habere debeat suo officio durante ultra personam suam octo socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra. Quorum quatuor ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debet dicto castelanus a comuni Bononie pro sua persona et dictis octo sociis vigintiquaque florenos auri pro quolibet mense. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie tria milia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quodcumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori et sociis qui habuerint breve castelanie dicte roche florenos duos auri. Et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet

qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quod retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere sine ulla detractioe pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.15] **Castri Batadicii. Rubrica.** [cc. 121v-122r]

Item unus castelanus roche castri Batadicii comitatus Bononie qui habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam duodecim socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra quorum sex ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicte roche durante eius officio. Et habere debet dictus castelanus a comuni Bononie quolibet mense pro sua persona florenos sex auri. Et pro dictis duodecim sociis seu famulis treginta florenos auri.//

[c. 122r f. CXII]

Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliciarum comunis Bononie et aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie quatuormilia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum, habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra, reddere et libere relasare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet electori et sociis qui habuerint breve castelanie dicte roche florenos quatuor auri et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractioe, pro rata hiis qui tale breve habuerint.

[6.16] **Castri Sancti Petri. Rubrica.** [cc. 122r-122v]

Item duo castelani in castro Sancti Petri comitatus Bononie quorum unum stare debeat continue suo officio durante in rocha magna dicti castri et in ea tenere ultra personam suam duodecim socios armatos ut supra quorum sex sint balistarii et omnes armigeri et non prohibitos ut supra, qui sex balistarii habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus roche magne universam curam et custodiam dicte roche magne durante eius officio. Et habere debet pro persona sua et dictis duodecim sociis seu famulis quolibet mense a comuni Bononie tregintaquinque florenos auri. Alius vero castelanus stare debeat continue in rocha parva dicti castri cum duobus sociis armigeris armatis ut supra et non prohibitis ut supra. Et habeat ipse castelanus universam curam et custodiam dicte roche parve durante eius officio. Et habere debet dictus castelanus dicte roche parve pro persona sua et dictis duobus sociis a comuni Bononie quolibet mense florenos decem auri. Et teneatur quilibet ex dictis castelanis dare provisoribus castrorum et fortiliciarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussores aprobatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie, videlicet dictus castelanus roche magne de

quantitate quatuormilia florenorum auri. Et dictus castelanus roche parve de quantitate duorum millium florenorum auri pro quolibet eorum qui neglexerit vel obmiserit rocham cui deputatus erit finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum vel maioris partis eorum, habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra, reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel eorum vel sociorum alterius//

[c. 122v]

eorum castelanorum culpa, negligentia vel defectu dicte roche vel altera earum ad aliquem inimicum comunis Bononie vel presentis status devenerint vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam quilibet ipsorum castelanorum ad predicta omnia principaliter se obligare teneantur solempniter. Et quelibet dictorum castelanorum vadit quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus roche magne solvere cuilibet ellectori et sociis qui breve habuerint de castelanaria cui erit deputatus florenos quinque auri. Castelanus vero dicte roche parve solvat cuilibet ellectori florenos duos auri. Et cuilibet ex dictis castelanis retineri debeat per depositarium comunis Bononie de pagha primi mensis ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quid retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur libere, sine ulla detractone, hiis qui tale breve habuerint pro rata.

[6.17] **Castri Oselini. Rubrica.** [c. 122v]

Item unus castelanus castri Oselini comitatus Bononie qui habeat et habere debeat continue suo officio durante ultra personam suam septem socios armigeros armatos ut supra et non prohibitos ut supra quorum quatuor ad minus sint balistarii qui habeant suas proprias balistas cum crochis. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicti castri durante eius officio. Et habere debet pro persona sua et pro dictis septem sociis seu famulis a comuni Bononie quolibet mense florenos vigintiduos cum dimidio auri. Et teneatur dare provisoribus castrorum et fortiliarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni ydoneos fideiussos approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie tria millia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam rocham finito suo officio vel quandocumque ad mandata dominorum ancianorum comunis Bononie vel maioris partis eorum, habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra, reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta rocha ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad quatuor brevia. Et teneatur dictus castelanus solvere cuilibet ellectori et sociis qui habuerint breve castelanarie dicte roche florenos tres auri. Et tantum eidem retineri possit et debeat per depositarium comunis Bononie de paghis primi mensis officii dicti castelani ad instanciam cuiuslibet qui tale breve habuerit. Et in hoc defensores averis sint executores. Et quod retentum fuerit dictus depositarius solvere teneatur sine ulla detractone pro rata hiis qui tale breve habuerint.//

[c. 123r f. CXIII]

[6.18 **Turris de Verga.** c. 123r]

Item unus custos principalis Turris de Verga qui stet bene fulcitus et sociatus duobus sociis in loco predicto. Et habeat universam curam et custodiam dicte turris. Qui custos habere debet pro se et sociis duobus quolibet mense et ad rationem mensis decem libras bononinorum pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie. Et teneatur satisfacere coram provisoribus castrorum et fortificiarum comunis Bononie vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro ipso comuni. Et dare idoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie mille florenos auri si neglexerit vel omiserit ipsam turrim finito officio suo vel quocumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum, habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra, reddere et libere relaxare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relaxari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta turris ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solemniter et vadit ad unum breve et solvere teneatur electori.

[6.19 **Turris de Mulinella.** c. 123r]

Item unus custos principalis turris de Mulinella qui stet bene fulcitus et sociatus uno socio in loco predicto. Et habeat universam curam et custodiam dicte turris. Qui custos habere debet pro se et socio quolibet mense et ad rationem mensis libras decem bononinorum pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie. Et teneatur satisfacere provisoribus supradictis aut aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni. Et dare idoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie mille florenos auri si neglexerit vel omiserit ipsam turrim finito suo officio vel quocumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum, habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra, reddere et libere relaxare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relaxari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta turris ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solemniter et vadit ad unum breve.

[6.20 **Turris de Cavagli.** cc. 123r-123v]

Item unus custos principalis turris de Cavagli comitatus Bononie qui stet bene fulcitus et sociatus duobus sociis in loco predicto. Et habeat universam curam et custodiam dicte turris. Qui custos habere debet pro se et duobus sociis quolibet mense et ad rationem mensis libras decem bononinorum pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie. Et teneatur satisfacere provisoribus predictis vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni et dare idoneos fideiussores//

[c. 123v]

approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie mille florenos auri si neglexerit vel omiserit ipsam turrim finito suo officio vel quocumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum reddere et libere relaxare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relaxari aut si eius vel sociorum

eius culpa, negligentia vel defectu dicta turris ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et eciam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter. Et vadit ad unum breve concordet se cum electore.

[6.21 **Castri Capreni.** c. 123v]

Item unus custos principalis castri Capreni comitatus Bononie qui sit bene fulcitus et sociatus saltim duobus sociis in loco predicto. Et habeat universam curam et custodiam dicti castri durante eius officio. Qui custos habere debet pro se et sociis quolibet mense et ad rationem mensis libras sexdecim bononinorum pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie. Et teneatur satisfacere coram provisoribus supradictis vel aliis officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus pro dicto comuni. Et dare ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie duomillia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsum castrum finito suo officio vel quodcumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum, habito signo et literis dominorum ancianorum ut supra, reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dictum castrum ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et eciam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solepniter. Et vadit ad unum breve.

[6.22 **Castri Bargatie.** cc. 123v-124r]

Item unus custos principalis castri Bargatie qui stet bene fulcitus et sociatus in loco predicto cum quinque sociis ultra personam suam. Et habeat universam curam et custodiam dicti castri durante eius officio. Qui custos habere debet pro se et sociis quolibet mense et ad rationem mensis libras viginti bononinorum pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie. Et teneatur satisfacere provisoribus supradictis et officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni. Et dare ydoneos fideiussores approbatos vel approbandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie tria millia florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsum castrum finito suo officio vel quodcumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum reddere et libere relapssare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eum assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dictum castrum ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi.//

[c. 124r f. CXIII^{or}]

Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter et vadit ad unum breve.

[6.23 **Chucherle Montisbellii.** c. 124r]

Item unus custos Chucherle Montisbellii qui tenere debet in dicta chucherla ultra personam suam tres socios armatos et non prohibitos ut supra et habeat universam curam dicte chucherle et custodiam eius. Et habere debet pro sua persona et pro dictis tribus sociis a comuni Bononie quolibet mense florenos duodecim cum dimidio. Et vadit

ad quatuor brevia. Et solvere debet cuilibet electori qui habuerit breve dicte chucherle duos florenos auri. Et fiat retemptio et executio prout aliis castelanis fieri debet secundum formam nostrorum statutorum. Et satisdet dictis provisoribus vel aliis officialibus ad hoc deputatis vel deputandis prout satisdant alii castelani de quantitate declaranda per ipsos provisos vel per officiales qui ipsam satisfactionem receperint.

[6.24 **Turris Predacolorie.** c. 124r]

Item unus custos principalis turre Predacolorie qui stet bene fulcitus et sociatus uno socio in loco predicto. Et habeat universam curam et custodiam dicte turre durante eius officio. Qui custos habere debet pro se et uno socio quolibet mense et ad rationem mensis florenos quinque auri pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie. Et teneatur satisdare officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni. Et dare ydoneos fideiussores aprobatos vel aprobandos per aprobatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie mille florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam turre finito suo officio vel quandocumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum reddere et libere relapsare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relaxari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta turre ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in prejudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solepniter. Et vadit ad unum breve.

[6.25 **Turris Rastelini.** cc. 124r-124v]

Item unus custos principalis turre Rastelini qui stet bene fulcitus et sociatus tribus sociis ultra personam suam in loco predicto. Et habeat universam curam et custodiam dicte turre durante eius officio. Qui custos habere debet pro se et suis sociis quolibet mense et ad rationem mensis florenos decem auri pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie. Et teneatur satisdare provisoribus suprascriptis vel officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni. Et dare ydoneos fideiussores aprobatos vel aprobandos per aprobatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie millequingentos florenos auri si neglexerit vel obmiserit ipsam turre finito suo officio vel quandocumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum reddere et libere relapsare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relaxari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta turre ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret//

[c. 124v]

vel ad aliquem alium contra vel in prejudicium status et libertatis dicti populi ac etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligando teneatur solepniter.

[6.26 **Turris de Chanuli.** c. 124v]

Item unus custos principalis turre de Chanuli comitatus Bononie qui stet bene fulcitus et sociatus eius sociis in loco predicto. Et habeat universam turre et custodiam dicte turre durante eius officio. Qui custos habere debeat et tenere pachas septem computata sua persona et pagha mortua et habere debeat pro se et sociis quolibet mense ad rationem mensis pro suo salario de pecunia et avere comunis Bononie florenos decemseptem et dimidium auri. Et teneatur satisdare officialibus comunis Bononie ad

hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni. Et dare ydoneos fideiussores approbatos vel aprobandos per approbatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie mille florenos auri si negleserit vel obmiserit ipsam turrim finito suo officio vel quandocumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel cui mandaverint ipsi domini anciani eam assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dicta turris ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter et vadit ad unum breve.

[6.27 **Castri Casi.** c. 124v]

Item unus castelanus Casi comitatus Bononie. Qui castelanus elligi debeat per capitaneum montanee et poni non debeat ad brevia qui habeat et habere debeat suo officio durante pagas sex computata sua persona et pagha mortua et habere debeat pro qualibet pagha florenos duos cum dimidio. Et habeat dictus castelanus universam curam et custodiam dicti castri durante eius officio. Et teneatur satisdare officialibus comunis Bononie ad hoc deputatis vel deputandis, stipulantibus et recipientibus pro dicto comuni. Et dare ydoneos fideiussores aprobatos vel aprobandos per aprobatores comunis Bononie de solvendo comuni Bononie mille florenos auri si negleserit vel obmiserit ipsum castrum finito suo officio vel quandocumque ad mandatum dominorum ancianorum comunis et populi Bononie vel maioris partis eorum reddere et libere relassare successori suo vel comuni predicto vel ei cui mandaverint ipsi domini anciani eum assignari vel relassari aut si eius vel sociorum eius culpa, negligentia vel defectu dictum castrum ad aliquem inimicum comunis Bononie et presentis status deveniret vel ad aliquem alium contra vel in preiudicium status et libertatis dicti populi. Et etiam ipse ad predicta omnia principaliter se obligare teneatur solempniter.

[6.28 **Turris Asinellorum.** c. 124v]

Item unus custos turis Asinellorum que est in civitate Bononie et vadit ad tria brevia. Et tenere debeat ultra personam suam quatuor socios. Et habere debeat a comuni Bononie pro sua persona et pro dictis quatuor sociis quindecim florenos auri quolibet mense. Et solvere debet cuilibet electori unum florenum auri. Et habeat universam curam et custodiam dicte turris et debeat facere signa et luminaria prout ei pro parte dominorum ancianorum vel pro parte provisorum fuerit sibi invinctum.

[7] **De capitaneis portarum civitatis et eorum officio et a quibus debeant abstinere et de ipsorum iuramento et satisdatione. Rubrica.** [cc. 124v-125v]

Insuper providemus et ordinamus, quod infrascripte porte civitatis Bononie custodiantur per comune Bononie et eius nomine et ad ipsas et ipsarum custodias transmitti debeant et esse et ire debito tempore capitanei portarum electi legiptime et scrupitatuati secundum formam nostrorum statutorum cum sociis//

[c. 125r f. CXV]

seu paghis infrascriptis et pro salariis infrascriptis, sub pena decem librarum bononinorum cuilibet ipsorum et pro quolibet eorum. Et quod quilibet capitaneus deputatus ad custodiam alicuius porte civitatis Bononie personaliter et per se ipsum teneatur stare et morari continue ad portam alicuius custodiam deputabitur donec finitum erit eius officium vel alius eius loco subrogabitur de mandato dominorum

ancianorum vel dominorum provisorum castrorum et rocharum comitatus Bononie sub dicta pena pro quolibet eorum et qualibet vice. Et quod quilibet ex famulis ipsius talis capitaneus similiter continue stare debeat ad custodiam ipsius porte et presentare personas forenses venientes ad civitatem predictam de extra comitatum Bononie officiali deputato super buletis, sub pena cuilibet famulo viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice in quolibet casuum predictorum. Et teneatur dicti capitanei et famulli bene, dilligenter et bona fide custodire ipsas portas quibus erunt deputati ad honorem et statum dicti comunis et populi. Et custodias de die et de nocte faciant prout eis fuerit iniunctum pro parte dictorum dominorum ancianorum, ac etiam se transmutare de una porta ad aliam si et prout et quando placuerit dictis ancianis vel provisoribus vel maiori parti eorum pro bono statu dicte civitatis. Et quod quocienscunque eis fuerit iniunctum pro parte dictorum dominorum, quod neminem permittant exire civitatem predictam vel quod neminem permittant intrare ipsam civitatem vel aliquid similiter teneatur totis viribus dilligenter et bona fide et legaliter id servare et servari facere et parere mandatis dictorum dominorum. Et abstineat ipsi capitanei et famuli eorum et quilibet ipsorum omni modo ab accipiendo vel auferendo ligna, fenum vel paleas de aliquo curru vel animali aut alicui persone aut aliquod lignum, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et teneantur dicti capitaneus et famuli mostras facere de se et eorum sociis tociens quociens fuerint requisiti pro parte dictorum dominorum vel pro parte alicuius officialis ad hoc deputati vel deputandi, sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet capitaneo et qualibet vice. Ac etiam teneantur se principaliter obligare et promittere officialibus ad hoc deputatis vel deputandis per comune Bononie antequam accedant ad custodiam alicuius porte et ydoneos fideiussores dare de florenis mille auri pro quolibet ipsorum capitaneorum solvendis comuni Bononie de bene et legaliter ac dilligenter custodiendo et salvando quamlibet portam cui preherit seu deputabitur seu deputabuntur cum omnibus et singulis munitionibus et rebus sibi assignatis vel asignandis ad honorem et statum comunis Bononie et presentis status et de restituendis ipsis portis seu fortificiis cum dictis rebus et munitionibus libere comuni Bononie vel habenti legiptime causam ab eodem comuni finito tempore sui officii. Et etiam ad voluntatem dictorum dominorum vel maioris partis eorum de qua legiptime constat. Et de predictis custodia et restitutione teneantur corporale sacramentum ipsi et quilibet eorum prestare tactis scripturis in manibus prioris dictorum dominorum ancianorum de quo constare debeat per scripturam cancelarii ipsorum vel alterius ex notariis dictorum dominorum. Et debeant esse armati quilibet ex balisteriis qui debet esse cum aliquo ex dictis capitaneis. In capite cerveleria vel bacinetum et in dorso unam panceriam vel coracinam et habere debeat unam propriam balistam bonam cum crocho bono et proprio et cum veretonibus. Ceteri vero socii debeant esse armati cerveleria barbata vel bacinetum et panceriis vel coracinis, lanceis, cultellis, ensibus et pavexiis.

Item statuimus, quod si culpa, defectu vel negligencia alicuius ex dictis capitaneis aliqua porta civitatis devenerit ad custodiam vel potestatem alterius quam comunis Bononie vel contra presentem statum popularem dicte civitatis//

[c. 125v]

ille talis cuius culpa, negligencia vel defectu hoc acciderit puniatur pena capitis et pena proditoris et rebellis comunis Bononie. Et similli pena teneatur ille qui non assignaverit ipsam portam cum suis fortificiis ad voluntatem dictorum dominorum seu maioris partis eorum ei cui voluerint vel mandaverint iuxta mandatum ipsorum dominorum de quo constet. Et nichilominus fideiussores talis capitanei non assignantis ut supra vel cuius culpa, defectu vel negligencia aliquid predictorum contingerit realiter

et personaliter compellantur ad solvendum de facto omnimodo dicto comuni mille florenos auri. Et teneatur quilibet eorum insolidum.

Habeat autem quilibet ex dictis capitaneis pro sua persona et suo salario, labore et stipendio salarium ordinatum pro quolibet mense et ad rationem mensis pro rata temporis quo serviverit. Et etiam habeat quilibet eorum pro salario et stipendio cuiuslibet eius socii salarium ordinatum pro quolibet mense et ad rationem mensis pro rata temporis quo serviverit. Que salaria debeant solvi ipsis capitaneis et cuilibet eorum pro se²¹⁶ sociis singulis mensibus pro rata temporis per depositarium comunis Bononie cum retentione cambii et gabelle habita tamen prius bulecta ab officialibus deputatis ad hec suprascripta et sigilata ut est consuetum.

[7.1] **Ad portam Sancti Felicis civitatis Bononie. Rubrica.** [c. 125v]

Capitaneus ad portam Sancti Felicis in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio et teneat continue dicto tempore ad dictam portam et eius custodiam ultra personam suam octo socios homines bonos armigeros et armatos ut supra, quorum quatuor ad minus sint balistarii. Et habeat dictus capitaneus pro persona sua et pro dictis octo sociis a comuni Bononie quolibet mense vigintiquinque florenos auri. Et teneatur dictus capitaneus ad supradicta et vadat ad quatuor brevia et teneatur solvere cuilibet ellectori et sociis qui habuerit breve capitanearie talis porte tres florenos auri pro quolibet ipsorum et eidem capitaneo retineri debeant per depositarium comunis Bononie de pagha primi mensis officii dicti capitanei et solvere debeat ipse depositarius de dicto primo mense de paghis dicti capitanei dictam quantitatem²¹⁷ trium florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractone.

[7.2] **Ad portam Lamarum civitatis Bononie. Rubrica.** [c. 125v]

Capitaneus ad portam Lamarum in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio et teneat continue dicto tempore ultra personam suam ad dictam portam et eius custodiam sex socios homines bonos armigeros et armatos ut supra, quorum tres ad minus sint balistarii. Et habere debeat pro persona sua et dictis sex sociis a comuni Bononie quolibet mense viginti florenos auri. Et teneatur dictus capitaneus ad predicta et vadat ad quatuor brevia. Et solvere debeat cuilibet qui habuerit breve capitanearie talis porte tres florenos auri pro quolibet ipsorum et tantum eidem capitaneo retineri debeat per dictum depositarium de paghis primi mensis officii dicti capitanei et solvere ipse depositarius de dicto primo mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem trium florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractone.

[7.3] **Ad portam Galerie. Rubrica.** [cc. 125v-126r]

Capitaneus ad portam Galerie in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio et teneat continue dicto tempore ultra personam suam ad dictam portam et eius custodiam octo socios homines bonos armigeros et armatos ut supra, quorum quatuor ad minus sint balistarii. Et teneatur//

[c. 126r f. CXVI]

dictus capitaneus ad supradicta. Et habere debeat ipse capitaneus pro persona sua et predictis octo sociis a comuni Bononie quolibet mense vigintiquinque florenos auri et

²¹⁶ <se> segue spazio bianco corrispondente a circa 4 lettere.

²¹⁷ <quantitatem> nel testo quantatem.

debeat solvere cuilibet eorum qui breve habuerint capitinarie talis porte tres florenos auri pro quolibet ipsorum et tantum eidem capitaneo retineri debeat per depositarium de paghis primi mensis officii dicti capitanei et solvere ipse depositarius de dicto primo mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem trium florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractioe et vadit ad quatuor brevia.

[7.4] **Ad portam Sancti Donati. Rubrica.** [c. 126r]

Capitaneus ad portam Sancti Donati in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio et teneat continue ultra personam suam dicto tempore ad dictam portam et eius custodiam sex socios homines bonos armigeros et armatos ut supra quorum tres ad minus sint balistarii. Et habeat dictus capitaneus pro persona sua et pro dictis sex sociis a comuni Bononie quolibet mense viginti florenos auri et teneatur dictus capitaneus ad supradicta et solvere cuilibet ex sociis qui breve habuerit capitinarie talis parte duos florenos auri pro qualibet ipsorum et tantum eidem capitaneo retineri debeat per depositarium de paghis primi mensis officii dicti capitanei et solvere ipse depositarius de primo mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem duorum florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractioe et vadit ad quatuor brevia.

[7.5] **Ad portam Sancti Vitalis. Rubrica.** [c. 126r]

Capitaneus ad portam Sancti Vitalis in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio. Et teneat continue dicto tempore ad dictam portam et eius custodiam ultra personam suam sex socios homines bonos armigeros et armatos ut supra quorum tres ad minus sint balistarii. Et habeat dictus capitaneus pro persona sua et pro dictis sex sociis a comuni Bononie quolibet mense viginti florenos auri. Et teneatur dictus capitaneus ad supradicta et solvere cuilibet ex illis qui breve habuerit capitinarie talis porte duos florenos auri pro quolibet ipsorum. Et tantum eidem capitaneo retineri debeat per depositarium de paghis primi mensis officii dicti capitanei et solvere ipse depositarius de dicto primo mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem duorum florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractioe. Et vadit ad brevia quatuor.

[7.6] **Ad portam Strate Maioris. Rubrica.** [c. 126r]

Capitaneus ad portam Strate Maioris²¹⁸ in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio et teneat continue dicto tempore ad dictam portam et eius custodiam octo socios homines bonos armigeros et armatos ut supra ultra personam suam. Quorum quatuor ad minus sint balistarii. Et dictus capitaneus pro sua persona et dictis octo sociis a comuni Bononie quolibet mense florenos vigintiquinque auri. Et teneatur dictus capitaneus ad supradicta et solvere cuilibet ex illis qui habuerit breve capitinarie talis porte tres florenos auri pro quolibet ipsorum. Et tantum eidem capitaneo retineri debeat per depositarium de paghis primi mensis officii dicti capitanei. Et solvere debeat ipse depositarius de dicto primo mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem trium florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractioe. Et vadit ad quatuor brevia.

²¹⁸ <Maioris> *nel testo* Maglioris.

[7.7 **Ad portam strate Castilionis.** c. 126r]

Item unius capitaneus porte strate Castilionis qui per omnia faciat, habeat et observet prout habet et observare tenetur et debet infrascriptus capitaneus porte Sancti Mame.// [c. 126v]

[7.8] **Ad portam strate Sancti Stephani. Rubrica.** [c. 126v]

Capitaneus ad portam strate Sancti Stephani in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio. Et teneat continue dicto tempore ad dictam portam et eius custodiam octo socios ultra personam suam homines bonos armigeros et armatos ut supra quorum quatuor ad minus sint balistarii. Et teneatur dictus capitaneus ad supradicta. Et habeat a comuni Bononie pro persona sua et dictis octo sociis quolibet mense viginti quinque florenos auri. Et solvat cuilibet ex illis qui breve habuerit capitanearie talis porte tres florenos auri pro quolibet ipsorum. Et tantundem eidem capitaneo retineri debeat per depositarium de paghis primi mensis officii dicti capitanei et solvere debeat ipse depositarius de dicto mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem trium florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractioe et vadit ad quatuor brevia.

[7.9] **Ad portam Sancti Mame. Rubrica.** [c. 126v]

Capitaneus ad portam Sancti Mame in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio. Et teneat continue ultra personam suam dicto tempore ad dictam portam et eius custodiam sex socios homines bonos armigeros armatos ut supra, quorum tres ad minus sint balistarii. Et dictus capitaneus habeat a comuni Bononie quolibet mense pro sua persona et dictis sex sociis florenos viginti auri. Et teneatur dictus capitaneus talis ad supradicta. Et solvere cuilibet ex illis qui breve habuerit capitanearie talis porte tres florenos auri pro quolibet ipsorum. Et tantum eidem capitaneo retineri debeat per depositarium de paghis primi mensis officii dicti capitanei. Et solvere teneatur ipse depositarius de dicto primo mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem trium florenorum auri cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractioe et vadit ad quatuor brevia.

[7.10] **Ad portam Peradelli.** [c. 126v]

Capitaneus ad portam Peradelli in civitate Bononie qui stet continue ad dictam portam durante suo officio. Et teneat continue ultra personam suam dicto tempore ad dictam portam et eius custodiam sex socios homines bonos armigeros et armatos ut supra quorum tres ad minus sint balistarii. Et habeat dictus capitaneus pro persona sua et pro dictis sex sociis a comuni Bononie quolibet mense viginti florenos auri. Et teneatur dictus capitaneus ad supradicta et solvere cuilibet ex illis qui habuerit breve capitanearie talis porte tres florenos auri pro quolibet ipsorum. Et tantum eidem capitaneo retineri debeat per depositarium de paghis primi mensis dicti officii capitanei. Et teneatur solvere ipse depositarius de dicto primo mense expensas et de paghis dicti capitanei dictam quantitatem trium florenorum cuilibet qui dictum breve habuerit libere et sine ulla detractioe et vadit ad brevia quatuor.

Insuper volumus, quod omnia et singula statuta et ordinata et castelanis, vicariis vel capitaneis habeant locum sive cives Bononie sive comitatini sive forenses ad predicta officia vel aliquod vel aliqua predictorum sint vel fuerunt aut erunt electi aut exercuerint predicta officia vel aliquid predictorum.// [c. 127r f. CXVII]

[8] **De officio et salario potestatum de sacho. Rubrica.** [cc. 127r-127v]

Statuimus, quod omnes et singuli pro anno presenti electi vel de cetero eligendi in consilio quatuormilium in potestates de sacho alicuius terre vel terrarum comitatus vel districtus Bononie habeant et habere debeant pro suo feudo et salario a quolibet qui in ipsa terra seu terris quarum elligetur potestas onera realia subire teneretur tempore sue electionis medium corbem furmenti si ipse talis habeat boves vel vaccas cum quibus laboraret et a quolibet alio qui non haberet boves vel vaccas predictas unam quartarolam furmenti inter omnes ipsos potestates quotcumque fuerint in una terra vel terris pluribus simul coniunctis in eadem potestaria et inter eos equaliter dividendo. Et insuper a comunibus terrarum sue potestaria fenum, herbam, hospicium, lectos et paleam opportunam quando accederent ad dicta potestarias pro dicto officio exercendo seu salario exigendo. Qua quantitate furmenti quilibet comunitas ipsarum terrarum et earum massarii et syndici teneantur et debeant per totum mensem augusti vel septembris omnibus suis expensis et sumptibus colligere seu aliter invenire, aportare seu apportari facere ad domum habitationis ipsius potestatis seu potestatum, sub pena quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet comuni massario et sindico eiusdem summarie et de plano ipso facto per vicarium domini potestatis auferenda ad petitionem cuiuslibet potestatis cui non esset facta solutio de quantitibus furmenti. Possint tamen dicta comunia a suis sudditis predictis dictu salarium exigere ad dicta ratione et se de eo quod solverent pro dicto salario conservare indemniam. Salvo, quod si predicti ad ipsa onera obligati non essent habitatores illius terre de qua ageretur tunc illius comunis massarius, syndicus vel alie singulares persone pro predictis non valeant aggravari, sed contra ipsos non habitatores ius dictis potestatibus reservetur propter ipsos contingente ad quod salarium teneantur ubicumque habitent et ad hoc compellantur ut supra. Adicientes et declarantes, quod si plures fuerint in eadem familia seu sub uno tantum simul habitantes pro uno tantum habeantur et sint et idem intelligantur si unus vel plures simul habitantes ut supra plures boves vel vaccas habuerint ut ad unam tamen solutionem teneantur. Et quod femine vel minores quatuordecim annorum vel pauperes mendicantes septuagenarii vel alii cum bobus vel zappa laborare impediti ad talem solutionem non teneantur nisi tales femine vel minores septuagenarii impediti ut supra boves et vaccas haberent cum quibus facerent laborari quo casu teneantur ut supra et laboratores ipsorum pro eis vel zappa non teneantur in²¹⁹ hiis omnibus tempus dicte electionis inspiciatur aut solutionis²²⁰ fiende prout elligerint ipsi potestates de quibus ageretur. Ubi tamen per totum mensem septembris predicti homines seu comunia terrarum integre ne²²¹ satisfecerint dictis suis potestatibus de sacho teneatur dominus potestas Bononie et quilibet ex suis iudicibus et quilibet alius officialis comunis Bononie realiter et personaliter cogere et capere et capi et detineri facere singulares personas hominum terrarum sue potestarie pro parte terre contingente de qua fuerit ipse captus ad petitionem cuiuslibet sui potestatis et eos detrudi facere in carceribus comunis Bononie de quibus non relasentur donec fuerit satisfactum dicto potestati. Et ipso capto solvente teneantur dicti officiales realiter et personaliter alios homines dicte terre compellere ad satisfaciendum dicto solventi. Et pro sedacione litium que ut plurimum vertuntur inter ipsos potestates de sacho et massarios et homines dictarum villarum dictarum potestariarum pro salario dicte potestarie volumus et mandamus, quod ad petitionem cuiuslibet ex dictis potestatibus teneantur massarii terrarum de quibus quis esset potestas de sacho²²² tempore solutionis dicti salarii vel ante ad omnem voluntatem et

²¹⁹ <in> in *infralinea con segno di inserzione*.

²²⁰ <solutionis> *dittografato e depennato*.

²²¹ <ne> in *infralinea con segno di inserzione*.

²²² <sacho> *segue teneantur depennato*.

requisitionem dicti potestatis infra mensem a die requisicionis dare in scriptis dicto potestati omnes et singulos fumantes terrarum suarum qui tenent boves et vaccas quas// [c. 127v]

dicti fumantes, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet tali fumante que in scriptis sic dare obmiserint, cuius pene medietas sit potestatis de sacco predicti et alia sic comunis eisdem de facto auferenda per quemlibet ex iudicibus domini potestatis Bononie qui super predictis fuerit aditus.

[9] De iurisdictione officialium et notariorum ad officium stratarum, pontium et aquarum. Rubrica. [cc. 127v-128v]

Ordinamus, quod officiales cives deputati ad officium stratarum, pontium et aquarum possint et teneantur continue stare ad eorum officium exercendum cum socio seu milite domini potestatis ad ipsum officium deputato in loco quo sedebit ipse miles et simul cum eo possint et debeant quecumque²²³ ad dictum officium pertinencia expedire et executioni mandare et mandari facere secundum formam nostrorum statutorum. Et ipsorum et dicti militis sit unum et idem officium in premissis et habeant simul eandem iurisdictionem potestatem, arbitrium et bailiam in inquirendo, cognoscendo, procedendo, terminando et executioni mandando. Ita tamen, quod duorum ex eis sufficiat autoritas de quibus duobus dictus miles sit semper unus et esse debeat. Nec possint dicti officiales vel alter eorum ire per comitatum pro expedicione predictorum sine expressa licentia dicti militis. Nec ipse miles nisi cum eis vel saltem altero ex eis et cum uno ex notariis dicti officii si ad talem expedicionem necessariam videretur. Nec possit dictus miles et dicti officiales ac notarii vel alter ipsorum ipsis andatis quas facerent extra civitatem Bononie seu burgos in guardiam, comitatum vel districtum aliquid pettere, exigere seu recipere ab aliqua singulari persona vel universitate seu comunitate etiam a sponte dare volente, sub pena quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet contrafaciente comuni Bononie applicanda pro dimidia et denunciatori pro alia dimidia. De quibus an receperit vel non et de quantitate stetur dicto denunciatori cum sacramento eius qui dedisse vel tradidisse eis vel alteri eorum diceretur non obstante in predictis aliqua consuetudine que diceretur fuisse²²⁴ in contrarium. Quibus officialibus teneantur massarii terrarum comitatus Bononie denunciare omnes et singulos calanchos, malos passus et pontesellos destructos et discursoria repleta qui et que essent in eorum curiis singulis sex mensibus videlicet de mense ianuarii et de mense iulii cuiuslibet anni, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet predictorum obmisso, pro qua denuntiatione non liceat notariis dictorum officialium ultra duodecim denarios accipere. Et liceat cuilibet talem massarium negligentem et obmittentem predicta denunciare et habeat medietatem condemnationis de eo facte. Qui officiales teneantur et debeant facta eisdem denuntiatione, predicta mandare dictis massariis, quod infra certum terminum arbitrio dictorum officialium assignandum debeant dicto calanchos, malos passus, pontesellos et discursoria aquarum aptare et reparare si ad comune illius terre spectet reparatio predicta aliarum mandare personis principalibus ad quas spectaret dicta reparatio quod ea debeant reparasse et aptasse infra terminum eisdem assignandum ut supra. Quibus terminis ellapssis dicti officiales teneantur accedere ad terras et loca in quibus essent dicti calanchi, malpassus, ponteselli et discursoria repleta ut supra ad petitionem cuiuscumque petentis espensis tamen eorum ad quos spectaret reparatio seu aptacio predicta, si non reperiantur reparata aliter si reparata reperiantur expensis hoc petentis eo vero casu quo dicti officiales accesserint ad dicta laboreria videnda

²²³ <quecumque> *corregge il compendio di quandocumque.*

²²⁴ <fuisse> *segue in dittografato e depennato.*

reparanda seu fieri facienda ut supra tam vigore eorum officii in casibus eis permissis quam vigore denuntiationis eisdem fiende ut supra illa tallia laboreria reparare et fieri facere teneantur ut supra expensis illorum qui ad dicta//

[c. 128r f. CXVIII]

laboreria tenentur ut supra aliter si non fecerint vel fieri fecerint supradicta et solucionem seu salarium aliquod receperint occasione predicta illa et illud restituere teneantur. Et nichilominus penam incidat decem librarum bononinorum pro quolibet eorum et qualibet vice et quilibet possit eos accusare et denunciare et habeat medietatem condepnationis et quod in quolibet predictorum casuum ubi et eo casu quo salarium percipere debeant recipere teneantur salarium inferius tassatum et nichil aliud. Si tamen contingeret aliquas comunitates vel singulares personas pettere quod ipse miles vel socii vadant personaliter cum suis notariis vel sine ad videndum, examinandum, inquirendum vel fieri faciendum aliqua que ad ipsorum officium pertinerent monicionibus et terminis supradictis non precedentibus tunc possint ire expensis petentis tantum seu petentium tantum et aliter ire non teneantur et eo casu pro predictis expensis impune possint dicti cives recipere quindecim solidos bononinorum tantum pro quolibet eorum et quolibet die ab eo ad cuius petitionem iverint. Ita tamen quod semper ipse miles vel unus ex officialibus et unus ex notariis remaneant in civitate ad ius reddendum et alia faciendum que pro dicto²²⁵ officio in civitate debuerint expediri. Nec possint aliqui qui iverint stare in eodem loco stando vel redeundo ultra quatuor dies pro ea causa pro qua ipsorum andata petteretur. Et habeant et habere debeant quilibet ipsorum dominorum pro suo salario a comuni Bononie pro eo toto tempore mensium salarium a comuni Bononie ordinatum. Et si quis voluerit conqueri quod per predictos officiales vel aliquem eorum sibi in aliquo fiat tortum vel iniusticia possit libere habere recursum ad vicarium domini potestatis. Qui vicarius summarie et sine figura iudicii celeriter predicta expediat et inhibere teneatur dictis officialibus quod interim donec ipse vicarius expedierit predicta non audeant directe vel indirecte illum talem conquerentem molestare realiter vel personaliter et stetur declarationi et pronuntiationi ipsius domini vicarii et quicquid factum fuerit per predictos officiales in causa vel facto qua vel quo habitus fuerit recursus ad dictum vicarium ex die dicti recursus in antea non valeat ipso iure nisi si et prout declaratum fuerit ipsum vicarium. Notarii vero dicti officii qui sint et esse debeant duo tantum et cives civitatis Bononie teneantur esse continue et stare cum dicto milite et dictis officialibus in civitate et extra ad eorum officium operandum et pro quibuscumque que ad expeditionem officii pertinerent et scribere omnes et singulas inquisitiones processus, citationes et acta et ceteras scripturas que et qui per ipsos militem et officiales vel duos ex eis pro expeditione dicti officii videbuntur seu que fiende occurrerit in predictis circa predicta vel predictorum occasione de quibus moderatas soluciones recipiant et statutorum terminos non excedant et cuilibet quandocumque petenti copiam de dictis actis, processibus et scripturis teneantur illam dare et dari facere ipsi officiales et notarii recepta vel deposita competentem solutione infra terminum competentem, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet officiali obmittente et contrafaciente et pro qualibet vice dum tamen de aliquibus securitatibus quas recipere vel de aliquibus sentenciis interlocutoriis vel diffinitivis vel pro condemnationibus vel absolucionibus quas fecerint quantum est pro ipsis ferendis, scribendis seu pronuntiandis nichil possint percipere vel habere et acta processus et scripturas in libris ordinatis saltem de papiro scribant et redigant et de eis copiam faciant cuicumque et quandocumque postulata fuerit. Quos libros per ordinem infra mensem finito eorum officio ad camera actorum populi designare teneantur ipsi notarii, sub pena

²²⁵ <dicto> *corregge* predicto.

viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet. Et a cunctis illicitis et prohibitis debeant ipsi officiales et notarii totaliter abstinere. Et//
[c. 128v]

habeant et habere debeant quilibet eorum pro suo salario pro toto tempore sex mensium salarium ordinatum a comuni Bononie et lucrum quo ad eos vel alterum eorum pervenerit tam ex parte dominorum quam ex parte notariorum et occasione dicti officii inter se cives ad invicem equis portionibus sorciantur et in dictis casis procedatur prout continetur in statuto nostro posito sub rubrica ‘De generali dispositione laboreriorum’ [VII, 89] salvis semper suprascriptis. Adicientes, quod massarii terrarum comitatus Bononie teneantur denunciare dictis officialibus pontes²²⁶ destructos et calanchos et vias destructas et ripas alicuius fluminis que fuerint in eorum villis et territoriis, sub pena quinque librarum bononinorum infra mensem a die cride fiende propter dictorum officialium infra quindecim dies a die inicii sui officii. Qui officiales et notarii finito eorum officio vacare a²²⁷ dicto officio debeant per spatium²²⁸ duorum annorum et cum eis vel aliquo eorum modo aliquo dispensari non possit in contrarium. Adicientes, quod, dicto tempore finito, dicti officiales vel aliqui eorum non possint se deptinentibus ad dictum officium directe vel indirecte intromittere, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice.

[10] De officio eius qui levare debet portam de Fiachalchollo et deponere. Rubrica. [c. 128v]

Providemus et mandamus, quod officiales qui pro tempore fuerint electi ad levandum et callandum portam canalisi Reni de Fiachalcollo teneantur et debeant singulis diebus et horis quibus utile videbitur aut sibi mandabitur per officiales qui pro tempore fuerint ad officium molendinorum vel supra molendinarios et victurales et circa hoc diligentem curam et sollicitudinem habere et omnem defectum qui esset et videretur esse circa dictam portam et edificium dicte porte dictis dominis significare et referre et omnia alia facere et super eis operam dare que pro dicto officio exercendo utilia esse comuni Bononie cognoverit.

[11] De officiali qui intendere debet saguatoriis et canali in terra Casalichi et eius officio. Rubrica. [c. 128v]

Ordinamus, quod officialis qui pro tempore electus fuerit ad dandum et tolendum aqua canalisi Reni in terra Casalichi teneatur et debeat singulis diebus et horis quibus utile videbitur aut sibi videbitur aut sibi mandabitur per dominos defensores averis aut per officiales deputatos officio molendinorum et circa hoc diligentem curam et sollicitudinem habere et omnem defectum qui esset vel esse aut imminere videretur circa dictum canale et saiguatoria dicti canalisi constructa in terra Casalichi dictis dominis significare et referre et omnia alia facere et super his operam dare que predicto officio exercendo comuni Bononie utile cognoverit.

[12] De iurisdictione officialium deputatorum supra eos qui prestant seu locant roncenos vel equos ad victuram et suorum notariorum. Rubrica. [cc. 128v-129r]

Providemus et mandamus, quod omnes et singuli volentes prestare seu locare equos vel roncenos ad victuram singulis sex mensibus de mense ianuarii et iulii teneantur et

²²⁶ <pontes> segue flumis depennato.

²²⁷ <a> in infralinea con segno di inserzione.

²²⁸ <debeant per spatium> su rasura.

debeant comparere coram officialibus deputatis supra illos electos in consilio quatuormilium qui prestant seu locant roncenos vel equas aut mullos ad victuram et coram eis se scribi facere et dare in scriptis omnes et²²⁹ singulos²³⁰ equos et roncenos quos intendunt prestare seu locare ad victuram in civitatem Bononie et²³¹ cum eorum insignis et coram eis prestare idoneam securitatem de vigintiquinque libris bononinorum de non prestando seu locando ad victuram aliquem equum vel roncenum vel equam seu mullum assignatum et descriptum ad stipendium comunis Bononie vel quem non dedisset in scriptis ut supra et de non accipiendo pro ipsa victura maiorem mercedem seu salarium quam sit tassatum//

[c. 129r f. CXVIII^{or}]

seu ordinatum ex forma statuti comunis Bononie positi sub rubrica ‘De locantibus equos ad victuras’ [VI, 64] et de stando et parendo mandatis ipsorum officialium in licitis et honestis et in quantum spectarent ad eorum officium. Si tamen postea velent ipsos roncenos mutare permutandos in scriptis dando vel alios de novo in scriptis dare hoc facere possint quomodocumque etiam ellapssis terminis supradictis ante tamen quam in scriptis dent vel permutent non possint alios quos in scriptis non dederint ad victuram dare pro se vel alium. Nullus vero nisi comparuerit et satisdederit et predicta observaverit ut possit vel debeat locare ad victuram aliquem equum vel roncenum vel equa seu aliquem mullum, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Qui officiales possint, teneantur et debeant sollicite inquirere de omnibus et singulis predictis locantibus equos seu roncenos adiucturam et facientibus contra formam presentis statuti et illos denunciare domino potestati civitatis Bononie vel domino capitaneo populi Bononie. Qui dominus potestas vel dominus capitaneus tale denuntiatum repertum culpabilem infra octo dies cassari facere teneantur a stipendio si quod haberet et nichilominus perdat pagam unius mensis et ultra condempnet eum in decem libris bononinorum de qua condemnatione ipsi officiales habeant et habere debeant quartam partem et ipse dominus potestas et dominus capitaneus ex suo officio ad denuntiationem cuiuslibet contra tales procedere teneatur et repertos culpabiles condemnare in penis predictis et in quolibet casu denunciator habeat quartam partem dicte condemnationis decem librarum bononinorum. Teneantur etiam dicti officiales denunciare domino potestati vel capitaneo omnes et singulos delinquentes in aliquo casuum predictorum. Qui dominus potestas et dominus capitaneus modo predicto eos repertos culpabiles in penis ordinatis condemnare teneatur et debeat, possit etiam dicti officiales inquirere omnibus et singulis locantibus aliquos equos vel roncenos qui coram eis non comparuerint et satisdederint forma predicta et repertos culpabiles denunciare domino potestati vel domino capitaneo ut supra. Qui dominus potestas et capitaneus possint, teneantur et debeant ipsos punire ut supra et cogant nichilominus ipsos ad restitutionem acceptorum pro aliqua victura contra formam statutorum comunis Bononie sumarie, de facto, sine strepitu et figura iudicii et omni iuris et statutorum solemnitate obmissa facta ei fide per sacramentum conductoris cum dicto unius testis usque ad quantitatem viginti solidos bononinorum. Notarii vero ad dictum officium deputati electi in dicto consilio teneantur et debeant scribere securitates receptas et omnes et singulas scripturas et acta que in predictis et circa predicta seu occasione dicti officii fieri occurrerint vel occurrentia et una cum dictis officialibus se congregare saltem bis in edomoda scilicet die lune et die veneris ad discum domini corectoris positum in palacio iuridico comunis Bononie pro dicto officio exercendo. Possint quoque dicti officiales et notarii pro eorum salario percipere a quolibet tali locantem

²²⁹ <et> *in infralinea*.

²³⁰ <singulos> *corregge* esingulos.

²³¹ <et> *in infralinea con segno di inserzione*.

aliquem equum vel roncenum et²³² pro quolibet tali equo et ronceno tempore talis satisfacionis coram eis fiende sex solidos bononinorum et nichil ultra etiam a sponte dare volentibus, possint percipere vel habere preter quam de scripturis et actis predictis occasione dicti officii fieri occurrentibus pro quibus moderatas soluciones recipiant. Lucrum vero quodcumque quod exinde obvenerit tam pro scripturis et actis quam alia ratione dicti officiales et notarii inter se equaliter dividere teneantur et securitates predictas ad cameram actorum infra mensem a die sui finiti officii omni modo in cartis membranarum ponere teneantur, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice.

[13] **De officio et iurisdicione iudicis et procuratoris iurium comunis Bononie.**

Rubrica. [cc. 129-130v]

Statuimus, quod ad officium iudicis iurium comunis Bononie et procuratoris comunis Bononie//

[c. 129v]

singulis annis elligatur in consilio quatuormillium comunis Bononie unus iurisperitus qui saltem quinque annis studuerit et intraverit scolas iuris civilis, qui sit expertus et civis Bononie origine paterna et avita vel saltem duabus ex eis pro primis sex mensibus et unus pro secundis sex mensibus et unus expertus notarius, qui sit socius et miles dicti iudicis ad dictum officium pro primis sex mensibus et unus pro secundis sex mensibus quorum quilibet sit etatis ad minus treginta annorum pro quolibet qui miles sit et esse intelligatur procurator comunis Bononie quo ad contenta in presenti statuto et possint et teneantur bona fide et toto posse procurare negocia ipsius comunis ad comodum et utilitatem comunis et hominum civitatis predictae et districtus eiusdem et si de rebus aliquibus dicti comunis sciverint penes aliquem vel aliquos esse vel ab aliquo occupari vel occupata teneri teneantur revelare vel pandere dominis ancianis comunis Bononie et dominis defensoribus averis ac domino capitaneo populi Bononie vel domino potestati Bononie vel eius vicario et iudici ad discum Ursi vel alteri ad quem iurisdicatio de predictis pertineret et sollicitare teneantur ipsos quod ipsas res et bona receperent et in comuni Bononie venire faciant remotis odio, amore, timore, pecunia et precio et per illum officialem negocium expediri debeat qui per citationem alios pervenerit et teneantur publicam comunis Bononie tam in civitate quam extra defendere et sollicitare quod ipsa recuperentur, ita quod in comune Bononie deveniat et videre terminos platee comunis Bononie et trivii porte Ravenatis appositos pro comuni Bononie singulis duobus mensibus et si remotos aliquos invenerint reponi faciant ipsum remotum vel alium loco sui, ita quod clari semper remaneant dicti termini circumcirca plateam et trivium porte Ravenatis et habeant liberum arbitrium circa dictos terminos inveniendos et reponendos. Preterea teneantur procurare, quod quocienscumque per comune Bononie eis scientibus fieret aliqua vendicio, locatio, obligatio seu contractus aliquis cum aliqua persona, collegio et universitate quod fiet et fieri debeat in Consilio Octingentorum comunis Bononie vel in consilio quadringentorum comunis et populi Bononie et quod fiat ad utilitatem et comodum ipsius comunis Bononie et quod antequam compleatur ipsa obligatio seu contractus sit scriptus vel scripta et dictatus et dictata de consilio duorum vel quatuor iuris peritorum civium Bononie elligendorum per dominos antianos predictos vel defensores averis prout facti qualitas postularet nisi aliter provisum reperiretur. Item teneantur in omnibus et singulis causis que verterentur contra comune Bononie vel viderentur redundare in preiudicium ipsius comunis Bononie in aliquo coram quocumque officiali se opponere et defendere iura comunis

²³² <et> in infralinea con segno di inserzione.

predicti pro posse. Item debeant facere et curare pro posse quod vie publice tam civitatis quam extra in comitatu seu districtu sint terminate, que terminate non sint et quod sint eius latitudinis cuius esse consueverint. Et si quas ocupatas invenerint in totum vel pro parte in pristinum statum facere reduci teneantur. Et quicquid super predictis viis invenerint edificatum illicite vel appositum toli facere et teneantur dare eciam opera quod pontes civitatis, comitatus et districtus Bononie destructi refoventur et aptentur et quod ipsi manuteneantur. Et si quo tempore devastarentur quod quam citius fieri poterit reapentur. Et credencias eis impositas tenere ac dare operam quod dominus potestas Bononie et dominus capitaneus populi et familia eorum et cuiuslibet eorum et alii officiales comunis Bononie observent omnia que in eorum continentur sacramentis, et statuta et ordinamenta comunis Bononie. Et teneantur talibus officialibus protestationes facere prout crediderint expedire. Item providemus, quod predicti iudices et procuratores et quilibet eorum et vicarius domini potestatis vel aliquis ex suis iudicibus debeant diligenter examinare omnes et singulas ellectas et omnes et singulas ellectiones et nominationes quorumcumque officialium//

[c. 130r f. CXX]

factas vel fiendas tempore eorum officii vel eo anno quo ad ipsum ellecti fuerint. Et si quas ellectiones et nominationes factas fore invenerint contra formam iuris et statutorum comunis Bononie ratione modi seu forme vel ratione persone ellecte vel elligentis seu quamvis ratione vel causa illam ellectionem cassare et irritare possint. Et officium in ipsa ellectione contentum de novo mittere ad brevia vel ipsam ellectionem de novo fieri facere debeant secundum quod iuris et nostrorum statutorum forme requirunt. Et si quem errorem circa ipsas ellectiones vel scripturam de ipsis factam invenerint illum libere et impune corrigere et emendare et corrigi facere possint. Que omnia facere et expedire debeant infra tempus ordinatum in statuto posito sub rubrica 'De modo et forma elligendi officiales et cetera' [3]. Et super his omnibus et singulis procedere et pronuntiare debeant sumarie et de plano etiam nostrorum statutorum et iuris solenitate non servata. Qui iudex et procurator et quilibet eorum una cum suis notariis se debeant congruis temporibus congregare in palatio veteri iuridico comunis Bononie ad discum Ellefantis pro eorum officio exercendo, sub pena decem solidorum bononinorum pro quolibet negligente. Insuper volentes, quod officiales predicti sint et esse debeant executores super procurandis et solicitandis observantiis incumbentibus notariis et officialibus civibus tam in eorum et pro eorum officiis quam extra secundum formam nostrorum statutorum. Qui executores teneant et debeant intendere et curare studiis oportunis, quod notarii deputati et qui per tempora deputabuntur et elligentur ad officium memorialium instrumentorum contractuum et ultimarum voluntatum ad officium camere actorum, ad officium provisorum et ad officium notariatus dominorum ancianorum et ad officia civilia palatii comunis Bononie et quilibet eorum et alii omnes et singuli notarii Bononie faciant, servent et adimpleant quecumque eos tangentia in ministerio et circa ministerium notariatus et sui officii ex forma dictorum statutorum et quod ipsis notarii et officiales cives pro temporibus quibus eorum officia durare debuerint et etiam ipsis finitis servent et adimpleant omnia ad que ipsorum occasione tenentur et tenebuntur et quod ab illicitis et inhonestis de debeant abstinere²³³. Et possint et debeant dictus iudex et procurator et quilibet eorum ipsos notarios et quenlibet eorum durantibus et etiam finitis eorum officiis compellere et compelli facere quibuscumque moris et remediis ut faciant omnia et singula eis incumbentia in predictis et pro predictis faciendis et adimplendis et quod possint de ipsorum et cuiuslibet eorum defectibus et obmissionibus inquiri facere prout videbitur ipsis executoribus predictis et contra eos

²³³ <abstinere> segue et depennato.

procedi facere et quoscumque ex eis inobedientes sibi aut omitentes et recusantes facere incombentia puniri et condemnari facere secundum formam nostrorum statutorum. Item cogere possint et teneantur quoscumque notarios qui confecerint et qui de cetero confacienti seu rogati fuerint vel quos rogari contingerit conficere aliqua instrumenta vel scripturas publicas provisiones et reformationes ad exhibendum notas ipsorum instrumentorum provisionum et reformationum tam factas quam faciendas notariis qui habent et habebunt ipsas in memorialibus registrare et dictas provisiones et reformationes ad cameram actorum moris et temporibus ordinatis deponendum nec non quoscumque qui habent et habebunt rogationes et protocolla quorumcumque notariorum mortuorum impeditorum vel absencium que in memorialibus registrari deberent. Eisdem vero iudici et procuratori et cuilibet eorum obedire teneantur in omnibus et pro omnibus et singulis supradictis quicumque ex dictis notariis et officialibus, sub penis ordinatis in statutis predictis et statutis deficientibus condemnare possint usque ad quantitatem vigintiquinque librarum bononinorum. Mandantes etiam, quod dictus socius et notarius qui est vel esse debet procurator comunis Bononie teneatur comparare et se presentare coram quibuscumque sindicis cuiuscumque forensis et assistere ipsi sindicatui//

[c. 130v]

et porrigere petitionem suam nomine comunis Bononie specialiter vel generaliter infra terminum porrigendarum petitionum de commissis vel negletis per officialem sindicandum si quid eum²³⁴ sciverint comisisse vel in aliquo specialiter delinquisse et super ea possit et teneatur probationes si quas habuerit inducere infra terminum probationum fiendarum et si petitionem nullam produxerit quia non viderit expedire possit producere probationes ipsas super inquisitione generali et teneatur eisdem assistere et adiuuare officium ipsorum sindicorum toto suo posse. Qua quidem petitione et quanlibet aliam quam producere voluerit nomine comunis omnino prosequi teneatur sollicite, dilligenter et bona fide usque ad sententiam inclusive et procurare teneatur, quod cuilibet officiali sindicando retineatur de pagis suis id quod retineri consuevit vel debet occasione cuiuscumque apuntature vel defectus. Quas apuntaturas et defectus coram sindicis producere teneatur tempore dicti sindicatus manu notarii qui habuerit librum defectuum seu punctuationum qui notarius sine aliqua solutione illa dare in publicam formam teneatur.

[14] **De officiis ordinariis et extraordinariis et de vacatione ipsorum. Rubrica.**
[cc. 130v-131v]

Item statuimus, quod in eodem anno non possit aliquis ad infrascripta officia ordinaria bis elligi vel illa officia exercere, sed solum aut pro primis aut pro secundis sex mensibus nec etiam de infrascriptis officiis duo eodem tempore exercere vel ad ipsa exercenda elligi vel assumi. Que officia ordinaria intelligimus. Imprimis officium dominorum officialium super conducta stipendiariorum et notariorum eorundem officium cancellarii. Item officium dominorum officialium super victualibus et grassa. Item officia notariorum ad discum domini potestatis ad causas civiles. Item officium notariorum ad discum Aquile. Item officium notariorum ad camaram actorum comunis et populi Bononie. Officium memorialium. Officium dominorum salis et suorum notariorum. Officium depositarii generalis. Item officium omnium depositariorum introituum datiorum comunis Bononie. Officium notariatus depositarii generalis seu depositariorum comunis Bononie. Officium custodie carceris comunis Bononie veteris et novi. Officium iudicis et procuratoris iurium comunis Bononie. Officium defensorum averis comunis. Officium notariatus ipsorum. Officium contralatoris. Officium

²³⁴ <eum> in infralinea con segno di inserzione.

dominorum officialium officio aquarum, pontium et stratarum. Et officium notariorum dicto officio. Item officium approbatorum securitatum que dantur in comuni Bononie. Officia vicariorum comitatus Bononie. Officia capitaneorum portarum civitatis Bononie. Officia clausorum seu clauditorum dictarum portarum. Officium massaroli generalis et sui notarii. Officia illorum qui debent visitare castra et fortificia comunis Bononie. Officia notariorum faciencium buletas solucionum stipendiariorum. Officium officialis super buletis et presentacionibus forensium. Officia castellanorum castrorum et fortificiorum comitatus vel districtus Bononie. Officium notariorum ancianorum pro illis mensibus quibus fuerint notarii ad dictum officium. Declarantes, quod aliquis predictorum officialium elligendus ad aliquod ipsorum officium pro primis vel secundis sex mensibus ad idem officium elligi non possit pro sequentibus sex mensibus etiam si pro sequenti anno elligeretur. Et si fuerit officium ad quod aliquis pro uno anno elligeretur ad idem officium pro sequenti anno elligi non possit et aliter facta ellectio non valeat ipso iure. Salvis infra dispositis. Ad alia autem officia omnia que omnia alia extraordinaria esse intelligimus quilibet ydoneus elligi possit pro primis et secundis sex mensibus et sic successive de tempore in tempus dum tamen plura officia etiam²³⁵ extraordinaria vel unum ordinarium et aliud extraordinarium eodem tempore habere²³⁶ non possit²³⁷ nisi fuerit officium notariorum ad inventaria vel officium notariorum appellationum vel officium examinatorum officialium ellectorum//

[c. 131r c. CXXI]

ad brevia vel officium notariorum eorundem vel officialis ad levandum et deponendum portam de Fiacalcollo vel officium notarii depositarii gabelle illorum qui cancellantur de banno et officium sindicorum ad sindicandum officiales forenses comunis Bononie et notarios predictorum. Que omnia officia cum aliis officiis ordinariis et²³⁸ extraordinariis possint concurrere eodem tempore. Et salvis suprascriptis et omnibus aliis officiis que reperirentur habere vacatione maioris temporis ex forma nostrorum statutorum et maxime infrascriptis videlicet. Imprimis officiales officio aquarum, pontium et stratarum et notarii ad discum Ursii et notarii ad discum bannitorum vacare debeant per annum. Item notarii et officiales officio dampnorum datorum seu maleficiorum parvorum vacare debeant a dictis officiis per unum annum a die depositi officii. Et notarii deputati ad scribendum brevia consilii quatuormilium vacare debeant per unum annum a die depositi eorum officii. Item depositarius ad cippum seu discum Ursii vacare debeat a dicto officio per bienium a die depositi officii. Item notarii ad camaram actorum vacare debeant per bienium a die depositi officii. Item custodes carceris veteris et novi qui vacare debeant a dicto officio spacio duorum annorum. Vicarii comitatus Bononie sive sint ellecti in consilio quatuormilium sive a dominis antianis solis vel una cum collegiis in casibus in quibus est eis attributa potestas dictos vicarios elligendos vacent per annum ab officio vicariatus in quo fuerint et similiter eorum notarii ab aliis autem vicariatibus vacationem habeant per sex menses a die depositi eorum officii. Capitanei vero portarum civitatis Bononie vacent per unum annum a die depositi officii a custodia cuiuslibet porte civitatis. Castelani vero rocarum et fortificiorum comitatus Bononie vacent per annum a die depositi officii a custodia castris vel fortificiis de quo prius custodia habuerint. Quod etiam sibi locum vendicet in castris et fortificiis que sunt in provincia Romandiole tentis per comune Bononie nisi per dominos ancianos et collegia et causa que eis iusta videatur fuerit aliud provisum. Officiales conducte stipendiariorum vacent per bienium a die depositi eorum officii.

²³⁵ <etiam> *segue or depennato.*

²³⁶ <habere> *segue possit depennato.*

²³⁷ <possit> *segue la lettera s cancellata.*

²³⁸ <et> *in infralinea con segno di inserzione.*

Officiales supra buletis presentacionum forensium vacent per annum. Superstites datiorum et depositarii et collectores pecuniarum datiorum civitatis et comitatus Bononie vacent per sex menses deposito eorum officio. Notarii ad faciendum buletas stipendiariorum et provisionatorum vacent per annum. Marischalchi ad bancam stipendiariorum vacent per annum. Clausores portarum²³⁹ civitatis Bononie vacent per annum. Ingignerii comunis Bononie vacent per sex menses a die depositi officii nisi aliud per dominos ancianos et collegia²⁴⁰ provideatur. Contralator vacet per sex menses. Notarii, depositarii et notarii dominorum defensorum averis qui vadunt ad brevia vacent per sex menses a die depositi officii. Notarii dominorum ancianorum vacent per annum a die depositi officii. Massarolus super laboreriis vacet per annum a die depositi officii. Defensores averis comunis Bononie vacent per bienium nisi aliud fuerit provisum per dominos ancianos et collegia. Depositarius generalis pecunie et averis comunis Bononie vacet per bienium a die depositi officii nisi provisum fuerit aliud per dominos ancianos et collegia. Cancellarius seu cancellarii dominorum antianorum vacent per bienium a die depositi officii nisi aliud per dominos ancianos et collegia fuerit provisum. Provisores castrorum et fortiliciorum civitatis et comitatus Bononie vacent per annum a die depositi officii nisi aliud provideatur per dominos ancianos et collegia dun tamen providere non possint taliter quod per sex menses non vacent. Notarius dictorum provisorum vacet per annum a die depositi officii. Quas quidem vacationes et alia suprascripta locum sibi volumus vendicare tam//

[c. 131v]

officialibus suprascriptis ad dicta officia in consilio quatuormilium ellectis quam etiam in his qui ad dicta officia per dominos ancianos et collegia ellecti fuerint vel in futurum elligentur. Volentes et declarantes, quod ubicumque per formam alicuius nostri statuti est attributa potestas dominis ancianis solis vel una cum collegiis elligendi aliquem officialem qui vadat ad brevia in consilio quatuormilium quod ellectio talis officialis fiat tantum de hominibus quarterii et in eo quarterio in quo tale breve ellectionis obvenit in consilio quatuormilium et non in alio quarterio, et si aliter vel de alio quarterio facta fuerit ellectio non valeat ipso iure, et nichilominus contra formam predictam ellectus et officium exercens condepnetur in centum libris bononinorum per capitaneum populi de facto exigendam et contra formam predictam nullo modo dispensari possit nisi per consilium quadringentorum. Quod quidem presens statutum omnibus aliis statutis de vacationibus officialium vel aliter disponentibus volumus pervalere.

[15] De arbitrio domini potestatis super questionibus vertentibus inter coniunctos et affines. Rubrica. [cc. 131v-132r]

Item quod quocienscumque lis, questio seu controversia esse diceretur in iudicio vel extra inter patrem seu matrem et filios unum vel plures et alios quoscumque descendentes per masculum vel inter maritum et uxorem seu socerum vel nurum vel per nurum vel generum, socerum et generum vel nurum seu per nurum vel inter fratres seu sorores ad invicem vel inter vitricum et privignam seu novercam et privignum vel inter quoscumque agnatos vel cognatos usque ad sextum gradum inclusive possit et teneatur dominus potestas civitatis Bononie compellere partes quibuscumque remediis ad compromittendum de iure tantum in terminando et de facto alte et basse in procedendo et cognoscendo in unum vel plures bonos viros de ipsa lite, questione et controversia

²³⁹ <portarum> in infralinea con segno di inserzione.

²⁴⁰ <et collegia> in infralinea con segno di inserzione.

dum tamen²⁴¹ post publicationem processus cause si fuerit publicatus aliter post lapsum omnium dillationum datarum partibus ad probandum aliquis de predictis cogi non possit ad compromittendum. Et similiter si aliter factum fuerit compromissum de mandato domini potestatis vel eius vicarii et tempora ipsius expiraverint cogi non possit. Qui arbiter vel arbitri per partes elligantur, quod si in elligendo discordarent quilibet elligat unum. Possit etiam²⁴² eosdem cogere ad compromittendum de facto alte et basse in procedendo et cognoscendo et terminando ut in arbitratore et compositore si prius per dominos ancianos concordeditur vel saltem duas partes ipsorum dominorum ancianorum id fuerit ordinatum. Que compromissa fiant, sub pena quam potestas ipse tassaverit et cum salario in nostris statutis ordinato dun tamen viginti quinque librarum bononinorum pro parte sive sit unus arbiter sive plures dictum salarium non excedat. Cogat etiam partes predictas ad parendum his que lauderentur per eos vel eum quatenus ad invicem arbitri seu arbitratore concordarent si plures fuerint. Et etiam arbitros seu arbitratore compellat ad laudandum. Et si finaliter dixerint se discordare vel laudaverint in discordia tercium elligat extra numerum suspectorum partibus si partes dare voluerint. Cuius cum altero ex predictis concordantis auctoritati pareatur omnibus laudantibus vel duobus ex eis presente tertio vel absente eo citato tamen personaliter vel bis non invento ad domum sue habitationis per diversos nuntios diversis diebus si de instancia compromissi tantum superesset vel ad quod compromissum vel laudum seu arbitramentum huius legis virtute emologatum et vallidatum sit et esse intelligatur et executioni mandetur per ipsum potestatem. Que partes ad parendum tali laudo et arbitramento compellantur ut supra. Et in predictis non obedientes condempnare et punire realiter suo arbitrio personarum conditione et facti qualitate libata. Super quibus omnibus potestas et dicti arbitri et arbitratore possit cognoscere, //

[c. 132r f. CXXII]

procedere et terminare sine strepitu et figura iudicii etiam tempore feriato et non obstante, quod aliquis predictorum esset minor viginti quinque annis vel in alterius potestate dun tamen de iure terminentur ubi de iure tantum cui in terminando fuerit compromissum. Et eciam non obstante, quod in compromisso vel circa illud non fuerit iuris seu statutorum solemnitates servate. Que omnia in masculis et feminis observentur. Salvo quod ex predictis comuni Bononie vel alicui collegio vel universitati seu alteri singulari persone nullum preiudicium generetur. Salvo etiam quod aliquis minor quatuordecim annis ad compromissum aliquod compelli non possit. Et quod predicta locum non habeant ubi talis bis questio seu controversia esse dicerentur inter aliquas ecclesiasticas personas ex aliqua parte.

[16] **De officio notarii appellationum. Rubrica.** [c. 132r]

Item, quod notarii²⁴³ ad officium appellationum possint et teneantur ad petitionem sui iudicis officio supradicto seu partis cuius interesset venire et stare ad dictum officium operandum ad discum bannitorum vel alibi ubi voluerit iudex appellationum cuius notarius esset et his diebus et horis quibus requireretur vel steterit dictus iudex et eidem iudici parere et obedire in his que ad eorum officium pertinerent et scribere omnia acta²⁴⁴ et sentencias et alias quascumque scripturas que et quas fieri contingerit occasione dicti officii et de eis dare copiam cuicumque dun tamen sua interesse iuraverit vel eius pro quo copia peteretur facta sibi solutione moderata pro tali copia fienda

²⁴¹ <tamen> segue post *de pennato*.

²⁴² <etiam> in *infralinea con segno di inserzione*.

²⁴³ <notarii> nel testo notarius.

²⁴⁴ <acta> in *infralinea con segno di inserzione*.

scripturasque alienas que ad manus suas pervenerint occasione dicti officii restituere his a quibus habuissent cum restitui debuerint. Credentias eis impositas secretas tenere quamdiu debuerint. Et pro predictis omnibus debitas soluciones recipere secundum tassationes factas de predictis et omnia et singula facere que ex forma statutorum et iurium predictorum ad ipsorum officium quomodolibet pertinerent, et specialiter ea ad que tenetur vel facere poterit secundum formam statutorum ‘De causa appellationis et nullitatis’ [IV, 25]. Recipiendo pro²⁴⁵ predictis solum salarium sibi ordinatum a prohibitisque omnibus illicitis totaliter abstinere.

[17] **De officio notarii ad inventaria. Rubrica.** [c. 132r]

Item, quod notarii ad inventaria facienda teneantur et debeant singulas causas et lites quibus curatores durante suo officio darentur suscipere et prosequi et sollicite agere ipsasque lites et causas sollicite defendere et bona fide usque ad fine dun tamen appellare non teneantur vel restitutione aliqua impetrare. Et inventarium de bonis et iuribus ad quorum defensionem darentur curatores facere et in actis officialis coram quo predicta agerentur scribi facere etiam circa illud inventarium faciendum iure solemnitatibus non servatis nec possit liti et cause alicuius absentis vel indefensi aliquis alius curator dari quam ipsi seu alter ex dictis notariis ad inventaria elligendis de quorum laboribus et expensis eis iuxta more solitum debeat provideri Et generaliter omnia et singula facere teneatur quo ad ipsorum officium quolibet pertinerent. Et a prohibitis omnibus et illicitis totaliter abstinere.

[18] **De officio nuntiorum ellectorum ad aliqua officia. Rubrica.** [cc. 132r-132v]

Item, quod nuntii comunis Bononie ad aliqua officia comunis Bononie in consilio quatuormilium ellecti teneantur et debeant venire, esse et stare continue cum ipsis// [c. 132v]

officialibus ad²⁴⁶ quorum officia essent deputati ad faciendum omnes et singulas ambasiatatas, citaciones, pignorationes, cridas et precepta que eis comitterentur per dictos officiales et prout ea facerint renuntiare dictis officialibus quam cicius facere poterint et infra terminum in statutis contentum et eisdem pro predictis omnibus et ipsorum occasione parere et obedire et pro predictis solutiones²⁴⁷ aliquas non recipere nisi quatenus eis permitteretur ex forma nostrorum statutorum. Et generaliter omnia et singula facere teneantur que eis comitterentur vel ad ipsorum officium quolibet pertinerent et a prohibitis omnibus et illicitis totaliter abstinere, sub pena quinqueginta librarum bononinorum pro qualibet vice.

[19] **De officio massaroli pignorum. Rubrica.** [cc. 132v-133r]

Item, quod massaroli pignorum pro singulis sex mensibus pignora quecumque auferenda seu capienda a quocumque et ex quacumque causa de mandato domini potestatis vel alterius officialis comunis Bononie civis vel forensis vel alicuius conductoris alicuius datii vel gabelle comunis Bononie consignentur et consignari debeant per illum seu illos qui fecerint pignorationes predictas dividendo ipsa pignora per quarteria, ita quod pignora quorumcumque pignorandorum de uno quarterio consignentur penes massarolum illius quarterii et idem fiat de aliis quarteriis infra terciam diem a die pignorationis fiende, sub pena viginti solidorum bononinorum pro

²⁴⁵ <pro> *dittografato*.

²⁴⁶ <ad> *segue* quorum officialibus ad *depenato*.

²⁴⁷ <solutiones> *dittografato*.

quolibet pignore non consignato ut supra. Et nichilominus ipsa pignora pignorato restituere teneantur vel massarolo predicto consignare, nisi fuerint pignora accepta alicui ellecto pro sapiente de mandato domini potestatis vel alterius officialis seu dominorum antianorum vel accepta alicui citato pro aliquo testimonio ferendo de mandato alicuius officialis comunis Bononie quibus casibus dictorum pignorum consignacio non fiat dicto massarolo nisi de voluntate pignorari facientis processerit et eius mandato. Et quod ipse massarolus cui consignabuntur teneatur scribere vel scribi facere dicta pignora ipsa die consignationis in uno libro et per quem facta fuerit pignoratio et consignatio et de cuius mandato processerit et ipsa pignora conservare suis periculo expensis in aliquo loco iuxta plateam comunis Bononie per quadraginta perticas vel infra et cuicumque pignorato ipsa pignora restituere prout et quando mandabitur per eum qui fecerit pignorari vel alium iudice competente a quibus pignorandis non possit pro aliquibus pignoribus accipere, nisi solum sedecim denarios bononinorum parvos pro qualibet pignoratio ne etiam si plures res fuerint sub una pignoratione consignate seu idem pignus pro pluribus causis etiam acceptum de quibus denariis ipse massarolus habere debeat pro suo salario et labore solum quatuor denarios reliquos vero duodecim habere debeat ille qui pignoratione predicta fecerit aut ipse massarolus si dicta quantitatem solverit pignorantibus supradictis, non obstante aliqua consuetudine que in contrarium fuisse diceretur. Et quod non possit fieri aliqua vendicio de dictis pignoribus, nisi de mandato iudicis domini potestatis Bononie qui preest vel preerit ad discum Ursii et eo presente vel uno ex suis notariis cui comiserit. Que vendicio in loco publico fieri debeat ad incantum more solito scilicet vel in platea comunis Bononie vel iuxta ipsam plateam ad gabella vel ad scaraniam procedentibus cridis duabus successive factis et diversis diebus per bannitores comunis per civitatem Bononie, quod quilibet debeat luere sua pignora infra mense ab essitu officii dictorum massarolorum aliter venderentur et ellapssis ipsis terminis cridarum predictarum vendantur. Quorum pignorum precia solvi debeant massarolo, qui massarolus teneatur scribere dicta precia et ex quibus pignoribus habita fuerint et precepta et pecuniam dare et consignare teneatur²⁴⁸ generali depositario averis comunis Bononie. Que pecunia tota convertatur in utilitate pignoranti et scri//

[c. 133r f. CXXIII]

batur per depositarium comunis Bononie quelibet quantitas cuiuslibet pignoris venditi alicuius debitoris comunis Bononie per se in quodam libro, ita quod postea tantum minusolvere teneatur. Si vero pignorato fuerit pro aliquo debito dacia vel gabelle alicuius conductoris vel pro debito alicuius singularis persone vel universitatis alterius quam comunis Bononie eo casu pecunia ex tali pignore percepta solvi debeat per ipsum massarolum conductori seu creditori predicto quam ipse conductor vel creditor sibi in sorte compensare et computare teneatur de quibus pignoribus venditis ipse massarolus habere debeat seu penes se retinere sedecim denarios²⁴⁹ bononinorum parvos pro quolibet pignore occasione predicta videlicet pro se et solucione facta vel fienda²⁵⁰ per ipsum nuntium pignoranti ut supra. Et quod omnis pecunia de dictis pignoribus percipienda deductis dictis sexdecim denarios pro quolibet pignore et deducta dicta pecunia solvenda conductoribus vel creditoribus supradictis, solvatur et solvi debeat per ipsum massarolum depositario generali pecuniarum et averis comunis Bononie infra octo dies postquam ipsa sic percepta fuerint. Finito vero suo officio infra octo dies omnia pignora que penes eum supererit seu superesse debuerit vendi debeat ad incantum et ipsorum precia dari, solvi, computari et compensari ut supra factis primo cridis predictis et elapsis termino ipsarum cridarum. Et nichilominus, elapso dicto

²⁴⁸ <teneatur> *corregge* teneantur.

²⁴⁹ <denarios> *in infralinea con segno di inserzione.*

²⁵⁰ <fienda> *segue* vel *cancellato.*

termino, vendi debeant quodcumque videbitur²⁵¹ dicto iudici Ursi. Interim tamen teneatur ipse massarolus ipsa pignora omnibus suis periculo et expensis etiam finito suo officio conservare et ea luere volentibus restituere prout et quando mandabitur ut supradictum est. Salvo semper iure retentionis sexdecim denariorum supradictorum. Teneatur etiam ipse massarium unum librum facere de receptione pignorum predictorum ut supradictum est et de ipsorum restitutione seu vendicione et de causis in quas solverit seu converterit precium pignorum venditorum. Quem librum deponere et consignare teneatur ad dictam cameram actorum et penes officiales dicte camere infra duos menses a die depositi officii, sub pena centum librarum bononinorum quociens fuerit contrafactum in predictis vel aliquo predictorum. Que omnia locum habeant in pignorationibus que fierent in civitate Bononie vel in burgis seu guardia eiusdem. Si vero fierent in comitatu vel districtu Bononie tunc consignatio fiat massario illius terre in qua fieret pignoratio vel penes aliam ydoneam personam que habitet in eadem villa seu terra²⁵² pro ut melius fieri poterit. Qui talis massarius et ydonea persona et quelibet alia persona²⁵³ ipsa pignora²⁵⁴ et quecumque alia accipienda recipere teneatur et custodire et salvare. Et ad mandatum iudicis de cuius mandato facta fuit pignoratio presentare vel restituere, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet pignore et qualibet vice qua fuerit contrafactum. Qui massarolus ante introitum sui officii teneatur et debeat ydonee satisfacere coram defensoribus²⁵⁵ comunis Bononie de quingentis libris bononinorum de dicto officio bene et legaliter exercendo et de ipsis pignoribus custodiendis et salvandis et omnibus et singulis faciendis que superius dicta sunt et²⁵⁶ in dicto suo officio sibi comitterentur et cogatur etiam per iudicem qui pignorationem fieri mandaverit vel comiserit dictus massarolus etiam de facto recepta solutione predicta vel deposita ubi eam recipere nolet restituere dicta pignora que dicerentur pignorata et ei consignata quodcumque ei mandatum fuerit per dictum iudicem de cuius consignatione stetur libro dicti massaroli vel relationi nuntii qui fecit pignorationem cum uno teste aliter restituere teneatur extimationem ipsorum pignorum et sufficiat probari de tali extimatione per sacramentum eius qui diceretur pignoratus usque ad quantitatem viginti solidorum bononinorum.

[20] **De electione nuntiorum comunis Bononie et ipsorum officio. Rubrica.** [cc. 133r-135r]

Ordinamus, quod de mense ianuarii omni anno fiat electio nuntiorum comunis qui durare debeant per totum annum et elligantur centum ad minus si haberi poterint scilicet vigintiquinque pro quolibet quarterio que electio fiat facta crida in palatio et super scalis palatii//

[c. 133v]

tempore et hora iuridicis, quod quicumque voluerint esse nuntii comunis Bononie veniant coram procuratore seu governatore iurium comunis Bononie ad faciendum se scribi et qui venerint et se scribi fecerint et ydonee satisfaciderint sint et esse intelligantur electi et elligantur nuntii si qui potuerint haberi qui sciant scribere vel legere. Et quilibet possit esse nuntius si prestet securitatem de libris vigintiquinque bononinorum de suo officio bene et legaliter faciendo et de salvando et custodiendo, prestando et

²⁵¹ <videbitur> *nel testo* vobitur.

²⁵² <que habitet in eadem villa seu terra> *aggiunto, da mano diversa, a margine laterale destro, su due righe, con segno di rinvio.*

²⁵³ <persona> *segue la lettera p depennata.*

²⁵⁴ <pignora> *corregge* pignoratio.

²⁵⁵ <defensoribus> *corretto su procuratore depennato.*

²⁵⁶ <et> *in infralinea con segno di inserzione.*

restituendo omnia et singula pignora que acceperit vel alias res que ad eius manus venerint ad voluntatem iudicis de cuius mandato pignorationem fecerint vel alterius potestatem habentis et de consignando et deponendo ea que consignare deponere debuerit ad massaria comunis Bononie vel penes ydoneam personam secundum formam iuris et statutorum comunis Bononie approbata per unum ex approbatoribus comunis Bononie dum tamen fuerit habitator continuus civitatis vel burgorum spacio quinque annorum cum tota sua familia et qui non fuerit publicatus vel condemnatus per aliquam falsitatem vel sit aliquo membro debilitatus nisi forte esset debilitatus pro aliquo maleficio vel in servitium comunis Bononie et non possit esse nuntius comunis Bononie aliquis scutifer vel infamis vel infamata persona. Que securitates prestari debeant per dictos nuntios coram procuratore seu governatore iurium comunis Bononie et teneantur habere per totum mensem ianuarii quilibet ipsorum unam infulam seu capelinam panni rubei super quibus sint insigna ut sequens scriptura declarat scilicet arma comunis Bononie et ultra illa illi de quarterio porte Sancti Petri ex utraque parte unum P album, illi de porta Sterii unum S album, illi de porta Revegnane unum R album et illi de porta Sancti Proculi unum Pro album et non aliqua alia insigna et teneantur continuo portare in capite vel ad collum publice ipsas infulas aut capellina de panno rubeo cum insignis predictis in capite in palatio comunis et per pertinentias palatii et platee et quando vadunt per civitatem vel comitatum pro aliqua ambasiata illas debeant portare in capite vel ad collum ita, quod appareant et non aliter, sub pena solidorum decem bononinorum. Iurent autem predicti nuntii tempore quo satisfabunt, quod bona fide et sine fraude facient ambassiatas eis impositas a quocumque officiali comunis Bononie non eundo in cospis vel planellis aliquo modo et ipsas referre coram eo vel illis qui dictam ambassiatam iniuserint. Et non possit aliquis nuntius recusare facere aliquas ambassiatas, pignorationes, sequestrationes, detentiones vel aliquid aliud, quod ad officium nuntiorum pertineat nisi iusta et probabili causa de qua incontinenti fidem facere teneatur coram officialibus de quorum commissione vel mandato irent seu ire deberent, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice per iudicem Ursi de facto auferenda et quod requisitus fuerit et quod recusaverit stetur sacramento conquerentis. Et dicimus, quod nuntii cuiuslibet quarterii de se ipsis elligant unum ministralem ydoneum qui sit sui quarterii qui aliis nuntiis posse debeat. Quibus nuntiis licentia concedimus posse habere et recipere pro merito eorum laboris infrascripta pecunie quantitatem videlicet pro citatione fienda de aliquo in palacio vel aliquo ex palaciis tres denarios, in civitate Bononie intra seralia quatuor denarios bononinorum, infra seralia et in burgis pro qualibet citatione sex denarios bononinorum, et pro qualibet citatione fienda extra civitatem Bononie in burgis vel subburgis dicte civitatis duodecim denarios bononinorum. Extra vero dictos burgos in guardia civitatis pro uno tantum miliari solidos duos et pro quolibet alio miliari sex denarios parvos ubicumque fuerit per districtum Bononie et pro quolibet miliari tantum. Pro qualibet crida fienda sine testibus octo denarios si crida facta fuerit in civitate Bononie//

[c. 134r f. CXXIII^{or}]

vel burgis. Si vero fuerit crida facta in civitate vel burgis cum testibus unum solidorum bononinorum et si fiat crida in districtu Bononie sine testibus pro qualibet crida octo denarios et duos solidos bononinorum pro primo miliari et pro quolibet alio miliari sex denarios²⁵⁷. Si autem cum testibus et sono campane pro qualibet crida duodecim denarios et ultra ad rationem predictam pro quolibet miliari. De tenuta danda in civitate vel burgis sive ex primo decreto sive ex secundo decreto duodecim denarios

²⁵⁷ <et duos solidos bononinorum pro primo miliari et pro quolibet alio miliari sex denarios> *in infralinea e sul margine laterale destro su due righe con segno di inserzione.*

parvos et si in guardia daretur tantundem et ultra pro primo miliari duos solidos bononinorum et pro quolibet alio miliari sex denarios bononinorum ut supra pro qualibet proclamatione que fieret ratione alicuius subastationis vel alia causa duodecim denarios bononinorum parvos ut supra. Si fiat in civitate Bononie vel burgis si autem in guardia tantundem et ultra ad rationem cuiuslibet miliaris ut supra proxime dictum est. Pro quolibet pignore accipiendo in civitate vel burgis unum solidum et totidem in guardia et ultra ad rationem predictam pro miliari. Pro qualibet sequestratione facta in civitate vel burgis unum solidum et totidem in guardia et ultra ad rationem predictam. Pro faciendo precepta, quod aliquis veniat pro detento in civitate Bononie vel burgis duodecim denarios bononinorum et totidem in guardia et insuper pro quolibet miliari ad rationem predictam. Pro aliquo homine detento in civitate Bononie vel burgis si fuerit pro quantitate vigintiquinque librarum bononinorum et ab inde infra quotcumque sint nuntii et alii octo bononinorum et abinde supra usque ad centum libras bononinorum quindecim solidos bononinorum et a centum libris²⁵⁸ supra quantacumque sit quantitas persone detinentis solidos viginti et non ultra si fuerit in civitate Bononie et si fuerit in guardia civitatis habeant ultra dictum salarium dimidium dicti salarii et si fuerit in comitatu habeant duplum salarium suprascripti, tassati et declarati ut supra. De custodiendo aliquem detentum de die vel de nocte solidos quatuor bononinorum inter die et nocte et expensas cibi et potus a detento dum tamen ad unum custodiendum non stent nisi duo nuntii ad plus et si plures steterint nichil percipiant. Et teneantur nuntii²⁵⁹ custodire detentum ad voluntatem creditoris vel officialis cuius mandato esset detentus. Et quando vadunt ad aliquam iusticiam faciendam de aliquo condonato pro civitate Bononie vel burgos duodecim denarios expensis custodis carcerum pro quolibet nuntio²⁶⁰ quotcumque sit qui iusticia paciantur. Et si fiat iusticia extra civitatem Bononie duos solidos bononinorum expensis custodis dictorum carcerum pro quolibet nuncio quotcumque sit qui iudicium paciantur. Et dicimus, quod ad aliquam iusticiam faciendam non possit ire ultra quam duo nuntii et omnes nuntii qui ibunt ad ipsas iusticias elligantur per ministrale dictorum nuntiorum coequando nuntios ad predicta. Et si de mandato domini potestatis vel alicuius iudicis vel militis vel notarii irent in servicium comunis per civitatem Bononie vel burgos nichil habeant. Si vero per guardiam tantum quinque solidos pro die qualibet et ultra non possit recipere ab aliquo massario vel comuni alicuius terre vel ab aliqua singulari persona etiam sponte dare volente, nec etiam pro expensis. Item dicimus, quod quatuor nuntii tantum unus pro quarterio de die stare debeant ad serviendum domino potestati et sue curie et duo de nocte et non plures. Duo quorum possint et debeant servire notariis domini potestatis presidentibus stratis et imundiciis civitatis et alios nuntios non possit habere dictus notarius nisi duos ex predictis pro dicto officio operando. Item duo nuntii ad discum Ursii cum iudice exactoris ad dictum discum. Item quatuor nuntii cum iudicibus domini potestatis ad maleficia, qui nuntii ad dicta officia deputati exceptis nuntiis qui debent servire dicto iudici exactori obligantur per ministrales ipsorum nuntiorum. Ita quod per quarteria coequentur. Et//

[c. 134v]

quod nuntii coequentur in ipsis officiis. Et non possint dicti nuntii sic ellecti morari ad aliquod dictorum officiorum, nisi per sex menses tantum pro quolibet anno quo finito iterato possint et debeant reponi per dictos ministrales coequando ut dictum est. Volentes etiam, quod omnes nuntii comunis ambasiatas eis impositas facere teneantur secundum quod fuerint eis iniuncte per se ipsos et non per alium. Et personaliter ad quos

²⁵⁸ <libris> *dittografato*.

²⁵⁹ <nuntii> *segue eo depennato*.

²⁶⁰ <nuntio> *seguono le lettere cp depennate*.

mittuntur si invenerint et si non invenerint familie ad domum habitationis ipsorum ad quos mittentur, ita quod audiant et intelligant ambassiatas vel si non invenerint familia ad domum habitationis eorum ad quos mittentur ita quod audiant et intelligant ambassiatas si inveniatur habitacio vel ubi habitare consuevit secundum formam statutorum de hoc²⁶¹ loquentium. Quod statutum ministrales nunciorum²⁶² comunis singulis duobus mensibus legi faciant nuntiis comunis in aliquo loco convocatis ne pretestu ignorancie valeant excusari. Et ultra predicta teneantur dimittere dicto citato vel citando vel sue domui vel sue familie referendo singula singulis ut supradictum est cedulam citacionis sibi dandam pro officiale de cuius comissione vel mandato fierent citaciones. In qua cedulla contineatur nomen citati et ad cuius petitionem citatur et cuius iudicis vel officialis comissione vel mandato et coram quo fierent dicte citaciones et in quo die vel termino debent comparere et nomen notarii ex eius actis predicta procedunt et sint. Et si ultra dicta solutione receperit aliquis nuntius vel contra vel preter formam predictam aliquid fecerit, comiserit vel obmiserit condemnetur vice qualibet per vicarium domini potestatis vel iudice Ursii qui aditus fuerit ad petitionem cuiuslibet conquerentis cuius sacramento stari debeat in quadraginta solidis bononinorum comuni Bononie applicandis et restituat quod acceperit. Et credatur massario cuiuslibet terre denuntiati predictos nuntios accepisse ultra dictum salarium cum sacramento ipsius massarii. Et nichilominus teneatur ad interesse partis sibi reserciendum summarie et de plano et ex obmissione dicte scripture non preter ea vicietur processus. Et dicimus, quod nullus debeat vetare pignus alicui nuntio comunis volenti aliquem pignorare ex parte domini potestatis vel suorum officialium vel alterius officialis comunis Bononie, pena et banno viginti solidorum bononinorum et credatur nuntio quod ei pignus vetitum fuerit, nisi contrarium probaretur. Quo pena comuni Bononie applicetur et de facto exigatur etiam accusatione, denuntiatione, inquisitione seu condemnatione non procedente ad petitionem eius qui petierit pignorari. Et nullo petente mero officio pignoratio comittatur pro dicta pena etiam per eundem iudicem vel officialem qui cum mandaverit pignoraverit²⁶³ ipso facto omni iuris et solenitate et exceptione reiecta et obmissa. Volentes si plures fuerit citati vel cridati in civitate Bononie vel guardia in ea familia seu vicinia prope se invicem ad decem perticas habitantes quod pro una citatione et crida tantum habeatur et pro una tantum debeat satisfieri. Si vero in districtu plures citati vel cridati fuerint habitantes in eadem familia quod similiter habeant et satisfiant. Et si aliter habitarent, tunc pro quolibet citato et cridato ad rationem supradictam satisfiat dum tamen si in comitatu vel districtu Bononie ultra numerum decem citarentur vel cridarentur non liceat maius salarium quam pro decem pettere vel recipere ad rationem superius enotatam. Et tunc dictus numerus et ab inde supra quantum ad miliaria pro una citatione vel crida tantummodo habeatur. Et omnia pignora debeant presentare massarolo comunis Bononie vel aliis secundum formam statutorum infra tertiam die, sub pena decem librarum bononinorum et de eorum assignatione et consignatione relatione facere officialibus de cuius mandato ipsa pignora//

[c. 135r f. CXXV]

processerint et per notarium dicti officialis in actis scribi facere, sub eadem pena etiam ullo instante vel petente et similiter relationem facere teneatur de quocumque per eos detinendo de mandato alicuius officialis comunis Bononie pro debito comunis Bononie vel alicuius universalitatis²⁶⁴ vel singularis persone ea die detentionis vel sequentis in actis scribi facere ut supra, sub eadem pena eidem de facto in quolibet

²⁶¹ <hoc> segue la lettera h depennata.

²⁶² <nunciorum> in infralinea con segno di inserzione.

²⁶³ <pignoraverit> corregge pignoraverint.

²⁶⁴ <universalitatis> corregge universalis.

dictorum causarum auferenda per vicarium domini potestatis vel iudicem Aquile vel Ursii applicanda pro dimidia comuni Bononie et pro alia dimidia parti cuius interesse videretur ex relatione predicta non facta et nichilominus relationem facere teneatur. Quas relationes notarius actorum statim scribere teneatur cum facte fuerint, sub dicta pena.

[21] **De officio preconum comunis Bononie et de eorum feudo a privatis recipiendo et a comuni Bononie. Rubrica.** [c. 135r]

Statuimus et ordinamus, quod omnes tubatores seu precones comunis Bononie, qui debeant octo esse numero videlicet pro quolibet quarterio quolibet anno, de mense ianuarii coram vicario domini potestatis iurent et iurare debeant de faciendo eorum officium hoc modo videlicet de eorum officio bene et legaliter faciendo circa omnia et singula que spectent ad ipsorum officium et quod facient banna per civitatem Bononie et burgos secundum quod eis imposita fuerint in omnibus et singulis infrascriptis locis. Imprimis super scalis palatii veteris comunis Bononie a latere mane et super scalis palatii veteris comunis a latere sero.

[21.1] **De quarterio porte Ravenatis. Rubrica.** [c. 135r]

In dicto quarterio porte Ravenatis super scalis palatii a mane in trivio de Lambertinis, ante domum domini Egani de Lambertinis ante ecclesiam Sancti Vitis, ante ecclesiam Sancti Dalmasii²⁶⁵, ante domum que fuit de Richardinis, in trivio Carobii, in trivio porte Ravenatis, ante puteum de Oselitis, ante domum illorum de Meçovilanis. Ante campum Sancti²⁶⁶ Michaelis. Iuxta trivium de Gozadinis. Ante viam de Burgonovo in Strata Maiori, super pontem prope ecclesiam Sancti Thome, ante puteum qui est ex opposito domorum olim domini Iohannis domini Iacobi de Barateriis. Ante viam de Brochaimdosso. In Strata Maiori ante viam Turlionis in Strata Maiori. Ante domum que sunt Andree Spadarii in dicto burgo in capite burgi Sancti Petronii, prope foveam civitatis veteris, super trivio de Palavanchis. Super trivio successorum domini Tadei de Pepolis. Super trivio illorum de Blanchis. In strata Sancti Stefani ante contratam illorum de Sinicis. Item iuxta puteum in contrata Vivarii ante bocam Vivarii. In trivio de Bachadellis in introitu Burgi Novi. In Burgo Novo iuxta puteum. Super pontem strate Sancti Stephani ante puteum de Calcedro. Ante contratam de Ramorsella in strata Sancti Vitalis ante bocam vie de Caldarariis. Ante viam boche de Bagnarolis. Ante bocham vie de Inseulo. Super pontem strate Sancti Vitalis. Ante campum boum in bocha vie de Brochandosso.

[21.2] **De quarterio porte Sancti Proculi. Rubrica.** [cc. 135r-135v]

In quarterio porte Sancti Proculi in scalis comunis a latere sero et ante ecclesiam Sancti Christofori de Saragocia ante domum que fuit domini Egidii de Lebia in trivio Vallis Apose. In burgo Sancti Mame ante crucem ipsius burgi in bocha vie qua itur ad Sanctum Dominicum prope domos bone memorie domini Iohannis Andree. In vignatio ante domum illorum de Flesso. Ante ecclesiam Sancti Andree de Ansaldis. In strata Castilionis ante crucem strate Castilionis ante domum domini Sancti de Dainisiis legum doctoris. Ante ecclesiam Sancte Lucie. Ante puteum de Oselitis. Ante domum heredum domini Philipi de Claris. Super podio Sancti Iohannis//

[c.135v]

²⁶⁵ <Dalmasii> *in infralinea corregge* Blasii.

²⁶⁶ <Sancti> *segue Blasii depennato.*

in Monte prope quercola in via. In capite ratte Sancti Iohannis in Monte. Ante crucem strate Castilionis. Ante viam per quam itur ad Sanctam Agatam, ante domum illorum de Grecis. In androna Tuscorum, ante ecclesiam Sancte Marie de Claviga, ante domum de Passipoveris. In trivio de Foscarariis, in curia Sancti Ambrosii. Ante domum illorum de Odofredis, in trivio de Savignanis prope puteum. Ante portam curtulis illorum de Galuciis. Ante domum de Simopizolis, in Valle Apose in trivio crucis Sanctorum. Ante ecclesiam Sancte Margarite in angulo vie Nove, ante domum de Balduinis. Ante crucem Barbarie. Super pontem Barbaris. Ante ecclesiam Sancti Ysaie in burgo. Ante crucem Sancti Ysaie, in burgo Sancte Caterine ante ipsam ecclesiam in contrata Saragocie. In capite Nosadelle iuxta domos illorum de Albergatis. Ante domum Ugolini Sancti. Item super pontem Saragocie.

[21.3] **De quarterio porte Sancti Petri. Rubrica.** [c. 135v]

Imprimis iuxta ecclesiam Sancti Petri. In Predafitta ante domum heredum domini Alberti Novelli de Cazanimicis. Ante domum illorum de Ramponibus. In trivio de Gardinis. Ante domum domini Iacobi de Tencharariis. In trivio de Bonitis. Ante beccariam super ponte Apose. In trivio porte Ravenatis. Iuxta crucem in trivio ubi venditur panum lini, prope ecclesiam Sancti Marchi. Ante domum domini Lance de Garisendis. In trivio ubi erat puteus. Iuxta domos illorum de Papazonibus, in strata Santi Donati extra seralia, in vignacio iuxta puteum qui est iuxta domum que fuit Iohannis de Massignis. Iuxta puteum qui est ante domum illorum de Curionibus. Ante domum heredum Alberti Becarii. Ante domum que fuit Guidonis Zamboni notarii, in capite androne Sancti Iacobi. Ante ecclesiam Sancte Marie Magdalene. In burgo Palee ad puteum iuxta domum que fuit Berthi de Parisiis, ad puteum ante domum que fuit heredis domini Guidotini de Prindepartibus. In burgo Mascarelle ad puteum ante domum que fuit Bencevenis Bianchi notarii. Ante viam que vocatur burgus Sancti Marini, iuxta domum illorum de Fantuciis. Extra super pontem illorum de Saliceto. In burgo Sancti Petri ad primum puteum, in trivio Marinensium, in trivio ante domum de Plantavignis, super pontem Sancti Martini de Aposa, in trivio de Pacibus, in trivio de Poetis. In trivio iuxta puteum de Pretis. In quartirolo ante domum que fuit Montanarii, ante domum et trivium de Platisiis. Iuxta domum ecclesie Sancti Petri. Ante palacium quod fuit domini Bitini Domisii. Ante ecclesiam Sancti Sinisii, et in dicta capella in quadrivio iuxta domum domini Laurencii de Pinu decretorum doctoris. Ante domum illorum de Papazonibus, ante ecclesiam Sancti Nicholai de Albaris, in trivio de Radicibus. Videlicet ante domum domini Nicholai de Lodovicis²⁶⁷, in trivio quod fuit illorum de Prindepartibus, in trivio ante portam episcopatus a latere superiori.

[21.4] **De quarterio porte Sterii. Rubrica.** [cc. 135v-136v]

In quarterio porte Sterii. Imprimis preconigetur in trivio de Usbertis in platea Maiori ante domum societatis notariorum. Ante domum bone memorie domini Iacobi de Butrigariis legum doctoris. Ante trivium de Bochadecanibus, ante domum domini Andree de Bobus legum doctoris. In Porta Nova in trivio de Bazalariis, ante domos de Malavoltis. In trivio de Ghisileriis, ante et in trivio filiorum Egidii de Tebaldis, ante ecclesiam Sancti Antholini in Porta Nova, in trivio inter domum domini Iacobi de Presbiteris legum doctoris et domum olim Mathei de Bocadefferris, ante trivium de Chaldarariis//

[c. 136r f. CXXVI]

²⁶⁷ <Lodovicis> *corregge* Lovidovicis.

ante domum illorum de Berthalia. In capella Sancti Collombani, in trivio Porte de Castello, iuxta puteum, ante trivium de Usbertis a latere strate super trivio post²⁶⁸ ecclesiam Sancte Marie Maioris in trivio Sancti Georgii de Pozale. Iuxta crucem in trivio ante domos domini Anthonii de Agimarolis. Iuxta domum domini Anthonii de Bernis. Ante domum Guidonis de Lana in Pozale in trivio ante ecclesiam Sancte Marie Maioris iuxta domos defendentium domini Petri Musolini de Argelata super seralio burgi Galerie ante domum societatis Griffonum ante contratam de Puiola ante ecclesiam Sancti Benediti. Iuxta pontem extra seralium super pontem Pozalis, ante domum que fuit Francisci Spadarii, in burgo Policini, ante burgum Apostolorum, iuxta domum que fuit Macarini, super pontem burgi Lamarum, ante domos Masulini de Lanceis, in trivio illorum de Lamandina ante domos illorum de Canitulo in burgo Lamarum, in trivio et super pontem porte Sterii, iuxta domum de Riciis, ante domum heredis domini Iacobi de Bagno in burgo Sancti Felicis, iuxta eclesiam Sancti Nicolai prope Ulmadellum, in dicto burgo ante domum illorum de Receptis, super pontem Navigii in dicto burgo, iuxta domum que fuit Negrosantis in dicto burgo. In burgo Peradelli, ante caput contrate Peradeliate, ante domum que fuit Andree Bernardini, ante vel super trivio de Guastavilanis, in dicto burgo ante domum domini Gerardi de Confortis, ante domum domini Petri de Canitulo legum doctoris, super trivio quod fuit illorum de Scorlitis. Et ponant predicta banna in predictis locis sono tube in quolibet predictorum loco premissis. Et quando ponent banna debeant ire eques et non pedes per civitatem et burgos. Et dicimus, quod banitores comunis omnia banna que cridaverint et posuerint per civitatem et burgos, debeant referre ea die vel sequenti notario domini potestatis qui preerit officio cridarum ad discum domini potestatis et scribi facere, sub pena viginti solidorum bononinorum cuilibet banitorum qui predicta facere obmiserit et cuilibet notario ex predictis qui illa scribere²⁶⁹ obmiserit, facta sibi relatione predicta, et pro qualibet vice et per ipsum notarium scribantur et in libro dictorum bannorum et cridarum cum anno, mense et die ipsius cride facte et de cuius mandato. Et etiam scripture dicti notarii in predictis credatur et plena fides adhibeatur. Ita quod copia possit haberi ab omnibus volentibus. De quibus bannis nullam solutionem debeant habere ipsi banitores vel notarius a comuni Bononie. Teneatur etiam alter ex banitoribus comunis Bononie scribere per se vel alium dicta banna et cridas in uno libro cum anno, mense et die dicte cride et banni et de cuius mandato facta fuerit cui scripture circha dicta banna et cridas credatur et stetur. Habeat autem quilibet eorum equum ad minus valoris treginta librarum bononinorum. Qui equus sit trium annorum ad minus qui nullo modo possit locari ad victuram. De quibus equis fiat circa prout et quando et per eos per quos fit de equis domini potestatis. Concedimus autem dictis banitoribus et cuilibet eorum a privatis posse recipere infrascriptis de causis infrascriptas pecunie quantitates videlicet pro quolibet que cridaverint in tuba ad domum alicuius solidum unum pro quolibet quem cridaverint in tuba in banno comunis vel consilio vel multaverint solidum unum bononinorum de qualibet crida facta occasione alicuius emancipationis duodecim denarios. A comuni autem Bononie pro ipsorum salario per totum annum quenlibet ipsorum habere volumus sexaginta libras bononinorum et etiam habere debeant a comuni Bononie quindecim libras bononinorum pro vestibus novis fiendis singulis annis de mense iunii, extimationis quindecim librarum bononinorum de panno valoris et extimationis ad minus treginta solidorum bononinorum pro brachio et tubas bonas et striosas et alia oportuna officio memorato. Et habere debeant quilibet predictorum banitorum unam tubam de argento et cum ea banna omnia ponere per civitatem et

²⁶⁸ <post> *in infralinea con segno di inserzione; segue per depennato.*

²⁶⁹ <scribere> *nel testo scribe.*

burgos. Et dicimus, quod nullus banitor possit esse ministralis alicuius societatis deinceps. Et dicimus quod quando aliquis ex dictis banitoribus iverit cum domino potestate vel aliquo officiali in aliquem exercitum//

[c. 136v]

generalem vel cavalcatam militum vel peditum stare debeat prope dominum potestatem vel officialem et hospitari. Dicimus etiam, quod dicti bannitores habere debeant a comuni Bononie penellos ad arma comunis Bononie prout consueti sunt habere. Item dicimus, quod omnes bannitores predicti debeant morari continuo de die iuxta scalas palatii domini capitanei vel saltem duo ex eis. Dicimus etiam, quod bannitores predicti debeant bannire societatem et consilium societatis notariorum quociens mandabitur eis per rectorem et consules societatis notariorum. Volumus etiam, quod duo ex dictis banitoribus et unus nacharinus continuam residentiam facere debeant cum dominis antianis et habeant expensas victus a dictis dominis. Et si quis predictorum non observaverit predicta omnia et singula pro quolibet capitulo et²⁷⁰ qualibet vice in centum solidis bononinorum et plus et minus arbitrio domini potestatis.

[22] De officio approbatorum²⁷¹ securitatum que prestantur in comuni Bononie et eorum feudo. Rubrica. [cc. 136v-137v]

Statuimus, quod approbatores securitatum teneantur et debeant approbare vel reprobare omnes et singulos fideiussores et securitates dandos et prestandos seu prestandas tam coram domino potestate et eius officialibus, quam coram aliis quibuscumque officialibus comunis Bononie, que securitates videantur vel videri possint in aliquo spectare posse ad comune Bononie quoquo modo. Qui approbatores vel saltem duo ex eis eorum tempore teneantur et debeant singulis diebus et horis²⁷² terminatis ad discum banitorum positum in palacio comunis Bononie stare ut ceteri officiales comunis Bononie, pena et banno quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet eorum et qualibet vice et ultra arbitrio domini potestatis vel sui vicari²⁷³. Teneantur etiam ipsi et quilibet ipsorum prestare securitatem idoneam coram procuratoribus iurium comunis Bononie de tribus milibus libris bononinorum approbanda per alterum ex approbatoribus veteribus proxime precedentibus de dictis fideiussoribus seu securitatibus prestandis bona fide, sine fraude dum tamen prestare non possint aliquem fideiussorem qui fuerit approbator vel fideiussor approbatoris ante per trienium, nec aliquis approbator possit talem approbare. Et si secus fieret non valeat ipso iure in preiudicium comunis Bononie valeat tamen in preiudicium ipsorum fideiussorum. Et nichilominus prestans et recipiens scienter talem fideiussionem incidat penam centum librarum bononinorum pro quolibet tali prestito approbato. Que securitates predictorum approbatorum recipiantur et scribantur per unum ex notariis dicto officio procuratorum deputatum. Et dicimus, quod bona possessa per ipsos approbatores qui satisdederint coram officialibus ut dictum est et ipsorum approbatorum fideiussores vel aliqui ex predictis vel que detinebantur vel possidebantur per eos vel alterum eorum tempore obligationis per eos facte vel fideiussionis prestite. Intelligentur ipsorum esse et non alterius iuribus instrumentis vel aliis non obstantibus que ostenderentur seu ostendi possent in contrarium factis seu contractis post ipsas obligationes vel ante per unum²⁷⁴ mensem. Et si principales vel fideiussores eorum qui approbati fuerint per ipsos

²⁷⁰ <et> segue cap depennato.

²⁷¹ <approbatorum> in infralinea con segno di rinvio.

²⁷² <horis> segue ord depennato.

²⁷³ <vicari> nel testo vicari.

²⁷⁴ <per unum> dittografato e depennato.

approbatores vel alterum eorum ipsa vel heredes eorum non invenirentur idonei ad solvendum pro quantitate seu quantitibus pro qua vel quibus essent approbati quod ille vel illi qui approbaverint et ipsorum heredes de suo teneantur solvere id quod deberetur comuni Bononie ratione dicte securitatis. Et si non invenirentur ipsi approbatores vel heredes eorum solvendo teneantur fideiussores ipsorum approbatorum et ipsorum fideiussorum heredes. Salvo in predictis beneficio inventarii legitime facti ab ipsis heredibus. Et si contingat ipsos approbatores vel alterum ipsorum nolle vel recusare approbare aliquos fideiussores dando in comuni Bononie quacumque ratione vel causa qui videantur et sint idonei pro ea quantitate pro qua intercedere volunt tales sic recusantes unus vel plures incurrant ipso iure et facto in penam ducentarum librarum bononinorum. Et intelligantur fuisse et esse idonei illi qui de[clara]buntur²⁷⁵ per dominos ancianos, dominos confaloneros et massarios artium²⁷⁶//

[c. 137r f. CXXVII]

vel maiorem partem ipsorum esse idonei respectu facti et negotii de quo tractaretur. Et nichilominus de facto realiter et personaliter compellantur ipsi approbatores per ipsos dominos antianos vel per dominum potestatem Bononie vel per capitaneum populi ad ipsos tales fideiussores approbandos, facta prius dicta tali declaratione. Et ipsa approbatio taliter facta in omnibus et per omnia suum vigorem habeat ac si sponte facta fuisset. Recipere autem possint pro eorum premio et mercede ipse approbatores sive unus sive plures fuerit qui simul approbaverint securitatem vel securitates prestandas pro approbatione prestite securitatis de viginti quinque libris bononinorum et ab inde infra solidis quinque bononinorum ab inde vero supra usque ad quinquaginta libras bononinorum octo solidis de approbatione securitatis de quinquaginta libris usque ad centum libris decem solidis centum vero libris usque ad trecentas duodecim solidis bononinorum. Ab inde vero supra pro quolibet centenario fideiussionis approbande unum solidum tantum. Et hoc usque ad quantitatem mille librum bononinorum inclusive ab inde vero supra quantacumque sit quantitas sex denarios bononinorum pro centenario. Pro approbatione autem securitatis, ubi certa quantitas non apponeretur si simpliciter fuerit de representando et parendo mandatis eius coram quo prestita fuerit aut alterius officialis et comunis Bononie et non possit recipere ultra quinque solidos bononinorum si fuerit de parvo negocio, sed si fuerit de magno non possint recipere ultra decem solidos bononinorum et an sit magnum vel parvum stetur arbitrio officialis coram quo prestita fuit sive prestari debuerit ipsa fideiussio. Et ubi ipsa securitas que approbaretur esset de presentando et solvendo eo casu inspecta quantitate de qua dubitaretur condemnationem sequi posse recipere possint pro eorum premio quantitates superius nominatas et terminatas, de qua quantitate quantum ad predictam solutionem stetur tassationi iudicis vel officialis coram quo securitas prestaretur dummodo talis tassatio excedere non possit sumam decem solidorum bononinorum in totum. A massariis tamen terrarum pro satisfactionibus generalibus ab eis prestandis non possint accipere pro qualibet satisfactione ultra tres solidos bononinorum. A castelanis tamen vel capitaneis rocharum, turrium vel fortiliarum comitatus Bononie et a capitaneis portarum civitatis Bononie recipere non possint, nisi secundum formam nostri statuti positi sub rubrica 'De officio provisorum municionis et custodie civitatis Bononie et cetera' [I, 32], sit quoque quilibet approbatorum etatis ad minus treginta annorum, nec possint dicti approbatores aliquid pettere, percipere vel habere ultra etiam a comuni Bononie occasione dicti officii palam vel occulte, directe vel indirecte etiam a sponte seu gratis dare volentibus, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro qualibet vice exigenda de facto per

²⁷⁵ Lacuna dovuta a strappo della pergamena con parziale perdita della parola.

²⁷⁶ Nel margine inferiore della carta: vel maiorem partem.

quemlibet officialem forensem, qui aditus fuerit pro predictis, de quo credatur principalis conquerentis iuramento cum dicto unius testis et ultra ad restitutionem dupli eius quod receperit fienda, dicte parti, nec possit quoquomodo procedi ex causa predicta contra talem qui dedisset vel dedisse diceretur. Et quilibet possit eos denunciare qui denunciator teneatur in secreto et habere debeat quartam partem dicte pene. Decernentes quascumque securitates prestitas ad comune Bononie spectantes que non esset recepte de expresso mandato dominorum antianorum non approbatas per alterum ex ipsis approbatoribus nullius fore momenti et carere viribus et effectu in favorem prestantium tales securitates non approbatas. Ipsi tamen fideiussores teneantur comuni Bononie ac si esset approbati. Insuper volumus, quod quilibet qui fuerit approbator securitatum predictarum habeat vacationem a dicto officio per trienium a die finiti sui officii de quo officio directe vel indirecte per se vel alium durante dicta vacatione se intromittere non possit, sub pena quin//

[c. 137v]

queginta librarum bononinorum summarie et sine figura iudicii exigenda per potestatem Bononie.

[23] **De officio custodum carcerum veteris et novi. Rubrica.** [c. 137v-138r]

Statuimus, quod custodes carceris veteris et novi teneantur et debeant diligenter et bene custodire carceratos qui sunt in dictis carceribus et qui de cetero eis consignabuntur pro parte dominorum antianorum comunis Bononie, vel alicuius alterius officialis comunis iurisdictionem habentis et eos non relapsare vel quoquomodo pati eos exire dictos carceres sine expressa licentia eius officialis ex cuius parte vel mandato esset detentus vel sui superioris vel alterius qui eos fecerit detineri de mandato predicto. Et si aliquis in carceribus detentus fuerit possit ad petitionem cuiuslibet creditoris in ipso carcere sequestrari eo casu quo aliter detineri possit ex forma nostrorum statutorum nisi foret ex maleficio eidem conscripto vel alio facto comune Bononie principaliter tangente carceratus vel pro parte dominorum ancianorum. Quibus casibus non valeat existens in carceribus ad petitionem alicuius alterius sequestrari nec ea die qua relatus fuerit capi pro aliquo debito quod non spetet ad comune Bononie principaliter. Qua sequestratione in casu premissa dicti custodes recipere teneantur et ipsum detentum pro ipsa sequestratione in carcere retinere etiam si tempore dicte sequestrationis fiende in carceribus dicta persona sequestrata non fuerit presens sequestrationi predicte facte per nuntium et si postea appareret eum iniuste seu indebite sequestratum, teneatur ille ad cuius petitionem fuerit sequestratus expensas et damna ipsi sequestrato reficere summarie et de plano et ad hoc cogatur per officialem de cuius mandato sequestratio processerit et per eum, facta tassacione ipsarum expensarum et damnorum, teneatur etiam dare et prestare quilibet eorum per se bonam et idoneam securitatem approbandam per alterum ex approbatoribus comunis de quinquemilibus libris bononinorum coram procuratoribus iurium comunis Bononie de dicta custodia bene et legaliter facienda et de consignatione carceratorum fienda successoribus eorum in dicta custodia pro comuni Bononie. Et nichilominus de conservando comune Bononie indemne si damnum aliquod pateretur occasione alicuius carcerati relassati aliter quam predicto modo vel qui fugerit et de solvendo debitum creditori debitoris detenti fugientis vel relassati contra formam predictam. Preterea dicimus, quod quicumque fuerit custos alicuius ex dictis carceribus familiaris, servitor aut famulus custodum vel quovis alio nomine censeatur seu fideiussor alicuius custodis a quinque annis citra vel in futurum erit, vacare debeat duobus annis et ibi ad aliquem carcerum quoquo modo stare vel morari non possit, nec in eis conversari vel ibi comedere vel iacere, nec in ipsis carceribus seu custodibus

aliquid participium vel comunione habere nec vere detentus fuerit et non ficticie, quo casu ibi detentus possit retineri non tamen habere possit cum custodibus vel cum custode ipsius carceris partem vel comunione aliquam, sub pena et banno cuilibet contrafacienti ex qualibet vice in quolibet casuum predictorum centum librarum bononinorum de facto exigenda per dominos potestatem et capitaneum vel eorum vel alterius eorum vicarium, nec teneat ipsa electio nec salarium aliquod possit habere et de novo ad brevia etiam ad instanciam cuiuslibet mittatur. Et habeant predicta locum tam in preteritis quam in futuris et salvo et reservato statuto posito in libro statutorum criminalium sub rubrica ‘De pena custodum carcerum extorquentium aliquid indebite a carceratis’ [V, 95]. Habeant autem dicti custodes inter omnes et percipere possint a quolibet carcerato pro custodia diurna et nocturna pro quolibet die inter diem et noctem denarios sex parvos bononinorum et pro intractura²⁷⁷ inferiatura, deferiatura et exitura et omnibus predictis simul duos//

[c. 138r f. CXXVIII]

solidos bononinorum et pro lumine, aqua et mastello et aliis necessariis duodecim denarios bononinorum singulis octo diebus in suma et si minus starent in carcere nichilominus habeant dictos duodecim denarios bononinorum et pro notario et pro scripturis occurrentibus in negociis carceris sex denarios parvos bononinorum. Quibus scripturis plena fides adhibeatur et detur in sibi commissis dum tamen non sit in preiudicium comunis Bononie et pro famulo portello et familia denarios sex bononinorum. Liceat etiam dictis custodibus accipere a quolibet carcerato et quolibet carcerando, tam pro prandio quam pro cena volente stare ad scotum cum custodibus pro quolibet pasto decem et octo denarios omnibus computatis, et si carceratus exiverit carcere ante terciam solvat decem et octo denarios pro prandio si stabat ad scotum ut supra. Si vero post nonam solvat pro prandio et cena ut supradictum est si stabat ad scotum ut supra. Et stare possit ad comendendum si solverit. Quibus carceratis dare debeat cibaria competentia stare volentibus ad scotum cum dictis custodibus. Et si dicti carcerati stare noluerint ad scotum cum custodibus possit sibi ipsis de suo expensis facere et eo casu pastis nichil solvere teneatur dictis custodibus. Et teneantur dicti custodes apperire carceres portantibus necessaria carceratis competentibus oris. Qui custodes teneantur et debeant omnes iusticias personales mandandas per dominum potestatem vel capitaneum cum fieri facere propriis expensis eorum sine aliquo salario sibi dando a comuni Bononie vel alio singulari. Et non possint dicti custodes per se vel interpositam personam modo aliquo spoliare vel spoliari facere aliquem de predictis carceratis pannis vel aliis rebus et eis aliquid auferre, sed sint contenti salariis predictis, nec ultra modo aliquo recipere vel habere possint a dictis carceratis vel ab alio pro eis etiam a sponte dare volentibus non obstante aliqua consuetudine hactenus observata. Dicimus etiam, quod predicti custodes non ponant seu poni permittant carceratos, qui non deberent mori vel membro aliquo mutilari et alios detentos pro debito aliquo pecuniario pro quantitate quingentarum librarum bononinorum vel ab inde infra²⁷⁸ turri sive vigna nec in aliquo turpi loco vel in inhonesto seu cippo alicuius dictorum carcerum, nec etiam ponere nec poni facere copedes aliquas, pena et banno cuilibet custodi contrafacienti quinqueginta librarum bononinorum in quolibet casuum predictorum ut supra proxime prohibitorum a paragrapho ‘et non possint et cetera’ [c. 138r] citra et pro qualibet vice auferenda summarie et de plano et etiam de facto per dominum potestatem vel dominum capitaneum etiam ad petitionem cuiuscumque. De quibus omnibus et singulis supradictis credatur sacramento carcerati cum uno teste cuius

²⁷⁷ <feriatura> segue la lettera s depennata.

²⁷⁸ <infra> segue la lettera t espunta.

testis dictum valeat etiam si fuerit carceratus. Volumus etiam, quod quilibet carceratus seu carcerandus antequam de carcere relassetur solvat et solvere debeat comuni seu causam habenti ab eo datum ordinatum vel ordinandum, salvo et reservato officio iurisdictione et bailia officialis deputati vel deputandi si pro dictis carceribus contra predictos custodes. Super quibus omnibus et singulis contra ipsos custodes inquirere possit et procedere dominus potestas vel dominus capitaneus et tam per se quam per alium veritatem investigare et repertos culpabiles punire penis suprascriptis. Adicientes recommendationem vel sequestrationem alicuius carcerati factam vel facendam penes aliquem ex custodibus dicti carceris vel ipsius custodis familiares vel ministros ad dictam custodiam penes de omnes custodes dicti carceris intelligi actam esse et de eis et pro eis dicti custodes teneantur reddere rationem mandantes, quod dominus potestas vel dominus capitaneus vel aliquis alius officialis forensis comunis Bononie non audeat vel presumat retinere aliquem detentum in aliqua parte eorum vel alicuius eorum residence vel alibi ubicumque ultra tres dies²⁷⁹ a die detentionis numerandos, sub pena quingentarum librarum bononinorum. Sed tales detentores unum vel plures consignare teneatur²⁸⁰ et debeat ad carceres novos vel veteres comunis Bononie et penes custodes dictorum carcerum, nisi prout et quatenus eis vel alteri eorum permetteretur ex forma alicuius nostri statuti.//

[c. 138v]

[24] De officio notarii deputati ad scribendum carceratos et inquirendum contra custodes carcerum. Rubrica. [cc. 138v-139v]

Hac provida deliberatione sancimus, quod notarius deputatus vel deputandus per tempora ad scribendum carceratos et inquirendum contra custodes carcerum teneatur et debeat facere et curare et dilligenter sollicitare pro posse, quod nulli carcerato comunis Bononie seu existenti in aliquo ex carceribus comunis Bononie seu Predacoloria fiant seu inferantur alique iniurie vel molestie in persona vel rebus vel etiam aliquid extorqueatur ab eis per aliquem ex custodibus dictorum carcerum vel alterius eorum seu etiam Predacolarie vel per aliquem eorum seu alicuius eorum socios, familiares vel ministros seu aliam quamcumque personam. Et quod ipsi custodes et eorum socii²⁸¹, familiares et ministeri nichil aliud seu ultra accipiant ab aliquo carcerato pro cibo et potu seu pasto vel alia quacumque ratione vel causa quam sibi liceat ex forma sui officii et nostrorum statutorum et quod faciant et observent omnia ad que facienda et observanda tenentur et a prohibitis et illicitis omnibus et singulis totaliter abstineant. Solicitet etiam et procuret, quod in aliquo ex carceribus comunis Bononie de ipsis custodibus vel etiam inter ipsos carceratos vel alio quocumque modo non sit aliquis potestas, prior vel alius officialis quocumque nomine censeatur, qui ab ipsis carceratis vel aliquo eorum quicquid modo aliquo possit accipere vel habere. Qui notarius singulis diebus et horis teneatur et debeat venire, esse et stare pro suo officio exercendo in aliquo loco per eum sibi elligendo iuxta predictos carceres saltem per tres perticas comunis et in uno libro scribere nomina et cognomina omnium et singulorum sui officii tempore carcerandorum vel sequestrandorum et diem et horam qua fuerint carcerati et sequestrati et causam ob quam et nomen nuntii vel nuntiorum qui eum detinuerit vel detinuerint seu sequestraverint et ad cuius petitione et de cuius mandato, et eodem modo diem et horam relasacionis cuiuslibet. Et ad hoc ut melius predicta valeant observari, mandamus, quod dominus potestas, dominus capitaneus populi et quilibet ex suis iudicibus et familiaribus per se vel alterum ex suis notariis et quilibet alius officialis comunis Bononie teneantur

²⁷⁹ <dies> *segue de cancellato*.

²⁸⁰ <teneatur> *corregge* teneantur.

²⁸¹ <et eorum socii> *dittografato e depennato*.

eum aliquem carceraverint vel recomendaverint seu carcerari vel recomendari fecerint vel mandaverint in aliquo ex carceribus comunis Bononie vel in Predaculoria vel alibi incontinenti vel saltem ea die denuntiare seu in scriptis dare vel dari facere dicto notario nomen et cognomen talis carcerati et locum in quo fuerit carceratus et causam carcerationis si causa sit talis que in secreto non²⁸² debeat retineri et diem mandati relassationis seu mandati de relassando eundem, sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice de facto auferenda si in predectis vel aliquo predictorum fuerit contrafactum. Et quod omnes et singuli nuntii comunis cum aliquem detinuerint vel sequestraverint teneantur et debeant, sub pena decem librarum statim eo detento et recluso vel sequestrato in carceribus accedere coram ipso notario et ei denuntiare generaliter quod tale detinuerint et recomendaverint tali custodi vel sequestraverint penes eum nomine et cognomine detenti vel sequestrati et causam ob quam fuerit detentus vel sequestratus et ad cuius petitionem et de eius mandato. Et nichilominus custodes dictorum carcerum vel alter ex eis incontinenti facta sibi designatione sequestratione seu recommendatione alicuius in ipsis carceribus per quencumque et qualitercumque et quacumque de causa teneatur eodem modo et²⁸³ sub eadem pena accedere coram dictorum notario et ei denuntiare vel in scriptis dare nomen et cognomen ipsius carcerati et causam ob quam fuerit carceratus et de cuius mandato et ad cuius petitionem et eum aliquem ex ipsis carceribus relassarent accedere debeant ipsi vel alter ipsorum coram ipso notario una cum ipso relassando et coram eo facere fieri rationem de omni eo quod recipere debent a tali relassando quacumque de causa pro toto tempore quo stetit in ipsis carceribus, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice//
[c. 139r f. CXXVIII^{or}]

qua ratione facta ipse notarius, sub pena vigintiquinque librarum²⁸⁴eam²⁸⁵ sumanti in libro predicto scribere teneatur. Et ultra id nichil paciatur ipsum custode accipere quoquo modo. Teneatur quoque ipse notarius et debeat, sub pena predicta, saltem bis qualibet septimana diligenter inquirere contra eos et singulos dictos custodes eorum socios, familiares et ministros de omnibus et singulis supradictis et si in suo officio quoquomodo delinquerint vel aliqua fecerint vel facere obmiserint contra preter seu ultra formam sui officii vel statutorum comunis Bononie et si observaverint omnia et singula supradicta ac etiam contra nuntios comunis Bononie aliquem vel aliquos detinentes vel sequestrantes non servata forma predicta et repertos culpabiles in aliquo denuntiare domino capitaneo vel potestati Bononie. Qui dominus capitaneus vel potestas Bononie quibus specialiter arbitrium, iurisdictionem et bailiam concedimus in premissis infra octo dies ad plus, facta sibi denuntiatione predicta, cui omnino stari volumus etiam mandamus et eam pro plena probatione haberi ipsos tales in penis predictis vel aliis in nostris statutis contentis prout delicto pro quo denuntiati fuerint adaptabuntur debeat condemnare et ad discum Ursi ponere et designare in forma publica omni defensione vel exceptione reiecta, etiam non servata formam alicuius iuris vel statuti que in processibus condensationis vel aliis requiratur, et ipsam condemnationem exigere cum effectu ab ipsis condemnatis et eorum fideiussoribus infra quindecim dies, etiam nulla defensione audita et omni iuris et statutorum solemnitate obmissa, sub pena ipsi domino capitaneo vel potestati ducentarum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice qua obmiserit supradicta vel aliquid predictorum. Ac etiam contra predictos dominos capitaneum et potestatem, iudices et familia et ceteros alios officiales investigare et

²⁸² <non> in infralinea con segno di inserzione.

²⁸³ <et> in infralinea con segno di inserzione.

²⁸⁴ <vigintiquinque librarum> su rasura.

²⁸⁵ <eam> in infralinea con segno di rinvio.

usque ad tempus sindicatus ipsorum vel alicuius eorum in secreto retinere quicquid reperierit ipsos vel aliquem ipsorum fecisse contra predicta vel aliquid predictorum et tempore sindicatus ipsorum vel alicuius eorum in scriptis tradere et consignare sindicis ipsorum vel alicuius eorum. Possit tamen et teneatur, sub pena centum librarum bononinorum nichilominus ipse dominus capitaneus et potestas et quilibet eorum saltem singulis mensibus inquirere de predictis et contra dictum notarium si negligens fuerit et repertos culpabiles vel negligentes punire et condemnare et ipsas condemnationes exigere ut supra. Mandantes, quod nullus possit vel debeat pro aliquo pecuniario debito alterius quam comunis Bononie et si a dicto comuni causam haberet capi, detineri vel in carceribus sequestrari seu captus, detentus vel sequestratus in carceribus retineri nisi ipse nuntius tempore talis detentionis vel sequestrationis secum habeat in forma publica preceptum de tali quem detinuerit vel sequestraverit de avendo vel sequestrando cum nomine et prenomine ipsius detenti vel sequestrati et causam propter quam et nomen et prenomem eius ad cuius petitionem detentus vel sequestratus fuerit et de cuius mandato predicta detento vel sequestratio fiat. Quod preceptum ipsi custodi cui vel penes quem ipsum captum vel detentum consignaverit, recomandaverit vel sequestraverit incontinenti tradere debeat et penes eum dimittere, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum ipsi nuntio aliquem capienti, detinenti vel sequestranti et cuilibet dictorum custodum aliquem captum, detentum vel sequestratum retinenti contra seu preter formam supradictam et non servatis supradictis. Et nichilominus captio, sequestratio et recomandatio predicta sit nulla ipso iure et facto et predictus captus sequestratus vel recomandatus incontinenti debeat de dictis carceribus relassari. Cuius notarii scripturis credatur et stetur et ipsis in predictis et circa predicta plena fides adhibeatur. Pro suo autem salario predictus notarius possit habere et exigere a quolibet predictorum capto, sequestrato vel recomandato in dictis carceribus duos solidos bononinorum si reperiat vel quodlibet predictorum observasse et non aliter vel alio modo. Insuper, volentes obviare maliciis que per custodes carcerum et aliorum officialium suprascriptorum in predictis posset comitti in damnum et preiudicium carceratorum et comunis et singularium personarum dicti comunis volumus et mandamus, quod non possit ipsi custodes aliquem qui pro aliquo debito alicuius singularis persone vel universitatis alicuius esset detentus in dictis carceribus de dictis carceribus relassare//

[c. 139v]

nisi habeant consensum a creditoribus debitorum predictorum vel ab habentibus causam ab ipsis scripta manu dicti notarii et officialis super libro ipsorum carcerum vel in forma publica vel alterius notaris in forma publica²⁸⁶, ita quod per aliquem notarium non possit dictus consensus fieri super libro custodum predictorum, nisi solum per ipsum notarium dicto officio prepositum. Et si aliter reperiretur relassatus cadant custodes in penam vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice eisdem de facto auferendam ut supra. Et notarius quilibet qui illud scripserit in libro dictorum custodum pro quolibet et qualibet vice in penam centum solidorum bononinorum eidem de facto auferendam ut supra incidat.

[25] **De oblacionibus carceratorum certo modo et tempore fiendis. Rubrica.** [cc. 139v-140r]

Statuimus et ordinamus, quod in die Nativitatis domini nostri Iesu Christi et in die Pascatis Resurrectionis eiusdem et in die sancti Petri apostoli principis patroni comunis et populi Bononie nec non in die festivitatis beati Petronii protectoris et defensoris civitatis et populi Bononie et libertatis eiusdem fiat oblatio carceratorum infrascripto

²⁸⁶ <vel alterius notaris in forma publica> a margine laterale destro, su due righe, con segno di rinvio.

modo et forma videlicet, quod domini antiani qui pro tempore erunt in virtute eorum, prestiti sacramenti, per octo dies ante diem oblationis fiende in quolibet dictionum dierum elligant et elligere debeant quatuor bonos et notabiles cives civitatis Bononie videlicet unum pro quolibet quarterio. Qui cives, post electionem de eis facta, comparere debeant coram dominis antianis et, delato dictis quatuor sacramento, per alterum et dictis dominis ancianis iurare teneantur corporaliter ad sancta Dei evangelia, tactis scripturis, de bene, diligenter et legaliter suo officio exercendo, remotis odio, amore, timore; post quod sacramentum prestitum ut supra teneantur dicti quatuor in unum convenire cum vicario domini potestatis et procurare toto posse quod a custodibus carcerum dicte civitatis habeant in scriptis nomina omnium carceratorum existentium in dictis carceribus et causam et causas quare quilibet ex eis est detentus in dictis carceribus et quanto tempore quilibet ex dictis carceratis estitit detentus in dictis carceribus. Et habita dicta scripta dicti quatuor electi ut supra deliberent cum vicario predicto qui debeant offerri. Et tales carcerati de quibus deliberatum fuerit per dictos quatuor et vicarium supradictum vel maiorem partem eorum possint offerri. Et custodes carcerum qui pro tempore erunt teneantur tales carceratos consignare domino potestati vel sue familie predicta oblatione fienda, habita prius buleta dictionum dominorum antianorum de relassando tales carceratos et habita fide de deliberatione predicta; de qua deliberatione constare debeat publica scriptura manu alterius ex notariis ad discum Leonis existentibus. Prohibentes expresse, quod nullus qui sit carceratus in dictis carceribus offerri vel excarcerari possit causa oblationis fiende, nisi pacem habuerint ab offenso vel eius herede vel ab eo ad quem spectat pacem facere. Ac etiam prohibemus, quod aliquis qui sit carceratus in dictis carceribus pro aliquo delicto pro quo deberet perdere vitam vel ei deberet aliquod membrum mutilari principaliter vel sub aliqua conditione vel aliquis condemnatus pro prodicione, assassinatu, vicio sodomitico, robaria, rebelione vel pro omicidio comisso dolose vel falsitate vel incendio vel veneficio dolose comisso possit offerri vel excarcerari occasione dicte oblationis fiende etiam si pecuniariter aliquis eorum fuerit condemnatus aliqua ex dictis causis et si pacem habuerit ab eo ad quem spectat pacem facere. Adicientes expresse, quod aliquis carceratus vel in dictis carceribus recomandatus pro aliquo debito alicuius singularis persone vel alicuius collegii vel universitatis alterius quam comunis Bononie non possit vel debeat offerri vel excarcerari causa dicte oblationis fiende. Volumus etiam et mandamus, quod aliquis carceratus in dictis carceribus occasione alicuius excessus vel delicti pro quantitate centum librarum bononinorum vel ab inde infra quantacumque sit quantitas non possit nec debeat offerri vel excarcerari causa oblationis fiende nisi occasione dicti delicti steterit carceratus in dictis carceribus spacio sex mensium ad minus. Ille vero qui fuerit carceratus occasione alicuius delicti vel excessus cuius pena esset maior centum librarum bononinorum vel ab inde supra quantacumque sit quantitas non possit nec debeat offerri nisi steterit in dictis carceribus occasione predicta ad minus spacio unius anni, quo anno elfare, possit offerri et non ante, dum tamen non sit de illis qui supra offerri prohibetur. Declarantes etiam, quod semel//

[c. 140r f. CXXX]

oblatus in perpetuum offerri non possit, sed perpetuo stet carceratus donec quantitatem quam solvere teneatur solvat cum effectu quo casu tunc excarcerari possit, nisi per nostra statuta aliter provideretur. Et si ultra quam semel fuerit oblatus dicta oblatio tali oblato non prosit. Sed possit personaliter capi et molestari occasione condemnationis vel banni pro qua vel quo ultra quam semel fuerit oblatus non obstante tali secunda oblatione. Mandamus etiam, quod quicumque qui oblatus fuerit legitime servatis modo et forma suprascriptis unus vel plures occasione delicti vel excessus vel condemnationis inde secute vel banni ob id secuti pro quo vel quibus erant incarcerati

non possit nec debeat realiter vel personaliter molestari, sed effectum habeat dicta oblatio legitime facta ac si de tali delicto vel excessu forent legitime absoluti, sed tales sic oblato, servatis forma et modo predictis, possint et debeant de quibuscumque libris condemnationum vel bannitorum comunis Bononie cancellari de mandato vicarii domini potestatis qui pro tempore erit per quoscumque notarios ad hoc deputatos vel deputandos de quo mandato constare debeat manu alicuius notarii cuius civitatis Bononie, pro qua cancellatione sive²⁸⁷ pronuntiatione de cancellando et omnibus occurrentibus occasione dicte relaxationis cuiuscumque oblato fiende non possit ipsi notarii vel aliquis eorum aliquid accipere, etiam a sponte dare volente ultra quantitatem quinque solidorum bononinorum, sub pena centum solidorum bononinorum pro quolibet solido quem ultra acceperit de facto exigenda per vicarium domini potestatis. Qui vicarius non possit mandare aliquem oblato cancellari de aliquibus libris comunis Bononie, nisi in dicta oblatione servata fuerit forma supradicta. Possit autem in qualibet dictarum festivitatum oblatio fieri de decem carceratis et ab inde infra prout placuerit predictis domino vicario et predictis quatuor electis vel maiori parti ipsorum et non ultra numerum predictorum, servata tamen in eorum oblatione modo et forma predictis, dum tamen non sit de supra prohibitis offerri. Que quidem oblatio fiat hoc modo videlicet, quod in die illius festivitatis ob eius reverentia fiet talis oblatio de dictis carceratis ante tertias tales carcerati qui debet offerri et de quibus deliberatum est quod fiat oblatio inter supradictos quatuor et dominum vicarium domini potestatis vel maiorem partem eorum modo et forma suprascriptis excarceretur de carceribus comunis Bononie et precedentibus uno ex sociis domini potestatis civitatis Bononie una cum sua familia et duobus ex tubatoribus comunis Bononie sonantibus tales offerendi ducantur ad eam ecclesiam ubi celebratur festivitas eius sancti ob cuius reverentiam talis oblato sit vel si fuerit dies Nativitatis domini nostri Iesu Christi vel Pasca Resurrectionis eiusdem tunc eodem modo ducantur ad ecclesiam Sancti Petri Maioris de Bononia et ibi tubis continuo pulsantibus tales offerendi ducantur coram altari maiore talis ecclesie ibique ante dictum altarem ob reverentiam eius sancti in cuius honorem sit oblatio tales libere debeant et causa pietatis relaxari. De qua oblatione et relaxatione fienda ut supra fiat publica scriptura scripta manu alterius ex notariis presidentibus ad discum domini potestatis et Leonis. Predicti autem quatuor vel dominus vicarius vel aliquis eorum non audeant vel presumant aliquam oblacionem facere vel fieri facere vel alicui oblacioni quoquo modo consentire directe vel indirecte de aliquo supra prohibito offerri vel permittere aliquam oblacionem fieri de aliquo non prohibito aliter quam suprascriptum est et nisi servatus fuerit modus et forma superius traditi, pena cuilibet ex dictis quatuor et dicto domino vicario qui consentiret aliquem offerri non servatis modo et forma predictis vel permittenti aliquem de supra prohibitis offerri vel contrafacienti in aliquo predictorum quingentarum librarum bononinorum a dictis quatuor civibus vel altero eorum qui dictam penam incurrerit de facto auferenda per dominum capitaneum populi vel alium officialem forensem qui super hoc fuerit requisitus a²⁸⁸ dicto vero domino vicario si dictam penam incidant de facto auferenda per eius syndicatorem tempore eius sindicatus, nec custodes carcerum comunis Bononie audeat aliquem relaxare vel relaxari permittere de dictis carceribus nisi ex causis predictis et servatis modo et forma predictis. Iniungentes expresse pro aliis diebus quam supra specificatis non possit nec valeat aliqua oblatio de aliquibus carceratis fieri et si de mandato dominorum antianorum hoc processerit.

²⁸⁷ <sive> *in infralinea con segno di inserzione.*

²⁸⁸ <a> *in infralinea.*

[26] **De prosonetis. Rubrica.** [cc. 140r-140v]

Ordinamus, quod prosonete ementionum, vendicionum et alienationum que fient de aliquibus rebus immobilibus ullo modo possint vel debeant nomine vel occasione prosonetici aliquid accipere nisi infrascripto modo//

[c. 140v]

scilicet a venditore rei immobilis seu alienatore decem solidos bononinorum pro quolibet centinario extimationis seu precii rei alienate et ab emptore seu aliter accipiente rem immobilem pro quolibet centinario extimationis seu precii rei alienate quinque solidos et non ultra, sub pena ultra accipienti viginti librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem banni. Prohibentes expresse cuilibet prosonete alicuius mercantie vel rei mobilis pro se emere vel quoquo alio titulo sibi aquirere per se vel alium quoquo modo aliquas mercantias vel res mobiles de quibus prosoneta esset mercandi seu revendendi causa, sub pena medietatis precii extimationis seu valoris talis mercantie et rei mobilis taliter emte vel aquisite applicanda pro dimidia accusatori seu denunciatori predictorum et pro alia dimidia comuni Bononie. Et quod quilibet possit tales prosonetas contrafacientes accusare et denunciare domino potestati vel eius vicario. Et stetur dicto accusatoris cum sacramento ipsius et cum uno teste si pena non excedat quantitatem viginti quinque librarum bononinorum. Et intelligatur quo ad promissa prosoneta esse talis mercantie vel rei mobilis ille de quo fuerit publica vox et fama in civitate Bononie et maxime in platea vel in trivio porte Ravenatis vel in Carobio et sufficiat talem famam probari per testes quatuor bone opinionis et fame etatis ad minus treginta annorum.

[27] **Quod banitores et nuntii comunis Bononie obediant dominis de gabella. Rubrica.** [c. 140v]

Providemus, quod bannitores et nuntii comunis debeant obedire dominis de gabella et facere ambassatas, cridas et precepta ipsorum in civitate et extra pro salario in statuto contento, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice nec possit impediri per potestatem vel aliquem alium officialem quominus obediat dominis de gabella in his que pertinent ad officium eorum. Et sit in provisione eorum facere satisfieri nuntiis et banitoribus et custodibus carcerum per citatos et cridatos et inhobedientes eis ad voluntatem ipsorum dummodo non fiat expensis comunis Bononie.

[28] **De gabella solvenda de dotibus et alienationibus rerum immobilium. Rubrica.** [cc. 140v-142r]

Ordinamus, quod de qualibet venditione, donatione inter vivos in solutum datione extra iudicium et alia quacumque alienatione inter vivos per quam dominium directum, utile vel quasi effectualiter in alium transferatur alicuius rei immobilis posite in civitate Bononie, burgis, guardia vel districtu Bononie ubicumque fieret ipse contractus et extra districtum Bononie de quibus fieret aliquid instrumentum publicum solvere teneatur quelibet pars, gabelle nomine comuni Bononie seu eius officiali ad hoc deputato vel deputando vel habenti causam a comuni Bononie vel suo officiali, sex denarios bononinorum parvos pro qualibet libra et ad rationem libre precii quid in instrumento de predictis fiendo continebitur. Salvo, quod de cessione iurium rerum immobilium non solvatur gabella nec apprensione possessione per eum cui facta est cessio vel eius heredes vel habentem causam ab eis vel ab eo, et salvo quod de donatione solus donatarius tota gabella pro utrumque parte solvere teneatur. Si vero permutacio fuerit tunc tres denarios bononinorum pro qualibet parte et qualibet re permutata pro qualibet libra et ad rationem libre comunis precii ipsorum bonorum declarandi infra terminos dicte gabelle

solvende per sacramentum utriusque partis prestandum coram dominis de gabella vel coram notario quo conficiet instrumentum de quo sacramento fiat mentio in dicto instrumento et quantum ad solutionem gabelle stetur sacramento hoc tam datis quam recipientis seu eorum quorum nomine daretur vel reciperetur. Et habeant predicta locum dumtaxat si dictum pretium vel extimatio supradicta excedat summam centum solidorum bononinorum. Quas quantitas per se vel alium et si de hoc mandatum non liceat solvere teneatur ipsa die instrumenti vel infra quinque dies a die publici instrumenti fiendi de tali contractu si fiet in civitate Bononie, burgis seu guardia eiusdem. Si vero in districtu infra quindecim dies a die dicti instrumenti. Si vero extra districtum Bononie infra mensem postquam verisimiliter fuerit partes predictas per se vel alium comode venire seu mittere posse vel potuisse ad civitatem Bononie a loco in quo fieret dictum instrumentum et post ipsius confettionem quod declarari debeat per dominos de gabella vel per iudicem datiorum tempore solutionis fiende vel per vicarium domini potestatis. Et in predictis stetur declarationi eorum. Item quod de qualibet dote danda seu confessanda excedente summam decem librarum bononinorum pro aliquo matrimonio contracto vel contrahendo inter quoscumque in civitate vel districtu Bononie vel alibi ubicumque si matrimonium contrahatur inter aliquos habitatores civitatis vel districtus Bononie seu alios eorum nominibus de qua dote facta fuerit publicum instrumentum in quibuscumque rebus extimatis vel inextimatis consistat et ubicumque positus et si pecunia vel res mobiles fuerint. Et ubicumque de predictis instrumentum conficiatur teneatur ille qui receperit seu confessus fuerit dictam dotem etiam si alieno nomine fecerit solvere comuni Bononie seu suo officiali solum sex denarios parvos pro qualibet libra dotis seu extimationis rei in dotem date seu constitute vel confessate si extimatio facta fuerit vel per sacramentum ut supra declarari infra terminos supradictos infra quos fieri debeat solutio predicta. Ita quod sola pars mariti dictam gabellam in solidum et pars uxoris nichil de dicta gabella solvere teneatur. Et idem in omnibus et pro omnia dicimus de augumento dotium²⁸⁹//

[c. 141r f. CXXXI]

de quibus fieret publicum instrumentum. Preterea statuimus, quod si quis in solutum acceperit ex secundo decreto vel alio quocumque modo seu actu iudiciali rem aliquam immobilem corporalem positam in civitate vel districtu Bononie vel extra districtu si talis in solutum datio fieret in civitate Bononie solvere teneatur gabelle nomine ut supra sex denarios bononinorum tantum de qualibet et pro qualibet libra eius quantitatis pro qua acceperit in solutum si fuerit a centum solidis supra ipsa die sentencie vel infra decem dies postquam dicta sententia in rem iudicatam transiverit. Si vero fuerit creditor vel habens causam ab eo qui per se vel alium ex aliquo pacto vel conventionem aliqua talem rem immobilem sibi adiudicari vellet seu peteret vel penes se retineret pro iusto precio solvere teneatur ut supra duodecim denarios parvos pro qualibet libra ad ratione libre eius quantitatis pro qua fieret talis adiudicatio seu retentio ipsa die adiudicationis vel in decem dies a die adiudicationis seu declarationis ultimo facte seu fiende de adiudicatione seu retentione predicta. Mandantes etiam quod si quis contractus de predictis fieret per quemcumque in civitate vel districtu Bononie de quibus factum fuerit publicum instrumentum in civitate vel districtu etiam pro matrimonio contracto vel contrahendo extra civitatem et districtum Bononie solvi debeat dicte quantitates ut supra et in terminos supradictos. Adicientes, quod si in aliquo casuum predictorum plures fuerint ab aliqua partium dantes vel recipientes pro uno tantum ab ipsa parte deputetur quantum ad hoc et una solum pro omnibus solutio fiat nec intersit an contrahens suo nomine vel alieno contrahat vel per quem fiat ipsa solutio etiam si contrahentis vel

²⁸⁹ <dotium> segue de depennato. Nel margine inferiore della carta: De quibus fieret.

solventis non intersit et si ultima dies solutionis incideret in die feriata vel in die qua depositarius vel conductor dicti datii non staret ad bancum pro ipso officio vel habentes causam a comuni ut supra sequenti die non feriata fieri valeat impune solucio supradicta. Ad quam solutionem fiendam in sua tempora admittatur etiam si altera pars non solverit. Et si contingerit aliquod predictorum fieri ex quo quelibet partium si exenta non esset dictam gabellam solvere teneatur cum aliqua persona collegio vel universitate exento vel exenta ad solutionem dicte gabelle quacumque de causa quod altera pars non exenta totam gabellam pro utraque parte solvere teneatur ut supra. Et idem dicimus ubi exentus ut supra aliquid predictorum faceret supra aliqua tali re ad non exentum pertinente ratione dirrecti domini utilis vel quasi ipso non exento presente et consenciente contractui. Et eo casu ipse non exentus gabellam predictam si soluta non fuerit solvere teneatur ut supra. Et idem intelligatur et fiat si non exentus fuerit absens et postea contractu approbaverit vel ratificaverit vel iuri sibi competententi in re vendita renuntiaverit vel illud ius cesserit emturi vel alterius pro eo recipienti. Salvo semper in²⁹⁰ omnibus supradictis quod de aliquibus contractibus emphiteoticis vel feudalibus vel locationum ad non modicum tempus fiendis de aliquibus tallibus bonis immobilibus vel de aliquibus venditionibus vel alienationibus fiendis de aliquibus melioramentis emponematibus talium rerum locatarum et ad non modicum tempus vel in emphiteosi concessarum nisi foret edificia domorum super alieno tereno constructa vel de aliquibus divisionibus seu adiudicationibus ex divisione fiendis in iudicio vel extra per quoscumque comunem habentes vel eorum nomine seu inter tales vel talibus iudices competentes de aliquibus talibus rebus immobilibus comunibus ratione citationis vel alia quacumque de causa etiam si res tota vel maior pars unius partium assignaretur vel de aliquibus rebus immobilibus que per aliquem emancipantem darentur seu concederentur alicui emancipato vel emancipando per eum ut bene merito vel alia de causa liberali vel ut se uxorem et liberos suos exinde alere possit vel ipsi emancipato seu emancipando pro dotibus matris, uxoris vel nuris assignarentur vel in solutum darentur tempore ipsius emancipationis vel postea si dicte res in ipsius emancipationis instrumento continebuntur vel de ipsa donatione, concessione, donatione, assignatione vel in solutum datione vel si emancipans emancipato predicta daret ut emancipationem consequatur vel de aliquibus contractibus fiendis per comune Bononie vel eius nomine vel cum ipso comuni vel de aliquibus rebus datis in dotem vel in eius augmentum extimatis vel inextimatis si pro eadem extimatione vel alia pro ipsa dote vel eius augmento restituantur//

[c. 141v]

vel assignentur vel de aliquibus simulationibus vel confessionibus simulationum aliquorum contractuum de quibus deberet seu debuisset solvi gabella fiendis inter easdem personas inter quas primus contractus de cuius simulatione ageretur factus fuisset seu heredes eorum nullus dictam gabellam vel aliquam eorum solvere teneatur. Ubi autem dicta gabella solvi deberet in casibus declaratis ut supra si quidem infra dictos terminos solucio facta non fuerit is qui solvere debuerit penam incidat ipso facto duorum denariorum parvorum pro quolibet denario quem solvere obmisisset. Et nichilominus sortem predictam solvere teneatur. Quam penam et sortem domini de gabella vel hiis causam a comuni ut supra exigere possint, teneantur et debeant quibuscumque remediis oportunis. Et pro ipsa gabella et pena res super quibus fierent tales contractus comuni Bononie obligate intelligantur et sint et contractus qui facti fuerint de quibus soluta non fuit dicta gabella et instrumenta ex inde secuta ipso iure non valeant in favorem non solventium nec retro valuisse intelligatur, ita tamen quod si is

²⁹⁰ <in> segue de cancellato.

qui penam inciderit quia non solvit ad terminum sortem et penam per se vel alium sponte solverit sortem et penam in tres menses postquam in pena inciderit contractus et instrumentum valeant et valuisse intelligatur ad si solvisset ad terminum que debebant. Et quod de solutione predicta que facta diceretur ad dictos terminos credatur cartesellis inde fiendis manu officialis predicti vel eius notarii vel alterius ex notariis qui ad dictum officium preerit et etiam libro rationum dicti officialis in quo talis solutio scripta reperiretur etiam non obstante quod in ipsis cartesellis vel libro locus vel testes vel cognitor contrahentium vel partium vel signum notarii non apponantur vel quod in memorialibus comunis et ipsorum notariis non sint vel fuerint denunciate vel registrate. Et quod sufficiat probari dictum scribentem cartesellas esse notarium ad dictum officium si revocetur in dubium per instrumentum ellectionis ipsius vel per tres tales cartesellas ipsius scribentis manuscriptas de similibus solutionibus se que de cuiusdem manu videatur. Qui notarii omnino teneantur cuicumque petenti copiam facere dicti libri, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet vice et nichilominus ad interesse partis teneantur. Insuper cum plures libri solutionum gabellarum non reperiantur depositi ad cameram actorum comunis propter quod non possit haberi carteselle solucionum et per hoc maximum generari posset dampnum et preiudicium hominibus civitatis et districtus Bononie statuimus et ordinamus, quod talis exceptionis non solute gabelle opponi vel admitti non possit pro aliqua gabella que non esset seu non reperiretur soluta a calendis mensis februarii milesimi trecentesimi septuagesimi exti retro, quas gabellas et solutiones fiendas per ipsis gabellis et qualibet earum prohibemus peti et exigi posse. Salvo, quod predicta non preiudicet aliquibus in²⁹¹ causis seu questionibus decisis per sententiam vel transationem vel laudum vel aliquem alium actum partem legitime repellentem. Predicta autem omnia locum habeant in masculis et fratris tam maioribus quam minoribus collegiis et universitatibus prout cuicumque eorum possit adaptari. Volentes et didicientes, quod omnes et singuli notarii civitatis, comitatus et districtus Bononie nullo modo audeant vel presumant legere aliquod instrumentum de vel supra aliqua re de qua debeat solvi gabella in casu quo debeat solvi gabella ut supra, nisi prius deposita sit pecunia dicte gabelle penes ipsum notarium vel aliam ydoneam personam de qua depositione fieri debeat mentio in instrumento predicto et penes quem deposita fuerit, sub pena cuilibet notario contrafacienti vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet vice. Et quod talis depositarius si fuerit habitator civitatis Bononie seu si fuerit civitatis Bononie dictum depositum in Bononia vel guardia civitatis infra decem dies et si in comitatu infra quindecim dies a die dicti celebrati contractus teneatur et debeat solvere dictam gabellam officialibus super hoc deputatis seu deputandis seu taliter facere et curare, quod de solutione dicte gabelle legitime constet infra terminum ante dictum, sub dicta pena. Quam incidat ipso facto quilibet contrafaciens seu non observans predicta et nichilominus dicta gabella soluta non fuerit ut dictum est vel de eius solutione legitime// [c. 142r f. CXXXII]

non constaret quo casu ad ipsius solutionem et etiam pene predictae realiter et personaliter cogi possit debeat talis depositarius et talis notarius non servans predicta per iudicem nisi stanti ellapso²⁹² termino vel terminis predictis et quilibet notarius qui rogatus fuerit de aliqua sententia de qua vel pro qua solvi debeat²⁹³ gabella ut supra teneatur infra quindecim dies a die dicte sententie tradere dicto officiali deputato exactioni dicte gabelle breviter et custodire tenorem sententie et nomina personarum et rerum de quibus et a quibus solvi debeat gabella predicta ita quod sciri comode possit a

²⁹¹ <in> segue quibus depennato.

²⁹² <ellapso> nel testo ellepso.

²⁹³ <debeat> nel testo debea.

quo et quarum parte exigi pro gabella predicta. Quam exactionem gabelle facere teneatur ipse officialis solum postquam predicta sententia transierit in rem iudicatam ut supra et nullo modo ante, sub pena predicta ipsi notario hoc non servanti. Et quilibet possit accusare et denunciare tales contrafacientes vel non servantes predicto dicto iudici et teneatur in secreto si velit et habeat terciam partem condemnationis que exigetur et deveniet in comuni et publicato presenti statuto teneatur dominus potestas facere fieri cridam in locis publicis et consuetis de adicione presenti infra tertiam diem a die qua presentia statuta vires sument.

[29] De ponte Reni eiusque domo, hospitali et possessionibus pro comune Bononie manutenendis²⁹⁴ et eius rector, gubernator et administrator et aliis pontibus, domibus, hospitalibus ad comune Bononie spectantibus et pertinentibus. Rubrica. [cc. 142r-143r]

²⁹⁵Conservare volentes comuni Bononie ponte possessiones, iura et pertinentias domus hospitalis de Reno²⁹⁶ seu de Viola, qui pons est in guardia civitatis Bononie super alveum Reni eundo versus Mutinam et ut sub cura et fide debita gubernentur, statuimus et providemus quod²⁹⁷ ellectio rectoris, gubernatoris et administratoris dicti pontis et hospitalis et possessionum earundem spectet et pertineat deinceps ad comune Bononie. Salvo omni iuri presentis rectoris et hospitalis. Et quod rector, gubernator seu administrator predictorum domus, hospitalis et pontis predicti quovis nomine seu titullo nuncupentur elligatur, deputetur et manuteneatur in predictis et ad ipsorum administrationem et gubernationem per comune et nomine comunis Bononie seu alium gerentem vices comunis Bononie et per conversos ipsius domus hospitalis et pontis more solito. Qui rector, administrator seu gubernator precise teneatur et debeat predictum hospitale, domum et pontem et eorum coherentias et pertinentias in bono statu manutenere, conservare et refirmare et edificia ipsius domus hospitalis et quecumque ad hospitale necessaria facere relevare, proponere et parare et hospitari volentes recipere eisque solita occasione hospitalitatis prestare, ministrare et etiam çitadellis nullatenus denegare et possessiones rerum et bona, iura et pertinentias predictorum hospitalis et pontis ac domus et que ad illud et illum spectant per eos²⁹⁸ tenentur et possidentur vel in futurum contigerit haberi vel possideri diligenter et solícite perquirere, investigare, possidere et tenere et curis solícitis gubernare et de eis et quolibet eorum discretionem et inventarium facere a die sue ellectionis illudque inventarium assignare et deponere ad camaram actorum et penes officiales camere predictæ seu alibi ubi magis placuerit dominis ancianis dicti comunis. Dicimus etiam, quod predictus rector et quilibet eius successor teneatur et debeat dare et solvere, tradere et assignare conversis ipsius hospitalis et domus pontis pro eorum victu et vestitu, furmentum, vinum et pecuniam anno quolibet tassatum et tassatam in provisionibus factis in milesimo trecentesimo tregesimo septimo indictione quinta de ultimo mensis septempbris per defensores averis et iurium comunis Bononie scriptis manu Iohannis de Tistis//

[c. 142v]

notarii dictorum dominorum vel alterius eorum notarii et quociens opportunum fuerit et occurrerit ipsum pontem vel aliquam partem ipsius pontis ac introitus et accessus

²⁹⁴ <manutenendis> *nel testo mantuendis.*

²⁹⁵ *Sul margine laterale sinistro in corrispondenza di questo paragrafo è tracciata una manicola.*

²⁹⁶ <Reno> *segue de cancellato.*

²⁹⁷ <quod> *segue la lettera l cassata.*

²⁹⁸ <eos> *segue il compendio di per depennato.*

fiendos ad ipsum et per ipsum pontem et predictorum coherentias quatenus necesse fuerit autem occupari vel destrui possent per impetum vel pontentiam aquarum fluminis Reni defendere, manutenere et vice qualibet reficere et reformare et in bono statu conservare pro libero transitu quorumcumque. Item etiam providemus, quod anciani predicti qui pro tempore erunt de mense aprilis aut alio vel aliis mensibus quibus ipsis videbitur teneantur per se vel alium singulis annis accedere vel mittere ad domum hospitalis et pontem predictum et predictam domum et nomine comunis Bononie inquirere et videre condiciones predictorum ac mandare si opus fuerit rectori seu administratori predicto, quod decentia in ipso hospitali facere et suplere²⁹⁹ debeant et similiter que eis necessaria et utilia videbuntur ad liberum et securum transitum fiendum per dictum pontem et coherentias et pertinentias ipsius pontis fieri facere et mandare fieri predictum rectorem de fructibus et redditibus possessionum rerum predictarum. Et quod ipse rector sive gubernator eisdem dominis antianis et mittendis pro eorum parte nomine comunis Bononie recipere teneantur vice qualibet eisque prestare patientiam et liberam facultatem videndi, inquirendi et examinandi predicta et quodlibet predictorum ipsisque totaliter et effectualiter obedire et iniungenda per eos adimplere occasionibus predictis. Nec non eisdem dominis ancianis seu mittendis pro eorum parte pro predictis videndis et examinandis honorabiliter prandium facere parari et administrare ipsius rectoris seu gubernatoris expensis de introitibus dicti pontis et etiam ad plenam fidem et testimonium rei et iuris spectantis ad comune predictum teneatur ipse rector seu gubernator conferre comuni Bononie anno quolibet de mense iunii in vigilia seu ante vigiliam beati Petri apostoli per unam diem libras quinqueginta bononinorum unius honorabilis et decentis bravii de veluto laborati de seta in cuius bravii sumitate sint insignia comunis Bononie. Quod bravium die festi predicti ponatur ad cursum equorum ut moris est. Et quia ad presens predictus pons eget reparatione et formatione merlorum statuimus et mandamus, quod rector sive gubernator predictus precise teneatur et debeat dictum pontem merlare seu merlari facere de bonis cementis et lapidibus faciendo fieri singulis annis quinqueginta merlos ad minus et muros necessarios supra dicto ponte ab utraque parte occasione merlorum fiendorum facere fabricari. Et predicta omnia et singula cum facta erunt manutenere et quociens opus fuerit reficere de fructibus et redditibus supradictis et generaliter omnia et singula supradicta et alia quecumque occurrentia vel que utilia et necessaria videbuntur dominis antianis populi Bononie pro predictis faciendis et conservandis effectualiter et absque strepitu facere adimplere et eis pro predictis totaliter obedire omni exceptione remota. Que autem dicta sunt et ordinata de domo hospitali et ponte de Reno seu de Viola et possessionibus, iuribus et pertinentiis dicte domus hospitalis dicti pontis nec non de rectore, gubernatore seu administratori predictorum domus, hospitalis et pontis statuimus et mandamus observari debere in omnibus et per omnia in domibus hospitalibus et³⁰⁰ pontibus scilicet ponte Idicis, ponte qui est super flumen Quaderne et ponte qui est supra flumen Seleris in curia castri Sancti Petri qui sunt super stratam per quam itur ad partes Romandiole et ponte Casalichi de Reno nec non ponte Sancti Anthonii qui est supra Sapinam in strata Santi Vitalis et ponte Ydicis qui est in terra Castenasii super dicta strata. Et de ipsis pontibus et omnibus aptandis, reficiendis et reparandis ac possessionibus iuribus et pertinentiis ipsorum nec non de electione rectoris, gubernatoris et administratoris ipsarum domorum hospitalium et pontium et possessionum ipsorum qui nunc sunt vel pro tempore fuerint in quantum et quibus adaptari possunt ac etiam in omnibus aliis domibus//

²⁹⁹ <suplere> *segue tamen depennato.*

³⁰⁰ <et> *in infralinea.*

[c. 143r f. CXXXIII]

hospitalibus et pontibus que pro comuni Bononie hactenus dicantur consueti construi et consueta seu de quibus hactenus reperiretur provisum per comune Bononie super electione rectorum, gubernatorum seu administratorum ipsorum ac constructione, reparatione, reformatione et conservatione ipsorum pontium, domorum, hospitalium ipsorum et que dicerentur quoquomodo pertinere seu pertinuisse ad comune Bononie seu qui et que soliti et solite sunt aliquo tempore reparari, refici vel reformari, gubernari seu administrari per ipsum comune Bononie vel alium vice et nomine dicti comunis excepto quam quod dictum est de pecunia danda pro bravio et merlis fiendis. Insuper ordinamus, quod rector seu gubernator dicti pontis Idicis, qui est super Stratam Maiorem per quam itur ad partes Romandiole qui est ad presens et qui pro tempore fuerit teneatur et debeat singulis annis de mense augusti in vigilia seu ante vigiliam beati Bertholomei apostoli per unam diem conferre comuni Bononie libras quadraginta bononinorum ad emtionem unius boi, ronceni et unius ancipitris atque duorum bonorum bracor et unius bone porchete. Qui roncenus, ancipiter, brachi et porcheta preponatur ad cursum dicta die festi sancti Bertholomei ut moris est in civitate Bononie.³⁰¹ //

[c. 145r f. CXXXV]

[30] **De officio et iurisdictione iudicum et militum civilibus deputatorum ad disca palacii. Rubrica.** [c. 145r]

Quia de electione infrascriptorum officialium comunis Bononie constat esse³⁰² provisum restat subicere de ipsorum officialium officio et iurisdictione et primo de officialibus et iurisdictione officialium elligendorum³⁰³ ad causas civiles ad disca palacii pro dicto comuni, idcirco statuimus, quod iudex et miles seu socii litterati dictorum³⁰⁴ iudicum ad dictas civiles ad dischum Cervi et ad discum Equi et Griffonis ad discum Montonis et ad discum Bovis et quilibet ipsorum possint et debeant cognoscere de omnibus et singulis questionibus et causis civilibus que coram eis moverentur vel coram suis precessoribus mote fuissent et etiam de his de quibus haberent iurisdictionem ex forma nostrorum statutorum et super eis procedere et eas sine debito terminare et executioni mandare quatenus suo tempore terminando venirent cognoscendo, procedendo et terminando executioni mandando solum secundum formam statutorum comunis Bononie ubi de hoc statutum reperiretur aliter secundum formam iuris³⁰⁵ comunis civilis. Et teneantur dicti officiales in predictis omnibus ius reddere cuicumque forma predicta et pro dicto iure reddendo stare continue diebus et horis iuridicis ad eorum disca ad que elligentur et omnia facere et observare que eisdem comissa sunt vel comitterentur secundum formam nostrorum statutorum et a prohibitis omnibus abstinere. Et facere possint et debeant que quilibet iudex ordinarius in civilibus facere posset seu teneretur et ab his abstinere a quibus iudex talis abstineret deberet et his solum exceptis ab eorum cognitione processu et diffinitione que predicta statuta excepta repirentur. Lucrum omne quod exinde obvenerit eis sibi ad invicem et sociis suis et notariis equaliter communicare teneantur, possint que media cause per solum iudicem expediri, absente milite seu socio litterato. Et quia propter penuriam iudicum civium Bononie qui ad dicta officia elligi consueverunt et ipsa officia exercere interdum

³⁰¹ *Il resto della carta è bianco, vi compare la seguente annotazione archivistica scritta a matita: Non vi è mancanza vedi in fine il registro dei Notai. Le rubriche corrispondendo al testo ad onta della presente lacuna si ritiene non esservi mancanza. Le cc. 143v, 144r f. CXXXIII^{or}, 144v sono bianche; nel margine inferiore di quest'ultima: de officio et iurisdictione.*

³⁰² <esse> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁰³ <elligendorum> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁰⁴ <dictorum> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁰⁵ <iuris> *segue comunis depennato.*

accidat non reperiri iudices de collegio iudicum qui ipsum officium exercere possint vel vellint, statuimus, quod iudex ad officium Equi exercere possit et³⁰⁶ eodem tempore officium Griffonis et e converso iudex ad officium Griffonis exercere possit officium iudicis Equi. Item iudex ad officium Bovis exercere possit officium iudicis Montonis et e converso et iudex ad officium Montonis exercere possit officium iudicis Bovis, in casu in quo iudex ad officium illud deputatus dictum officium exercere nollet vel non posset et gesta et facta per eum valeant et teneant ac si gesta fuissent per iudicem ad dictum officium specialiter³⁰⁷ deputatum nisi fuerit recusatus. Et etiam quod quilibet iudex exercens aliquod de dictis officiis possit etiam esse iudex ad discum Cervi et ipsum officium iudicis ad discum Cervi exercere possit etiam eodem tempore.

[31] **De iurisdictione iudicis et militis officio bannitorum. Rubrica.** [cc. 145r-145v]

Item dicimus, quod iudex et miles seu socius literatus ad discum bannitorum possint cognoscere solum de questionibus et causis que coram eis moverentur super cancellatione alicuius bani seu figure banni pro maleficio seu delicto vel super nullitate predictorum vel singulis super utraque et super eis procedere eaque sine debito terminare cognoscendo, procedendo et terminando sumarie et solum secundum formam dictionum statutorum³⁰⁸ vel iuris ubi dicta statuta deficerent suasque sententias executioni mandare et mandari facere forma predicta et teneantur et possint dicti officiales in predictis omnibus ius reddere et pro iure reddendo stare ad dictum discum tantum his exceptis ab eorum cognitione processu et diffinitione que excepta vel alii commissa reperirentur et super predictis omnibus procedere possint quocumque tempore etiam feriato videlicet his diebus et horis quibus procedi poterint in maleficiis secundum formam statutorum comunis Bononie dum tamen non possint facere vel mandare aliquem bannitum vel in figura banni conscriptum cancelari, tolli vel subscribi contra formam vel prohibitionem aliquorum statutorum comunis Bononie. Possint et teneantur etiam exemplari facere per notarium seu alterum ex notariis qui preerit ad discum predictum³⁰⁹ et officium bannitorum ipsorum durante officio omnia banna et figuras bannorum tam pro maleficio quam pro debito que eis ad exemplandum darentur vel consignarentur per aliquos officiales comunis Bononie vel mandato ipsorum prout in originale continebitur tantum infra tempora ordinata et non ante in quaternis equalibus et cartis membranibus de quibus omnibus fiat unus liber sub titulo seu nomine ipsius potestatis cuius tempore fierent su//

[c. 145v]

pradicta. Qui notarii predicta et infrascripta facere teneantur omni modo et etiam teneantur dictis officialibus obedire in his que spectant ad eorum officium. De quibus exemplaturis possint ipsi officiales congruam solutionem recipere et exigere ab ipsis bannitis et in eorum bonis vel eis non existentibus solvendo ab eis ad quorum petitionem dicta banna data essent et de ipsis bannis et figuris bannorum dari facere copiam et sumtum cuicumque inspiciendi et scribendi ac etiam in formam publicam manu alterius ex notariis predictis cui copie seu sumpto in cartis membranibus scripto manu alterius ex notariis predictis cum subscriptione et signo dicti notarii et subscriptione duorum aliorum notariorum dicto officio deputatorum plena fides adhibeatur tamquam originali etiam solempnitatibus iuris comunis non intervenientibus

³⁰⁶ <et> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁰⁷ <specialiter> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁰⁸ <dictionum statutorum> *dittografato e depennato.*

³⁰⁹ <predictum> *segue la lettera d cassata.*

apponendo milesimum, mensem et diem³¹⁰ quibus sumpserit vel exemplaverit dictum bannum ex dictis libris bannitorum et diem qua subscripserit libro originali semper penes officiales retento in camera que est³¹¹ iuxta dictum discum bannitorum et facta sibi solutione debita pro predictis. Et idem dicimus in sunt ex dictis libris vel aliquo eorum continente cancellationem alicuius banni unius vel plurium subscripto ut supra. Teneantur etiam una cum suis notariis pettere a suis precessoribus in dicto officio libros omnes dicti officii sibi consignari ipsamque consignationem recipere et eos et alios quoscumque eorum tempore faciendos custodire et salvare et statim finito officio suis successoribus in dicto officio consignare et ab eis promissionem recipere pro comuni Bononie de dictis libris custodiendis et salvandis et sui successoribus consignandis modo predicto, sub pena mille librarum bononinorum de quibus promisionibus et consignacionibus fieri debeant publica instrumenta. Et generaliter omnia et singula facere possint et teneantur³¹² que comissa sunt eis vel comittentur vel ad eorum officium quomodolibet pertinerent et in sibi comissis facere possint que quilibet iudex ordinarius facere posset et ab illicitis et prohibitis omnibus totaliter abstinere teneantur et facienda per eos scribi facere teneantur per notarios deputatos ad officium predictum elligendos in consilio quatuormilium. Statuentes, quod predicti officiales vel aliquis eorum per se vel alium non audeat vel presumat dictos libros bannitorum vel aliquem eorum exportare vel amovere de dicta camera et disco, sub pena quingentarum librarum bononinorum possint tamen amovere dictos libros de camera predicta et portare ad dictum discum et e converso. Et intelligantur dicti libri esse ad dictum discum bannitorum quoniam sunt vel esse reperiuntur in dicta camara.

[32] **De officio notariorum presidentium ad causas civiles³¹³ ad disca palatii.**
Rubrica. [cc. 145v-146r]

Item, quod notarii ad discum domini potestatis seu Leonis, ad discum Aquile, ad discum Cervi, ad discum Equi, ad discum Griffonis, ad discum Bovis et ad discum Montonis, teneantur toto tempore sui officii singulis diebus et horis iuridicis venire, esse et stare in palacio veteri ad eorum disca et officia exercenda scilicet de mane et post nonam saltem, pulsata campanella que pulsatur pro iure reddendo, et ibidem sedere in loco inferiori solito quamdiu sedebunt eorum iudices seu officiales ad eorum disca pro iure reddendo et parere dictis suis iudicibus et officialibus in his omnibus que ad ipsorum iudicum et officialium vel ipsorum notariorum officium pertinerent et omnia acta et sentencias scribere, que et quas coram eis fieri occurrerit occasione dicti sui officii clare, distincte et aperte sub suis mensibus, diebus et horis, ubi de horis tractaretur, et successive et ordinate et prout ea processerint et de eis dare copiam cuicumque petenti dum tamen sua interesse iuraverit vel eius pro quo copia petteretur, facta ei solutione de eo quod pro predictis solvi deberet orriginali semper penes eum retento. Item teneatur scribere cridas seu proclamationes bannorum quascumque ad comune Bononie spectantes et dies feriatos clare et distincte et multas et credentias eis impositas et atestationes testium pro eos receptorum secretas retinere quamdiu debuerint propalari vel publicari soluciones que recipere secundum formam statutorum de hoc loquencium et facere omnia eis comissa et comittenda seu que facere tenerentur ex forma dictorum statutorum. Mandantes, quod quilibet predictorum notariorum ad civilia et disca et officia predicta//

³¹⁰ <et diem> *dittografato e depennato.*

³¹¹ <est> *segue la lettera d cassata.*

³¹² <teneantur> *segue et possint depennato.*

³¹³ <civiles> *segue Rubrica depennato.*

[c. 146r f. CXXXVI]

deputatorum vel deputandorum ellectorum vel elligendorum et quilibet alius notarius civis vel forensis cuiuscumque condicionis existat et etiam notarii appellationum infra tres menses, deposito suo officio, teneantur et debeant debito tempore in publicam formam in uno libro in cartis membranis eiusdem forme et ad formam cartarum librorum memorialium contractuum et ultimarum voluntatum scribere et registrare omnes sententias diffinitivas vel quem vim et naturam diffinitivarum sapiant latas et datas suo tempore et per eos scriptas super quantitate, re mobili vel immobili vel facto summe precii vel extimacionis viginti librarum vel ab inde supra et etiam precepta facta in confessum excedencia quantitatem predictam viginti librarum et recogniciones factas de scriptis privatis excedentibus summam viginti librarum bononinorum et etiam confessiones et obligationes quascumque in iudicio factas excedentes summa predicta nisi fierent dicte confessiones vel obligaciones necessario vel in consequentiam in causis seu controversiis coram eis motis sive ante contradictionem factam petitioni actoris sive post et omnes declarationes priorum rerum acceptarum seu que acciperentur vigore pacti precarii vel de ingrediendo vel alterius conventionis excedenti supradictam summam exceptis sentenciis que fererentur seu daretur super tenuta danda vel data, confirmanda vel revocanda vel annullanda et omnia et singula acta ex quibus aliquod bannum debiti formatum vel secutum fuerit a viginti libris bononinorum supra nomine sortis et ipsum librum una cum subscriptione sui dare, consignare et dimittere ad camaram actorum populi et comunis Bononie ac penes alterum ex notariis seu officialibus dicte camere deputatis. Quibus scripturis libris et sentenciis plena fides adhibeatur et detur, non obstante quod acta talis sentencie vel sententiarum de quibus supradictum est vel aliqua pars eorum non reperirentur facta vel negarentur legitime facta esse vel aliquod de contentis in eis nisi appareret ipsa acta non legitime facta esse. Illa vero acta que ad camaram sunt ponenda ut supra³¹⁴. Et sentencie que modo predicto non fuerint auctenticata, auctenticata et consignata et consignata careant viribus et effectu et nullius sint momenti; ad quam fiendam teneantur modo predicto dicti notarii, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet sententia, precepto seu actis non consignatis ut supra et interesse reficiendum parti lese ex obmissione predicta ad quod cogi possint et debeant summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii, de facto, absque processu et condenacione fienda realiter et personaliter per dominum potestatem³¹⁵ Bononie vel eius vicarium, sub pena ipsi vicario et potestati et cuilibet eorum qui requisitus fuerit super hoc et negligens ducentarum librarum bononinorum tempore sindicatus de facto auferenda et retinenda. Item providemus et iubemus, quod vicarius domini potestatis qui pro tempore erit precise teneatur supradictos notarios qui pro tempore fuerit ad civilia deputatos infra mensem ab introitu sui officii compelere ad faciendum unum librum cartarum pecudinarum et illum consignandum camere predicte, in quo libro quilibet ipsorum notariorum ponere et retinere unum quaternum sub suo nomine intitulatum teneatur et illo quaterno postea summatim scribere seu mentionem facere de tali qualibet sententia et precepto ab eo scribenda et per quem lata sint et qua die et inter quos et super quo, ita quod de ipsa sententia veritas sciri possit³¹⁶. Providentes, quod si contingat aliquem notarium mori vel absentari ex necessaria vel probabili³¹⁷ causa vel infirmitate impediri durante eius officio vel post ante tempus depositionis fiende de sentenciis et preceptis et aliis predictis ille cui comisse fuerint rogationes et acta ipsius notarii possit predicta vel quodlibet predictorum deponere ad

³¹⁴ <supra> segue il segno di capoverso eraso.

³¹⁵ <potestatem> segue la lettera p cassata.

³¹⁶ <possit> segue la lettera p cassata.

³¹⁷ <probabili> nel testo probali.

cameram actorum infra dictum tempus vel post infra duos menses a die comissionis facte, sub pena predicta. Et tali depositione facta adhibeatur fides predictis scripturis et eandem vim habeant ac si fuissent manu dicti notarii defuncti vel absentis scripte ut supra.

[33] **De officio notarii officio bannitorum. Rubrica.** [cc. 146r-146v]

Item, quod notarii ad discum et officium bannitorum teneantur venire et stare et sedere ut supra et acta et sentencias scribere et de eis copiam dare ut supra in precedenti proximo statuto [31] et cancelationes que fieri³¹⁸ debuerint de aliquo³¹⁹ banno vel figura banni pro maleficio vel debito facere si non//

[c. 146v]

fuerit contra formam aliquorum statutorum comunis Bononie de mandato tantum suorum officialium et non aliter; de quo mandato debeat apparere publica scriptura manu alterius ex notariis dicti officii dun tamen non sit scripta manu illius qui tale bannum cancellaverit, sub pena centum librarum bononinorum. Et nichilominus gesta per eos aliter ipso iure non valeant et suo iudici et militi obedire et copiam scripturarum facere, credencias et atestaciones testium per eos receptorum secretas retinere, soluciones recipere secundum formam nostrorum statutorum librosque et scripturas omnes ad dictum officium pertinentes petere a suis precessoribus sibi et dictis suis iudici et militi consignari et una cum eis custodire et salvare et successori consignare et ab eis promissione recipere in omnibus et per omnia ut de ipsis iudice et milite dictum est. Teneantur etiam ipsi notarii singulis sex mensibus durante eorum officio inter eos habere et retinere unum librum in cartis membranibus in quo quilibet ex dictis notariis qui aliquem vel aliquos cancelaverit de banno vel aliquo ex liberis banitorum scribat sua manu propria hoc verba videlicet: Ego talis notarius, ponendo nomen et prenomen ipsius notarii officio banitorum, in tali mense millesimo et die, cancellavi de tali libro bannitorum in quo descriptus erat pro bannito ex tali causa, quam cancellacionem feci, vigore talis provisionis vel ex tali causa. Quem librum teneantur deponere dicti notarii vel alter ipsorum ad cameram actorum comunis et populi Bononie infra unum mensem proxime futurum ipsorum et cuiuslibet eorum finito officio, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum et nichilominus possint compelli³²⁰ omnibus iuris et facti remediis opportunis per quencumque officialem comunis Bononie ad predicta facienda. Et omnia et singula facere que ad ipsorum officium pertinerent seu que facere tenerentur ex forma dictorum statutorum, sub pena in dicto statuto contenta. Et vacent dicti notarii a dicto officio omnino per unum annum a die depositi officii et si quis vacatione durante predicta dictum officium expiraverit directe vel indirecte incidat penam centum librarum bononinorum de facto auferendam et gesta per eum ipso iure non valeant et ad petitionem cuiuscumque potestas ex officio procedere teneatur contra delinquentem in predictis vel aliquo predictorum et quilibet contrafacientes in predictis vel aliquo predictorum possit denunciare et accusare palam vel secrete et habeat quartam partem dicte condempnationis et teneatur in credencia et vigore dicti mandati et pronuntiationis que fieret ob predicta³²¹ nichil accipere possint.

[34] **De officio notariorum ad discum Ursii. Rubrica.** [cc. 146v-147r]

³¹⁸ <fieri> segue de depennato.

³¹⁹ <debuerint de aliquo> in infralinea con segno di inserzione.

³²⁰ <compelli> segue ad pri depennato.

³²¹ <predicta> dittografato.

Providemus, quod notarii ad discum Ursi teneantur durante suo officio venire, stare et ad dictum discum Ursi sedere et suo iudici obedire, acta et sentencias scribere in cartis membranis, condenationes et multas et malpagos cuiuscumque condicionis que et qui cancellari petterentur de libris qui essent penes eos si cancellari debuerint et non sit contra formam predictorum statutorum cancelare et de scripturis copiam facere. Credencias et attestaciones in secreto tenere, solutionesque recipere ut supra, libros quoque condenationum et multarum et quorumcumque malpagorum et alia ad dictum officium pertinentia petere a suis precessoribus sibi consignari ipsosque et alios eorum tempore faciendos seu eisdem consignandos, custodire et salvare et statim, finito suo officio, successori consignare et ab eis promissionem exigere ut supra dictum est de officialibus banitorum [33], sub pena quingentarum librarum bononinorum. Et generaliter omnia et singula facere que ad ipsorum officium quolibet pertinerent et sibi comiterentur vel comissa essent et que facere tenentur ex forma dictorum statutorum nec possint aliquem cancellare sine mandato dicti iudicis. Et vacent omnino dicti notarii et quilibet eorum a dicto officio per annum. Et si quis durante vacatione predicta dictum officium exercuerit directe vel indirecte incidat penam centum librarum bononinorum de facto auferenda. Et gesta per eum durante dicta vacatione ipso iure non valeant. Et// [c. 147r f. CXXXVII]

nichilominus teneatur parti lese ad interesse ad quod interesse prestandum cogi possit et debeat per vicarium domini potestatis summarie, sine strepitu et figura iudicii et vigore mandati predicti de cancelando aliquem vel pronuntiationes que fieret nil accipiant.

[35] **De officio depositarii prepositi ad cippum sive ad discum Ursii. Rubrica.** [c. 147r]

Mandamus, quod depositarius ad discum Ursi teneatur et debeat venire et stare continue ad dictum officium opperandum in loco solito singulis diebus et horis quibus palacium vetus comunis Bononie staret appertum et alii officiales ad dictum discum steterint cum eorum iudice presidente et recipere a quocumque solvere volente, suo vel alieno nomine, aliquid quod comuni Bononie deberetur pro aliquibus condenationibus seu multis factis vel datis vel fiendis seu dandis, vel pro aliquibus penis quas condemnati vel multati incurrissent, vel ex aliis causis ex quibus datus esset aliquis pro malpago in libris ibidem positis vel debitores essent vel reperirentur dicti comunis in quantum ad eius officium pertineret et id quod receperit scribere teneatur ad suum introitum et comunis Bononie scribendo diem solutionis et cuius nomine solveretur et quantitatem solutam et pro qua condemnatione, multa seu pena vel alia causa et cuicunque petenti cartesella solucionis facere, pro quibus solucionibus accipiat solum secundum tassacionem ordinatam et omnem pecuniam que ad ipsius manum pervenerit de condenationibus, multis et penis seu aliis supradictis³²² ea die qua pervenerit vel postea infra octo dies consignare et tradere teneatur depositario generali averis et pecuniarum comunis pro ipso comuni recipienti, librumque sui introitus in cartis membranis in formam publicam consignare et dimittere in camara penes officiales camere actorum infra unum mensem finito suo officio et rationes sui introitus reddere teneatur etiam non requisitus deffensoribus averis comunis Bononie finito suo offitio³²³ infra quindecim dies; reliquaque omnia que penes eum reperirentur de dicta pecunia infra mensem, finito suo officio supradicto, dicto depositario generali consignare et tradere teneatur etiam si super vel pro predictis non fuerit requisitus, sub pena contenta

³²² <supradictis> *corregge* scupradictis.

³²³ <et rationes sui introitus reddere teneatur etiam non requisitus deffensoribus averis comunis Bononie finito suo offitio> *a margine laterale destro con segno di rinvio su 4 righe.*

in statuto posito sub rubrica ‘De electione et officio generalis depositarii’ [I, 33] et omnia et singula facere que ei comitterentur vel ad ipsius officium quomodolibet pertineret. De quibus et pro quibus omnibus adimplendis et conservando comune indemne ab omnibus supradictis satisfacere teneatur coram procuratoribus dicti comunis Bononie de mille libris bononinorum cum obligationibus et personalibus et realibus renunciationibus et clausulis usitatis per octo dies ad minus ante principium sex mensium pro quibus ad dictum officium electus fuisset cuius fideiussores per alterum ex approbatoribus comunis Bononie debeant approbari aliter a dicto officio repellatur in totum etiam si voluerit postea satisfacere et eius loco in consilio per duos antianos alius elligatur et habeat dictus³²⁴ depositarius vacationem a dicto officio per bienium nec possit dicta vacatione durante suo nomine vel alieno per se vel alium in dicto officio se intromittere aliquid recipiendo vel scribendo, sub pena centum librarum bononinorum eidem de facto auferenda per iudicem Ursi.

[36] De officio notariorum ad officium procuratoris comunis Bononie. Rubrica. [cc. 147r-147v]

Statuimus, quod notarii ad discum et officium procuratorum et iurium comunis Bononie teneantur venire, stare et sedere et suis officialibus obedire ut supra ad discum Elefantis et facere et scribere ea que scribenda occurrerint ex officio predictorum et nomina officialium et familiarium domini potestatis et aliorum officialium forensium comunis Bononie que sibi vel suis officialibus dabuntur registrare in libris actorum suorum cui registracioni plena fides adhibeatur et detur prout originali scripture quam registrarit et finito suo officio infra quindecim dies instrumenta que fecerint et securitates quas receperint pro ipso comuni et ceteras scripturas quas fecerint ad utilitatem dicti comunis consignare in cartis membranis manu propria cum titulo et publicatione³²⁵ et aliis oportunis pro fide ipsorum in camera actorum et penes officiales ipsius camere et penes eos dimittere et cetera alia facere et exercere que ad ipsorum notariatus officium pertinerent et ad predicta compelli possint et debeant ad petitionem cuiuscumque remediis opportunis. Et si ut supra non consignaverint et dimiserint penam incidant ipso facto centum librarum bononinorum et comune Bononie indemnem conservare teneantur. Item teneantur//

[c. 147v]

dicti notarii scribere talias comitatus Bononie et satisfactiones prestandas generales per massarios terrarum comitatus predicti. Et de dictis talias scribere et facere unum librum per se et de omnibus satisfactionibus recipiendis per dictos procuratores unum alium librum per se. Quos libros consignare teneantur in forma publica ad cameram actorum comunis Bononie infra duos menses a tempore finiti sui officii. Quibus libris plena fides adhibeatur donec contrarium probaretur.

[37] De camara actorum comunis et populi Bononie et officio notariorum dicte camere et ipsarum unione. Rubrica. [cc. 147v-148r]

Quia expedit pro bono³²⁶ publico civitatis Bononie scripturas, acta et quecumque iura spectancia tam ad comune Bononie quam ad singulares personas sub diligenti conservari custodia et etiam ut in perpetuum memoria de ipsis habeatur, statuimus et specialiter providemus, quod camere actorum comunis et populi Bononie pro conservatione scripturarum et iurium predictorum sint intelligantur esse unite et pro camera actorum

³²⁴ <dictus> *segue vi depennato.*

³²⁵ <publicatione> *nel testo pubblicazione.*

³²⁶ <bono> *segue la lettera b cassata.*

comunis et populi Bononie censeantur et habeantur in qua camera omnia et singula acta, instrumenta contractus, scripturas et iura comunis Bononie ad dictum comune spectancia et que spectabunt de cetero ac instrumenta et scripture contractuum, ultime voluntates sentencie precepta et quecumque scripture publice que de cetero fient in iudicio vel extra que ex forma nostrorum statutorum assignari debentur et debebant in camera actorum comunis et populi Bononie et alie quecumque scripture solite et ordinate debere conservari in qualibet vel altera ex dictis cameris custodiri debeant diligenter et absque corruptione servari, et facti et facte seu fienda que assignari et deponi debent et debebunt vigorem nostrorum statutorum in ipsa camera deponi et assignari debeant notariis ipsius camere deputatis et ellectis ad brevia ad cameram predictam qui pro tempore erunt vel alteri ipsorum notariorum ut in ipsa custodiatur et de eis copia videndi et legendi gratis fiat petentibus quibuscumque. Providentes, quod pro custodia et ad custodiam predictarum scripturarum actorum et iurium ac librorum in quibus predicta continentur et pro copia de eis facienda petentibus quatuor notarii qui elliguntur et elligi consueverunt et debent ad brevia ad camaram actorum comunis atque populi Bononie sint et esse debeant socii officio ipsius camere secundum tempora suarum ellectionum et ipsi camere servire et predicta et quodlibet predictorum legaliter custodire incorrupta et ea suis successoribus ordinate consignare per publica instrumenta et de huiusmodi consignatione fienda et registranda in memorialibus comunis Bononie in quibus instrumentis contineatur clare et apperte omnes et singuli libri qui sunt in ipsa camera et quorum manu sunt scripti et numerus cartarum scriptarum et non scriptarum et si pro parte aliqua est scripta vel non scripta et in parte non scripta per transversum³²⁷ cum calamo vergulare ita, quod aliquid ibi scribi non possit. Qui notarii teneantur apperire dictam cameram et eam appertam tenere singulis diebus non solemnibus videlicet de mane in mediis tertiis usque ad horam terciarum inclusive et post nonas a vesperis scolarium usque ad vigesimam secunda hora de estate, sed ieme usque ad horam vigesimam tertiam ad minus, ad hoc³²⁸ ut facilius possit quilibet videre ea que in ipsa camera continentur, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et etiam custodire ipsam cameram et contentam in ea et durante eorum officio ipsas scripturas summere et exemplare quociens peti contigerit et ob id competentes soluciones et mercedes recipere. Ita tamen, quod ultra terciam partem eius quod notarius principalis qui scripturam confecit accipere non possit ab aliquo aliquam scripturam petente et recipiente, sub pena decem librarum bononinorum vice qualibet a quacumque contrafaciente exigenda de facto per iudicem Ursi informatione veritatis habita et recepto prius sacramento conquerentis et nichilominus tali conquerenti id quod ultra receperit in duplum restituere teneatur pro ostendendo vero aliquam scripturam pettere vel recipere non possit sub dicta pena. Quibus scripturis repertis seu depositis in dicta camera que ibi deponi debuerint fidem volumus adhiberi nec non summtis et exemplatis ab ipsis scripturis repertis in dicta camera predictos notarios vel alterum eorum si in quolibet summo vel exemplato per ipsos notarios vel alterum eorum subscriptio notarii qui sumpserit contineat annum, mensem et diem quibus scriptura sumpta et exemplata fuit ac etiam sit subscriptio alterius//

[c. 148r f. CXXXVIII]

ex dictis notariis qui eam non sumpserit. Mandantes etiam, quod ipsi notarii in principio sui officii teneantur a suis precessoribus pettere ac recipere assignatione librorum et scripturarum existentium et que esse debent in ipsa camera et que a suis precessoribus consignati et consignate fuerint et ipsis vel aliis eisdem assignandis

³²⁷ <transversum> *nel testo* transfersum.

³²⁸ <hoc> *in infralinea*.

aliquid non addere vel detrudere aut aliquid addi vel detrudi permittere quovis modo. Iubemus etiam, quod ipsi quatuor notarii labores occurrentes in predictis et pro dictis comuniter et pariter debeant supportare et modo simili lucra et profectus que et qui ex his fient comunicare et dividere, omni fraude et prorogantia cessantibus et quod nullus possit dictum officium exercere vel ad illud elligi contra formam nostrorum statutorum. Et quod ipsi notarii et quilibet eorum sint etatis treginta annorum ad minus. Et vacare debeant a dicto officio camere et a pertinentibus ad dictum officium per spacium duorum annorum et cum eis vel aliquo eorum modo aliquo non possit dispensari et si quis eorum acceptaverit infra dictum tempus aliquod officium ad dictam cameram vel se intromiserit de dicto officio vel de aliquibus pertinentibus ad dictum officium per se vel alium directe vel per oblicum puniatur in libris quinquaginta bononinorum pro quolibet eorum et qualibet vice auferenda de facto contrafacienti in predictis vel aliquo predictorum per dominum potestatem Bononie vel alterum ex iudicibus dicti domini potestatis Bononie. Item quod aliquis medio tempore quo exercuerit dictum officium non possit ministerium procuratoris exercere. Teneantur etiam ipsi notarii officium predictum sufficienter et legaliter operari et omnia facere que ad predictum officium pertinere noscuntur et ab illicitis et indebitis abstinere. Insuper pro maiori tutione dictarum scripturarum et actorum in quibus consistit maxima tutela iurium dicti comunis et iurium singularium personarum ne de facili perire aut periclitari valeant, statuimus, quod iuxta palacia comunis Bononie et iuxta scalas ipsorum palaciorum, que sunt a latere scaranie, fiat dicta camera de bonis et grossis muris et bona calcina in voltis lapideis et cum hostiis et fenestris ferris, ita quod verisimile sit eam vel illam que essent in ipsa camera igne concremari non posse rumpi vel tolli in qua camera ponantur omnes scripture que sunt in dicta camera et omnes alie scripture que deponi, poni vel assignari debent ad cameram actorum comunis et populi Bononie ex forma nostrorum statutorum. Quam cameram fieri facere teneantur defensores averis comunis Bononie qui pro tempore fuerint de pecunia et avere comunis Bononie, quam pecuniam pro predictis necessariam generalis comunis Bononie depositarius omni modo solvere teneatur.

[38] **De offitio notariorum ad memorialia. Rubrica.** [cc. 148r-151r]

Conservare volentes officium memorialium contractuum et ultimarum voluntatum civitatis et comitatus Bononie utile et necessarium comuni Bononie, et ut ipsum officium suum consequatur effectum statuerunt et ordinauerunt, quod notarii qui electi et deputati sunt et alii qui per tempora elligentur et deputabuntur ad officium memorialium contractuum et ultimarum voluntatum teneantur et debeant ante principium sui officii seu in principio dicti sui officii de ipsis elligere et nominare duos notarios fideiiores et expertos in ministerio de numero notariorum, qui pro sex mensibus inceptis seu de proximo incipiendis servire debeant dicto officio secundum electionem de eis factam in consilio quatuor milium, quos crediderint sufficientiores esse pro officio massarii generalis tocius dicti officii et introituum in ipso officio percipiendorum. Et tunc elligere et nominare de se ipsis tres provisores, quos crediderint meliores et sufficientiores et nomina predictorum electorum tam ad officium massarii quam provisorum ea die vel sequenti qua nominati erunt in scriptis dare dominis correctori et consulibus societatis notariorum, qui pro tempore erunt, vel maiori parti eorum. Et ultra nomina predictorum eis etiam in scriptis dare alia nomina et prenomina notariorum electorum pro dicto tempore ad dictum officium memorialium quibus nominationibus sic factis et in scriptis datis cum nominibus aliorum notariorum dicti officii. Ipsi domini corrector et consules ipsa die vel postea infra duos dies ad plus teneantur et debeant

precise vocare e vocari et congregari facere consilium quadraginta societatis notariorum, et dicto consilio sic congregato ab ipsis//

[c. 148v]

dominis correctore et consulibus, prius prestito sacramento de bona nominatione fienda coram extantibus in eo ipsi corrector et consules vel maior pars eorum debeant nominare, ultra nomina predictorum unum de³²⁹ numero dictorum notariorum, quem crediderint ad officium massarii predicti sufficientem et ydoneum et tres alios de eodem numero, quos crediderint sufficientes et fideiorem ad officium provisoris dicti officii. Et tunc nomina ipsorum omnium notariorum tam per ipsos dominos correctorem et consules quam per notarium dicti officii publicare in dicto consilio et ipsis nominibus publicatis in ipso consilio ipsorum nomina divisim scilicet cuiuslibet nomen³³⁰ in uno brevi scripta includantur et ponantur in capello seu capelina et postea singulariter et incontinenti extrahantur ad sortem et de quolibet per se fiat partitum in dicto consilio cum fabis albis et nigris ibidem dandis ipsis consiliariis et ab eis tunc recolligendis per duos per quos voluerint dictas fabas colligi et singula scrutinia sic facta in scriptis reducantur et in secreto teneantur, donec ipsa scrutinia facta erunt et in continenti ipsis scrutiniis sic factis singula nomina ipsorum scrutinatorum cum suo scrutinio ibidem publicentur et eis publicatis ille qui plures voces habuerit et in scrutinio otinuisse videbitur ad officium massarii sit et esse intelligatur masarius introituum dicti officii pro dicto tempore dum tamen sit etatis ad minus treginta annorum et tres de aliis³³¹ nominatis ad officium provisoris qui in scrutinio obtinuerint ut supra vel obtinere seu otinuisse videbuntur ad dictum officium provisoris sint et esse intelligantur provisores pro dicto tempore ad dictum officium memorialium³³² et si aliqui ex predictis concurrerint in pari scrutinio tunc iterum dicti pares in scrutinio tocienis scrutinentur quod alter ex eis in scrutinio obtineat. Et quod in quolibet casu in quo aliquis predictorum masarii et provisorum negligeret, tarderet vel obmitteret suum officium exercere aut illi interesse prout esse³³³ debbit et etiam in casu in quo ex iusta causa esset impeditus de qua negligencia, obmissione et causa stetur declarationi dominorum correctoris societatis³³⁴ notariorum et consulum ipsius societatis, tunc temporis liceat domino correctori et consulibus et maiori parti eorum dictum masarium et provisorum negligentem vel impeditum ut supra cassare et remove ab officio massarii predicti et ab officio provisoris prout eis videbitur et ad alium loco talis cassandi ad dictum officium elligere et surrogare teneantur dicti corrector et consules vel maior pars eorum dum tamen elligendus et surrogandus sit de notariis deputatis dicto officio memorialium pro dicto tempore de qua declaratione, electione et subrogatione et etiam de alia quacumque electione fienda de dictis masario et provisorum ut supra et infra continetur debeat apparere publica scriptura scripta manu notarii³³⁵ societatis notariorum vel notarii domini correctoris dicte societatis seu alterius eorum quod instrumentum ipse notarius qui de predictis fuerit rogatus teneatur infra decem dies immediate sequentes in formam publicam scribere et scriptum consignare officialibus camere actorum comunis et populi Bononie in ipsa conservanda pro plena fide electionum predictorum cui scripture sic deposite detur et adhibeatur plena fides et etiam cuicumque sumpto ex ea

³²⁹ <de> segue la lettera n cassata.

³³⁰ <nomen> segue per se depennato.

³³¹ <aliis> in infralinea con segno di inserzione.

³³² <sint et esse intelligantur provisores pro dicto tempore ad dictum officium memorialium > a margine laterale sinistro con segno di rinvio su due righe.

³³³ <esse> segue pro depennato.

³³⁴ <societatis> nel testo societatis.

³³⁵ <notarii> segue de cancellato.

per dictos officiales camere et pro eius salario sibi debeat satisfieri competenter arbitrio domini correctoris et consulum expensis officii memorialium pro quo officio facte essent ellectiones predictae nec sit necesse tale instrumentum denunciare, ponere vel registrare aliter memorialibus comunis Bononie. Si autem ipsi notarii memorialium ad quos spectabunt ellectiones et nominationes predictorum per eos nominandorum ad dicta officia massarii et provisoris facere tardabunt, recusabunt vel obmittent aliqua vicem tamen eis prius monitis et requisitis legitime per ipsos dominos correctorem et consules vel maiorem partem eorum vel ex eorum parte quod debeant facere ellectionem predictam infra certum terminum eis statuendum per ipsos correctorem et consules et ellectionem fiendam presentare dictis correctori et consulibus ut supra dictum est tunc infra tres dies immediate sequentes teneantur ipsi domini corrector et consules dictas nominationes facere de supradictis notariis dicti officii memorialium quas ipsi notarii memorialium facere et in scriptis dare obmisissent. Et nichilominus teneantur ipsi corrector et consules³³⁶ alios nominare modo quo supra ut superius est//
[c. 149r c. CXXXVIII^{or}]

provisum. Qui omnes scrupitiniari debeant in consilio quadraginta ut dictum est ad officia predicta massarii et provisorum officii memorialium. Ille vero qui electus fuerit ad dictum officium memorialium pro massario teneatur et debeat singulis diebus visitare provisos qui habebunt suo servire officio eosque ortari et monere ut debitum temporibus morentur ad loca ordinata et ibi exercere fideliter et sollicite quecumque pertinentia ad suum officium et modo simili alios notarios dicti officii qui sociare debent et debebunt provisorum pro officio memorialium exercendo et examinare introitus pecunie pervente ad quemlibet dictorum provisorum sibi que consignari facere et in fine cuiuslibet mensis sui officii rationes dictorum introitus saldare et dictos introitus penes se retinere dividendos pro rata inter notarios qui registrabunt et scribebunt notas contractuum sibi tangentes si eas omnes registrarint ut debuerint retinendo tamen penes se continue introitus unius mensis, et ei qui non registrarint ut debuerint nichil de dictis introitibus assignare teneantur et pro alio mense nisi prius registrarint ut debuerint, ita quod in fine secundi mensis solummodo dicti officii dividere et assignare teneatur introitus mensis precedentis et in fine tertiis mensis introitus mensis proxime precedentis inter illos tantum notarios et illis tantum notariis qui registrarint ut supra et sic successive de mense in mensem. Et in fine officii³³⁷ ipsius massarii dictas rationes introitus cum dictis notariis memorialium et provisorum examinare et solidare et cuilibet suam partem assignare si notas sibi tangentes in suo libro cartarum pecudiarum scripserint ordinate et ipsum librum camere actorum assignaverint prout tenentur. Et teneatur ipse massarius finito officio suo infra unum mensem a die termini dati ad consignandum et dimittendum libros ad cameram actorum omne id et totum, quod remanserint penes eum de dicta pecunia dividenda ut supra dare et consignare etiam non requisitus correctori et massario societatis notariorum qui corrector succedat in omnibus et per omnia in locum ipsius massarii memorialium et teneatur facere registrationes fieri infra quindecim dies per notarios ipsos quibus quindecim diebus elapsis teneatur facere per alium registrarint illa que registrata non fuerint solvendo tali registranti de pecunia que debebat assignari³³⁸ notario dicto officio si registrationem ipsam fecisset ut debuisset. Et omnia alia teneatur ipse corrector facere ad que tenebatur ipse massarius officio memorialium et sub eisdem penis ad quas tenebatur ipse massarius. Et de predictis omnibus fiendis et observandis ipse massarius cum electus fuerit precise teneatur bonos et sufficientes fideiussores prestare notariis dicti officii vel alteri eorum pro se et aliis

³³⁶ <consules> *segue il compendio di modo depennato.*

³³⁷ <officii> *corregge officii.*

³³⁸ <assignari> *dittografato e depennato.*

sociis recipienti pro se ipsis et vice et nomine aliorum notariorum dicti officii absentium de quantitate mille librarum bononinorum approbanda per ipsum correctorem et consules vel maiorem partem eorum et etiam de predictis observandis iuramentum prestare. Qui massarius vacare debeat ab officio dicte massarie per tres annos a die depositi officii, provisores vero electi ad dictum officium provisoris stare et morari debeant pro dicto officio exercendo, scilicet unus ex eis ad locum solitum iuxta palacium comunis a latere scaranie, alter ad locum solitum a latere gabelle et alter in contrata et pertinenciis cambii quorum manssiones et deputationes fiende in dictis locis fiant secundum quod ipsi provisores erunt concordēs³³⁹ per sortes vel alias³⁴⁰ prout videbitur domino correctori et consulibus supradictis vel maiori parti eorum maxime consideratis comoditate et voluntate cuiuslibet provisoris. Qui provisores et eorum quilibet debeant dicto massario dicti officii pro se et sociis suis recipienti et dicto domino corectori vice et nomine predictorum notariorum officii memorialium recipienti prestare ydoneam cautionem de quingentis libris bononinorum de pecunia ad eorum manus pervenienda ex officio predicto tradenda et consignanda eorum massario que fideiussio approbari debeat per dictum dominum correctorem et consules ut supra. Et vacare debeant ab officio provisoris per quinque annos a die depositi officii. Et quod de//

[c. 149v]

cautionibus, promissionibus et satisfactionibus predictis debeant fieri publica instrumenta scribenda per notarium societatis notariorum vel notarium corectoris dicte societatis et autentica per dictos notarios consignari in camera actorum comunis et populi Bononie infra mensem a die quo fuerint facta et stipulata. Et valeant dicta instrumenta etiam si non sint in memorialibus denunciata, posita vel registrata pro quibus debeat dictis notariis satisfieri expensis notariorum officii memorialium arbitrio domini corectoris et consulum dicte societatis vel maioris partis eorum. Et quilibet dictorum provisorum habere debeat et penes se retinere unum librum cartarum banbacinarum et in eo scribere ordinate omnes et singulas denuntiationes factas et quas fieri contigerit ipsi provisorum et cuicumque alteri ex sociis suis dicti officii memorialium dicenti sibi denunciata fore vel se³⁴¹ presentem fuisse instramento vel ultime voluntati de quibus diceretur denuntiatione facta fuisse et cridas fiendas ratione ultime voluntatis iuxta ipsius ultime voluntatis denunciationem in quo libro nullus alius scribere possit vel debeat et scribendo sub suis mensibus et diebus denuntiationes notariorum factas scilicet nomina notariorum et partium denunciantium. Et quod tales fuerint provisores stetur et credatur libris provisorum positus ad camera actorum in quibus asseratur et scriptum sit tales provisores seu notarii provisorum esse. Qui notarii subrogati ad dictum officium provisorum possint et debeant librum sui precessoris complere et autenticare ac si³⁴² a principio fuissent electi. Qui libri valeant et eis fides adhibeatur ac si continue fuissent provisores et dicti provisores scribere debeant notas omnes denunciandas eisdem vel alteri eorum vel alicui ex dictis officialibus memorialium per partes vel alterum ex dictis officialibus dicentem sibi denuntiatum fore vel se presentem fore instramento vel ultime voluntati scilicet quilibet ex dictis provisoribus notas denunciandas sibi vel alteri ex sociis deputatis ad dictum officium memorialium ponendo omnes notas in uno libro in cartis membranarum vel de papiro et scribendo sub suis mensibus et diebus denuntiationes notarii factas scilicet nomen notarii et contrahentium seu aliorum denunciantium vel inter quos fieret instrumentum et super

³³⁹ <concordes> segue alias in infralinea con segno di inserzione e depennato.

³⁴⁰ <alias> in infralinea.

³⁴¹ <se> corregge esse.

³⁴² <si> segue la lettera p cassata.

quo sub brevitate verborum et tempus et locum confectionis instrumenti. Et idem de ultima voluntate ponendo nomen notarii et eius qui illam condiderit et tempus et locum ut supra et nomen presbiteri vel religiosi qui presens fuerit³⁴³ et nomen procuratoris, tutoris vel curatoris et alterius cuiuscumque qui denunciaverit³⁴⁴ aliquod predictorum et notas predictorum recipere ab eis qui scripsisset et tassare seu declarare quantum solvi debeat dictis notariis memorialium pro qualibet tali nota denunciata dummodo statutorum comunis Bononie de solucionibus fiendis notariis memorialium mentione facientibus terminum non excedat et ultra tassationem et declarationem predicta legitime facta nichil possit percipere vel habere, sub pena decem solidorum bononinorum pro quolibet solido quem plus receperint eidem de facto auferenda per vicarium potestatis Bononie vel iudicem Ursii ad denuntiationem cuiuscumque³⁴⁵ conquerentis de hoc eidem aliquam facientis probationem per scripturam libri dicti provisoris vel per unum testem cum sacramento ipsius denuntiantis, cuius pene medietas ipsi denuntianti et alia medietas comuni Bononie applicetur. Que denuntiationes contractus et ultime voluntates in scriptis redigantur per alterum ex provisoribus predictis et ipsis scripturis in predictis credatur et stetur, quam denuntiationem et notam recipere non teneantur nisi fiat solutio supradicta, solutione tamen facta recipere et scribere teneantur ut supra. De reliquis vero notariis facere teneantur tres partes comunes prout melius fieri poterit, ita quod singule partes ad singula loca predicta deputentur. Qui provisores libros dictorum denuntiationum consignare in cartis membranis teneantur in camera et apud officiales camere³⁴⁶ actorum comunis et populi et penes eos dimittere infra tres menses finito officio supradicto et etiam librum provisoris scriptum in cartis de papiro teneantur consignare correctori vel massario societatis notariorum qui pro tempore fuerit, sub pena cuilibet eorum qui non consignaverit et dimiserit ut supra viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet mense quo ultra tardaverit deponere et consignare applicanda//

[c. 150r f. CXL]

ut supra dictum est et nichilominus ipsos libros consignare compellantur ut supra et compelli possit realiter et personaliter per quencumque officialem forensem comunis Bononie ex obmissione tamen predicta nullum fiat preiudicium alicui alteri quam provisorii. Quibus libris et summendis ex eis per alterum ex notariis camere actorum comunis et populi Bononie quantum ad denuntiationes factas et personas denuntiantes et tempus denuntiationum et cridas predictas plena fides adhibeatur et detur. Dicti vero massarius et tres provisores possint et debeant singulis octo diebus videre et examinare notas instrumentorum et ultimarum voluntatum que posite vel non posite erunt in memorialibus et per quos poni debeant vel posite fuerint et illas que posite non essent dividere inter alios notarios qui eas ponere debebant quoequando eas et habito respectum ad notas positas et ponendas. Et quilibet ex dictis notariis notas eisdem ex divisione consignandas teneatur per se vel alium ex sociis dicti officii qui illas ponere vel registrare poterint ut infra ponere et scribere in dictis memorialibus infra tempora ordinata, sub pena quinque solidorum pro qualibet nota que sic registrata non fuerit applicanda et exigenda ut supra dictum est dun tamen aliquis ex predictis notariis non possit registrare notas sibi tangentes, nisi pro se solo et uno ex aliis sociis tantum dicto officio deputatis si de eius socii voluntate processerit. Et si reperiatur ultra predicta registrare aliquam notam cadat ipso iure et facto pro qualibet nota sic registratam penam

³⁴³ <fuerit> segue et denunciaverit depennato.

³⁴⁴ <et nomen procuratoris, tutoris vel curatoris et alterius cuiuscumque qui denunciaverit > aggiunto sul margine laterale sinistro con segno di rinvio su due righe.

³⁴⁵ <cuiuscumque> dittografato e depennato.

³⁴⁶ <camere> in infralineam con segno di inserzione.

viginti solidorum bononinorum eidem de facto per vicarium potestatis Bononie qui pro tempore fuerit vel per iudicem Ursi auferenda et pro dimidia applicanda denuntianti si voluerit et pro dimidia comuni Bononie et de facto exigenda ut supra et si ex eo quod deposita non esset aliquis alius damnum aliquod pateretur illud resarcire teneatur eidem et eum et eos conservare indempne et indemnes. Ita tamen quod dictus massarius vel dicti provisores vel aliquis eorum nullas ex dictis notis registrare possint. Teneantur etiam omnes et singuli notarii supradicti introitus omnes dicti officii fideliter consignare singulis diebus vel postea quam cicius fieri poterit dicto massario et ipse massarius illum introitum inter se et socios equaliter dividere possit et sic dividere teneantur ut superius dictum est. Alioquin ipse massarius expensis talis notarii obmitentis registrare predicta de lucro dicti introitus ipsi obmittenti contingente teneantur ipsas notas facere registrari per alterum ex dictis notariis infra alios quindecim dies subsequentes, sub pena ipsi massario viginti solidorum bononinorum pro qualibet nota quam non fecerit registrari ut supra applicanda ut supra, que registratio impune per quenlibet ex dictis notariis fieri possit de mandato dicti massarii quod mandatum apparere debeat in forma publica penes notarium camere predictae in dicta camera depositum et consignatum. Pro qua registratione fienda pro tali obmittente etiam possit et debeat ipse massarius retinere dicto notario qui illa registrare³⁴⁷ obmiserit de parte³⁴⁸ sibi tangente de lucro predicto pro qualibet nota quam sic registrari fecerit decem solidos bononinorum pro quarta parte applicanda comuni Bononie et pro quarta parte ipsi massario, pro quarta parte societati notariorum et pro reliqua parte aliis notariis officio memorialium. Item quod quilibet ex dictis notariis teneantur infra quatuor menses deposito suo officio librum suum auctenticum et completum consignare, deponere et dimittere in camera et penes officiales camere actorum comunis et populi Bononie intitulum in principio sub eius nomine, prenomine et cognomine et in fine cuiuslibet quaterni subscriptum manu ipsius et cum signi sui appositione, in quo libro in principio facere et scribere teneatur abecedarium omnium et singulorum instrumentorum et ultimarum voluntatum in dicto libro per eum registrarum et in quo libro scripte sunt ut semper in eo breviter reperiatur. Adicientes quod si notarius aliquis ad officium memorialium deputatus aliquod instrumentum vel aliquam aliam ultimam voluntatem deinceps registrarit in memorialibus nisi prius scriptum fuerit in libro provisoris secundum formam statutorum incidat penam vigintiquinque librarum bononinorum exigendam et applicandam ut supra et non valeat dicta registratio et perinde habeatur//

[c. 150v]

ipsum instrumentum et ultima voluntas ac si non esset vel fuisset denunciata et registrata in memoriali predicto. Item teneatur quilibet ex dictis notariis se subscribere propria manu cuilibet note quam registrarit et ipsas notas notariorum qui scripserint restituere provisorio vel parti cum petitum fuerit. Et pro predictis solum predictas soluciones recipere librosque suos seu quaternos in quibus notas registrarit et ponerent, consignare et dimittere teneantur finito suo officio ut supra ad camaram et penes officiales camere supradictae in cartis membranarum intitulos in marginibus de nomine contractus et intitulos ut supra ponendo numerum cartarum scriptarum et non scriptarum ipsorum librorum et quaternorum, sub pena centum librarum bononinorum cuilibet eorum qui obmiserit facere predicta quam incidat ipso iure et facto applicanda pro dimidia comuni Bononie et pro reliqua dimidia societati notariorum predictae quam dimidiam pene predictae exigere possit et teneatur ipse massarius comissa dicta pena. Et si fuerit nota ultime voluntatis denunciata, teneantur ipsi notarii memorialium vel alter

³⁴⁷ <registrare> *segue debuerit depennato.*

³⁴⁸ <parte> *segue tangente depennato.*

ex eis expensis eius cuius interrerit cridam nuncii fieri facere que inscriptis tam in libro denunciationum quam in memorialibus iuxta ipsas notas redigantur modis, locis et temporibus ordinatis. Et generaliter omnia et singula facere et exercere que ad eorum officium quomodolibet pertinerent et a prohibitis et illicitis abstinere. Et nec ex negligentia notariorum conficientium instrumenta et ultimas voluntates tardatium scribi facere notas eorum in libro provisoris ipsi provisos et notarii deputati ad registrandum penas aliquas incurrant et impediuntur quin eis comissa valeant expedire mandamus, quod massarius officii memorialium teneatur quolibet mense bis vel saltem semel videre et examinare libros ditorum provisorum et cartas non scriptas in fine cuiuslibet mensis cancelare cum signis de atramento per longum et transversum, ita quod in eis aliquid scribi non possit, sub pena centum solidorum bononinorum pro quolibet mense quo predicta facere obmiserit eidem de facto auferenda per iudicem Ursii et comuni Bononie pro tertia parte applicanda et pro alia tertia parte societati notariorum et pro reliqua tertia parte denunciati si voluerit ipsam. Et si reperiat aliquem notarium officio provisoris deputatum aliquid dicto libro scribere post dictam cancelationem in cartis illis sic cancelatis cadat in penam decem librarum bononinorum pro qualibet nota et qualibet vice dividenda et applicanda ut supra. Iubentes, quod sub porticu scaranie vel porticu gabelle non possint aliqui artifices nisi notarii pro notariatus officio et memoriali exercendo commorari seu ipsos porticus impedire, pena cuilibet contrafacienti quinqueginta librarum bononinorum comuni Bononie³⁴⁹ vice qualibet applicanda et nichilominus de ipsis locis expellatur remediis opportunis. Insuper considerantes, quod ex negligentia notariorum qui hactenus fuerint dicto officio memorialium deputati et tam officio provisoris quam etiam ad registrandum et etiam illorum qui fuerunt massarii dicto officio multe et infinite note non sunt registrate nec etiam libri provisorum et registra deposita et consignata ad cameram actorum prout poni et consignari debebant ex forma statutorum comunis Bononie, quod vertitur et verti posset in dampnum et preiudicium civium et incolarum ac comitatorum civitatis Bononie fiduciam habentium de suis contractibus, instrumentis et ultimis voluntatibus que credunt posita et registrata esse in dictis memorialibus et esse in camera actorum prout esse debent. Et cum esset parum iura condere nisi esset qui ea faceret observari volentes indemnitati predictorum providere voluerunt ordinaverunt et mandaverunt, quod dominus potestas civitatis Bononie et eius vicarius qui pro tempore fuerit in virtute prestiti iuramenti et sub pena quingentarum librarum bononinorum de suo salario retinenda infine sui officii per generalem depositarium comunis Bononie teneantur infra mensem ab introitu sui officii proclamari³⁵⁰ facere per civitatem comunis Bononie in locis consuetis et maxime in palacio veteri iuridico comunis Bononie et super ambabus scalis dicti palatii et in cambio quod est prope portam Ravenatem quod omnes et singuli notarii qui fuerint notarii officio memorialium contractuum et ultimarum//

[c. 151r f. CXXI]

voluntatum comunis Bononie a milesimo trecentesimo septuagesimo tercio citra debeant infra terminos³⁵¹ eis statuendos per dictum dominum potestatem vel eius vicarium quos assignare teneatur omnino de consilio correctoris et consulum societatis notariorum registrare et registrarasse omnes et singulas notas eisdem tangentes ad registrandum pro temporibus quibus fuerint dicto officio memorialium que sunt scripte in libris provisoris memorialium predictorum et libros suos registrare complere et completos dare et consignare in forma debita ad cameram actorum comunis et populi Bononie et quod illi qui fuerint provisos dicto officio memorialium in dicto tempore et

³⁴⁹ <Bononie> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁵⁰ <proclamari> *segue per depennato.*

³⁵¹ <terminos> *segue ab depennato.*

quorum officium expiraverit teneantur et debeant infra dictum tempus, suos libros provisos auctenticare et complere et in forma debita assignare et assignasse ad camaram actorum comunis et populi Bononie prout tenentur ex forma nostrorum statutorum predictorum, sub penis in dictis statutis contentis et teneatur ipse dominus potestas vel eius vicarius inquirere ex officio contra omnes et singulos qui fuerint negligentes et eos condemnare et punire in penis ordinatis ex forma statutorum comunis Bononie infra mensem ellapsis terminis in predictis ordinatis. Et quod domini³⁵² corrector et consules societatis notariorum teneantur et debeant predicta reducere ad memoriam predicti domini potestatis et vicarii et eos ortari ut predicta faciant et observent semel ad minus quolibet mense de³⁵³ qua recordatione³⁵⁴ et ortatione debeat apparere publicum instrumentum, sub pena dicto domino corectori pro qualibet vice qua obmiserit vigintiquinque librarum bononinorum et cuilibet ex dictis consulibus decem librarum bononinorum eisdem de facto auferenda et³⁵⁵ comuni Bononie pro tertia parte applicanda et pro alia tertia parte denunciatori et pro reliqua tertia parte societati notariorum quam penam et penas massarius quilibet dicte societatis exigere possit et debeat si commisse fuerint.

[39] **De officio massaroli super laboreriis et municionibus comunis Bononie.**
Rubrica. [cc. 151r-152r]

Statuimus, quod per dominos ancianos comunis Bononie deputetur et ordinetur una domus seu locus pro retinendis, salvandis et gubernandis armis, armisiis et instrumentis necessariis utilibus pro laboreriis et pro municionibus civitatis et comitatus et districtus Bononie et quod ipsi domui seu loco debeat superesse unus bonus et expertus homo etatis treginta annorum ad minus et unus notarius talis qui possit habere et obtinere officium in consilio quatuor milium dicte civitatis qui massarolus elligi debeat in dicto consilio pro singulis sex mensibus inchoandis et finiendis ut alia officia dicti consilii. Quod officium debeat ire ad tria brevia et qui ex dictis tribus ellectis obtinuerit in scrupitiniis sit et nominetur massarolus super laboreriis et municionibus dicti comunis. Qui massarolus horis et temporibus congruis singulis diebus continue esse et stare debeat ad dictum locum sibi deputatum et deputandum ad dictum officium exercendum, cuius officium sit scribi facere per notarium suum seriatim in uno libro omnes et singulas res existentes in loco vel domo antedicta seu predicto singulariter et distincte et sub diversibus titulis ponere et describere omnes et singulas res quas in dicta domo vel loco inveniet et apud eum designabuntur et a quibus designabuntur clare et apperte sub suis mensibus et diebus et omnem pecuniam quam receperit pro predictis et a quibuscumque receperit. Ac etiam omnes et singulas expensas fiendas per eum occasione dicti sui officii tam in reparatione balistarum, armorum et arnisiarum dicti comunis quam alia quacumque racione vel causa. Et omnes et singulas res que extrahentur de dicta domo vel loco distincte et seriatim cum nomine et prenomine eius cui assignate fuerint et cuius mandato et quo die, quem librum continue ad omnem petitionem et requisicionem dominorum et defensorum averis³⁵⁶ ostendere et etiam dimittere teneatur eisdem, ita quod possint videre et examinare ea que in ipsa domo vel loco fuerint et ea que exportabuntur ex ipsa vel ex eo loco et ea de quibus fulciri

³⁵² <domini> in *infralinea con segno di inserzione*.

³⁵³ <de> in *infralinea con segno di inserzione*.

³⁵⁴ <recordatione> *segue facta depennato*.

³⁵⁵ <et> *segue pro cancellato*.

³⁵⁶ <averis> *nel testo averis*.

expediat domus vel locus antedicti et rationem predictorum. Item teneatur investigare omnes defectus municionum//
[c. 151v]

et rerum que essent in ipsa domo vel loco et de hiis de quibus debet esse fulcita³⁵⁷ dicta domus vel locus et eos refere dominis ancianis et provisoribus vel defensoribus averis et procurare cum eis toto posse quod dicti defectus suppleantur et de eis dicta domus seu locus fulciatur. Soliciter insuper continue qualibet septimana fabros ad hoc ordinatos vel ordinandos per eum de consensu dictorum dominorum defensorum. Et quod die et nocte laborent et laborari faciant sitamentum, veretonos probatos, quadrellos arodatos et omne aliud sitamentum tam minutum quam grossum bene impenatum et inastatum et etiam procurare quod in dicta domo seu loco sint bombarde ad sufficienciam et omnia neccessaria pro bombardis et lumeriis veretones probati et quadrelli arrodati et omne sitamentum et alia feramenta neccessaria comuni Bononie ut dicta domus seu locus continuo armis, arnesiis, ferramentis et munitiionibus neccessariis comuni Bononie³⁵⁸ et pro fortificatione et reparatione civitatis Bononie, castrorum et fortiliciorum dicti comunis sit fulta et fultus. Et quod deponatur et consignetur singulis mensibus in dicta domo seu loco et penes ipsum officialem omne sitamentum et feramentum quod dicto tempore laboraverint seu laborari fecerint predicti magistri et fabri et scribatur in dicto libro ordinate. Mandamus insuper dicto massarolo, quod de ipsa domo seu loco nil extrahat seu extrahi promittat quoquomodo, nisi de licencia et mandato dominorum antianorum vel defensorum averis vel dominorum provisorum custodie civitatis et comitatus Bononie de quo seu qua constare debeat per scripturam scriptam manu unius ex predictis notariis predictorum dominorum vel alterius eorum sigilata sigillo predictorum dominorum antianorum vel defensorum vel provisorum, sub pena centum librarum bononinorum et plus et minus arbitrio domini capitanei populi Bononie, considerata qualitate facti et in predictis et pro predictis possit expendere omnem quantitatem pecunie secundum quod deliberatum fuerit per dominos antianos vel dominos provisos vel defensores averis. Quas quantitates pecuniarum pro expensis predictis sic deliberatas ut supra generalis depositarius comunis Bononie eidem massarolo solvere teneatur et possit de mandato dictorum dominorum ancianorum et defensorum predictorum vel de mandato dictorum dominorum ancianorum et dictorum provisorum. Teneatur etiam dictus massarolus describere seu describi facere distincte et separatim omnes massaricias et supelectilia et res existentes in palaciis dominorum antianorum potestatis et capitanei et cuiuslibet eorum et etiam in aliis domibus quorumcumque officialium forensium comunis Bononie et predictas massaricias, supelectilia et res consignare per publicum inventarium et instrumentum dominis potestati et capitaneo et aliis forensibus officialibus qui pro tempore erunt in civitate Bononie³⁵⁹ vel alicui eorum nominibus recipientibus prima die vel sequenti qua ipsi vel aliquis eorum intrant predicta palatia vel domos vel aliquod eorum pro ipsorum officio exercendo. Et in fine officii predictorum officialium et cuiuslibet eorum similiter per inventarium et instrumentum recipere ipsas res et a predictis officialibus et quolibet predictorum tempore sindicatus eorum petere balistas et pavesios pictos ad arma officialium et alia ad que tenentur ipsi officiales secundum formam nostrorum statutorum et ea recipere in dicta domo seu loco et scribere seu scribi facere in dicto libro ordinate. Et respiciat quod ipsi pavesii picti ad arma officialis qui ea consignabit et baliste consignande per ipsos officiales sint boni et bone et extimationis de qua in

³⁵⁷ <fulcita> *corregge* fulta.

³⁵⁸ <ut dicta domus seu locus continuo armis, arnesiis, ferramentis et munitiionibus neccessariis comuni Bononie > *a margine laterale destro con segno di rinvio su 5 righe.*

³⁵⁹ <Bononie> *segue onie depennato.*

statutis nostris sit mencio et si oportuerit porigant suam petitionem in scriptis coram syndicatore ipsorum officialium ut omnino tradant ipsos pavesios et balistas et ea prosequatur ut expediet et si quid defuerit de eo quod assignatum fuerit vel dari obmisuerit de eo quod dari aut reddi debuerit teneatur id reddi et refici facere remediis oportunis et depositarius generalis dicti comunis ultimas pagas dictorum officialium vel alicuius eorum ad petitionem predicti massaroli debeant retinere, donec plene eidem de rebus deficientibus fuerit satisfactum et date et tradite fuerint res ad quas predicti officiales vel aliquis ipsorum teneantur. Et si predicta vel aliquod predictorum facere pettere et adimplere obmiserit teneatur de suo proprio³⁶⁰ dare et refficere dicto comuni id in quo dictum comune esset vel//

[c. 152r f. CXLII]

fuisset damnificatum. Et nichilominus incidat penam vigintiquinque librarum bononinorum si predicta vel aliquid predictorum facere vel pettere obmiserit. Item teneatur quolibet mense sui officii predicta palacia et domos visitare et omnes portas et turre portarum civitatis Bononie et inspicere et videre dilligenter omnes et singulas res, que spectant ad municiones predictarum portarum ac etiam si pontibus, castellis et portis dicte civitatis et in dictis palatiis aliquid defecit et si indigent reparatione aliqua vel supplectione vel augmentatione et ipsas suplere et reparare, reficere et refici facere vel de novo fieri facere teneatur prout et sicut expedire videbitur. De qua visitacione fidem facere debeat³⁶¹ dictis defensoribus averis, sub pena ipsi massarolo viginti librarum bononinorum pro qualibet vice. Et pro predictis adimplendis ingignerii predicti comunis et quilibet eorum teneantur et debeant tociens quociens fuerint requisiti per dictum massarolum vel pro parte dicti massaroli vel pro parte dictorum defensorum vel dominorum provisorum pro factis dicti comunis ire cum predicto massarolo vel sine et teneantur ire eo loco et locis quem preceperit dictus massarolus aut dicti defensores vel dicti provisores et predicto massarolo obedire teneantur in hiis et circa ea que spectant ad dictum comune et eius officium, sub pena decem librarum bononinorum et minus arbitrio dicti massaroli imponendam. Quam penam eidem ingignerio retinere debeat dictus depositarius ad notificationem et mandatum ipsius massaroli de paghis et salario quod eis datur a dicto comuni et per predictum depositarium. Insuper teneatur facere et fieri facere omnia et singula laboreria necessaria et utilia pro dicto comuni que mandabunt fieri per dictos dominos antianos vel per dictos defensores averis vel per dictos provisores et que viderint esse utilia et necessaria expensis ipsius comunis et ipsis laboreriis superstes esse et predictos ingignerios superesse facere. Ac etiam teneatur ipse massarolus, etiam non requisitus, infra terciam diem deposito eius officio, consignare per publicum instrumentum suo in officio sucessori omnes massaricias ac res, que sunt seu esse debent penes dictum massarolum occasione dicti sui officii, sub pena centum librarum bononinorum ab eo de facto auferenda per capitaneum populi civitatis Bononie. Et finito suo officio teneatur dictus massarolus, etiam non requisitus, librum que fecerit in dicto suo officio consignare ad cameram actorum comunis Bononie, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum exigenda ut supra. Habeat autem et habere debeat pro suo salario a predicto comuni et ipsius depositario pro omnibus et singulis supradictis quolibet sui officii decem libras bononinorum et teneatur ipse massarolus ante introitum sui officii prestare fideiussores idoneos coram procuratoribus iurium comunis Bononie de conservando comune Bononie indemne usque ad quantitatem duorum milium librarum bononinorum et de re asignandis suo in officio sucessori omnibus et singulis rebus que penes eum sunt et esse debent occasione dicti sui officii

³⁶⁰ <proprio> segue la lettera d depennato.

³⁶¹ <debeat> in infralinea con segno di inserzione.

ad dictum officium nullatenus exercere possit et nullatenus in eo se intromittere, sub pena centum librarum bononinorum ab eo de facto auferenda ut supra. Item teneatur etiam ipse massarolus, etiam non requisitus, reddere dictis defensoribus averis ratione sui officii et omnium predictorum finito suo officio quandocumque placuerit dictis defensoribus et etiam suo officio durante si ipsi defensores voluerint, sub pena quinquaginta librarum bononinorum et ipsis defensoribus presentare et dimittere librum rationum suarum teneatur infra tertiam diem a die finiti sui officii et non requisitus et etiam durante suo officio ad omnem requisicionem ipsorum defensorum et vadat ad tria brevia officium dicti massaroli et debet solvere cuilibet ellectori quatuor libras bononinorum.

[40] De officio officialis propositi per comune Bononie super buletis presentationum forensium intrantium civitatem Bononie et literis ad civitatem predictam vel extra portatis et super spiis. Rubrica. [cc. 152r-153v]

Decernimus, quod in civitate Bononie sit continue et esse debeat officium super buletis forensium intrancium et exeuncium predicta civitatem et quod ad ipsum officium//

[c. 152v]

exercendum elligatur unus ydoneus et sufficiens civis Bononie secundum formam nostrorum statutorum in consilio quatuormilium, qui sit et esse debeat etatis ad minus treginta annorum. Qui officialis singulis diebus debeat continue esse et stare ad dictum officium exercendum ad locum per dictum comune eidem deputatum cuius officialis offitium sit et esse debeat, quod diligenter et sollicite et omni negligentia postposita faciat quod omnes et singuli forenses dictam civitatem intrantes cuiuscumque conditionis existant habitatores extra civitatem comitatum et districtum Bononie eidem et coram eius officio personaliter presententur et quod ab ipsis presentatis exquirat et inquirat de omnibus et singulis per tempora occurrentibus et maxime de his que spectare possent ad honorem et bonum statum nostri comunis. Et quod eius interrogationi quilibet teneatur respondere sub pena eius arbitrio auferenda. Et pro predictis effectualiter adimplendis capitanei et custodes portarum predictae civitatis teneantur eidem officiali parere et obedire et pareri facere in his que pertinent ad predictum officium. Item faciat³⁶² quod omnes et singule literre que portarentur ad civitatem de quibuscumque locis extra comitatum et districtum Bononie presententur eidem et eius officio quas literas possit et debeat aperire et ipsas³⁶³ legere et intelligere et videre si in eis aliquid contineretur quid esse posset contra statum et honorem dicte civitatis et libertatis³⁶⁴ eiusdem et nullus debeat eidem³⁶⁵ denegare literas quas super se vel cum eius familia vel comittiva habuerit, sub pena quinque librarum bononinorum pro qualibet litera non presentata et plus vel minus arbitrio dicti officialis, considerata conditione persone et qualitate litere. Et quod nullus civis vel habitator civitatis Bononie vel alius quicumque³⁶⁶ audeat vel presumat aliquam literam portare extra civitatem Bononie nisi sit sculta cum stampa aut singilata sigillo dicti officialis, sub pena predicta. Item precipiat et mandet voce preconis omnibus et singulis publice hospicium retinentibus et quibuscumque civibus vel habitatoribus in dicta civitate quod non audeant vel presumant hospitari aliquem forensem noviter veniente ad dictam civitatem nisi primo

³⁶² <faciat> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁶³ <ipsas> *segue et cancellato.*

³⁶⁴ <libertatis> *nel testo libertis.*

³⁶⁵ <debeat eidem> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁶⁶ <quicumque> *segue alius depennato.*

fuerit dicto officiali presentatus et ab ipso habuerit buletam hospitandum in eo loco ubi dixerat se hospitari velle, sub pena et ad penam decem librarum bononinorum cuilibet contrafacienti pro quolibet forense sic hospitato et qualibet vice vel minus arbitrio dicti officialis. Et pro predictis dicti³⁶⁷ hospites et quicumque alii cives vel habitatores dicte civitatis eidem parere et obedire teneantur et inobedientes dictus officialis possit condemnare et punire de facto usque ad quantitatem predictam pro quolibet ut supra. Et pro predictis dicti hospites teneantur singulis mensibus ydonee fideiubere de libris quinqueginta bononinorum dicto officiali de observando predicta et quodlibet predictorum de quibus fideiussionibus et qualibet predicta quilibet hospes solvere teneatur dicto officiali solidum unum bononinorum et non ultra. Et quod qui vellet hospitari et hospicium forensium retinere teneatur habere insigna publica³⁶⁸ apparencia secundum morem et consuetudinem hospitum dummodo dicti hospites diversa insigna teneant. Et quod in predictis vel circa predicta delinquentes per dictum officialem possint de facto condemnari usque ad quantitatem decem librarum bononinorum comuni Bononie applicanda. Et depositario generali comunis Bononie solvendam. Item quod predictus officialis toto eius posse curet habere noticiam omnium et singularum civitatum et omnium et singulorum castrorum et locorum in quibus racione pedagii, passagii vel buletarum a curibus comitatinis vel districtualibus Bononie aliquid accipitur et predictas civitates, castra et loca describere, ita quod ipsorum locorum scientia continuo haberi possit et a civibus, castelanis vel habitatoribus earum civitatum vel castrorum vel locorum in civitatem Bononie accipere possint et debeant nomine passagii, transitus et buletarum tantum quantum accipitur in dictis civitatibus, castris et locis a civibus vel comitatinis vel districtualibus civitatis Bononie. A predictis autem excipimus ambassiatores et eorum familiares nuntios et currerios alicuius predictarum civitatum, castrorum et locorum venientes ad civitatem Bononie vel alio tendentes et per dictam civitatem transeuntes. Item omnes et singulos officiales venientes ad civitatem Bononie vel alio euntes vel redeuntes et transeuntes per dictam civitatem//

[c. 153r f. CXLIII]

si per eorum literas se esse vel fuisse officiales fidem fecerint et omnes et singulos qui Bononiam venerint ad studium et studendi causa et eorum familiares et socios et omnes fratres religiosos alicuius ordinis pauperitatis seu mendicantium et eorum familiares nec non omnes peregrinos, heremitas et ceteros pauperes mendicantes a quibus nichil peti vel recepi volumus. Et omne id quod receperit teneatur assignare generali depositario comunis Bononie et de predictis rationem claram redere dominis defensoribus dicte civitatis quolibet mense, sub pena quinqueginta librarum bononinorum. Item quod dictus officialis vel habens causam ab eo teneatur tocians quociens eidem videbitur opportunum³⁶⁹ tam de die quam de nocte inquirere et rimari facere cum armis et sine, cum lumine et sine, solus et asociatus que arma liceat dicto officiali et eius officialibus tempore eius officii portare impune omnia et singula hospicia civitatis et guardie Bononie pro pertinentibus ad eorum officium. Et quod dicti hospites eidem officiali vel habenti causam ab eo debeant prebere liberum additum in hospiciis suis in predictis et circa predicta, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice de facto per dictum officialem auferenda et comuni Bononie applicanda et dictas quantitates assignare teneatur de eis reddere rationem ut supra. Item quod sine licencia et expressa buleta predicti officialis nullus forensis possit exire extra portam civitatis Bononie, nisi esset scolaris vel habitator pro maiori parte temporis dicte civitatis vel extra comitatum et districtum civitatis predictae sine licentia et buleta

³⁶⁷ <dicti> *segue* officiales *depennato*.

³⁶⁸ <publica> *segue* et *cancellato*.

³⁶⁹ <opportunum> *segue* la *lettera* d *cassata*.

officialis predicti. Et quod quicumque repertus fuerit culpabilis de predictis possit capi et condemnari per ipsum officialem usque ad quantitatem decem librarum bononinorum. Item quod capitanei portarum et castrorum et vicarii comitatus civitatis predictae predicto officiali in predictis et circa predicta debeant et teneantur obedire in capiendis personis³⁷⁰ transeuntibus contra predictam formam. Item quod predictus officialis quoscumque exploratores et spias extraneorum locorum possit capere et capi facere et eos incarcerare et incarcerari et in cipis et in cumpedibus poni facere et eos et quemlibet eorum torquere et presentare dominis ancianis Bononie vel dominis potestati et capitaneo populi comunis Bononie tociens quociens eidem videbitur expedire. Et quod in predictis predicti domini et officiales super conducta stipendiariorum³⁷¹ teneantur eidem et debeant dare consilium et ausilium tociens quociens fuerint requisiti. Et quia quandocumque contingit de licentia dominorum antianorum vel aliorum officialium comunis Bononie spias et nuntios inimicorum comunis Bononie venire ad civitatem et comitatum Bononie statuimus, quod omnes et singuli nuncii et spie inimicorum comunis Bononie cum ottenta dicta licentia venire poterint ad civitatem vel comitatum predictum teneantur et debeant cum venerint ad civitatem et in civitate, comitatu vel districtu Bononie vel se separaverint a dicta civitate ire et redire per directas stratas publicas et non aliunde pena et banno amputationis³⁷² capitis nec de civitate Bononie se debeant seperare, absque licentia dicti officialis pena pedis. Teneantur etiam et debeant ipsi nuncii et spie stare, morari et hospitari cum eos contigerit venire ad civitatem Bononie in uno hospicio solummodo deputando per ipsum officialem spiarum ad tales nuntios et spias standum, hospitandum et morandum, donec stabunt in civitate Bononie per dictum officialem et non alibi hospitari vel morari debeant, sub pena amputationis pedis. Prohibentes aliquos nuntios vel spias aliquorum inimicorum comunis Bononie venire ad civitatem Bononie vel comitatum eiusdem, sub pena eris et persone sine licentia dominorum antianorum comunis Bononie. Item quod predictus officialis teneantur sic facere et curare quod habeat copiam bonorum et ydoneorum nuntiorum et cursorum qui sint et stent continuo parati ire cum literis et ambassiatis dominorum ancianorum dicte civitatis et dicti comunis et quod pro honore dicti comunis quilibet dictorum nuntiorum et cursorum debeat et portare apperenter arma et insigna dicti comunis et populi et si in predictis fuerit negligens possit per dictos dominos antianos vel dictum officialem de facto multari eorum vel eius arbitrio. Quibus cursoribus et nuntiis possit³⁷³ satisfacere secundum modum et formam et tassam in dicto officio consueta et ordinata precedente buleta dictorum dominorum antianorum et pecuniis que ad manus dicti officialis pervenerint racione//

[153v]

dicti officii. Item possit predictus officialis facere et fieri facere in predictis et circha predicta omnia et singula pertinentia ad eius officium que crediderit et evidenter apparuerit esse pro honore et statu dicte civitatis et libertatis eiusdem. Possit autem predictus officialis facere ex parte sui preconçari in predictis et circa predicta que ad ipsius officium spectant et spectare possunt per loca consueta civitatis Bononie ea que viderit utilia et opportuna in predictis et circha predicta. Et pro coadiuvatione dicti officii debeat predictus officialis habere et retinere continue durante suo officio duos notarios pro eius officio exercendo et coadiutores quos voluerit. Et habeat dictus officialis pro se et dictis duobus notariis et³⁷⁴ coadiutoribus quos secum tenuerit quolibet

³⁷⁰ <personis> segue et cancellato.

³⁷¹ <stipendiariorum> nel testo stipendiariorum.

³⁷² <amputationis> segue an depennato.

³⁷³ <possit> segue fe cancellato.

³⁷⁴ <et> in infralinea con segno di inserzione.

mense durante suo officio vigintiquatuor libras bononinorum quas volumus sibi solvi singulis mensibus habita buleta secundum formam nostrorum statutorum per generalem depositarium pecuniarum et averis comunis Bononie. Predictum autem officium volumus esse ordinarium et inter ordinaria officia dicti comunis reputari et ad dictum officium non possit elligi vel esse aliquis qui ad dictum officium fuerit officialis, nisi vacaverit per bienium a die dicti officii depositi et dictum officialem stare debere ad sindicatum secundum formam nostrorum statutorum. Insuper placet quod a sentenciis et preceptis dictis officialis non possit appellari vel restitutionem peti aliter contra eam vel eas qualitercumque reclamari vel de nullitate excipi vel proponi in his que ad dicti officialis officium pertinent.

[41] De officio et iurisdictione officialis seu superstitis molendinorum et eius notarii et salario ipsius. Rubrica. [cc. 153v-154r]

Ordinamus, quod singulis annis in consilio quatuormilium civitatis Bononie elligantur officiales seu superstites molendinorum videlicet unus pro primis sex mensibus et alius pro secundis sex mensibus. Et quod ille qui fuerit ellectus approbari debeat per dominos antianos si eis videbitur ydoneus aliter ipsi domini antiani elligant unum ydoneum loco eius qui tunc videbitur sufficiens. Et ellectus vel approbatus per dictos dominos antianos solvat ellectori qui habuit breve in dicto consilio libras sex bononinorum. Et ipse superstes ellectus et approbatus habere debeat libras decem bononinorum quolibet mense a conductore dicti daciai quando erat locatum vel a comuni Bononie quando non erit locatum dictum daciaium. Qui officialis sive superstes elligendus ad officium molendinorum comunis Bononie teneatur et debeat singulis diebus quibus molendina comunis Bononie posita in civitate Bononie molerent vel aliqua ipsarum ire et stare ad tuvatas et morari continue ad dictum officium exercendum, ita quod semper sit ibi qui provideat et examinet si sit³⁷⁵ per molendinarios et victurales et ponderatores vel bulatores id quod per eos fieri debet secundum formam infrascriptorum ordinamentorum. Et teneatur ea facere per eos et quemlibet eorum servari et puniat et puniri faciat eos qui contrafecerint vel venient et omnia et singula facere in predictis que spectant ad utilitatem comunis Bononie et omnium et singularum personarum civitatis Bononie et districtus et etiam inquirere de his qui portarent bladum ad molendinum vel ponderandum non bulatum bulla comunis vel gabella non soluta et contra eos procedere et ipsos punire penis ordinatis. Et in principio sui officii variare et mutare debant omnes et³⁷⁶ singulos molendinarios de uno molendino ad aliud. Et ipsa molendina seu postas molendinorum inter mulinarios mittere ad breviam et servari facere omnia et singula statuta et ordinamenta facta super molendinis et molendinariis victuralibus staderiis boletis blado et supelectilibus molendinorum quas massaricias et suppeletillia et alias res mobiles ad ipsa molendina pertinentia et ipsarum rerum extimatione teneatur scribi facere et suis successoribus consignare finito eorum officio et etiam inquirere de his que consignate fuerunt suo precessori et ab aliis quibuscumque ad quos pervenissent sibi reddi facere rationem ipsasque recuperare a quocumque qui ipsas indebite retineret et etiam securitatem prestare de ducentis libris bononinorum pro quolibet de salvandis iuribus comunis Bononie et de scribendo et scribi faciendo introitus et expensas quas faciet et fieri faciet pro ipso officio et//

[c. 154r f. CXLIII]

ipsius officii occasione. Et gualmedrando et gualmedrari faciendo singulis mensibus staderias et de reddendo rationem coram defensoribus averis comunis Bononie

³⁷⁵ <sit> in infralinea con segno di inserzione.

³⁷⁶ <et> in infralinea con segno di inserzione.

quandocumque fuerit requisitus quam rationem reddere teneatur tociens quociens pro parte dictorum defensorum fuerit requisitus nec possit habere aliquam partem in conductione alicuius molendini vel gualcherie vel datii ipsorum vel participationem habere cum aliquo viturali seu mulinario in aliquo suo lucro quod percipietur exinde. Notarius vero elligendus ad officium supradictum eodem modo et tempore ire et stare teneatur cum dicto officiali ad dictum officium opperandum in loco consueto et scribere omnes et singulas res que reperirentur in canavis seu tuvatis molendinorum et staderiis in domibus staderiarum et que designabuntur dicto officiali per precessorem ipsorum et etiam extimationes ipsarum rerum et etiam scribere redditus et quicquid ad dictum officialem pervenerit occasione dicti officii et expensas quas fecerit dictus officialis et omnes et singulas scripturas que fiende occurrerint scribere et facere et procurare toto posse quod per dictum officialem et alios quoscumque serventur infrascripta ordinamenta molendinorum. Et observentur et fiant omnia et singula ad que tenentur vigore sui officii. Nec possit vel debeat dictus notarius aliquam partem habere durante suo officio in datio molendinararum vel participationem habere cum aliquo molendinario vel victurali de aliquo suo lucro. Et generaliter teneantur dicti officiales et notarius omnia facere que ad ipsorum vel alterius eorum officium quolibet pertinerent. Et de predictis omnibus debito tempore reddere ratione. Ad que omnia et singula observanda teneantur predicti officiales et notarius et quilibet eorum in sibi atributis, sub pena quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet capitulo non observato³⁷⁷ cuius officiali et eius notario dominus potestas et eius officiales et etiam dominus capitaneus populi debeant pro³⁷⁸ executione omnium predictorum prestare auxilium et favorem quociens fuerint requisiti. Que omnia in presenti statuto contenta volumus fieri et servari sive dacium molendinorum remaneat in comuni Bononie sive venditum vel locatum fuerit. Habeant autem predicti superstites et quilibet eorum in sex mensibus sui officii pro quolibet mense durante suo officio libras decem bononinorum a comuni Bononie de introitibus dicti datii pro tempore quo ipsum datium manserit in comuni Bononie, sed pro tempore quo fuerit venditum vel locatum dictum datium habeant dicti superstites dictum salarium a conductore seu emptore dicti dacii. Et habeant dicti officiales et notarii vacationem a dicto officio et ab officio notariatus per biennium.

[42] **De staderiis. Rubrica.** [cc.154r-154v]

Providemus, quod in domibus que sunt iuxta tuvatas comunis sint staderie pro comuni ad quas staderias seu alteram earum ponderetur totum bladum quod portabitur ad molendinum sive ad molendina comunis et scribatur quantum erit et buletur bulla officialis vel officialium ad hoc deputatorum qui scribant pondus bladi cum portabitur et farine cum reportabitur farina et refici faciat molendinariis unde portabitur farina omne et totum id in quo videbitur venire minus quam debuerit antequam reportetur ad domum eius cuius bladum sive farina est. Et habeant dicti officiales pro quolibet eorum pro suo feudo salarium ordinatum pro quolibet die quo steterit ad dictas staderias. Et sint tales officiales qui sciant scribere et habeant cartas sibi necessarias et ceram et ad atramentum et vernicem, capistros et cinglas et allia necessaria ad predicta a predicto officiali molendinorum. Qui ponderatores quolibet die quo molitur teneantur incontinenti de mane tempestive saltem in missa sancti Petri ire ad ipsas domos ad staderias et ibi continue et solcite stare et morari pro suo officio exercendo et inde non discedere usque ad completorium nisi hora prandii vel cene. Qua hora etiam unus ex eis saltem//

³⁷⁷ <observato> segue cu depennato.

³⁷⁸ <pro> in infralinea con segno di inserzione.

[c. 154v]

pro qualibet staderia debeat remanere ad ipsas domos et staderias, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum in quolibet casuum predictorum. Ad que observanda³⁷⁹ dictus officialis molendinorum et defensores averis comunis Bononie. Et quilibet predictorum possint et debeant eos cogere et sollicitare et non sollicitos seu non servantes sibi comissa punire et condemnare in penis ordinatis et plus et minus eorum arbitrio sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, considerata qualitate negligentie vel delicti et nichilominus eos ab ipso officio remove et loco remoti alium subrogare prout eis videbitur convenire. De quibus omnibus et singulis observandis securitatem idoneam prestare teneantur approbandam per alterum ex approbatoribus comunis Bononie. Et predicti officiales et superstites molendinorum teneantur omnimodo facere et curare³⁸⁰ quod omnia et singula supradicta observentur.

[43] **De blado portando ad staderias comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 154v-155r]

Item, quod omne bladum quod portabitur ad molendinum portari debeat ad staderias comunis Bononie et quando masenatum est reportetur in farina ad dictas staderias ad ponderandum. Et declaramus, quod rationabiliter et verisimiliter debent esse octo libre farine de callo pro quolibet centinario ponderis furmenti tam pro molitura extracta quam pro callo macinandi et de quo verisimiliter callo predicto nulla fiat punicio. Et si defectus reperiretur in quantitate farine³⁸¹ ab inde supra ipsum quod defecerit ab inde supra ad rationem predictam ea die in continenti restitui faciat dictus officialis et ipsa farina que est minus quam debet esse restituatur et emendetur per munarios a cuius molendino bladum reportabitur in farina tantum quantum minus reperiretur ultra dicta quantitate et nichilominus munarius condemnatur in tribus denariis pro qualibet libra farine que minus reperiretur in casu quo minoratio excederet summam predictam. Quam condemnationem officialis et superstes molendinorum omnino exigere teneatur per sacramentum. Et si aliquis mulindinarius seu munarius solvere recusaverit vel solvere et emendare ut supra obmiserit incidat ipso facto penam viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et nichil retineatur sibi pars sibi contingens de molituris, donec integre satisfecerit. Dicimus etiam, quod saltem duo molendinarii seu munarii pro canava strate debeant stare et morari ad molendinum ad quod fuerint deputati. Salvo quod tempore generalis exercitus possit remanere unus molendinarius seu munarius et unus victurale pro molendino. Dicimus etiam, quod molendinarii seu munarii teneantur ea die qua divisum fuerit et collectum bladum quod lucrabitur partem eis et cuilibet eorum contingente de domo staderie et exportare per victuralem molendini predicti et in ipsa domo stare non permittere. Adicientes, quod dictus officialis et superstes predictus molendinorum sollicitare debeat, quod molendinarii seu munarii nullam fraudem comittant in macinando farinam et si quem reperirent fraudem comittere in farina seu malum laborerium facere de farina puniat et punire possint et debeant dictus officiales et domini officiales de grassa et quilibet officialis forensis comunis Bononie ipsum talem mulinarium in viginti solidis bononinorum pro quolibet corbe et ad rationem corbis et nichilominus emendari faciant farinam in qua facta fuerit fraus seu defectus et de fraude comissa per molinarium in farina predicta et de malo laborerio ipsius farine quantum ad damnum et eius emendationem excedatur et stetur sacramento denuntiantis seu querelantis usque ad quantitatem librarum duorum bononinorum si officiali de predictis adito videatur denuntiantem seu querelantem esse bone conditionis et fame et non

³⁷⁹ <observanda> *corregge* oservanda.

³⁸⁰ <curare> *nel testo* curarere.

³⁸¹ <farine> *segue* et *cancellato*.

suspectum de periurio in premissis omni nostrorum statutorum et iuris solemnitate obmissa. Et predicta locum habeant sive datium molendinorum seu macine fuerit³⁸²// [c. 155r f. CXLV]

venditum vel locatum cum³⁸³ sive non et etiam ea que in precedenti statuto continentur et etiam omnia que in sequenti statuto de victuralibus continentur. Adicientes pro fraudibus predictorum evictandis quod nullus molendinarius vel vituralis bladi possit vel debeat per se vel alium quoquomodo in domo sue habitacionis vel alibi vendere seu vendendi causa retinere aliquam quantitatem farine, sub pena centum solidorum bononinorum pro quolibet eorum et qualibet vice qua fuerit contrafactum et quod de predictis possint et debeant inquirere officiales domini potestatis et capitanei deputati officio fangi et stratarum quorum vel cuius inventioni et relationi stetur et credatur et quilibet possit accusare et denunciare contrafacientes in premissis et credatur dicto accusatoris et denunciatoris cum uno teste cum eorum sacramento et habeat quartam partem condepnationis et ne ignorantia pretendere valeant predicti volumus, quod dominus potestas Bononie teneatur predicta semel saltem tempore suis regiminis per civitatem Bononie facere proclamari.

[44] **De victuralibus. Rubrica.** [cc. 155r-155v]

Ordinamus, quod nullus vituralis vel alia persona presummat portare vel portari facere ad molendinum aliquod bladum nisi primo sacus in quo erat bladum fuerit bulatus bulla officialis vel officialium qui fuerint ad staderias comunis Bononie et nisi primo per ipsos officiales fuerit ponderatus et de ipso blado soluta gabella, pena centum solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et plus et minus arbitrio domini potestatis³⁸⁴ ad requisicionem superstitum molendinorum seu defensorum averis. Item quod nullus victuralis portet bladum ad molendinum aliquod aliud quam ad illud ad quod fuerit deputatus, sub pena quinque solidorum bononinorum pro quolibet et³⁸⁵ qualibet vice cuiuslibet bladi. Dicimus etiam, quod omnes victurales continue portent ad molendinum ad quod deputati sunt vel erunt, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet quo steterint et non portaverint nisi ex causa iusta fuerint impediti de quo stetur declarationi dictorum defensorum. Preterea dicimus, quod nullus victuralis recuset bladum cuiuscumque portare ad molendinum ad molendum ad quod deputatus esset quin portet ea die vel sequenti qua eidem dictum vel denuntiatum fuerit, sub viginti solidorum bononinorum pro quolibet³⁸⁶ et qualibet vice. Preterea dicimus, quod victurales partem bladi ei contingente cum molendinariis extrahere et portare³⁸⁷ debeant de domibus et staderiis molendinorum ad garnaria comunis Bononie ea die qua assignata fuerit sibi portio sua ad penam et bannum viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et amissionis bladi. Precipimus etiam, quod nullus victuralis accipiat pro portando ad molendinum aliquam quantitatem bladi que portata fuerit per aliquem comitatum ad molendinum in equis, curribus, assinis vel super collum ad penam vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet eorum et qualibet vice. Et plus et minus in singulis de predictis penis arbitrio domini potestatis seu officialis predictorum molendinorum. Item dicimus, quod aliquis victuralis non debeat alicui accipere causa portandi bladum ad molendinum, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet contrafacienti et qualibet vice et quilibet possit accusare et denunciare et

³⁸² *Nel margine inferiore della carta: venditur vel locatum.*

³⁸³ <cum> *in infralinea con segno di inserzione.*

³⁸⁴ <potestatis> *segue predicti depennato.*

³⁸⁵ <et> *in infralinea.*

³⁸⁶ <pro quolibet> *dittografato e depennato.*

³⁸⁷ <portare> *segue facere depennato.*

stetur eius sacramento cum uno teste et habeat tertiam partem condemnationis. Et teneatur quilibet victuralis coram defensoribus averis comunis Bononie securitatem prestare de viginti quinque libris bononinorum de suo officio bene et legaliter exercendo secundum formam statutorum et ordinamentorum comunis Bononie et quilibet molendinarius de viginti quinque libris bononinorum. Salvo semper quod si circa contenta in presenti statuto vel in statutis proxime precedentibus vel aliquo eorum aliud vel aliter provisum vel ordinatum reperiatur que quam hodie observentur etiam illud hodie servari debeat non obstantibus supradictis. Dicimus etiam, quod nullus victuralis possit descaregare bladum quod portaret ad molendinum in aliquo loco si primo in staderiis comunis Bononie et facta ponderatione et solucione gabelle et detractone//

[c. 155v]

multiture postea in molendino ubi macinari debuerit, nec farina portare in alio loco quam ubi ponderatur et postea in domo unde extraxit, sub pena decem librarum bononinorum et fustigationis pro qualibet vice qua contrafecerit et officio sit et esse intelligatur ipso iure privatus³⁸⁸.

[45] **De molendinis de novo non construendis. Rubrica.** [cc. 155v-156v]

³⁸⁹Ordinamus, quod in civitate, guardia vel comitatu Bononie nullus debeat in flumine Reni vel alio flumine publico vel privato vel in aqua seu de aqua alicuius talis fluminis vel canali seu canalibus ipsius fluminis de novo aliqua molendina construere sine licentia dominorum ancianorum vel alterius potestatem habentis et qui contrafecerit condemnetur pro quolibet molendino et qualibet vice in quingentis libris bononinorum et destruat molendinum. Et massarii terrarum in quarum curiis edificarentur teneantur infra quinque dies postquam incepit laborari ad tale opus illud denunciare defensoribus averis, sub pena centum librarum bononinorum. Si vero contingerit aliquod molendinum iam factum seu quod in posterum fieret ex licentia ut supradictum est in futurum destrui ita quod molere non possit teneatur ille cuius molendinum esset denunciare defensoribus averis comunis Bononie et conductoribus datii molendinorum diem destructionis ipsius et si postea reficeretur ita quod molire posset. Diem ipsius talis refectionis et pro ipso tempore quo destructum stetit et molire non potuit et nullam gabellam sive tassationem solvere teneatur. Ubi autem aliquod de novo fieret, habita licentia supradicta, seu reficeretur vel construetur ut supra et infra, teneatur dominus seu qui fieri fecerit, antequam molere incipiat diem qua completum fuerit ita quod molere possit, notificare dictis dominis antianis et dicti domini inquirere teneantur de conditionibus et bonitate ipsius molendini et secundum quod ipsi invenerint ipsum tassare possint et teneantur una cum defensoribus averis comunis Bononie, qui pro tempore fuerint, dummodo tassare non possint in minori quantitate centum solidorum, quam tassationem dominus seu possessor molendini comuni Bononie vel habenti causam ab eo teneatur solvere. Volumus autem quod liceat cuilibet singulari persone, collegio et universitati et alteri cuicumque molendina et gualcherias que et quas habent ad presens vel habebunt in futurum ubicumque posita et positas manutenere et cuicumque qui causam haberet ab eo vel ea immediate vel successive et etiam olim habita et habitas. Nunc vero seu hactenus destructa vel destructas in plano vel in partibus montanee quocumque reficere et de novo construere et refici et construi facere in eodem loco, terra vel villa ubi erat vel alio vel alia que vel qui magis aptus vel apta videretur super proprio terreno tempore edificationis vel si super alieno tunc de voluntate eius ad quem pertineret. Dum tamen in alio loco edificare non possit cum dampno possessionum proximorum vicinorum sine

³⁸⁸ <privatus> nel testo privatutus.

³⁸⁹ Sul margine laterale sinistro in corrispondenza di questo paragrafo è tracciata una manicola.

eorum voluntate vel prope aliud molendinum, ita quod illud per novum edificium videatur posse aiarari nec etiam possit edificare in alio loco quo impediatur ministerium alicuius molendini soliti esse super ipsa aqua et quod omnia et singula molendina ubicumque sint vel fuerint et cuiuslibet eorum edificia, cluse, aqueductus et canalia ipsorum molendinorum vel eorum occasione facta possint fieri et conservari in locis et per loca solita vel alia non impediencia cursum aque alterius molendini et quociens opus fuerit refici et novari dummodo fiat a remotis cuiuslibet alterius molendini si quod esset in eadem aqua ultra centum perticas. Ita tamen quod ex hoc habens vetus molendinum vel postam non impediatur ex dicta distancia centum perticarum qui illud teneatur reficere vel reedificare. Et quod propter³⁹⁰ casus inopinatos impetus aquarum sepe accidit aqueductus molendinorum ruere auferr, frangi vel devastari, ita quod refici vel reparari in eodem loco sine maximo dispendio dominorum molendinorum non poterit providerunt quod in casu predicto ubi talis dominus non haberet de suo terreno vel a se possesso super quo possit aqueductus molendini fieri tunc et eo casu dictus aqueductus fieri possit per proximum terrenum emendum ut infra actum dicto aqueductum expensis ipsius domini molendini. Quod terrenum dominus vel possessor ipsius terreni vendere et concedere teneatur ipsi domino molendini petenti et emere volenti pro precio duplum comunis valoris et exti//

[c. 156r f. CXLVI]

mationis dicti terreni aqueductus et etiam atento interesse quocumque dicti talis domini seu possessoris terreni quod pretium et interesse declarari debeat per potestatem Bononie vel eius vicarium de consilio aliquorum bonorum virorum assumendorum per ipsum. Et predicti non habeant locum ubi aliqua edificia domorum seu habitationum venirent destruenda vel in periculo destruendi in totum vel pro parte vel ruendi manerent que facta fuissent ante casum impetus predicti ruine ablationis, fracture seu devastationis. Que omnia tam in preteritis quam in futuris locum habeant. Et ad predicta compelli possit talis dominus vel possessor terreni simplicis facti naratione exposita coram predictis absque aliqua solemnitate iuris et statutorum quibuscumque remediis proviso tamen quod per predicta directe vel indirecte nullum preiudicium perveniat vel pervenire possit comuni Bononie. Permittimus etiam³⁹¹ cuilibet cui liceat habere, facere, reficere vel construere molendinum ut supra in eadem domo seu capanna plures rotas molendinorum et gualcheriarum habere et construi facere ad suam voluntatem et ad illud conducere et conduci facere de quacumque aqua non necessaria pro alio molendino vel molendinis comunis Bononie per loca et fossata publica et etiam per fossata quecumque vicina vel non vicina etiam singularium personarum sine agorgatione possessionum suarum. Salvo semper iure comunis Bononie in gabella percipienda in quibuscumque molendinis et gualcheriis supradictis tam factis quam fiendis in locis supradictis et aliis quibuscumque. Verum quia ex clusis molendinorum in locis de plano comitatus positorum circumvicinis et remotis dicti dampna³⁹² inferuntur interdum ac inferri timentur, mandamus, quod qui habent vel in futurum habebunt tales clusas et molendina et retinere voluerint teneantur suis expensis eas in ea altitudine firmatas et deprensas habere et sic aggeres consuetos facere et manutenere quod ex impetu vel inundatione aquarum propter ipsas clusas exalantes damna tallia inferri non possit et quecumque illata lesis reficere ipso facto sumarie et absque strepitu arbitrio boni viri et sic compelli possit per quencumque qui fuerit aditus pro predictis. Volentes, quod si aliquam talem clusam in futurum levare contingat ultra modum, ita quod propter ipsius elevationem aliqua inferrantur damna illa passis ad integrum reficere et restituere teneantur et

³⁹⁰ <propter> *corregge* proter.

³⁹¹ <etiam> *segue* quod *cancellato*.

³⁹² <dampna> *nel testo* dapnma.

compellantur et taliter quod damna tallia verisimiliter non possint contingere in futurum. Et nichil ad clusas ipsas et aggeres sic procedere et laborare et laborari facere teneantur et compellantur ipsi domini molendini ad petitionem cuiuslibet cuius interesse posse videretur aut massarii seu sindici illius terre in cuius curia clusa reperiretur summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii ex probationibus tamen sufficientibus arbitrio boni viri etiam tempore feriato per quencumque iudicem competentem et maxime per dominos officiales officio aquarum, pontium et stratarum et etiam ex mero officio et arbitrio dominorum predictorum qui possint et teneantur ipsas clusas destrui facere prout ipsi mandaverint si non adhibeatur competens remedium in predictis. Mandantes presens statutum precise et inviolabiliter observari. Providentes et declarantes, quod possidentes molendina in comitatu Bononie teneantur et debeant eorum expensis clusas, paraturas et fossata publica et privata et etiam singularium personarum per que conducunt aquas ad eorum molendina manutenere ita deprensas et aptas et cava et disgomborata et margelata, quod dicte parature possint elevari et de primi per quencumque et cum expediens fuerit. Et quod ex impetu aliquarum aquarum possessiones aliquorum non sumergantur vel agorgentur in totum vel pro parte. Et in quantum predicta non facerent infra mensem a die amonicionis³⁹³ facte ipsi possessori molendini uni vel pluribus de mandato vicarii domini potestatis Bononie ne homines habentes possessiones que agorgarentur ex predictis habeant materiam litigandi cum predictis possessoribus molendinorum liceat cuicumque ellapso mense predicto tales aquas extrahere de dictis fossatis et conductis et aqueductibus et alio sive aliunde conducere. Et nichil ipse possessor molendini penam centum librarum bononinorum incurrat etiam ad predicta facienda et conservanda suis suntibus ad petitionem cuiuscumque compellatur et//

[c. 156v]

et compelli possit. Et contra ipsum statum non possit aliquid dici, proponi, compelli vel reformari nisi pro consilium quadringentorum et in ipso consilio pena cuilibet contra proponenti, consulenti vel reformanti et notariis scribentibus quingentarum librarum bononinorum pro quolibet actum in quo contraventum sit. Et nichilominus quando contrafactum fuerit careat viribus et effectu. Item dicimus, quod si esset aliquod molendinum in comitatu vel districtu Bononie quod esset plurium personarum seu plurium partium quod molendinum seu ipsius molendini clusa canale vel aliquid aliud quod utile vel necesse esset causa molendini esse destructum vel impeditum propter quod impedimentum dictum molendinum non posset molere. Et aliqua ex dictis seu partibus seu plures vellent reaptare predicta ut dictum molendinum posset molere et alter ex dictis personis seu partibus vel plures habentes partem in dicto molendino nollent conferre in reficiendo dicta clusa, canale vel aliud necessarium ut dictum molendinum posset molere, tunc et eo casu volens et volentes reficere predicta possint impune et sine contradictione alterius vel aliarum partium nolentium conferre predicta refici facere suis expensis. Et quod pro predictis expensis auctoritate propria possit colligere reddictum dicti molendini usque ad integram satisfacionem eius quod pro alio solverit. De quibus expensis et quantitate earum credatur sacramento eius vel eorum qui fecerit dictas expensas, tassatione premissa, per vicarium domini potestatis et habito prius per eum³⁹⁴ consilio duorum ad minus magistrorum peritorum in tali opere qui consulant ipsi domino vicario quantum rationabiliter et verisimiliter potuerit in dicto oppere expendi vel expensum esse. Et quia in pluribus locis comitatus Bononie plura molendina molant de aqua vel parte aque decurrentis per unum canale vel unum alveum

³⁹³ <amonicionis> *corregge monicionis.*

³⁹⁴ <eum> *segue sacramento depennato.*

et oportet fieri clusas et alia laboreria ex quibus dicta molendina possint habere aqua et molere et aliqua ex dictis molendinis seu domini vel possessores eorum recusant conferre dictis expensis. Statuimus, quod quocumque fuerit molendina que molant ex aqua vel parte aque decurrentis per unum canale seu alveum vel fossatum vel habeant comodum vel utile ex dicta aqua ad molendini que decurrit mediantibus dictis clusis teneantur domini seu possessores ipsorum molendinorum conferre ad omnes expensas clusarum et aliarum expensarum pertinentium ad clusas pro rata, considerata qualitate et conditione dictorum molendinorum, sub pena viginti quinque librarum bononinorum quociens conferre recusaverit applicanda parti vel partibus que fecerit supradictas expensas quam penam solvi facere teneatur dominus potestas Bononie summarie et de facto parti vel partibus que fecerint predictas expensas. De quibus expensis credatur ut supra. Item dicimus, quod si plures sint consortes vel partes habentes in aliquo molendino et discordia fuerit inter eos de aliquibus oportunis dicto molendino vel ipsius reparatione vel reedificatione vel etiam de massario elligendo vel de aliquo alio ad ipsum molendinum spectante vel pertinente vel ipsius occasione tunc stetur et stari debeat iudicio et dispositioni maioris partis eorum et, quod factum fuerit valeat et teneat et debeat observari per alios, sub pena quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice. Et nichilominus quod ordinatum fuerit debeat observari et executioni mandari. Quod fieri facere teneatur precise quilibet ex officialibus domini potestatis sub dicta pena.

[46] **De blado non exportando extra comitatum Bononie ad molendum**³⁹⁵.
Rubrica. [cc.156v-157r]

Statuimus, quod nulla persona debeat aliquod bladum ad molendum vel alia quacumque de causa portare extra comitatum vel portari facere, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice et ammissionis bladi et bestiarum super quibus vel cum quibus venderetur vel portaretur ipsum bladum. Et quilibet possit accusare et denunciare contrafacientes et habeat³⁹⁶ medietatem banni et licitum sit cuilibet posse auferre sua auctoritate bladum omnibus portantibus contra predictam formam et lucretur bladum quod sic abstulerit, nisi foret ille qui abstule//
[c. 157r f. CXLVII]

rit officialis comunis ad custodiam devedi dicti bladi qui illud comuni Bononie debeat assignare.

[47] **Quomodo accipi debeat molitura a**³⁹⁷ **molendinis que sunt in plano et montanea. Rubrica.** [c. 157r]

Ordinamus, quod molindinarii pro molitura non audeant per se vel alium dirrecte vel indirecte accipere nec accipiant ultra quatuordecim in comitatu Bononie in plano et in montanea, nec a strata supra qua itur Ymolam et Mutinam, exceptis molendinis que sunt tenus stratam predictam per medium meliare que accipiant sexdecim et non ultra, pena et banno mulinario contrafacienti pro qualibet vice quadraginta solidorum bononinorum nisi aliud provisum esse reperiretur et habeat quilibet molindinarius nappos et cupirollos, starium et quartarolam in sua capanna seu molendino bene assazatos et reductos ad mensuram iustam et bullatos bulla comunis Bononie. Qui nappi et cupirolli et dicta assagia sint ligati cum una catena ad stelonem molendini et qui

³⁹⁵ <molendum> *nel testo* molendinum.

³⁹⁶ <habeat> *segue et depennato*.

³⁹⁷ <a> *in infralinea con segno di inserzione*.

contrafecerit condampnetur in decem libris bononinorum³⁹⁸ pro qualibet vice qua contrafactum fuerit.

[48] **De officio dominorum de gabella et eorum iurisdictione. Rubrica.** [cc. 157r-158r]

Ordinamus, quod domini et officiales presidentes ad discum gabelle scilicet iudex et miles possint et teneantur pettere et exigere pro comuni Bononie et ad eius utilitate gabella que solvi debet de dotibus et earum augmentis et alienationibus rerum immobilium et penas quas incidissent qui solvere debuissent et non solvissent et alia quacumque gabella debita comuni Bononie que in datiis vel sub datiis non comprehendatur vel que non pertineat ad officium depositarii dacia seu gabelle mercationum et³⁹⁹ etiam dictam gabellam mercationum et predictas penas ad requisicionem dicti depositarii et officialis deputati dicto officio mercationum vel alterius eorum pro qua exactione facienda et ipsius occasione habeant liberum arbitrium in procedendo, cognoscendo et terminando et executioni mandando que fieri valeant etiam tempore feriato ob necessitates hominum indroducto sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii. Et pro ipsa etiam exactione fienda teneatur dictus potestas et quilibet de sua familia et quilibet alius officialis dare et prestare eisdem eorum familiam et omne aliud auxilium et consilium prout et quando fuerit per eos postulatum. Et quod possint dicti domini cognoscere de omnibus et singulis litibus et questionibus que orrrentur et orriri possent de aliquibus et super aliquibus venditionibus, alienationibus vel aliis contractibus fiendis de aliquibus et super aliquibus rebus imobilibus, corporalibus vel promissionibus seu obligationibus de aliquibus talibus vendicionibus alienationibus vel contractibus fiendis vel de dotibus vel earum augmentis promissis vel constitutis. De quibus vendicionibus et alienationibus vel aliis contractibus que vel qui fierent seu dotibus et augmentis que darentur gabellam principaliter solvi deberet comuni Bononie, instrumento confecto. Qua cognicione et iurisdictione ita demum habeant si de eis tempore talis questionis vel litis non fuerit instrumentum confectum, nisi tale instrumentum fieret vel factum esset de promissione seu obligatione talis venditionis seu alienationis vel contractus fiendi vel fiende vel dotis dande vel augmenti ipsius⁴⁰⁰. Quibus etiam casibus habeant iurisdictionem predictam et ipsas lites et causas terminare et suas predecessorum suorum sentencias executioni mandare et super predictis omnibus procedere sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii et etiam tempore feriato ob necessitatem hominum indroducto. Declarantes de his solum litibus et questionibus supradictis eos iurisdictionem habere per quarum litium decisionem perveniretur et perveniri posset ad perfectionem seu impletionem contractus et per consequens ad gabelle solucionem seu exactionem. Adicientes//

[c. 157v]

etiam et declarantes, quod condemnatus ad rem tradendam in aliquo de casibus supradictis si rem ipsam possideat omnino rem tradere compellatur vel in ea missio fiat in possessione etiam si condemnatus prestare voluerit interesse et pro vero possessore habeatur et sit talis missus et fructus lucretur. Sed si venditor vel qui vendere promiserit vendere et tradere voluerit in ipsa traditione vel ante fiat precii solucio. Si autem vendere et tradere noluerit vel vendiderit et non tradiderit emtor antequam in possessione⁴⁰¹ mitatur teneatur pretium totum conventum deponere et depositum

³⁹⁸ <bononinorum> *segue qu depennato.*

³⁹⁹ <et> *segue penas predictas depennato.*

⁴⁰⁰ <ipsius> *segue etiam et depennato.*

⁴⁰¹ <possessione> *nel testo possessone.*

dimittere in sacristia et penes sacristam fratrum Predicatorum et Minorum vel Heremitarum civitatis Bononie vel aliam ydoenam personam elligendam per officialem qui de causa cognoverit donec vendicionem fecerit eius quod in sententia continetur et facere teneatur ut supra et infra. Si vero possidere desierit si quidem dolo qui semper presumatur si tempore vendicionis, alienationis seu promissionis dotis vel augmenti possidebat, nisi contrarium probaretur tunc possit in litem iurari. Et in eo quod sic iuratum fuerit, tassacione a iudice facta, ante iuramentum vel post executio fiat contra condempnatum et in bonis ipsius ac si ab ipso inicio vel in sententia deductum vel declaratum fuisset secundum formam statuti nostri ‘De preceptis fiendis debitoribus confessis vel convictis’ [IV, 21] per sententiam quando scilicet actum fuerit personali non obstante, quod solvi debuerit gabella de tali interesse vel quod non perveniretur seu perveniri posset ad perfectionem contractus. Quod iuramentum in litem locum non habeat ubi ex promissione de re vendenda seu alienanda ageretur vel ubi culpa tantum defierit possidere que culpa semper presumatur, nisi conventus probaverit contrarium quibus casibus comune interesse veniat per sacramentum declarandum et tassandum facta prius fide de interesse predicto per unum testum ydoneum et fidedignum. Quam fidem dicti domini accipere possint et teneantur summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii et in eo executio fiat ut supra ubi vero emtor seu de emendo obligatus si de predictis contencio fieret coram dictis dominis tempore sentencie ferende in predictis interrogatus per dictos dominos an vellit contractum consummare eo casu quo emit vel perficere emtionem eo casu quo convenit de emendo recusaverit iniuste predicta vel aliquod predictorum adimplere condempnetur dictus emtor seu qui convenit de emendo in duplum dandum alteri parti et in eo executioni mandetur omnino per dictos dominos elapsis decem diebus nisi dicta sententia fuerit aliquo iuris remedio retractata vel retractari posset quo casu solvatur dictum duplum solum si et quando dicta summa fuerit confirmata. Et per dictos dominos officiales possit et cogi et valeat. Qua sententia executioni mandata, ipse venditor emtori rem predictam tradere teneatur in ceteris vero casibus supradictis in quibus ad rei tradicionem agatur, lata sententia, executioni mandetur in omnibus et per omnia ut supra dictum est, venditore condempnato, quatenus dictis casibus possit adaptari. Nec possint dicti domini in aliquo predictorum casuum recusari. Et si eos associari contigerit in casu permissio, associatus cum eis ad causas, lites et questiones eandem iurisdictionem habeat et potestatem. Statuentes etiam, quod in talibus litibus et questionibus que inter privatos ad invicem orientur vel oriri possent de predictis probationes legitime requirantur nisi in casu in quo hoc statuto aliter est provisum. Et si lis vel questio fuerit de re cuius extimatio excedat summam centum librarum bononorum vel de dote vel eius augmento excedente quantitatem vel summam predictam requiratur omnino probatio per publicum instrumentum vel aliam scripturam publicam vel privatam cui de iure comuni vel municipali civitatis Bononie fides debeat adhiberi per quod vel quam possit dictorum dominorum iurisdicio impediri vel per tres testes⁴⁰² ad minus prosoneta si fuerit in eorum numero non computato qui ad testimonium non admittatur, nisi fuerit de partium voluntate⁴⁰³. Si tamen partes consenserint, quod prosoneta unus vel plures qui fuerint deponant et factum declaret et exponat ut prosoneta et ut eius dicto credatur et stetur per partes et iudices ac si plene et secundum formam huius statuti probatio facta esset. Salvo//

[c. 158r f. CXLVIII]

semper statuto nostro ‘De contractibus cum minoribus et filiis familias faciendis’ [IV, 61] et alio statuto ‘De donationibus’ [IV, 65] excedentibus summa quinquaginta

⁴⁰² <testes> *corregge testas.*

⁴⁰³ <voluntate> *segue si depennato.*

librarum bononinorum. Preterea dicimus, quod venditor seu alienator predictus vel qui rem aliquam mobilem vel immobilem in dotem dederit vel eius augmentum teneantur, volente emptore vel aliter recipiente, de ipsa vendicione et alienatione seu datione fieri facere publicum et solemne instrumentum cum promissione de evictione et generali defensione et aliis subsequentibus et aliis clausulis penarum, adiccionibus, obligationibus et renuntiationibus que tunc temporis ex usu notariorum civitatis Bononie in instrumentis talibus apponentur expensis eius cui talis expensa instrumenti inmineret. Et ad hec per dictos dominos compelli possit ut supra et alios quoscumque officiales comunis Bononie de civilibus cognoscentes. Et idem intelligatur et fiat ubi dos vel eius augmentum in quantitate consisteret. Quod instrumentum dotale et augmenti possit et debeat fieri ad petitionem utriusque vel alterius tantum ut supra. Interdicimus autem eis auctoritatem et omnem iurisdictionem in aliis litibus et questionibus quibuscumque eisdem non comissis ut supra vel que eis per nostra statuta non reperiantur esse concessa ubi autem conventus in aliquo de casibus supradictis non comparuerit legitime tunc per dominos contra eum et in bonis petitis seu dicti conventi vel per eum possessis procedi possit et debeat secundum formam statuti nostri positi sub rubrica ‘Qualiter procedatur in causis civilibus reo non comparente’ [IV, 30] continuatis actis etiam non mutata prima petitione iam oblata. Et quia predictorum officialium copia haberi non poterit volumus, quod vicarius domini potestatis et iudex Aquile et quilibet eorum qui fuerit aditus in predictis eandem iurisdictionem habeant in predictis quam habent dicti officiales.

[49] **De modo locationis datiorum et iurisdictione conductorum. Rubrica.** [cc. 158r-159v]

Considerantes quod datia et gabelle comunis Bononie hodie pro maiori parte et utilitate dicti comunis venduntur seu locantur modumque et formam locandi seu vendendi et iurisdictionem emtorum seu conductorum declarare et limitare volentes. Statuimus et mandamus, quod omnes et singule vendiciones seu locationes que fient de cetero de aliquo datio vel gabella comunis Bononie fieri debeant per defensores averis vel alios ad hoc deputatos vel deputandos per dominos antianos in palatio veteri comunis Bononie ad incantum in consilio otingentorum comunis Bononie prius pulsato more solito et etiam preconizato per alterum ex banitoribus comunis Bononie in palatio veteri ad arengeriam dicti comunis et palacii supradicti et super ambabus scalis dicti palacii, quod si qui sunt qui vellint conducere de dictis daciis et gabellis venire debeant ad consilium pro predictis pulsatum seu pulsandum. Et fiant et fieri debeant vendiciones seu locationes solum de anno in annum et pro uno anno tantum, nisi aliud in foris locationum datiorum de tempore locationis cautum esset. Et incipiant fieri subastaciones et⁴⁰⁴ incantus ipsorum datiorum et gabellarum per duos menses ante finem conductoris tunc extantis de ipso datio vel gabella, quod vel que vendi seu locari deberet si hoc fieri poterit vel quam cicius fieri poterit ante finem dicti termini de quibus incantum et subastacionibus apparere debeat manu notarii vel notariorum qui preerunt incantui et subastacionibus predictorum datiorum et gabellarum. Et fiant et fieri debeant ad pacta de quibus in instrumento locationis fiet expressa et specialis mentio. Et si contingeret emtorem seu conductorem emere seu conducere pro se et sociis quos secum habere voluerit vel pro se simpliciter et postea vellet sibi aliquos associari teneantur ipse emptor seu conductor nominare ipsos socios infra octo dies a die emtionis seu conductionis predicte. Et ipsi socii nominandi si socii esse voluerint accedere et se presentare teneantur coram predictis notariis sive notario infra dictum terminum et se

⁴⁰⁴ <et> segue in depennato.

scribi facere ad ipsam emtionem seu conductionem per notarium seu⁴⁰⁵ notarios qui ipsam vendicionem seu locationem scripserint seu scribere debuerint. Qui omnes accedentes seu presentantes et se scribi facientes et ipsorum heredes et bona pro quibuscumque contentis seu que continebuntur ipsa vendicione seu//
[c. 158v]

locatione in solidum teneantur et compellantur et obligati sint et esse intelligantur comuni Bononie ac si a principio principaliter et in solidum emissent seu conduxissent de quibus sic accedentibus et se pro sociis scribi facientibus et de ipsorum nominatione credatur et stetur scripturis notarii seu notariorum supradictorum. Teneatur etiam quilibet talis⁴⁰⁶ emtor seu conductor et socii si qui se scribi fecerint ut supra infra decem dies a die dicte emtionis seu conductionis vel ad alium minorem terminum arbitrio locatorum statuendum prestare bonos et idoneos fideiussores de tanta quantitate quanta fuerit tertia pars precii ipsius daciis et gabelle ad minus si precium excederet summam decem millium librarum bononinorum aliter de tanta quantitate et summa quanta fuerit medietas precii ipsius datii et gabelle de solvendo precii dicti daciis et gabelle terminis conventis et ordinatis et ultra de faciendo et observando omnia que in ipsa vendicione seu locatione continentur. Qui fideiussores approbari debeant si fuerint approbandi per duos ad minus ex approbatoribus comunis Bononie. Qui tamen fideiussores licet approbati non fuerint dummodo nomina ipsorum descripta fuerint per notarium seu notarios predictos pro fideiussoribus talium conductorum teneantur et obligati sint ipsi et eorum heredes perinde ac si approbati fuissent et in solidum et etiam ipsorum et cuiuslibet eorum bona in solidum alias nisi ipsos fideiussores prestiterint et approbari fecerint ipse conductor vel socii datium vel gabella non possint exigere seu recipere. Et nichilominus ad solutionem dicti precii teneantur et compellantur, si tamen approbatores approbare nollent fideiussores qui viderentur approbandi tunc fiat et servetur in omnibus et per omnia prout continetur super in statuto nostro posito sub rubrica 'De officio approbatorum' [22] in paragrapho 'Et si contingat ipsos approbatores et cetera' [c. 136v] et omnia et singula ibi disposita in presenti statuto vendicet sibi locum. Qui fideiussores et eorum heredes et bona in solidum obligentur et teneantur et conveniri et exigi possint ac si expresse actum fuerit etiam si non renouciaverint beneficio seu privilegio de fideiussoribus vel aliis similibus ex quibus beneficiis obligacionis seu solutionis divisio fieri posse vel debere diceretur. Quia vendicione seu locatione ipse notarius sive notarii facta eis prius solutione debita cum pretis predictis seu infrascriptis apponendo nomina sociorum si qui nominati fuerint et cum fideiussoribus prestitis scribere teneantur et ponere in publicam formam ad camaram actorum comunis Bononie extensa infra duos menses a die celebrati dicti contractus, sub pena ipsi notario seu notariis centum librarum bononinorum comuni Bononie applicanda que prius obmitterentur seu ponerentur sub breuitate per ipsum notarium seu notarios semper in favorem comunis et conductoris et sociorum eiusdem scripta et apposita esse intelligatur. Salvis semper et firmis manentibus omnibus et singulis nostris statutis et ordinamentis comunis Bononie factis in favorem dicti comunis contra emtores seu conductores datiorum et gabellarum dicti comunis vel contra ipsorum socios, fideiussores, heredes et bona ipsorum et detentores bonorum predictorum et contra approbatores ipsorum fideiussorum et ipsorum approbatorum heredes et bona et fideiussores et bonorum detentores. Statuentes etiam, quod quilibet emtor seu conductor alicuius datii et gabelle comunis Bononie et quilibet eius officialis quem pro exactione alicuius daciis vel gabelle ab ipso emente vel conductore supra retineret habeat et habere

⁴⁰⁵ <seu> *corregge se.*

⁴⁰⁶ <talis> *segue notarius depennato.*

intelligatur in exactione et pro exactione alicuius datii vel gabelle ab ipso emti vel conducti ut supra et circa exactione ipsius dacia vel gabelle et penarum et quarumcumque quantitatum que eidem conductori applicari deberent et ipsius datii occasione illam et eandem⁴⁰⁷ iurisdictionem, potestatem, arbitrium et bailiam, quod et quam habet comune Bononie in exigendo vel pro exigendo dictum datium vel gabellam vel ipsius occasione durante tempore sue conductionis vel emtionis et etiam eo finito infra sex menses tantum et non ultra secundum formam statutorum nostrorum de hoc⁴⁰⁸ loquentium qui terminus non possit prorogari. Declarantes, quod statutum⁴⁰⁹ positum sub rubrica ‘De prescriptionibus’ [IV, 17] in aliqua sui parte in predictis vel aliquo predictorum aliqua ratione vel causa non vendicet sibi locum nec prodesse possit aliquibus conductoribus vel emtoribus alicuius dacia vel gabelle vel habentibus// [c. 159r CXLVIII^{or}]

causam ab eis vel aliquo eorum pro tempore preterito. Liceat etiam cuilibet conductori alicuius datii vel gabelle per se et socios et officiales quibus comitteret absolute inquirere sine strepitu et figura iudicii de omnibus et singulis qui dicerentur obmisisse solvere gabella seu datium quod vel quam conduxerit vel alia facere que facere tenerentur ex forma pactorum dacia supradicti et locationis eidem facte. Et de omnibus et singulis qui dicerentur facere seu fecisse vel venisse contra formam predictam dummodo ipse inquisitiones et inventiones in scriptis manu publici notarii reducantur antequam contra illum predicta obmisisse contrafecisse vel venisse diceretur pro predictis aliter procedatur vel aliquis processus pro predictis vel aliquo predictorum fieri valeat contra eum opponendo in ipsa scriptura nomina et cognomina testium quorumcumque qui denunciassent vel notificassent vel super ipsis testificati fuissent et dicta ipsorum. Quibus in questionibus et inventionibus credatur et stetur si inquisicio vel inventio fuerit vel sit de quantitate decem solidorum bononinorum vel infra sortis datii non soluti de maiori vero quantitate constare debeat ad minus per unum testem et denunciatores eiusdem conductoris secretum cum sacramento amborum iuratorum etiam in absentia partis denuntiate seu inquisite quorum dicta etiam parti inquisite si per eam hoc petatur publicentur eorum tamen nominibus in secreto retentis si in secreto retineri voluerit dummodo talis testis vel denunciator non sit socius, defensor, nuntius familiaris seu officialis ipsius conductoris; possit tamen in quolibet dictorum casuum probari contrarium et talis probatio admittatur. Et si inquisitus, delato sibi sacramento, etiam in casu quo per unum testem probatum non fuerit super conventis in inquisicione vel inventione iurare noluerit de veritate ipsorum super ipsis credatur et stetur sacramento conductoris seu officialis qui inquisiverit affirmantis vera esse que in inquisicione vel inventione scripta fuerint. Et etiam possint citari et requiri facere omnes et singulos debitores datii seu gabelle cuius essent seu erunt conductores et non comparentes pignori facere et detineri et capi et etiam debitores ipsius datii detentos sequestrari et recomendari facere usque ad integram satisfacionem et pro integra satisfacione sortis et pene et etiam expensarum factarum occasione predicta prius tamen in predictis obtenta licentia vel mandato a iudice deputato vel deputando super daciis et gabellis comunis Bononie si erit et eo non extantante a vicario domini potestatis seu iudice Ursii. Quam quidem licentiam et mandatum predicti iudex datiorum et vicarius seu iudex Ursii et eorum alter dare et concedere teneantur ad requisicione dictorum prius factis citationibus et requisicionibus predictis servata etiam forma statuti nostri positi sub rubrica ‘Quod nullus possit detineri de mandato alicuius et cetera’ [V, 98]. Et dun tamen non possit aliquem facere detineri, capi vel sequestrari personaliter pro

⁴⁰⁷ <eandem> segue ir depennato.

⁴⁰⁸ <de hoc> dittografato e depennato.

⁴⁰⁹ <statutum> corregge statum.

aliquo debito alicuius dacii vel gabelle si fuerit quantitatis quadraginta solidorum valeant partes vel eorum officiales fienda in predictis vel circa predicta prout valerent si fierent et facta essent per dominos de gabella et pro predictis et predictorum omnium occasione possit et eis liceat habere et tenere durante tempore sue conducte et etiam eo finito, usque ad tempus si concessum et limitatum per nostra statuta quoscumque notarios et officiales ac nuntios eisdem necessarios et opportunos pro exactione et exercicio sui dacii seu gabelle suis tamen et dicti dacii seu gabelle expensis. Quorum notariorum elligendorum per ipsum conductorem scripturis⁴¹⁰ inde fiendis credatur et stetur ut actis staretur scriptis seu scribendis manu alicuius officialis vel notarii comunis Bononie. Salvo semper in omnibus supradictis officio et arbitrio domini potestatis Bononie et eius vicarii. Et quod dominus potestas civitatis Bononie qui nunc est vel pro tempore fuerit et alii quicumque officiales comunis Bononie possint et teneantur dare dictis conductoribus et eorum officialibus seu eorum alteri quocienscumque requisiti fuerint ipsorum familia et omne aliud auxilium et consilium et favorem prout et quando petitum fuerit pro exactione dicti datii et penarum et quarumcumque quantitatum ipsi conductori applicandarum. Et pro executione predictorum et ipsorum occasione tam in civitate Bononie quam in eius comitatu et districtu, sub pena centum librarum bononinorum tociens comittenda quociens contrafactum fuerit vel non fuerit observatum comuni Bononie applicanda. Preterea providemus quod quilibet conductor// [c. 159v]

cuiuscumque datii vel gabelle solvere teneatur pretium ipsius dacii vel gabelle de quo convenit pro rata dividendo per mensem et singulis mensibus, ita quod prima solucio fiat per septem dies ad minus ante finem cuiuslibet mensis et sic successive, sub penis ordinatis malpagis datiorum seu preciorum ipsorum et aliis penis que in instrumentis de dictis vendicionibus seu locationibus conficiendis apponeretur nisi aliter foret conventum in instrumentis de dictis contractibus conficiendis circa solutiones predictas et ipsarum solucionum terminos. Et fiant fieri debeant ipse soluciones solum in bononinis grossis vel angontanis seu arimininis et ambrosianis argenteis, nisi aliud in formis ipsarum locationum aliud circa ipsas monetas dispositum esse reperiretur que prout scripture reperirentur debeant in omnibus observari. Preterea dicimus, quod si aliquis in fraude alicuius dacii vel alicuius conductoris ipsius aliquid fecerit vel fieri fecerit extra districtum Bononie vel in alio loco⁴¹¹ exemto a solucione datii de quo fieret vel factum esset in civitate vel districtu Bononie datum vel gabella solvi debuisset vel deberet nichilominus ipsum datum vel gabella solvi debeat et peti et exigi possit sub penis ordinatis et si fieret⁴¹² vel factum esset in civitate vel districtu Bononie predictis.

[50] **De consilio octingentorum et ipsius auctoritate. Rubrica.** [c. 159v]

Quia de Consilio Octingentorum mentio habetur et sit in pluribus partibus statutorum comunis Bononie tam novorum quam antiquorum ad predictorum declarationem statuimus et firmamus, quod de dicto consilio sint et esse intelligantur omnes et singuli cives et districtuales civitatis Bononie qui ad solitam pulsationem dicti consilii campanarum et preconum dicti comunis congregari voluerint vel congregabuntur in palacio veteri dicti comunis ad disscum Ursi ipsorum numero, conditione, etate vel nomibus non atentis quod consilium aliter vel in alio loco congregari non possit nec per ipsum consilium vel in eo aliquid providere, ordinari, statui valeat vel firmari, sed in eo tantum legi et publicari valeant condemnationes et absoluciones que fierent per

⁴¹⁰ <scripturis> *nel testo* septuris.

⁴¹¹ <loco> *corregge* a loco.

⁴¹² <fieret> *corregge* fiere.

potestatem Bononie vel capitaneum populi Bononie vel per aliquos alios officiales comunis Bononie ac etiam in eo possint et debeant dari banna et multa et dacia comunis Bononie in eo valeant incantari seu locari et omnia alia legi, publicari et fieri que per statuta nostra vel alia quecumque statuta comunis Bononie nunc vigentia legi, publicari vel fieri necessario in eodem consilio mandaretur. Exceptis sindicatibus comunis Bononie qui per ipsum consilium solum vel in eo fieri non valeant immo fiant et fieri debeant secundum formam sequentium statutorum vel aliter prout in consilio populi⁴¹³ fuerit ordinatum.

[51] **De modo ordinandi et constituendi syndicos comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 159v-160r]

Statuimus quod quocienscumque contigerit debere pro expedicione aliquorum negociorum comunis Bononie vel ipsum comune tangentium aliquem vel aliquos syndicum vel syndicos ordinari seu constitui fiat et constituatur in consilio et per consilium quadringentorum comunis Bononie vel in alio consilio quod representet comune et populum Bononie in quo intersint domini antiani et consules vel due partes ad minus dictorum dominorum antianorum. Et sint ad minus trecenti consiliarii et maior pars in concordia vel fiat per alios quibus comitteretur per ipsum consilium et eidem constituendo vel ordinando uni vel pluribus omnem potestatem et auctoritatem dare et concedere possit dictum consilium. Et hi quibus auctoritas constituendi comitteretur que et prout necessaria vel utilis seu conveniens diceretur vel videretur. Et valeat omnia ibidem per ipsum consilium fienda circa constitutionem et ordinationem predictam ac si fierent vel facta essent per totum comune et universitatem civitatis Bononie antedecte. Quorum constituentium seu consiliariorum nomina vel numerum non sit necesse in instrumento sindicatus conscribi. Et de predictis solemnitatibus stetur ipsi instrumento sindicatus. Et quod instrumenta sindicatum predictorum scribantur et auctenticentur per alterum ex notariis dominorum antianorum qui pro//

[c. 160r f. CL]

tempore fuerint. Que instrumenta ipse notarius ad camaram actorum populi deponere, consignare et dimittere teneatur.

[52] **Coram quo et qualiter cause rey publice comunis Bononie debeant agitari. Rubrica.** [cc. 160r-160v]

Hac etiam novissima constitutione sancimus, quod nullus qui dicere voluerit comune Bononie sive rem publicam civitatis eiusdem sibi retineri vel obligatum esse vel aliquid petere per quod videatur principaliter preiudicium generari comuni Bononie quavis de causa possit citari vel requiri facere ipsum comune sive rem publicam sive alium pro ea vel super eo quod petierit procedere coram aliquo officiali comunis Bononie, nisi prius accesserit per se vel alium legitime coram dominis ancianis comunis Bononie vel maiori parte eorum et coram eis vel maiori parte eorum proposuerit et eis et penes eos in scriptis dederit et dimiserit ius, quod diceret se habere contra dictum comune ratione cuius iuris intendit agere vel experiri contra ipsum comune vel id quod petere intendit quod principaliter preiudicare videatur dicto comuni. Et instanter ab eis petere, quod venire faciant coram se officialem officio procuratorum iurium comunis Bononie vel syndicum comunis Bononie ad eas si aliquis tunc constitutus fuerit dicti comunis et eos monere, quod si ad petitionem talis fuerit requisiti ex aliqua causa se presentare debeant ipsi vel alter eorum quociens dicta de causa vel eius occasione fuerint ipsi vel alter

⁴¹³ <populi> segue il compendio di con depennato.

eorum requisiti seu requisitus coram iudice competenti. Et quod questionem seu causam dicti comunis sive que principaliter in preiudicium dicti comunis moveretur usque ad finem defendet sollicite et cum fide de quibus constare debeat ex scriptura alterius notariorum dominorum antianorum vel alterius notarii civitatis Bononie. Quo facto possit et debeat dictus talis requiri et citari facere officiales predictos vel alterum ex eis vel dictum syndicum personaliter vel ad domum et alios de quorum preiudicio ageretur saltem per publicum banitorem dicti comunis, sono tube premissa, qui cridet publice et alta voce in palatio veteri comunis Bononie et super scalis ipsius palacii et ad arenghenriam dicti palacii et ante discum Bovis si est aliquis qui contradicere vel se opponere vellit ne tale quid quod petitur per talem coram domino vicario domini potestatis fiat comparere debeat infra terminum assignandum per dominum vicarium domini potestatis coram ipso vicario qui pro tempore fuerit dum taxat et non coram alio cum quo vel quibus si comparuerit procedatur coram dicto domino vicario secundum formam statuti 'De vocatis in iure et venientibus' [IV, 4]. Si vero non comparuerit, aliquis tunc procedi possit et debeat contra dictum comune sive rem publicam dicti comunis, tanquam contra contumacem secundum formam statuti positi sub rubrica 'Qualiter procedatur in causis civilibus reo non comparente' [IV, 30] quatinus in tali questione vel causa dicta statuta possint adaptari aliter secundum formam iuris comunis. Ubi vero dicti officiales et syndicus vel alter eorum dicerent comuni Bononie contra aliquam personam, collegium seu universitatem ius aliquod ex quacumque causa competere non aliter possit requiri vel citari facere predictos vel aliquem predictorum quam si primo adiuverint predictos dominos antianos et coram eis vel maiori parte eorum proposuerint causam quam habere intendunt contra talem et iura que dicerent contra eum competere comuni Bononie et petierint per eos de advocantia et specialibus procuratoribus sive sindicis uno vel pluribus provideri si de talibus ultra predictos ipsis dominis antianis expedire videbitur quorum consilio, industria et opere causa peragatur de quibus constare debeat scripturis unius ex notariis dominorum antianorum per quas scripturas probari sufficiat predicta servata esse, sed si ea servata non essent et opposuerit conventa persona quod opponere possit antequam petitioni respondeant et postea non audiatur opponens quomodo opposito non procedatur in causa nisi prius agens fide fecerit de predictis//

[c. 160v]

et tunc et eo casu per predictos procuratores dicti comunis vel syndicum unum vel plures advocatorum comunis Bononie unius vel plurium offeratur qualisqualis peticio coram dicto domino vicario domini potestatis et non coram alio super qua summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii et omni tempore etiam feriato dun tamen in honorem Dei inducto assistentibus semper cum dicto procuratore vel sindico uno vel pluribus de dictis advocatis et dictis officialibus officio procuratorum iurium dicti comunis procedi possit et debeat et causa terminari infra mensem etiam nulla facta excussione bonorum conventi in casibus in quibus agente privato fieri debet excussio, nisi quatenus ex nostro statuto aliud fieri caveatur quo casu statutum illud debeat observari. A cuius domini vicarii domini potestatis sententia conventus a comuni Bononie succumbens manifeste convictus instrumentis et testibus semel tantum audiatur appellans que appellatio ad alterum ex iudicibus appellationum devolvatur ipso iure quem appellans elegerit sine alia commissione fienda. Et in qua causa appellans asistere debeant dicto comuni nominate persone et ipsius appellationis causa omnino terminetur infra alium mensem a die qua appellatio fuerit presentata dicto iudici appellationum et pars. Et idem e converso per omnia observetur quantum ad appellationem. Ipsi vero comuni sint remedia restitutionis in integrum et appellationis semper salva prout et secundum quod eidem de iure permittitur in quibus causis appellationum predictarum non sint necessaria

alia solemnia et statutorum⁴¹⁴ nec requiratur quam contenta hoc statuto. Si vero predicta omnia observata non fuerint processus et quicquid sequeretur ex eo non valeat ipso iure in preiudicium dicti comunis in eius autem favorem et odium adversari ipso iure valeant ac si legitime processissent et effectui demandentur. Statuentes, quod predicta statuta in casu quo comune ageret seu eius nomine ageretur, in nullo casu extendantur ad aliqua attributa per nostra statuta officio iudicis exactoris domini potestatis ad discum Ursi vel alterius ex exactoribus quibus per presens statutum vel aliqua supradicta non intendimus in aliquo derogare. Mandantes, quod si cause predictae non fuerint infra dicta tempora terminate iudices de ipsis cognoscentes incidant ipso iure penam centum librarum bononinorum comuni Bononie applicandam. Et nichilominus infra decem dies tunc proxime subsequentes dicte cause debeant terminari, sub eadem pena quibus ellapis pereant instancie causarum predictarum.

[53] **De veneratione sanctorum. Rubrica.** [cc. 160v-161r]

Ad honorem et reverentiam omnipotentis Dei et salvatoris nostri et Matris eius virginis gloriose et sanctorum eiusdem eorum maxime quorum suffragia in nostris agendis negociis invocamus. Et ut ipsorum perpetuo patrocinia habere mereamur civitatemque Bononie ac cives et statutum popularem et habitatorum eiusdem ad ipsius omnipotentis Dei devocionem et in statu⁴¹⁵ prospero ac libertatis presentis et pacifico conservare dignentur hac sancione perpetuo valitura ordinamus, quod omnes cives et habitatores et alii quicumque quomodolibet pro tempore morantes in civitate Bononie vel burgis seu guardia eiusdem civitatis, utriusque sexus, teneantur solemniter et cum omni reverentia omnia festa solenia infrascripta et precipue pasqualia et in eis ab omnibus aetium officiis et ministeriis abstinere, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et etiam maiori pene pecuniarie arbitrio potestatis, considerata conditione persone et festi solempnitate. Declarantes etiam, quod societates artium societatis Bononie ipsa festa in suis statutis singulariter expresim et nominatim poni et describi facere teneantur et ea per subditos ipsarum societatum et artium facere celebrari. Et hoc etiam massarii, ministrales et ceteri officiales ipsarum societatum fieri facere teneantur, sub pena cuilibet dictarum societatum decem librarum bononinorum et cuilibet tali massario ministrali et officialibus quinque librorum bononinorum.//

[c. 161r f. CLI]

et nichilominus teneantur et compellantur ad observationem predictorum. Salvo, quod bearii, piscatores, spaziarii, fornarii et tricoli possint etiam hiis diebus exceptis pascalibus et dominicis ipsas artes et alium ministeria libere exercere nisi aliter prohiberentur. Dies autem predictos quos inter ceteros celebrandos esse intendimus hac nostra lege singulariter declarantes. Imprimis omnes dies solis qui comuniter dies dominici appellantur, dies Nativitatis domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Epifanie, Passionis et Resurrectionis et Assensionis eiusdem, Pentecostes Corporis et Sanguinis domini nostri Iesu Christi. Quos dies omnes singulares intelligimus exceptis diebus Resurrectionis et Pentecostes qui per tres dies continuos debeant celebrari. In artibus autem et ministeriis super specificatis prima dies tantum intelligatur dies beate Marie Virginis gloriose videlicet Conceptionis, Nativitatis, Anuntiationis, Purificationis et Assumptionis ipsius, dies beati Michaelis Arcangeli tam mensis maii quam septembris et apostolorum omnium et evangelistarum nativitatis et decollationis beati Iohannis⁴¹⁶ Batiste, sancti Salvatoris, beati Stephani protomartiris, sanctorum Innocentium, sancti

⁴¹⁴ <et statutorum> a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁴¹⁵ <statu> nel testo statutu.

⁴¹⁶ <beati Iohannis> dittografato.

Blasii martiris, sancti Petri martiris, sancti Proculi, sanctorum Iohannis et Pauli, sancti Laurentii martiris, beati Silvestri pape, beatorum confessorum solemniumque doctorum ecclesie silicet Gregorii, sancti Ambrosii, sancti Zeronimi, sancti Augustini, sancti Thome de Aquino, sancti Petroni, sancti Dominici, sancti Francisci, sancti Martini, sancti Nicolai, sancti Floriani, sancti Benedicti, sancti Iosep, beate Caterine, sancte Marie Magdalene, sancte Lucie, sancte Agate, sancte Margarite, sancte Agnetis virginis, sancti Anthonii de mense ianuarii, et dies omnium sanctorum. Item ob reverentiam sancti Anthonii volumus, quod domini antiani, una cum collegiis dominorum confaloneriorum et massariorum artium et dominis potestate et capitaneo populi civitatis Bononie suis associatis officialibus et familiaribus, teneantur quolibet die festivitatis eiusdem de mense ianuarii visitare ecclesiam Sancti Anthonii de burgo Sancti Mame. Non intendentes ex predictis detrahere aliis sanctis Dei quin eorum festivitates solemniter celebrentur iuxta consuetudinem civitatis ac statuta societatum predictarum quas etiam omnino per omnes de parochia suarum⁴¹⁷ ecclesiarum etiam celebrari precipimus, sub penis predictis. Declarantes etiam, quod prefati domini antiani et consules associati supra cum tribus paliis dupleriis et aliis usitatis ire debeant ad visitandum et honorandum ecclesias sanctorum in eorum diebus solempnibus illorum scilicet sanctorum quorum ecclesias visitari est consuetum et etiam aliorum sanctorum quas dicti domini anciani duxerint visitandas et modo consueto. Et simili modo visitare teneantur hospitale Batutorum de la Vita positum iuxta ecclesiam Sancti Vitis in die in quo festu sit per dictam societatem in dicto hospitali seu scolis ipsius de mense octubris cuiuslibet anni et die octava Pentecostis hospitale de Morte visitare.

[54] **De veneratione beati Petronii confessoris, patroni et defensoris populi et civitatis Bononie et nundinis fiendis in ipsa civitate tempore dicti festi. Rubrica.** [cc. 161r-162v]

Quia omnipotens Deus creator omnium plerumque sanctorum suorum precibus et meritis benedicit et protegit civitatem et loca ac etiam contra populos terram suam mitigat et advertit ea propter considerantes, quod beatissimus confessor Petronius huius civitatis et populi antistes atque defensor hanc civitatem et populum honoribus graciis et beneficiis decoravit maxime privilegio studii quod est principale membrum huius civitatis et quod ob reverentiam et devocionem quam nostri maiores ad ipsum continuo habuerunt hic populus fuit multiplicatus et auctus ut continua reverentia et devocione ac veneratione solempni sue festivitatis ad interponendum preces suas penes Redemptorem nostrum prefatus Pater ferventius inducatur statuimus et ordinamus, quod festivitas beatissimi confessoris Petronii antedicti que est die quarta mensis octubris ob ipsius reverentiam in ipsa civitate, comitatu et districtu celebretur et fiat ac celeb//

[c. 161v]

rari et observari debeat per quoscumque. Et quolibet anno in die festivitatis predicte de mane ante tertiam pulsantur campane comunis Bononie more solito ut omnes cives se valeant dicta hora ad loca solita congregare pro dicta festivitate honoranda, qua pulsacione finita, post cleri processionem, que dicta die semper solita est, fieri volumus, quod domini antiani et consules ipsius civitatis existentes una cum domino potestate et capitaneo populi et suis vicariis et iudicibus et cum dominis confaloneriis et massariis artium qui intersunt collegiis civitatis Bononie precedentibus tamen confaloniis ipsorum ante ipsos dominos antianos necnon omnes millites, doctores et alii proceres et honorabiles viri ipsius civitatis cum tubatoribus comunis et cum paliis et visilis solitis et ordinatis et debeant ipsi domini anciani portari facere unum doplerium pro quolibet

⁴¹⁷ <suorum> segue el depennato.

accensum a palacio habitationis ipsorum usque ad dicta ecclesiam inclusive et unum faciat tradi domino potestati et aliud domino capitaneo populi que accensa portari faciant ut supra et post dictos dominos antianos sequatur quilibet confalonerius una cum omnibus suis confalonibus ordinate prout vocati fuerint per alterum ex notariis dictorum dominorum antianorum. Et quilibet confalonerius portet vel portari faciat ad dictam ecclesiam Sancti Petronii unum duplerium accensum, qui sit ad minus duarum librarum cere et quilibet alius homo sequens ipsos confalonerios portet vel portari faciat unum doplerium vel candelam accensam secundum quod status et dignitas eius requirit. Et quod dicta die libere et impune possint extrahi dicti confalones dicta de causa sine aliqua licentia, non obstante aliquo nostro statuto. Et congregare et congregari facere homines sui confalonis dicta de causa libere et impune qui homines teneantur in predictis parere mandato et voluntati sui confalonerii, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet eorum de facto exigenda per dominum capitaneum populi si ipse confalonerius voluerit. Qui omnes et singuli confalonerii cum dictis hominibus accedere debeant ad palatium dominorum antianorum comunis Bononie et ipsos sequi usque ad dictam ecclesiam Sancti Petronii et eos etiam sociare a dicta ecclesia usque ad dictum palacium deinde quilibet confalonerius redeat ad domum cum suis confalonibus et hominibus et sic ut melius fieri poterit personaliter vadant ad visitandum et honorandum corpus prefati beatissimi confessoris quod in ecclesia beati Stephani requiescit ibique offerant dictos duplerios. Que coram tota oblata incontinenti recipiatur per defensores averis vel pro eorum parte et per ipsos vendatur dicta cera tota pro iusto precio quid precium conservetur per ipsos defensores anuatim et successive donec habeatur tanta pecunia quod fiat unum solemne tabernaculum pro capite beati Petronii ornatum de argento extimationis ad minus ducentorum ducatorum auri. Quam pecuniam omnes et singuli defensores averis ad quos dicta pecunia pervenerit teneantur ipsam custodire et finito suo officio eam successoribus consignare. Quod tabernaculum illi defensores apud quos fuerit saltem quantitas centum ducatorum faciant incohari et fieri solempniter et quantum potuerint ipsi et successores in officio perfici facere teneantur. Ipso vero tabernaculo solemni facto ut supra cera predicta sit abbatis Sancti Stephani et convertatur in ornamenta alteris dicti sancti Petronii. Preterea ordinamus, quod dicta die de mane ad pulsationem campanarum comunis vel alia die hora ordinata per dominos antianos, predictae societates omnium artium civitatis Bononie videlicet homines ipsarum artium se congregare debeant quelibet ars per se in locis solitis et consuetis causa devocionis accedant ad honorandum dictum festum et ibidem offerant ad libitum prout facultas cuiusque suppetit et prout predicti patris suggerit devotio et dilectio. Insuper etiam statuimus, quod singulis annis tempore dicti festi propter honorem et reverentiam dicti patris et propter utilitatem comunem, civium et districtualium dicte civitatis inducantur et fiant nundine generales in ipsa civitate Bononie que incohari debeant octo diebus ante die dicti festi et finiantur et finiri debeant et terminari in fine aliorum octo dierum sequentium post dictum diem dicti festi ad quas quidem nundinas omnes homines et persone undecumque per totum dictum tempus quo nundine durabunt accedere possint//

[c. 162r f. CLII]

ad dictam civitatem Bononie comitatum et districtum cum ipsorum rebus et mercimoniis dummodo non conducat salem et ipsa civitate morari et inde recedere libere et secure, ibidemque emere, vendere et mercari et de ipsa civitate, comitatu et districtu quascumque res emtas, permutatas vel quovis modo vel titulo aquisitas toto dicto tempore exportare seu exportari facere absque solutione alicuius datii vel gabelle exceptis blado et vino. Exceptis banitos et in figura banni conscriptis in aliquo ex libris banitorum comunis Bononie pro aliquo maleficio de civitate, comitatu vel districtu

Bononie positis seu ponendis ad discum banitorum dicti comunis. Ordinantes, quod dicte nundine fiant et fieri debeant in campo fori dicte civitatis et circumstanciiis. Et quod defensores averis et iurium dicti comunis necnon officiales ad officium procuratorum comunis presentes vel qui per tempora erunt una cum altero ex militibus seu sociis domini potestatis qui pro tempore erit, designare debeant loca in dicto campo et circumcirca crucem, que est in medio dicti campi, ministrilibus seu massariis omnium et singularum artium et ministeriorum, dividendo dicta loca per contratas et rugas, ita et taliter quod ipse artes et ministeria in dicto campo possint comode fieri et exerceri pro dicto tempore per se divisi et separati adinvicem deputando etiam et ordinando iuxta dictam crucem locum in quo fiat expensis comunis domus de assidibus vel alia materia, in qua possint stare et morari toto dicto tempore nundinarum officiales et familiares dicti domini potestatis vel capitanei populi Bononie de quibus infra dicitur, pro iure redendo quibuscumque accedentibus ad dictas nundinas, tam in civilibus quam in criminalibus et etiam pro custodia ipsarum nundinarum, ita quod ante dictam crucem et domum in qua morabuntur dicti officiales sit spacium ad modum cuiusdam platee prout videbitur dictis officialibus ad ordinandam predicta deputatis et successive et gradatim iuxta domum curie seu platee undique ponantur et locentur artes et ministeria secundum statum et condiciones ipsarum. Dicimus etiam, quod omnes et singule artes et ministeria seu homines ipsarum artium teneantur et debeant in locis eisdem ordinatis ante dictum tempus per quinque dies habere tendas seu tabinellas, tecta seu coperturas in ordine et contrata eis deputata necessarias et expendentia suis artibus et ministeriis et ipsas fieri facere suis expensis, sub pena cuilibet arti librarum quinquaginta bononinorum et cuilibet et singulari persone de dicta arte librarum quinque bononinorum. Et nichilominus teneantur facere seu fieri facere dictas coperturas de quibus omnibus alter ex dictis sociis domini potestatis teneatur et debeat duobus diebus ante principium nundinarum diligenter inquirere et contrafacientibus seu obmittentibus facere et observare omnia et singula supradicta auferre penas predictas de facto absque alia condemnatione. Que pene seu pecunie ex inde exacte et pervente converti et erogari debeant in expensas necessarias pro predictis nundinis ordinandis. Adicientes, quod nullus habitans in civitate Bononie seu burgis durantibus dictis nundinis quandocumque artem seu ministerium exercens audeat vel presumat domum, stationem seu apotecam solitam appertam tenere pro mercibus vendendis vel pro sua arte seu ministerio exercendo nec in dicta domo, stacione seu apotecam ipsam seu ministerium exercere vel exerceri facere seu⁴¹⁸ vel aliquas merces seu res vendere vel alienare seu vendi vel alienari facere seu permittere, sub pena decem librarum bononinorum cuilibet contrafacienti vel pro qualibet vice auferenda eidem de facto et convertenda ut supra dictum est. Salvo, quod vendi possint operam factam de cera tantum in platea Sancti Stephani ut volentes offerre ad altare prefati⁴¹⁹ beatissimi patris nostri facilius et comodius ipsa possint invenire. Preterea statuimus, quod in loco nundinarum predictarum videlicet in loco ordinato pro officialibus domini potestatis singulis diebus continuo durantibus dictis nundinis stare et morari duo ex iudicibus dicti domini potestatis scilicet unus ex iudicibus ad maleficia deputatis et iudex deputatus ad discum Aquile, qui continue dicto tempore horis congruis et ordinatis sedere debeant ad ius reddendum tam in civilibus//

[c. 162v]

quam in criminalibus quibuscumque coram ipsis accedentibus de his videlicet et pro his que occurrerent in dictis nundinis et durante tempore ipsarum nundinarum tamen

⁴¹⁸ <seu> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 6 lettere.

⁴¹⁹ <prefati> corregge prefati.

sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii et sola inspecta et cognita veritate per testes vel alias probationes, non obstantibus aliquibus statutis nostris, ita quod dicte cause tam civiles quam criminales infra octo dies sine debito terminentur, nisi in maleficiis sint aliqua que requirant altiore indagine arbitrio iudicis coram quo dicte cause ventilabuntur, que possint ultra dictum tempus et terminum diffiniri, a quorum sentenciis non possit appellari, querelari, restitucio postulari vel de nullitate queri vel aliquid fieri quominus dicte sententie⁴²⁰ mandentur necnon duo ex sociis seu militibus dicti domini potestatis cum treginta beroeriis bene armatis et munitis ad custodiam et pro custodia dictarum nundinarum qui quotidie horis debitis et ordinatis ire debeant per contratas et rugas ipsarum nundinarum inquirendo de omnibus et singulis turbantibus seu turbare atentantibus dictas nundinas et de quibuscumque comittentibus aliquod maleficium seu aliquam fraudem vel maleficia in dictis nundinis et in quacunque arte seu ministerio ita quod sine turbatione, machinatione seu dolo cuncta procedant. Et quoscumque culpabiles circa predicta vel aliquod predictorum reperierint ipsos capere possint et debeant et presentare iudici maleficiorum ipsius domini potestatis in dictis nundinis commoranti et deputato. Qui iudex pro dicto tempore nundinarum habeat potestatem et bailiam cognoscendi, puniendi et condempnandi omnes et singulos repertos culpabiles secundum formam nostrorum statutorum sumarie tamen ut supra dupli duplicando penas que per formam statutorum imponi ordinate sint. Salvo, quod si aliquis comiserit delictum propter quod personalis veniret imponenda illa reservetur et reservari debeat iudicio et sentencie domini potestatis predictis qua facere teneatur dictus dominus potestas infra tempus superius ordinatum dummodo executio ipsius sentencie personalis fieri debeat infra terminos et locum ipsarum nundinarum. Item dicimus, quod durante tempore et termino ipsarum nundinarum ante crucem que est in campo fori singulis diebus celebrentur et celebrari debeant due misse ad minus per religiosos fratres conventuum huius civitatis videlicet ordo quilibet religiosorum sua die et sic successive celebrari faciat donec terminus et tempus dictarum nundinarum durabit. Adicientes, quod dominus potestas Bononie teneatur et debeat singulis annis per duos menses ad minus ante presencium nundinarum significare per suas litteras expensis comunis Bononie regiminibus omnium civitatum circumstantium dicte civitati Bononie per centum milliaria incium et finem dictarum nundinarum. Ac etiam qualiter accedere possint ad ipsas nundinas cum rebus et mercibus libere et secure secundum formam presentis statuti.

[55] **De celebratione festivitatis beati Dominici. Rubrica.** [cc. 162v-163r]

Ad reverentiam ordinis fratrum predictarum quorum scientia et vita quasi per universum⁴²¹ orbem fidele anime confirmantur et beati Dominici confessoris dicti ordinis inventoris cuiusque opere ad eternam memoriam bononiensis ecclesia dicti ordinis perdotatur statuimus et ordinamus, quod anno quolibet in die festivitatis beati Dominici antedicti de mane ante tertiam domini antiani una cum dominis potestate et capitaneo populi et eorum officialibus et familia cum tubatoribus comunis Bononie duplereis cereis seu candelottis more consueto et honorifice sicut melius fieri poterit vadant ad visitandum et honorandum altare maius dicte ecclesie Sancti Dominici et ibi offerant modo⁴²² consueto et idem societates artium civitatis Bononie et homines ipsarum societatum facere teneantur scilicet quelibet societas per se. Mandamusque ministrilibus cuiuslibet societatis quod ipsa die festivitatis de mane esse debeant et se

⁴²⁰ <sententie> *nel testo* sententiei.

⁴²¹ <quasi per universum> *dittografato*.

⁴²² <modo> *dittografato*.

congregare in eorum locis consuetis et congregare facere omnes et singulos homines de eorum societatibus.//

[c. 163r f. CLIII]

Qui homines sic se congregare teneantur et sic congregati quilibet cum duplerio cereo seu candelottis precii duodecim denariorum parvorum ad minus et cum paliis usitatis mittendis per dictos fratres ad dictas societates adcedant ad visitandum honorandum et offerendum ut supra. Teneatur et quelibet societas arcium civitatis Bononie speciale statutum facere et habere quod homines ipsarum societatum dicta die et hora in locis et modo predictis debeant se congregare, portare, ire, visitare et offerre ut supra. Qui dominus potestas teneatur predicta facere preconizari per civitatem Bononie tunc quando petatum fuerit per priorem conventus dictorum fratrum vel ex parte dicti conventus seu prioris ipsorum fratrum, sub pena quinquaginta librarum bononinorum comittenda quociens fuerit contrafactum et dare operam toto posse quod predicta omnia executioni mandentur et sub pena predicta.

[56] **De protectione et defensione religiosorum. Rubrica.** [c. 163r]

Ad refrenandam lasiviam et maliciam provisorum laicorum qui contra religiosos civitatis Bononie, burgorum, guardie ac comitatus eiusdem utriusque sexus et in ipsorum monasteria ac bona inreverenter prorumpunt et ea occupant et invadunt et in eis interdum inhoneste utentes iniurias et violentias eis inferunt eosque et eas ad delinquendum incitant et inducunt, statuimus et ordinamus quod dominus potestas et capitaneus populi et quilibet de eorum familiis et alii quilibet officiales comunis teneantur totis viribus et quibuscumque remediis obviare et se opponere ne fiant vel comitatur predicta. Quos omnes et ipsorum monasteria ac bona volumus et intendimus sub speciali protezione et defensione comunis Bononie esse ac perpetuo conservari et, servatis casibus per nostra statuta provisus, nullusque tallia facere audeat vel presumat nec vel in eorum monasteriis seu bonis iniurias vel violencias facere et in monasteriis monialium aliquis inhoneste utatur vel cum ipsis monialibus vel contra eas aliquid inhonestum faciat vel atent intra dicta monasteria vel domos ipsorum vel ipsarum. Et si quis contrafecerit in aliquo casuum predictorum maledicione⁴²³ a reo expectet et nichilominus pena nostrorum statutorum incurrat et ubi pena non esset a statutis imposita secundum iura comunia presumatur. Inter que monasteria et religiosos iam dictos specialiter comprehendendi volumus et includi religiosos et quasi heremitas fratres sancte Marie de Monte Oliveto qui morantur in ecclesia Sancti Michaelis de Busco et fratres Sancte Marie de Angello qui morantur extra portam Sancti Mame. Item fratres Cartugienses seu de Zertosa. Mandantes quod iuxta eorum monasterium vel in contrata in qua possitum est, qua contrata monasterii de Certosa esse declaramus et terminamus quatenus est inter seu intra canale Reni et stratam burgi Sancti Felicis et usque ad muros civitatis Bononie et circumcirca locum ipsum per quinquaginta perticas non possit vel debeat stare vel morari aliqui lenones, meretrices vel lena vel de predictis infamati vel infamate. Nullus quod infra terminos tales personas retinere vel receptare presumat sub penis appositis contra tales personas seu talia facientes inter seralia civitatis in statuto nostro 'De meretricibus et lenonibus' [V, 108] que omnia ibi statuta et hic repetita et statuta intelligantur in quantum istis possint adaptari.

⁴²³ <maledicione> *nel testo* meledicione.

[57] **De privilegiis ordinis fratrum milicie beate Marie virginis gloriose⁴²⁴ et de penis contrafacientium. Rubrica.** [cc. 163r-163v]

Intendentes, quod ordo fratrum milicie beate Marie virginis gloriose tam professorum quam secularium primordium sumsit a nobilibus viris originariis et antiquis civibus civitatis Bononie et a sede apostolica confirmamus multa privilegia, beneficia et immunitates meruerit a sede predicta et etiam a comuni Bononie temporibus re// [c. 163v]

troactis tam in capite quam in membris et eiusdem ordinis fratres qui sunt et pro tempore fuerint inter ceteros prorogantiam habere merentur. Decernimus et mandamus, quod omnes et singuli officiales comunis Bononie quocumque nomine teneantur et ceteri quicumque comuni Bononie subditi teneantur sua quecunque privilegia, beneficia et imunitates tam que nunc eis competunt quam que eis competent in futurum observare et ipsos fratres in ipsis defendere et tueri ab omnibusque iniuriis et gravaminibus personalibus et realibus et etiam a quibuscumque personalibus tam generalibus quam specialibus eosdem protegere et eximere et exentos et illesos perpetuo conservare nullusque contrafacere audeat vel presumat. Et quod contrafieret non valeat ipso iure et nichilominus contrafaciens puniatur arbitrio potestatis. Et si ipse potestas contrafaceret penam incidat quinquecentarum librarum bononinorum comuni Bononie applicanda preter indignationem domini nostri Iesu Christi et gloriose virginis Marie eius matris, cuius se ministros appellant quam se noverint incursums declarantes, quod ex predictis non intendimus tales fratres eximere ab oneribus generalium collectarum datiorum vel gabellarum seu aliorum generalium honerum realium cuiuscumque condicionis. Mandamus etiam, quod nullus de cetero audeat vel presumat asumere, defere, retinere seu portare habitum dictorum fratrum, nisi in ipso ordine professionem fecerit et saltem pro novicio receptus fuerit et ipsius ordinis vitam et regulam teneat et observet et tempore delationis habitus ipsi ordini debitam reverentia, et obedientia, iuxta regulam ordinis antedicti faciat⁴²⁵ de quibus profitentibus vitam et regulam tenentibus et obedientibus et reverentiam facientibus vel non credatur et stetur dicto simplici prioris dictorum fratrum secularium conventus bononiensis durante suo officio. Et si aliquis contrafecerit penam incidat ducentarum librarum bononinorum. Et nichilominus ipsum habitum deponere teneatur et compellatur per potestatem Bononie ad petitionem dicti prioris vel sindici dicti conventus.

[58] **De expenssa illorum qui capiunt banitos comunis Bononie. Rubrica.** [c. 163v]

Item quia statum reperiatur et etiam statui et firmari posset in futurum quod capientes seu presentantes in forciam comunis Bononie banitos aliquos vel baniendos seu in figura bani conscriptos vel conscribendos pro aliquo maleficio vel aliquos malefactores seu qui aliquod malificium comisisse diceretur debere recipere a comuni Bononie aliquam quantitatem pecunie pro ipsa presentatione seu captione possint et teneantur depositarii generales comunis Bononie dictas quantitates pecunie solvere seu solvi facere de avere comunis Bononie prout sicut in ipsis statutis vel reformationibus comunis Bononie continetur vel continebitur habita prius de ipsa solutione fienda provisione seu mandato dominorum antianorum comunis Bononie dum tamen predicta non intelligantur nec locum habeant in aliquibus talibus accipientibus seu presentantibus qui essent officiales forenses comunis Bononie vel ipsorum officialium ministri seu familiares per ipsorum officiis explicandis vel qui cum ipsis officialibus vel familiaribus aut ministris fuissent

⁴²⁴ <gloriose> segue Rubrica depennato.

⁴²⁵ <faciat> dittografato.

tali tempore talis captionis vel presentationis etiam si tales qui cum eis fuissent essent cives civitatis Bononie.

[59] **De salariis doctorum forensium legentium in Studio bononiensi. Rubrica.**
[cc. 163v-164r]

Preterea quia concessum est universitati scoliarium forensium Studii civitatis Bononie iuris canonici et civilis et etiam universitati scoliarium forensium scientie medicine sibi eligere et habere infrascriptos doctores seu lectores ad legendum in Studio civitatis Bononie scilicet dicte universitati scoliarium iuris canonici et civilis quatuor doctores seu lectores scilicet unum doctorem ad legendum ipsis scoliaribus decretum in mane cum salario centum librarum bononinorum et unum alium lectorem ad legendum ipsis sco//
[c. 164r f. CLIII^{or}]

laribus decretum in nonis cum salario centum librarum bononinorum. Alium doctorem ad legendum ipsis scoliaribus Infortiatum cum salario librarum bononinorum. Et unum alium doctorem ad legendum ipsis scoliaribus Volumen cum salario centum librarum bononinorum quolibet anno et pro toto anno. Et dicte universitati scoliarium medicine tres doctores seu lectores, unum scilicet qui legere debeat in pratica dicte scientie medicine cum salario centum librarum bononinorum, alium qui legere debeat in philosophia et in logica dicte scientie cum salario centum librarum bononinorum non obstante, quod possit ei solvi et possit sibi facere solvi a scoliaribus logice secundum salarium ordinatum per universitatem scoliarium dicte scientie, et alium qui legere debeat in astrologia cum salario quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet anno et pro toto anno. Que salaria solvi debent per comune Bononie et de avere ipsius comunis non intendentes dictis universitatibus seu scoliaribus vel ipsorum seu ipsarum privilegiis seu concessionibus eis factis per comune Bononie in aliquo derogare, sed ea potius augere, innovare et confirmare providerunt et mandaverunt, quod generales depositarii averis comunis Bononie possint et teneantur dictis doctoribus seu lectoribus electis et eligendis ut supra solvere eorum salaria supradicta de omni pecunia et avere comunis Bononie infra quindecim dies a die qua eis presentabitur provisio seu mandatum solucionis fiende in forma debita et que pro tempore erit in usu habita prius buleta dominorum antianorum sub scripta manu alterius ex defensoribus averis.

[60] **De salariis doctorum civium singulis annis legentium in Studio civitatis Bononie in iure canonico et civili. Rubrica.** [c. 164r]

Item ut doctorum bononiensium actum legentium ordinarie et extraordinarie in iure canonico vel civili in Studio Bononie copia omni tempore habeatur et ad legendum continue libencius inducantur decernimus et ordinamus, quod quilibet doctor bononiensis in iure canonico vel civili qui de cetero leget ordinarie de mane in iure canonico vel civili aliquos libros solitos legi de mane in Studio predicti continuando et proseguendo librum secundum modum usitatum secundum formam statutorum universitatis scoliarium facultatum predictarum, habeat et habere debeat a comuni Bononie quolibet anno et pro toto anno pro suo labore ultra collectam sibi a scoliaribus ordinata centum libras bononinorum sine receptione alicuius cambii vel gabelle. Si vero fuerit aliquis civis doctor qui legat seu legerit Infortiatum vel Digestum Novum vel Volumen similiter habeat et habere debeat a comuni Bononie centum libras bononinorum. Si vero legerit Sextum et Clementinas habeat libras quinquaginta bononinorum quolibet infrascriptis temporibus. Adicientes, quod per dominos antianos comunis Bononie qui pro tempore erunt de mensibus septembris et octubris elligantur singulis annis duo legum doctores cives Bononie qui legere debeant extraordinaria

codicis Digesti Veteris anno quo ipsum Digestum Vetus legetur ordinarie. Quorum doctorum quilibet habeat et habere debeat a comuni Bononie pro suo labore libras centum bononinorum predicta ellectionem fieri iubentes pro sublevatione doctorum qui ordinaria legunt et ut melius extraordinaria legantur et ut circa ipsorum ex ordinariorum lectura melius scolaribus ipsam audire volentibus satisfiat. Que quantitates et salaria solvi debeant infrascripta forma videlicet medietas in festo Nativitatis domini nostri Iesu Christi cuiuslibet anni et alia medietas in festo seu Pasce resurrectionis eiusdem domini nostri Iesu Christi cuiuslibet anni quo ut dictum est legeretur. De qua lectura credatur et stetur declarationi rectorum universitatis scolarium utriusque iuris. Et idem intelligatur de quolibet alio legente qui salarium recipere debeat a comuni Bononie videlicet quo ad tempora solutionum eisdem fiendarum tantum.//
[c. 164v]

[61 De salariis doctorum de mane legentium ordinarie in scientia medicine. Rubrica. c. 164v]

Quia medicorum peritorum penuria a pluribus annis citra plurimum esse cepit in civitate Bononie eo maxime quia doctores legere et hauriam scientie medicine non curant continuare eo quod salarium non percipiunt a comuni Bononie in consequens etiam scolares pauci veniunt ad studendum in dicta arte et scientia medicine volentes dare causam et operam quod cives bononienses studeant in dicta scientia et in ea proficiantur et doctorentur et proventur per lecturam officiantur et quod ipsum Studium reformetur, providemus quod quilibet doctor civis Bononie origina propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis continuam faciens in civitate Bononie cum sua familia legens ordinarie de mane temporibus consuetis in medicina et continuens lectiones secundum formam statutorum universitatis scolarium dicte scientie habeat et habere debeat a comuni Bononie pro suo salario quolibet anno libras quinquaginta bononinorum ultra collectam quam percipere poterit a scolaribus. Salvo, quod magister Petrus Aristolilis doctor egregius in medicina legens ordinarie in dicta scientia et continuans secundum formam statutorum predictorum habeat et habere debeat quolibet anno a comuni Bononie pro suo salario libras centum bononinorum ultra salarium quod percipere poterit a scolaribus. Item quod singulis annis per dominos antianos qui erunt de mensibus septembris vel octubris eligantur duos doctores cives Bononie proventi ad legendum in Studio bononiensi chirurgiam quorum quilibet habere debeat a comuni Bononie pro suo salario toto anno si legerit et continuare legere chirurgiam secundum formam⁴²⁶ statutorum dicte universitatis libras quinquaginta bononinorum. Item quod per dictos dominos antianos qui fuerint predicta tempora singulis annis eligatur unus doctor bononiensis ut supra ad legendum philosophiam et unus ad legendum loicam in civitate Bononie cum salario quinquaginta libras bononinorum pro quolibet percipiendo a comuni Bononie pro toto anno qui concurrat cum doctore eligendo per dictam universitatem ad lecturam loice philosophie. Item etiam per dictos dominos antianos eligatur singulis annis unus doctor bononiensis ad legendum praticam in scientia medicine ultra ellectum per universitatem scolarium scientie predicte et habeat et habere debeat pro suo salario libras quinquaginta bononinorum⁴²⁷ a comuni Bononie pro toto anno et concurrat eum eligendo predicta universitate ad lecturam in pratica. Item quod singulis annis eligatur unus bononiensis proventos per dictos dominos antianos ad legendum astrologiam in Bononia ultra ellectum per universitatem predictorum scolarium quorum quilibet habere debeat a comuni Bononie pro suo salario sexaginta libras bononinorum pro toto anno. Que ellectiones fiant per dictos dominos de mensibus

⁴²⁶ <formam> segue universiti depennato.

⁴²⁷ <bononinorum> segue pr depennato.

dumtaxat maii cuiuslibet anni et pro uno anno tantum tunc proxime secuturo incipiendo die qua incohabitatur studium dicte sciencie medicine. Que salaria solvi debeant per depositarium generale comunis Bononie secundum formamolucionum fiendarum doctoribus elletis vel elligendis de quibus facta est mentio supra in proximo statuto. Declarantes tamen, quod dicta salaria et ellectiones predicte non habeant locum nisi post annum a die qua vigorem habebunt presentia statuta.

[62 **De salario et ellectione eorum qui legerint in rectorica et notaria. Rubrica.** cc. 164v-165r]

Item providerunt, quod singulis annis per dominos antianos⁴²⁸ de mensibus septembris vel octubris elligatur unus doctor et informator retorice qui sit civis bononiensis qui doctor et informator habeat et habere debeat a comuni Bononie pro suo salario lecture dicte sciencie quolibet anno et pro toto anno libras quinquaginta bononinorum ultra collectam sibi a scolaribus ordinatam vel usitatam quam scientiam legere debeat quolibet anno in Studio bononiensi scolaribus quibuscumque audire volentibus. Item providerunt, quod modo supradicto elligantur per dominos ancianos duo magistri proveci cives Bononie si haberi poterunt qui legant sumam notarie bis⁴²⁹// [c. 165r f. CLV]

in anno et etiam librum institutionum bis in anno quorum uterque legat ut supra habeant scolas separatas. Et habeat quilibet eorum pro suo salario a comuni Bononie ultra salarium, quod percipient a scolaribus, septuaginta libras bononinorum pro quolibet anno in quo legerint.

[63 **De elimoxinis singulis annis per comune Bononie fiendis in pecunia numerata infrascriptis personis et conventibus. Rubrica.** cc. 165r-165v]

Item providerunt, quod infrascriptis conventibus ecclesiis seu personis dentur et solvantur de avere comunis Bononie quolibet anno infrascriptis terminis quantitates infrascripte ex infrascriptis de causis ad honorem et reverentiam omnipotentis Dei et beate Marie matris eius et tocuis curie celestis et pro substentandis⁴³⁰ personis infrascriptis in infrascriptis locis comorantibus. Quas quantitates depositarii generales solvere possint et teneantur habita prius provisione seu mandato dominorum ancianorum subscripta manu defensorum averis.

Imprimis conventium fratrum Predicatorum in festo sancti Dominici libras quinquaginta.

Item in octava Pasce resurrectionis libras viginti bononinorum.

Conventium fratrum minorum sancti Francisci in die sancti Francisci libras quinquaginta.

Item in festo sancte Marie mensis martii libras viginti bononinorum.

Conventium fratrum Heremitarum in die sancti Iacobi libras quinquaginta bononinorum.

Item in festo sancti Augustini libras viginti bononinorum.

Conventium fratrum Sancte Marie de Monte Carmello in die sancte Marie mensis augusti libras quinquaginta bononinorum.

Conventium Servorum Sancte Marie de Strata Maiori in festo sancte Marie mensis septembris libras quadraginta bononinorum.

Conventium fratrum Verecundorum in festo Pentecostis libras decem bononinorum.

⁴²⁸ <antianos> segue de mensibus depennato con inchiostro rosso.

⁴²⁹ Nel margine inferiore della carta: in anno et.

⁴³⁰ <substentandis> corregge substendandis.

Conventium fratrum Herminiorum in festo Sanguinis Christi libras quindecim bononinorum.

Capitulo monachorum Sancti Stephani in festo sancti Petronii libras decem bononinorum.

Hospitali Sancti Laurentii de Guerinis in festo sancti Laurentii libras decem bononinorum.

Monasterio sororum Sancti Guilielmi libras quindecim bononinorum.

Monasterio sororum Sancte Marie de Virginibus in Pascale resurrectionis libras quinque bononinorum.

Conventium sororum de Convertitis in festo sancte Marie Magdalene libras quinque bononinorum.

Conventium sororum Sancti Laurentii strate Castilionis in die sancti Laurentii libras decem.

Conventium sororum Sancti Mathie in festo sancti Mathie libras decem bononinorum.

Conventium sororum de Cistello in die sancti Bernardi libras quinque bononinorum.

Conventium sororum de Puglola in die festi quod celebrant de mense maii libras quinque bononinorum.

Conventium sororum Sancti Lodoici libras quindecim bononinorum.

Conventium sororum de Sanctuciis in festo omnium Sanctorum libras quinque bononinorum.

Conventium sororum Sancte Marie Nove in festo sancte Marie mensis marcii libras decem bononinorum.

Conventium sororum Sancti Petri Martiris in festo sancti Petri Martiris libras quinque bononinorum.

Conventium sororum Sancte Marie de Egipto in die sancte Marie mensis augusti libras quinque.

Hospitali Sancte Marie posito super seralio strate Sancti Stephani in festo sancte Marie mensis septembris libras quindecim bononinorum.

Hospitali pauperum Sancte Marie de Vita in die Sanguinis Christi libras quindecim bononinorum.

Monasterio fratrum Sancti Celestini in die festi⁴³¹ ipsorum libras decem bononinorum.

Monasterio fratrum Sancte Marie de Angellis in festo eorum libras decem bononinorum.

Conventium fratrum de Repentitis que stant iuxta crucem Barbarie in festo sancte Marie mensis septembris libras decem bononinorum.

Conventium sororum monialium Sanctorum Cervasii et Protasii in diebus festi vitatum dictorum sanctorum libras quinque bononinorum.//

[c. 165v]

Hospitali Sancte Marie de Nosadello Sancti Francisci libras quinque bononinorum.

Hospitali Iohannis Batiste extra portam Sancti Stefani iuxta

Rocam Maiorem in die sancti Iohannis Batiste libras quinque bononinorum.

[64] **De expensis fiendis pro purgationibus clavigarum comunis Bononie et pro manutenendis domibus et palacii dicti comunis Bononie. Rubrica.** [c. 165v]

Item, quod pro purgandis, reficiendis et manutenendis cloagis et clavigis comunis Bononie et guazatorio et Aposa possint et teneantur dicti depositarii expendere de avere

⁴³¹ <festi> *segue sancti depennato.*

comunis Bononie prout et quantum provisum fuerit et mandatum per dominos antianos comunis Bononie qui pro tempore fuerint. Et idem intelligatur et fiat de quibuscumque expensis que utiles vel necessarie viderentur pro manutenendis, defendendis et reparandis ac etiam augendis si expedire videretur ubicumque palaciis et domibus comunis Bononie.

[65 **De denunciatoribus et parte pro denunciatione assignanda. Rubrica.** c. 165v]

Item providerunt, quod si contingeret ex aliquo nostro statuto vel aliqua alia lege municipali comunis Bononie facta vel fienda que facta hodie sorciantur effectum provisum esse vel fuisse, quod quilibet possit accusare et denunciare contrafacientes in aliquo casu prohibito et quod denuntiantes pro ipsa condemnatione fienda partem aliquam condemnationis fiende habere debeant vel aliquam aliam quantitatem a comuni Bononie quod talis pars et etiam quantitas ordinanda et denunciatori predicto solvi possit et debeat denunciatori predicto per ipsos depositarios generales vel alios ad quos tales condemnationes pervenirent ubi de condemnatione tractaretur iuxta mandatum et provisionem dominorum antianorum qui pro tempore fuerint. Si vero denunciator deberet habere ex provisione predicta ex eo quod denunciaverit in comuni aliqua bona vel iura ad comune Bononie pertinentia que per ipsum comune vel eius nomine non possiderentur seu detinerentur vel quasi et ex tali denuntiatione ipsa bona vel iura recuperata fuerint et incorporata in comune Bononie. Si quidem fuerint bona mobilia eidem denunciata postquam denunciator lucrari debuerit eidem denunciatori possit et debeat assignari infra decem dies a die incorporationis predictae per officialem qui de tali denuntiatione cognoverit. Si vero fuerint res immobiles denuntiate, recuperate et incorporate ut supra ex quibus denunciator lucrari debeat ut supra dictus officialis eidem denunciatori partem quam lucrari debeat infra dictum terminum pro diviso assignare teneatur et debeat de qua parte assignanda ipse denunciator sit et esse intelligatur verus dominus et possessor dummodo tales designationes fiant in presentia dominorum antianorum predictorum.

[66 **De pallio et ronçeno emendis. Rubrica.** cc. 165v-166r]

Statuimus, quod singulis annis de mense iunii in festo beati Petri apostoli emanatur due petie boni veludi rubei per comune Bononie ad cuius velut pretium et extimationem conferre debeat rector, gubernator seu administrator bonorum potestatis⁴³² de Reno libras quinqueginta bononinorum et una hasta⁴³³ super qua ponatur dictum velutum et etiam⁴³⁴ ematur ut supra unus gallus pro bravio seu palio currendo. Ad quod bravium sive palium equi omnes currere volentes ita tamen quod nulla equa possit currere facta prius proclamatione per tres dies ante festum sancti. Et fiat dictus cursus a ponte Reni usque ad seralium porte Sterii scilicet⁴³⁵ usque ad domos olim domini Rolandini de Romanciis et equus qui in currendo alios equos precesserit et pervenerit ad bravium habeat ipsum velutum et qui secundus fuerit habeat gallum predictum. Item dicimus// [c. 166r f. CLVI]

quod in festo sancti Bertholomei apostoli per comune Bononie ematur unus ronçenus et unus ancipiter et una porcheta et unum par cyrotecarum et duo boni brachi expensis

⁴³² <potestatis> *corregge* potestati.

⁴³³ <hasta> *corregge* asta.

⁴³⁴ <etiam> *segue em depennato*.

⁴³⁵ <scilicet> *segue la lettera a cancellata*.

eius qui solvere debuerit scilicet rectoris, gubernatoris et administratoris⁴³⁶ Idicis ipsum hospitale tenentis in quibus expendatur quadraginta libre bononinorum. Que porchetta assari debeat si dies dicti festi fuerit talis dies quod in ipsa carnes comedantur alias viva remaneat et sit. Qui roncenus ancipiter et brachi conferrantur illi equo qui alios equos preceserit in currendo ad bravium et secundo equo porchetta conferratur predicta. Cuius bravii cursus esse debeat a ponte maiori usque ad turrim crucis porte Ravenatis ad quod bravium possit currere omnes equi currere volentes premissa proclamatione predicta. Item dicimus quod quilibet habens domos iuxta cursus predictos teneatur et debeat per duos dies antequam ad dictum bravium curri debeat disgomborare stratas eorum testatas omni lignamine, lapidibus et ledamine et alia qualibet alia immundicia et quolibet alio obstaculo per quod impediri quomodolibet posset cursus predictus, pena et banno cuilibet contrafacienti quadraginta solidorum bononinorum et dictus potestas teneatur et debeat predicta supra proxime banniri seu proclamari facere. Item dicimus, quod nullus debeat alicui equo currenti vel ei qui fuerit⁴³⁷ super dicto equo se opponere vel aliquod impedimentum prestare vel iniuria inferre, pena et banno centum librarum bononinorum et plus et minus arbitrio domini potestatis secundum festi qualitatem. Dicimus etiam, quod omnes equi qui currere debent ad predicta et infrascripta bravia scribantur specialiter per unum ex notariis domini potestatis in presencia unius ex suis militibus. Qui miles teneatur personaliter accedere ad predicta et infrascripta loca et ipsis cursoribus et currere debentibus mossa et ordinem dare prout crediderit convenire. Et nullus alius equus currere possit vel debeat ad dicta bravia nisi prius ut predicatur fuerit scriptus. Adicientes quod propter felicem victoriam huic civitati et populo divina provisione concessam contra hostes et inimicos comunis Bononie in terra Sancti Rophilli comitatus bononie in milesimo trecentesimo sexagesimo primo die vigesimo mensis iunii et ob reverentiam beati Silvestrii pape et martiris in cuius diei festo victoria habita fuit et contenta singulis annis emantur due petie veluti scachati seu vergati per comune Bononie et eius expensis precii et extimationis quinqueginta librarum bononinorum et una hasta in qua ponatur dictum velutum et etiam una targa et una lancea, unus ensis et unum par cirotecarum de ferro pro bravio currendo dicta die ad quod bravium curratur per stratam sancti Stephani per omnes equos currere volentes secundum modum et formam superius circa alia bravia tradita et incipiat et incipere debeat dictus cursus ad crucem camaldulensem et duret et durare debeat usque ad plateam sancti Stephani et equus qui pervenerit et alios superaverit in cursum habeat velutum predictum et targam et lanceam habeat secundus et qui tertius fuerit ensem predictum et cirotecas. Et fiat similis proclamatio ut supra et similis strate disgomboratio ut supra. Et predicta omnia et singula circa alia bravia disposita et ordinata circa istud valeant et disposita in eo sint et esse intelligantur quatenus et prout possunt adaptari.⁴³⁸

⁴³⁶ <administratoris> *nel testo* diminiistratoris.

⁴³⁷ <fuerit> *dittografato*.

⁴³⁸ *Nel margine inferiore della carta: Incipit liber quartus.*

LIBER QUARTUS

cc. 167r-213v

Incipit liber quartus causarum civilium et contractuum et ultimarum voluntatum et sucessionum ab intestato. Et primo.

[1] De iure reddendo. Rubrica. [c. 167r]

Ordinamus, quod dominus potestas seu eius vicarius teneatur singulis diebus quibus ius reddi debet in civilibus secundum formam nostrorum statutorum facere pulsari campanelam, que pulsari est deputata pro iure reddendo, de mane incontinenti pulsata⁴³⁹ missa apud Sanctum Petrum et post nonam pulsata nona ad ecclesiam supradictam. Et campanarius teneatur ipsam pulsare supradictis horis pena et banno ipsi campanario decem solidorum bononinorum pro quolibet die. Et omnes iudices dicti domini potestatis et officiales officio maleficiorum novorum et quilibet alii iudices et officiales de causis civilibus in palatio comunis Bononie cognoscentes teneantur venire in palatium et stare ad eorum officia exercenda de mane pulsata dicta campanela usque ad terciam et post nonam pulsata ipsa campanela usque ad vespervas ad minus singulis diebus iuridicis et aliis diebus cum expedierit. Exceptis diebus feriatis in Dei honorem inductis et aliis feriatis de quibus infra in statuto 'De feriis' [48] sit mentio. Exceptis tamen iudicibus maleficiorum qui singulis diebus et etiam predictis venire teneantur, nisi sint tales dies quibus in criminalibus causis ius non reddatur. Alii autem officiales⁴⁴⁰ quicumque extra palatium de civilibus cognoscentes dictis horis venire et stare in locis eis deputatis et ordinatis teneantur. Et quod in quacumque parte nostrorum statutorum mentio habeatur absolute de iudicibus potestatis semper intelligatur de hiis qui presunt et preerunt causis civilibus, nisi de aliis expressa mentio habeatur.

[2] De modo citationum fiendarum et legiptimatione personarum. Rubrica. [cc. 167r-168v]

Decernimus, quod quelibet persona et universitas citata ad iudicium quacumque de causa ex causa tamen civili, teneatur per se vel alium legiptime comparere in termino et expectare eum qui citari fecerit, donec officialis, coram quo citatus fuerit, licentiaverit ipsum comparentem et hoc in actis scribi facere per notarium, qui scripserit citationem de eo factam seu de alio, pro quo comparuerit vel per alium notarium dicti dischi, eo notario absente, de cuius absentia si revocetur in dubium stetur declarationi iudicis coram quo citatio facta fuerit. Et siquidem pars, que citari fecerit simul cum alia parte comparuerit seu presentes ipse partes fuerint principales vel alii fuerint eorum nominibus, antequam ad alia procedatur, officialis pronunciare teneatur personas legiptimas utriusque partis, si partes non contendant, sed velint ipse partes vel altera earum fieri pronunciationem et legiptimationem predictam. Si vero contendatur de legiptimatione personarum ab aliqua partium, detur dilatio utrique parti arbitrio iudicantis ad opponendum quidquid velint contra se ipsas vel super legiptimatione personarum suarum et mandatorum, et sequentis diei iuridici post dictum terminum ad comparendum audituri pronunciationem faciendam super legiptimatione predicta, quam officialis coram quo citatio facta fuerit omnino facere teneatur prima die iuridica sequenti elapso termino supradicto vel quam primum postea fieri poterit, si nichil in termino oppositum fuerit, quod probatum repellat comparentes, partibus hoc petentibus vel altera earum tantum, vel ante, si partes concordantes estiterint. Si autem aliquid

⁴³⁹ <pulsata> *corregge* pusata.

⁴⁴⁰ <officiales> *nel testo* officiales.

oppositum fuerit, quod probatum de iure repelleret statuatur⁴⁴¹ novus terminus arbitrio iudicantis ad probandum utrique parti super oppositis tantum infra terminum supradictum datum ad opponendum. Elapso vero dicto termino dato ad probandum, iudex quam cicius poterit pronunciet super personis predictis iuxta allegata et probata utraque parte presente, vel altera tantum, absente tamen citata. Et si pronuncietur personas vel alteram earum vel mandata non esse legitimas siquidem fuerit pars actoris, cuius persona legitimitata non//

[c. 167v]

fuerit non audiatur procedere volens, donec ipsius persona legitimetur. Et nichilominus expensas parti legitimate reficere teneatur, antequam ulterius audiatur. Si vero fuerit pars rei, cuius persona non fuerit legitimitata, procedatur contra conventum tamquam contra citatum et contumacem seu non comparentem secundum formam statutorum nostrorum et iuris. Si tamen pars rei postea legitime comparuerit quandocumque ante contradictionem factam, petitioni cum curatore dato bonis vel liti, audiatur secundum formam nostri statuti ‘Qualiter procedi debeat in causis civilibus reo non comparente’ [30]. Et si officialis pronunciauerit personas legitimas et mandata, stetur pronunciationi quoad ordinationem iudicii et processus et cause decisionem, ita quod processus, qui fiet cum eis, qui pronunciatum fuerint legitimi, valeat et teneat quo ad ordinationem predictam et decisionem prout et sicut valeret et teneret si cum personis legitimis fieret vel factus esset, salva semper falsi exceptione circa personas, que legitimate fuerint et processus, qui cum eis fierint vel factus esset. Nec posit qui legitimus pronunciatum fuerit, nisi iusta causa declaranda arbitrio iudicantis, revocari. Et idem quantum ad processum et decisionem cause intelligatur, ut valeant, ut supra, si partes litigaverint et processerint et eciam nulla pronunciatione vel oppositione, circa legitimationem personarum precedente. Mandamus etiam quod si pars que citari fecerit, semper in termino citationis debeat comparere, alias citatio non teneat. Et nichilominus puniatur in expensis et interesse partis citate declarandis per sacramentum citati, iudicis taxatione premissa, si citatio facta fuerit ante legitimationem personarum vel habitarum pro legitimis et in pena solidorum quinque bononinorum pro qualibet citatione parti applicanda et de facto auferenda per iudicem, coram quo facta fuerit citatio, quibuscumque iuris remediis. Addicientes, quod nulla persona vel universitas citari posit ad petitionem alicuius, qui non fuerit principalis, nisi prius mandatum, vel aliud, ex quo de iure alieno nomine admitendus prima facie videatur produxerit seu fecerit et in actis scribi fecerit et penes notarium actorum dimiserit. Et siquidem pars citata per se vel alium comparuerit, teneatur, qui nomine citati comparuerit, eodem modo producere mandatum vel aliud facere, ex quo admitendus videatur, ut supra, alias non audiatur. Et notarius actorum ipsa producta ex utraque parte in actis registrare teneatur, dum tamen mandatum ad agendum vel defendendum non posit probari per testes. Salvo, quod si fuerit tutor citatus vel actor alicuius, qui comparuerit ex aliqua partium sufficiat registrari solum instrumentum tutele et actorie seu cure, quam registrationem faciat omnino notarius quando qualis qualis petitio oblata vel facta fuerit, super qua detur terminus aliquis ad respondendum et contradicendum. Et demum post dictum terminum seu predictam contradictionem ut supra vel ante si notario videbitur. Item dicimus, quod nulla citatio fieri posit ad petitionem alicuius, nisi prius in actis scribatur commissio et sumarie causa citationis, per quam citatus scire posit ad quid citetur ubi petitio non prederet petitione vero precedente sufficiat in commissione scribenda poni, quod veniat ad respondendum petitioni et certus terminus in quo comparere debeat et alia fiant, que in nostro statuto posito sub rubrica ‘De officio

⁴⁴¹ <statuatur> *corregge* statuatum.

nunciorum' [III, 18] circa dimissionem cedule citationis continentur. In qua cedula notarius semper teneatur ponere diem commissionis fiende, sub pena decem solidorum bononinorum applicanda citato, ex obmissione tamen diei commissionis processus non vitietur. Quam comissionem et etiam relationem nuntii, statim cum facte fuerint, notarius predictus scribere teneatur. Cui citando ad comparandum competens terminus assignetur arbitrio iudicantis. Preterea statuimus, quod nulla universitas citari debeat, seu posit, nisi secundum formam statuti positi sub rubrica 'De modo citandi universitatem' [V, 36]. Et sic facta citatio de universitate, legiptime facta intelligatur. Si vero persona singularis citari debuerit, citetur personaliter vel ad domum ubi habitat vel stare vel morari reperiat. Et si non habitet in civitate Bononie, comitatu vel districtu, tunc ubi sua familia habitaret et staret vel moraretur in dicta civitate, comitatu vel districtu. Si vero persona citanda⁴⁴² vel sua familia non inveniatur habitare, stare vel morari in civitate, comitatu vel districtu eo casu sufficiat eum citari ad domum seu locum sue ultime habitationis solite vel sue familie in dicta civitate vel districtu. Et tunc citatio fiat alta voce presentibus duobus vicinis domus seu loci solite habitationis predicte, si fiat in civitate vel burgis. Si vero in guardia vel districtu, presentibus duobus de terra vel circumstantiis contrate, loci seu domus solite habitationis predicte, //

[c. 168r f. CLVIII]

de quibus omnibus supradictis et infrascriptis credatur nuntio, cui fiet comissio et ita fore factum refferenti, si in actis scripta reperiantur, nisi contrarium probaretur. Et si aliter facta reperiantur non valeat ipsa citatio. Nuncius autem, qui citationem fecerit de aliqua persona non inventa, nec eius familia, ut supra, in civitate vel districtu Bononie, teneatur quam primum fieri poterit referre notario actorum vel officiali ex cuius comissione vel mandato citaverit existenti ad bancum iuris ad quem locum citaverit, dicendo, positum in tali capella, terra, curia vel contrata cum duobus confinibus ad minus ipsius loci et nomina testium citationi presentium, quando testes citationi debuerint adhiberi, et causam citationis predicte, et ad cuius petitionem fecit, et diem ipsius citationis. Et ipse notarius in actis predicta scribere teneatur statim cum facta fuerit relatio supradicta. Et idem fiat et servetur si persona citata inventa fuerit vel eius familia, preterquam de loco et testibus, quos apponi neccessitas non constringit et relationi credatur et stetur ut supra. Si vero persona citanda vel sua familia non habitaverit vel solita fuerit habitare in civitate, comitatu vel districtu Bononie, sufficiat ipsam citari bis per cridam fiendam diversis diebus in palatio veteri comunis Bononie et super ambabus scalis ipsius palatii per alterum ex bannitoribus dicti comunis sono magno tube premissa saltem coram duobus testibus civibus, ita quod quelibet crida fiat per diversum bannitorem, de quibus omnibus credatur et stetur relationi dictorum bannitorum. Et predicta locum habeant in⁴⁴³ prima citatione. In ulterioribus vero sufficiat semel citari modo predicto, dum tamen vigore dictarum citationum bannitus captus retineri non posit si ydonee satisdederit de iudicio scisti et iudicato solvendo et locum ellegerit, ad quem citari voluerit. Providentes etiam, quod si qua persona vel universitas semel citata fuerit ad petitionem alicuius coram aliquo iudice vel officiali in genere, quod veniat ad respondendum de iure citari facienti vel pro certa re vel facto in comissione vel citatione contento vel contenta et comparuerit citatus vel non ad petitionem eiusdem vel alterius pro eo citari non debeat ulterius coram aliquo alio iudice vel officiali pro eadem re vel facto vel quod veniat responsurus de iure infra spatium sex mensium a die prime citationis computandum, sed coram primo iudice seu officiali procedatur contra citatum comparentem vel non, prout forma nostrorum statutorum vel

⁴⁴² <citanda> segue non inveniatur depennato.

⁴⁴³ <in> segue pred depennato.

iuris civilis, ubi statuta deficerent, exigit et requirit, donec id, pro quo citatus fuisset, fuerit terminatum vel terminus instantie fuerit elapsus, nisi renunciaverint partes comissionibus, citationibus et actis ex inde secutis. Et si aliquis aliter vel coram alio citari fecerit penam incidat ipso facto⁴⁴⁴ quinque librarum bononinorum, applicanda ei qui sic citatus fuerit. Que etiam de facto, sumarie et de plano exigatur per vicarium domini potestatis vel iudicem officio seu disco Aquile presidentem vel alium coram quo facta fuerit dicta citatio, quibuscumque iuris remediis, facta fide solum de citationibus predictis. Et citatio coram alio facta vel quod sequetur ex ea non valeat ipso iure, dum tamen persona citata ante contradictionem opponat et fidem faciat de tali citatione coram alio iudice primo facta et alias processus non vicietur, salvo semper statuto nostro quod loquitur ‘De iudicibus et notariis recusandis et asociandis’ [7]. Ordinamus insuper, quod ubicumque aliquis ad aliquem actum citari debuerit, sufficiat semel citari inventus vel bis non inventus ad domum seu locum predictum per diversos nuntios et diversis temporibus, nisi post comparitionem primam ipse comparens ad alia media cause, seu ad alios actus requiratur, quo casu inventus fuerit vel non sufficiat semel citari personaliter vel ad domum. Si vero ad audiendum sententiam diffinitivam vel que sapiat eius naturam sufficiat semel citari inventum et bis non inventum ut supra, etiam si ambe citationes ad unum solum terminum refferantur. In quibus citationibus ad audiendum sententiam fiendis semper certus terminus ad ipsam sententiam audiendam assignetur. Quo casu sufficiat citari prosecutorem cause qui dominus⁴⁴⁵ vel quasi instancie dicte cause videatur. Et si contingeret aliquem citari ad iudicium ad aliquem actum pro aliquo tempore deberet comparere si dies ultima termini dati ad comparendum fuerit tota feriata, in ea causa, de qua ageretur, sufficiat comparere prima die sequenti iuridica in totum vel pro parte, et ipsa die comparendo in termino comparuisse intelligatur. Et idem intelligatur in qualibet dilatione data ab homine vel a lege. Item statuimus quod si commissio alicuius citationis fiende fiat tempore iuridico et talis citatio fiat tempore feriato etiam solempni valeat ac si facta esset tempore iuridico ubi comparitio ex citatione fienda in tempus iuridicum conferratur. Preterea decernentes quod si quod preceptum vel aliquis alius actus fieret//
[c. 168v]

parte absente ad quod vel quem fiendum neccessaria citatio videretur non valeat si citatio non precedat etiam si in precepto vel⁴⁴⁶ comissione seu licentia actus fiendi diceretur, si pars senserit se gravatam infra certum tempus debeat comparere. Item quod quilibet habitator extra civitatem Bononie vel burgos citatus comparens⁴⁴⁷ pro se vel alium legiptime si hoc petatur teneatur elligere ipse vel alius legiptime comparens pro eo et in actis scribi facere ad quem locum positum in civitate Bononie vel burgis velit citari et ad illum locum sufficiat postea citari. Et ubi comparitio alicuius vel alius actus in iudicio fieri debuerit die iuridica sufficiat eum comparere vel talem actum de quo ageretur fieri die iuridica in causa illa de qua ageretur. Item quod ubi aliquis actus fieret partibus presentibus et intelligentibus nulla citatio requiratur. Item dicimus quod quilibet forensis agens vel petens teneatur ad petitionem conventi vel sui procuratoris vel in casu in quo nullus conveniretur, antequam audiatur, elligere locum in civitate Bononie in quo posit conveniri supra eadem re⁴⁴⁸ causa vel facto de quibus vel de quo agetur vel dependentibus vel connexis ab eis vel eorum alterro et aliter factum non valeat.

⁴⁴⁴ <facto> segue la lettera p depennata.

⁴⁴⁵ <dominus> segue instantie depennato.

⁴⁴⁶ <vel> in infralinea con segno di inserzione.

⁴⁴⁷ <comparens> in infralinea con segno di inserzione.

[3] **De inepta actione proposita seu actione obmissa. Rubrica.** [c. 168v]

Cum ex forma nostrorum statutorum salubriter sit provisum, in qualibet causa civili, posse procedi summarie, de plano sine strepitu et figura iudicii, placet quod propter ineptam actionem⁴⁴⁹ vel inepte in petitione propositam seu actionem obmissam quis non amittat causam, dum tamen factum, causam vel rem proponat ex quo vel qua resultet ius agendi. Statuentes, quod liceat parti actoris petitionem mutare et emendare quancumque ante contradictionem factam petitioni, vel lapsum termini dati ad respondendum petitioni, dum tamen mutatio vel emendatio fieri non valeat nisi semel et eo tamen⁴⁵⁰ casu quo mutatio vel emendatio fieret, detur⁴⁵¹ novus terminus arbitrio iudicantis alteri parti ad respondendum et interrogationes fiant et ad alia omnia subsequencia procedatur in causa secundum formam sequentis statuti vel alterius, ex quo in actione principaliter proposita alius modus procedendi daretur, nec ex hoc novum iudicium esse intelligatur. Et occasione dicte mutationis vel emendationis actor ad aliquas expensas propterea factas non teneatur.

[4] **De vocatis in iure et venientibus. Rubrica.** [cc. 168v-169v]

Obviare volentes cavilationibus, que ut plurimum pro parte rei in causis civilibus dilatandi causa proponuntur, volentesque unicuique iusticiam impartiri, ipsis cavilationibus remotis, remoto etiam temporis intervallo, et sola veritate inspecta, hac provida lege statuimus et firmamus, quod in omnibus et singulis causis civilibus cuiuscumque quantitatis, rei, facti vel estimationis existant debeat⁴⁵² per iudices seu officiales coram quibus ipse cause seu questiones moveri contingerint procedi summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii, omnibus reiectis cavilationibus, et sola facti veritate inspecta, ad quam inveniendam nitatur iudex omni modo, quo potest etiam subiciendo rem oculis ad petitionem partium vel alterius earum et quancumque ipsi iudici videbitur expedire, que tamen veritas debeat aparere ex actis et probationibus fiendis secundum formam nostrorum statutorum, ubi statuta disponderent, aliter secundum formam iuris comunis. In quibus causis et litibus debeat qualis qualis petitio offerri ut certa sententia ferri possit. Et si in petitione porecta dicatur rem in petitione contentam⁴⁵³ spectare et pertinere ad actorem sive simpliciter sive addiciatur iure directi domini utilis vel quasi seu eius effectus procedatur in causa etiam nulla ellectione vel declaratione facta per actorem et non obstante, quod dicatur iura contraria proponere vel prosequi. Et possit et debeat procedi omni tempore exceptis diebus feriatis secundum formam nostrorum statutorum. Et quod iudex seu officialis, qui de causis predictis cognoverit, possit in dictis causis dilationes partibus ordinare ad probandum de iuribus eorum, suo arbitrio secundum quod sibi videbitur expedire pro expeditione cause, considerata tamen semper negotii qualitate, super quo causa agetur, et etiam alteri parti ad petitionem alterius, nisi pars, cui peteretur dilatio ordinari, renunciaverit dilationibus sibi ordinandis ad probandum de iure suo, quo casu iudex possit procedere absque dilatione ad decisionem cause. Que cause omnino terminentur per iudices//

[c. 169r f. CLVIII^{or}]

et officiales, tam ordinarios, quam delegatos, qui de eis cognoverint infra quinquaginta dies continuos, non computatis in eis diebus feriatis per nostra statuta inductis, a die contradictionis seu responsionis facte per partem rei petitioni actoris si

⁴⁴⁸ <re> in infralinea con segno di inserzione.

⁴⁴⁹ <actionem> segue propositam depennato.

⁴⁵⁰ <tamen> in infralinea con segno di inserzione.

⁴⁵¹ <detur> segue copia depennato.

⁴⁵² <debeat> corregge debeant.

⁴⁵³ <contentam> in infralinea con segno di inserzione.

responsum vel contradictum fuerint infra dilationem ipsi reo ordinatam ad rendendum petitioni predictae. Et si non fuerit responsum vel contradictum petitioni predictae ut supradictum est, tunc a die elapse dilationis date reo ad respondendum petitioni actoris. Et sive reus contradixerit petitioni sive non, elapsa dilatione sibi data ad respondendum petitioni, procedatur in causa ad probationes fiendas et alia subsequencia et etiam ad decisionem cause perinde ac si fuisset legitime contradictum. Et si terminate non fuerint cause predictae infra dictum tempus, nichilominus posint, ex eisdem actis cause predictae terminari infra decem dies continuos proxime subsequentes non computatis in eis diebus feriatis ut supra et infra quinque dies primos ex dictis decem diebus liceat dictis partibus ad coadiuvationem iurium productorum per eas alia iura et instrumenta producere quibus elapsis instantia dicte cause sit premissa et reus absolvatur ab observatione iudicii, actor vero eidem in expensis condempnetur. Quam causam postea, si actor incohare voluerit, non audiatur ipse actor, nisi reffectis expensis reo quas substinuerit ipse reus in prima instantia. Et nichilominus iudex seu officialis qui de causa cognoverit si infra tempora predicta causam non terminaverit, ipso iure et facto cadat in penam centum librarum bononinorum et nichilominus teneatur ad interesse partis, que lederetur ex obmissione decisionis dicte cause. Adicientes, quod ex obmissione prestationis sacramenti calumpnie, etiam si petatum fuerit, processus non vitietur. Et quod ubicumque altera partium voluerit stare sacramento partis adverse, teneatur pars adversa iurare, vel iusiurandum referre parti deferenti. Sufficiat tamen partem cui deferetur vel referetur si fuerit pars rei iurare se non teneri vel obligatum non esse. Et si fuerit pars actoris, cui deferetur vel referetur, sufficiat⁴⁵⁴ iurare partem rei sibi teneri vel obligatum esse ad rem vel factum, de quo vel qua est questio. Et sacramento talis iurantis credatur et stetur; si tamen post iuramentum delatum vel relatatum et prestitum, ut supra, probetur legitime contrarium eius, de quo iuratum fuerit, puniatur sic iurans in duplo eius de quo apparebit ipsum taliter deierasse. Et ubicumque aliqua dilatio ordinetur per iudicem alicui ad probandum vel ad alium faciendum dies dicte dilationis ordinate in ipsa dilatione non computetur. Et idem intelligatur in⁴⁵⁵ qualibet dilatione data⁴⁵⁶ ab homine vel a lege. Et si aliquis conveniatur vel conveniri velle dicatur ut heres et fuerit interrogatus an sit heres et an ex testamento vel ab intestato et pro quota est heres respondere teneatur an sit heres et an ex testamento vel ab intestato et pro quota est heres. Et si interrogatus non respondiderit clare infra terminum a iudice statuendum, arbitrio iudicis, dum tamen non excedat terminum trium dierum, procedatur contra eum ut heredem et valeat et teneat iudicium perinde ac si heres esset eo iure et pro ea parte pro quo et pro quota conveniatur quoad illam causam tantum. Et responsioni procuratoris legitime comparentis super hiis stetur quoad illam causam tantum etiam quoad decisionem cause predictae salvo tamen et reservato beneficio inventarii in executione sententie si inventarium legitime confectum fuerit. Et si procurator interrogatus, ut supra, infra dictam terciam diem non respondiderit clare, ut supra citetur principalis semel inventus et bis non inventus ad domum sue habitationis vel solite habitationis sue ad respondendum supra predictis et si non comparuerit vel comparens non respondiderit clare ut supra, procedatur contra eum tam quam contra heredem et pro herede habeatur quoad illam causam tantum ut supra, salvo eidem beneficio inventarii in executione sententie, ut supra quid quidem inventarium confici possit etiam pendente dicto iudicio. Et pendente dilatione inventarii conficiendi procedatur nichilominus in causa contra talem heredem non obstante dilatione predicta. Preterea statuimus, quod nulla questio preiudicialis ad aliam iam motam tempore propositionis dicte talis

⁴⁵⁴ <sufficiat> *segue la lettera p depennata.*

⁴⁵⁵ <in> *segue quacumque dilatione depennato.*

⁴⁵⁶ <a lege> *segue a lege depennato.*

preiudicialis, ita quod ea proposita in alia tali mota interim procedi non possit, aliquo modo posit⁴⁵⁷ proponi per modum principalis petitionis coram eodem iudice vel alio post citationem factam super petitione seu questione cui preiudicare diceretur, per quam impediatur, vel differratur cognitio vel terminatio dicte questionis, cui preiudicare diceretur, sed solum per modum exceptionis pro//
[c. 169v]

poni debeat coram eodem iudice, vel alio, ad quem causa prime petitionis seu eius cognitio devolveretur et coram illo notario, qui scribere debuerit acta cause supradicte. Et in ea et super ea procedatur, ita quod principalis causa infra sua tempora valeat terminari. Et nichilominus procedatur in dicta principali, non obstante quod dicta preiudicialis de iure per viam exceptionis proponi non possit. Item dicimus quod, ubicumque pars citata debuerit ferri sententia diffinitiva vel que sapiat eius naturam et citata fuerit siquidem in termino citationis comparuerit et steterit eo presente in termino seu ante vel postea immediate feratur sententia. Si vero non comparuerit, tunc ferri possit in limine termini transeuntis vel postea, quandocumque durante instantia etiam parte absente vel de novo non citata. Declarantes, quod ubi partes presentes in iudicio fuerint, amonitio vel citatio non requiratur, si eis presentibus sententia lata reperitur vel alius actus fieret, ad quem alias citatio requireretur. Addicientes, quod in causis et questionibus armorum, equorum, cibi et potus et mercedum cuiuscumque quantitatis vel estimationis existant et in quibuscumque causis quantitatis decem librarum bononinorum vel ab inde infra instantie durent et durare possint dumtaxat spatio viginti dierum et non ultra non computatis in hiis diebus feriatis ut supra; que instantie incipiant a die responsionis facte petitioni seu a die elapse dilationis date ad respondendum petitioni. Que lites et cause ex causis predictis vel aliqua alia si sint quantitatis a quadraginta solidis supra usque ad centum solidis decidi possint et debeant per sacramentum et alias presumptiones et inditia arbitrio iudicantis. Si vero fuerint quantitatis quadraginta solidorum vel ab inde infra decidi possint per solum sacramentum si iudici videatur. Mandantes, quod si aliquis occasione mercedis vel servitii prestiti vel prestandi per aliquem familiarem vel baiulam salarium vel mercedem sibi debitam petere non possit elapso anno a die, quo disceserit a famulatu vel desierit esse baiula, si reus conventus iuraverit actori satisfecisse et in nullo teneri occasione predicta.

[5] **De eo qui venerit ad defensionem alicuius⁴⁵⁸ in causa civili. Rubrica.** [cc. 169v-170r]

Dicimus quod si aliquis vocatus fuerit ad iudicium in aliqua lite vel questione civili et aliquis venerit sine mandato, qui de iure admitti debeat ad defensionem ipsius vocati teneatur in continenti ipse defensor, presente eo, qui principalem vocari fecerit et etiam eo absente, tamen legitime citato, satisfacere de iudicio sisti et iudicato solvendo, cum generali obligatione bonorum, et renunciationibus consuetis, et det fideiussores unum, vel plures, bonos et divites pro facultatibus et qualitate cause et faciles ad conveniendum, exigendum, capiendum et deponendum alias repellatur. Et si de bonitate, divitiis et facultate predictis fuerit dubitatum, declaretur per unum bonum virum per partes eligendum vel per iudicem, datis suspectis, si partes dare voluerint⁴⁵⁹, et ad invicem non contendant. Et quod fiet cum ipso defensore vel eius parte, servatis solemnitatibus statutorum nostrorum et iuris civilis ubi statuta deficerent, valeat et teneat pro utraque parte et executioni mandetur in solidum solum contra defensorem et

⁴⁵⁷ <posit> segue procedi depennato.

⁴⁵⁸ <alicuius> segue Rubrica depennato.

⁴⁵⁹ <voluerint> segue ed depennato.

eius fideiussores, etiam sine novo processu et sine aliqua excussione fienda et contra ipsius et ipsorum heredes et bona ac si ipse defensor⁴⁶⁰ principalis existeret et fuisset et prout et sicut fieri potuisset contra principalem predictum si comparuisset et condemnatus fuisset. Si tamen actum fuerit reali vel alia actione ad rem restituendam vel relaxandam vel actione ex testamento ad speciem legatam dandam seu tradendam, ad quod faciendum defensor voluntarius vel ille, qui sponte defenderit, fuerit condemnatus et ipsa res petita non restituatur et relaxetur, detur seu tradatur secundum formam sentencie, fiat executio predicta in estimatione dicte rei. Et nichilominus in ipsa re contra principalem et alium quemcumque possessorem ius victori salvum remaneat, non obstante sententia vel executione predicta. Eo tamen casu quo habuerit agens estimationem a dicto defensore, si postea recuperaverit rem a possessore ex eadem causa, teneatur restituere dicto defensori estimationem rei per eum receptam, retenta sibi quarta parte dicte estimationis. Ubi vero pendente iudicio cum tali defensore, vel ante, constiterit de mandato principalis, vel quod ratum habuerit factum defensoris per publicum instrumentum in actis productum antequam feratur sententia, tunc fiat executio contra solum principalem et eius heredes et bona, etiam non obstante aliqua alienatione bonorum vel iurium ipsius principalis facta per eum post primam citationem factam de ipso principali. Et eo casu defensor et eius heredes, fideiussores//
[c. 170r f. CLX]

et bona non teneantur. Statuimus etiam, quod omnis procurator comparens coram aliquo officiali comunis Bononie vel alio quocumque seu coram aliquo arbitro vel arbitratore in casu quolibet, in quo licet procuratorio nomine alterius comparere, admitatur et legitimus esse intelligatur, et sit, sive ex parte actoris, sive ex parte rei compareat, vel alegans, opponens, inpediens vel aliquid contradicere volens alterius nomine, non obstante quod non satisdederit vel promiserit de iudicio sisti vel iudicato solvendo vel dominum defendendo in casu reconventionis. Quas promissiones vel satisfactiones vel aliquam ipsarum prestare non teneatur, dum tamen constet legitime aliter de mandato dicti procuratoris et aliam non habeat⁴⁶¹ repugnantiam iuris ipse procurator.

[6] **De exceptionibus. Rubrica**⁴⁶². [cc. 170r-170v]

Quia plurime sunt exceptiones, que in iudiciis frequentantur et cui onus probandi incumbat, in dubium revocatur, ordinamus, quod si in aliqua questione vel causa aliquo tempore proponatur exceptio, replicatio⁴⁶³, duplicatio vel triplicatio et deinceps et opponatur contra instrumentum seu aliquam ultimam voluntatem, qua vel quo quis utitur in iudicio, quod non sit positum in memorialibus comunis Bononie velud debuit vel quod crida facta fuerit, velud debuit, vel quod ultima voluntas deposita non fuerit in aliqua ex sacristiis aprobatis, ut debuit vel quod de aliquo contractu vel alienatione gabella soluta non fuerit velud solvi debuit eo casu quo gabella solvi debuisset hiis etiam casibus, parti, contra quam talia opponuntur, incumbat onus probandi ea, propter que opposita repellantur, et si non probaverit, obstent opposita, quatenus de iure obstare posunt, perinde ac si oppositum legitime probatum foret. Si vero opponatur contra aliquod instrumentum vel aliam publicam scripturam, quod ille, qui scripserit, non fuerit notarius vel saltem imperiali auctoritate vel sufficienti auctoritate notarius, siquidem in instrumento vel scriptura publica contineatur, quod facta sit in civitate, comitatu vel

⁴⁶⁰ <defensor> segue existeret depennato.

⁴⁶¹ <habeat> corregge habeant.

⁴⁶² <Rubrica> dittografato.

⁴⁶³ <replicatio> segue vel depennato.

districtu Bononie, sufficiat per partem, contra quam opponetur, probari notarium, qui continetur in instrumento vel scriptura, illud vel illam scripsisse, descriptum esse in matricula societatis notariorum civitatis Bononie posita ad camaram actorum. Sed si notarius, qui scriptus est confecisse dictam scripturam, dicatur fuisse notarius alicuius officialis civitatis Bononie, in hiis scripturis que spectaverint ad officium ipsius notarii vel in sibi comissis, tunc sufficiat probare quasi possessionem tabelionatus in civitate, vel comitatu Bononie dicti notarii vel de publica voce, que fuit in civitate vel comitatu Bononie⁴⁶⁴ seu loco, in quo dicta scriptura fuerit facta, quod ille, qui scriptus est confecisse dictam scripturam seu instrumentum, fuerit notarius vel per tria alia instrumenta ad minus vel per alia acta vel scripturas, que reperirentur ad camaram actorum ipsius manuscriptas et que manu eius confecta esse dicantur et que de eadem littera videantur. Si vero contineatur in instrumento vel scriptura, quod confecta fuerit extra civitatem et districtum Bononie, tunc sufficiat probari eum, qui scripsisse diceretur, fuisse notarium imperiali auctoritate vel pontificali vel per privilegium notariatus ipsius vel per famam seu quasi possessionem tabelionatus illius loci, ubi contineatur ipsum instrumentum vel scripturam fuisse confectam vel per tria alia instrumenta ad minus, que scripta manu eiusdem notarii dicantur, et que de eadem littera videantur vel per litteras testimoniales potestatis vel rectoris illius civitatis vel castri non subditi aliene iurisdictioni, in qua vel quo dictum instrumentum vel scriptura diceretur esse confectum vel confecta sub sigillo munita de quibus, si in dubium verteretur, stetur declarationi iudicis, coram quo causa vertetur, quam declarationem iudex facere posit ex sola inspectione litterarum testimonialium productarum, nisi contrarium probaretur. Sed si in instrumento seu scriptura contra quam opponitur, quod scribens non fuerit notarius, contineatur eam confectam esse extra civitatem, comitatum et districtum Bononie, et ex ipsa scriptura appareat lapsum esse tempus treginta annorum a die confectionis ipsius, sufficiat, etiam per partem, contra quam opponitur talis exceptio, si fuerit bone fame, conditionis et vite et scriptura in sui figura omni careat suspitione, probari per ipsius sacramentum corporaliter iurantis, quod scribens fuerit notarius et quod probatio haberi non potest, quod ille, qui scripserit ipsam scripturam fuerit notarius, nec etiam fame vel quasi possessionis notariatus ipsius, nec etiam alia instrumenta haberi posunt scripta manu ipsius. In aliis vero oppositionibus ei incumbat onus probandi cui de iure debuerit inminere. Decernentes quod de ceptero⁴⁶⁵//

[c. 170v]

opponi non possint alicui infrascripte exceptiones, videlicet, quod talis non habeat estimum vel quod non habeat in extimo rem seu debitum, de qua vel quo sit questio vel quod non sit descriptus in vigintiinquenis vel quod aliquis sit malpagus aliquarum colectarum vel prestantiarum vel quod quis non fuerit in exercitu vel cavalcata. Nec etiam possit opponi contra aliquam scripturam quod deficiat nomen imperatoris vel pape vel quod deficiant omni imperii⁴⁶⁶ vel pontificatus aut consulum vel quibus consulibus. Et quod obmissio predictorum temporis, nominum et consulum vel alterius eorum non viciet scripturam aliquam. Item dicimus quod exceptio gabelle non solute non possit deinceps opponi contra aliquod instrumentum vel contractum aut qui vel contra alium actum celebratum vel factum a calendis mensis februarii anni millesimi trecentesimi septuagesimi sexti retro. Et ut cavillantium refrenetur temeritas, iubemus quod omnis opponens, sive suo nomine sive alieno, aliquas oppositiones ad quas probandas vel

⁴⁶⁴ <dicti notarii vel de publica voce, que fuit in civitate vel comitatu Bononie> *di seguito sul margine lateraledestro.*

⁴⁶⁵ <de ceptero> *segue non depennato.*

⁴⁶⁶ <imperii> *corregge imperatorii.*

improbandas aliqua facti probatio exigatur si subcubuerit in oppositione⁴⁶⁷ per eam facta, teneatur reficere parti adverse omnes expensas cuiuscumque conditionis et dampna que et quas pars contra quam oppositio facta fuerit, propter dictam oppositionem et eius de causa passa fuerit, sacramento vincentis in oppositione declarandas et taxatione per iudicem, seu officiales, coram quibus dicta oppositio fuerit agitata, premissa, et cogere posit et debeat⁴⁶⁸ dictus iudex seu officialis predictum subcumbentem etiam si in causa principali postea obtineret ad reficiendum expensas et dampna predicta summarie, sine strepitu et figura iudicii remediis opportunis, quandocumque petitum fuerit, etiam ante terminationem cause principalis. Item dicimus, quod quilibet negans pars vel sub conditione tacita vel expressa in iudicio seu coram arbitro vel arbitratore, suo nomine vel alieno, directe vel per verbum ‘non credit’ vel per equipolentia verba vel alia quecumque, propter que onus probandi parti adverse incumbat, seu incumbere videretur, matrimonium vel filiationem, etatem, mortem, parentelam, agnationem seu cognationem vel quem esse civem vel comitatum vel forensem vel quem civem vel comitatum esse vel fuisse notarium vel esse vel fuisse quem officialem, sive sit civis, sive forensis vel quasi possessionem matrimonii vel filiationis vel officii vel notariatus, aut civilitatis, de quibus sit in civitate Bononie vel districtu in capella, contrata, loco seu villa in quo vel qua habitat seu habitaverit vel officium exercuerit ille, de cuius morte et aliis de quibus, ut supra tractaretur, publica vox et fama in contrarium vel aliter appareat, nisi per partem opponentem contrarium probaretur, cogatur de facto ultra predicta per iudicem, coram quo fuerit questio, ad solvendum decem libras bononinorum pro quolibet negato predictorum parti, cui predicta vel predictorum aliquod negata fuerint.

[7] **De iudicibus et notariis recusandis et asociandis. Rubrica.** [cc. 170v-171r]

Ordinamus, quod recusationes iudicum domini potestatis Bononie prescientium causis civilibus fieri possint per libellum recusationis in quacumque causa, questione vel lite civili excedente sumam decem librarum bononinorum et ab inde supra infra treginta dies a die instantie incohate⁴⁶⁹ et non postea. Et hoc in causis in quibus instantia principalis durat per quinqueginta dies. In aliis vero causis in quibus minores instantie sunt ordinate fieri possint et debeant infra dimidium tempus a die instantie incohate et non ultra⁴⁷⁰. Et uno recusato, ipso iure deveniat ad alium, scilicet de vicario domini potestatis ad iudicem prepositum ad discum Aquile et e converso, dum tamen ipse actor vel eius procurator vel alius pro eo veniens, recusare non possit iudicem, quem adiverit nisi dixerit, post aditionem novam causam et iustam suspensionis supervenisse, quam exprimere non teneatur et hoc iuraverit et, quod animo calumpnie non facit recusationem predictam; pars vero rei, que causam prosequitur, sive ipse principalis reus etiam contradictione facta recusare possit, si dixerit se causam iustam suspensionis habere etiam aditione precedente, quam exprimere non teneatur cum sacramento predicto et non aliter. Ita tamen quod inter ambas partes in tota causa non fiat recusatio nisi semel. Et idem dicimus in iudicibus seu officialibus comunis Bononie prescientibus civilibus causis cognoscendis, quod recusari possint ut supra. Et quod recusatione facta tempore et modo predictis, potestas vel vicarius eius vel is, qui preerit ad discum Aquile, possint et teneantur ad petitionem cuiuslibet seu alterius partium tantum comitere questionem seu causam, super qua facta est recusatio aliis officialibus comunis Bononie ad aliud discum

⁴⁶⁷ <oppositione> *su rasura*.

⁴⁶⁸ <et debeat> *in infralinea con segno di inserzione*.

⁴⁶⁹ <incohate> *segue set non cassato per espunzione*.

⁴⁷⁰ <et non ultra> *in infralinea con segno di inserzione*.

presidentibus ad causas civiles in palatio infra tres dies postquam petitum fuerit datis suspectis a partibus si dare voluerint//
[c. 171r f. CLXI]

scilicet uno disco pro parte, nisi partes essent concordēs. Et tunc teneatur comitere officialibus alterius dischi eis de quibus partes essent concordēs. Quam comissionem fieri petere teneatur pars recusans die recusationis vel sequenti. Et quoad comissionem ipsam fiendam stetur sacramento⁴⁷¹ comissionem ipsam petentis fieri de dependentia litis, quam committi petit et etiam de recusatione facta alias recusatio⁴⁷² ipsa habeatur pro non facta et procedatur in causa ac si recusatio facta non fuisset. Et non fiat in tota causa recusatio, nisi semel inter ambas partes⁴⁷³. Et si plures officiales fuerint ad idem officium, uno recusato et alter recusatus esse intelligatur et sit, et notarius, qui acta scribebat in quolibet casuum predictorum etiam recusatus sit et esse intelligatur ipso existente notario dicti officialis recusati, et ad alterum ex notariis iudicis seu officialis subrogati a lege vel ab homine, cui ipse iudex de partium voluntate vel eis discordantibus suo motu comiserit acta devolvantur. Item dicimus, quod iudex recusatus teneatur recusationem recipere, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Et acta que per eum fierent et sententia que sequeretur post dictam recusationem, nulla sint ipso iure. Et notarius aliquis dicti iudicis recusati ipsa acta non scribat, sub eadem pena. Item dicimus, quod notarius actorum etiam non recusato iudice, posit recusari infra predictum tempus et non postea, ita quod deveniat de uno⁴⁷⁴ notario in alium eidem officio prescientem, quem iudex seu officialis elegerit de partium voluntate, vel, eis discordantibus, suo motu si fuerint ultra duos. Salvo, quod post predictum tempus quantum ad receptionem testium notarius cause posit asociari de uno, quem partes elegerint, et ipsis discordantibus quem iudex proprio motu elegerit. Et ad tollendas suspensiones, que ut plurimum intervenire consueverunt in iudicibus delegatis et commissariis ordinamus, quod omnes et singuli iudices a quocumque delegati, etiam⁴⁷⁵ a dominis ancianis populi et comunis Bononie, possint recusari per libellum recusationis, ut supra dictum est de iudicibus domini potestatis, infra quindecim dies post citationem factam de reo et non postea. Et recusatione facta modo et tempore predictis, possint dicti domini anciani dictam causam alteri de novo delegare et ei cui delegata fuerit cognitio dicte cause devolvatur, dum tamen recusatio predicta inter ambas partes fieri non possit, nisi semel tantum. Ceteras autem recusationes quorumcumque aliorum officialium fieri prohibemus et factas ipso iure annullamus, nisi quatenus ex forma nostrorum statutorum recusatio permitteretur.

[8] De positionibus fiendis in causis civilibus. Rubrica. [cc. 171r-171v]

Providemus, quod in quibuscumque causis civilibus possint fieri positiones per principales personas litigantes vel alios qui de iure civili vel ex forma nostri statuti in causa predicta in qua fiunt⁴⁷⁶ ipse positiones adesse possint et dentur iudici coram quo causa agetur, qui iudex responderi faciat ipsis positionibus per eum examinatis, salvo iure impertinentium et non admitendarum, quibus in pertinentibus vel non admitendis si fiat responsio, habeatur pro non facta, que veniant examinande tempore⁴⁷⁷ et disputationis et pronunciationis sententie. Et per personam principalem contra quam

⁴⁷¹ <sacramento> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁴⁷² <recusatio> *corregge* recusatione.

⁴⁷³ <ambas partes> *di seguito a margine destro.*

⁴⁷⁴ <uno> *segue* in alium *depennato.*

⁴⁷⁵ <etiam> *segue* a dominis *depennato.*

⁴⁷⁶ <fiunt> *segue* positionibus *depennato.*

⁴⁷⁷ <tempore> *segue* pronunciationis et *depennato.*

fiunt dicte positiones et habilem ad iurandum de calumpnia vel alium pro ea in iudicio comparentem, qui⁴⁷⁸ in dicta causa de iure ad iurandum de calumpnia admitti posit, prestito prius sacramento aponente, quod non ponit animo calumpnie et respondere debente quod calumpniose non respondebit et verum non tacebit faciat ipse iudex respondere absentibus partium advocatis et antequam respondere debens cum ipsis advocatis vel dictam litem prosequentibus adloquatur⁴⁷⁹. Et si fiant aliquae positiones, quae ex alterius facto dependeant et petierit respondere debens terminum ad deliberandum, tunc ordinetur terminus trium dierum ad plus ad accipiendum copiam et rendendum factis prius responsionibus positionibus quae ex facto respondentis dependeant. Et si respondere debens noluerit ipsis positionibus respondere vel clare respondendo ‘credit’ vel ‘non credit’ iudex ei presenti mandet, quod respondeat incontinenti vel infra certum terminum per ipsum iudicem assignandum; posit etiam ipse iudex, si sibi equum videbitur, et calumpniose agere respondere debentem pronunciare ipsas positiones quibus non respondiderit vel obstare pro confessatis haberi. Et ipsi pronuntiationi stetur quantum ad ipsam causam. Si vero pars contra quam fiunt positiones citata fuerit, quod veniat ad respondendum positionibus et non comparuerit ad respondendum, tunc iterum citetur dicta pars respondere debens⁴⁸⁰ semel inventa vel bis non inventa ad// [c. 171v]

locum ubi citari debuerit et diversis diebus quod veniat ad respondendum ipsis positionibus et contineatur in commissione et citatione nuncii comminatio iudicis, quod si non comparuerit et responderit iudex pronuntiabit ipsas positiones haberi pro confessis. Et parte citata postea infra terminum non comparente et respondente posit ipse iudex pronunciare ipsas positiones haberi pro confessatis, si sibi equum videbitur, et pronuntiationi stetur ut supra. Valeant autem confessiones et responsiones fiende prout alias de iure valerent etiam si predictae solempnitates non fuerint observate. Item dicimus, quod curator aliquis datus liti seu cause indefense vel bonis indefensis, positionibus aliquibus respondere non posit⁴⁸¹ vel teneatur⁴⁸², nec ipsius confessioni vel affirmationi credatur vel stetur. Declarantes, quod positionibus quibuscumque ubicumque responderi debuerit positionibus vel interrogationibus in aliqua causa per aliquam personam, quae dicatur infirma vel mulier honesta sufficiat procuratorem ipsius talis qui diceretur infirmus vel mulier honesta iurare eum infirmum vel illam esse honestam. Et tunc mitatur notarius actorum ad locum in quo fuerit ipse respondere volens si fuerit in civitate Bononie vel guardia ad defferendum ei sacramentum, quod in predictis prestari debuerit et ad scribendum responsiones super ipsis positionibus per eum vel eam fiendas. Et idem in sacramento calumpnie ubi de calumpnia debuerit. Addicientes, quod si in aliqua causa fiant positiones et contingat⁴⁸³ partem positionibus respondentem negare per verba ‘non credit’ vel equipolentia⁴⁸⁴ verba aliquam positionem dependentem ex suo facto proprio et per partem adversam fuerit contra id probatum, quod pars negans incidat penam decem librarum bononinorum pro qualibet positione negata applicandam parti probanti, quam penam iudex, coram quo causa vertitur, omni iuris et facti exceptione reiecta, cogere posit et debeat partem sic negantem ad solvendum parti quae probaverit infra octo dies, postquam certum fuerit predictas probationes factas esse et fuisse.

⁴⁷⁸ <qui> segue ad iurandum depennato.

⁴⁷⁹ <adloquatur> nel testo aloquatur.

⁴⁸⁰ <debens> in sopralinea con segno di rinvio.

⁴⁸¹ <posit> corregge posint.

⁴⁸² <teneatur> corregge teneantur.

⁴⁸³ <contingat> corregge contingant.

⁴⁸⁴ <vel equipolentia> dittografato e depennato.

[9] **De capitulis dandis in causa civili. Rubrica.** [c. 171v]

Providemus, quod capitula intentionis in civili causa porrigenda dentur adversario vel eius advocato, si voluerit, ut posit super predictis capitulis facere interrogatoria et detur dilatio competens ad faciendum interrogatoria si petierit arbitrio iudicantis. Que cum facta fuerint dentur iudici coram quo causa agiptatur, ut ipsa examinet et fieri faciat ea que sibi iusta videbuntur et approbet facienda et cancellet non facienda, per se vel de consilio alicuius iurisperiti, qui sit de colegio iudicum civitatis Bononie et de eius assumptione et quod ea correxerit, constet ex actis iudicis coram quo questio fuerit. Et stetur scripture actorum continenti nomen iudicis, cui commissa fuerint interrogatoria examinanda et quod ea examinaverit. Et si aliter fuerint interrogatoria examinata vel recepti testes sine examinatione ipsorum incidat iudex, qui de causa cognoverit et notarius, qui attestaciones scripserit vel alter ex eis, qui delinquerit vel negligens fuerit⁴⁸⁵ in predictis, penam viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet eorum. Qui consultor, facta examinatione et correctione predicta, interrogatoria, que remanebunt non cancellata, exemplari faciat et ipsa interrogatoria originalia sic cancellata intercludat in dicto exemplo et sub sigillo suo sigillata tradat notario actorum. Nullus tamen consiliarius asumendus super aliquibus interrogatoriis approbandis vel reprobandis posit habere cuiuscumque quantitatis vel summe vel rei vel facti fuerit questio, pro salario suo ultra viginti solidos bononinorum pro parte. Et ab inde infra fiat⁴⁸⁶ taxactio arbitrio iudicis de causa cognoscentis, ante tamen assumptionem⁴⁸⁷ sapientis et admitantur quecumque capitula porrigenda, salvo semper, etiam si iudex non dixerit, iure impertinentium et non admitendorum capitulorum, quorum examinatio in tempus disputationum reservetur.

[10] **De testibus ab universitate non producendis nisi in certis casibus. Rubrica.** [cc. 171v-172r]

Ordinamus, quod nulla societas civium laycorum civitatis Bononie vel universitatis alicuius terre vel loci districtus Bononie habens causam cum aliqua singulari persona una vel//

[c. 172r f. CLXII]

pluribus civitatis vel districtus Bononie posint in ipsa causa producere aliquem testem de sua universitate vel societate, nisi pro dampnis datis contra personam dampnum dantem et contra illos qui se vellent defendere occasione cidadinantie, vel quia negarent se teneri ad honera comitatus et nisi in casibus⁴⁸⁸ qui et prout in statuto posito sub rubrica 'De generali satisfactione prestanda a masariis terrarum' [VI, 75] continetur, salvo semper iure comunis Bononie in suis causis. Et quod dictum est de societate et universitate locum habeat etiam in quocumque, qui ius vel causam pretenderet ab eisdem.

[11] **De probationibus solutionum vel debitorum per testes non fiendis ultra certas quantitates. Rubrica.** [c. 172r]

⁴⁸⁵ <fuerit> *corregge* fuerint.

⁴⁸⁶ <fiat> *corregge* fia.

⁴⁸⁷ <assumptionem> *segue* tamen *depennato*.

⁴⁸⁸ <casibus> *segue* in quibus *depennato*.

Ad obviandum⁴⁸⁹, ne in infrascriptis casibus falsi testes producantur in quibus facile produci consueverunt, statuimus et firmamus, quod siquis debitor fuerit alicuius ex aliqua causa pro⁴⁹⁰ quantitate, re vel facto de cuius quantitatis, rei vel facti obligatione fuerit publicum instrumentum vel alia scriptura publica vel privata, cui fides debeat adhiberi, excedente sumam seu estimationem quinqueginta librarum bononinorum, non posit probare per testes solutionem, restitutionem seu satisfactionem vel dationem in solutum talis debiti, quod peteretur ab eo in totum vel pro parte. Nec etiam quod creditor confessus fuerit sibi restitutum vel solutum debitum vel de eo satisfactum in totum vel pro parte vel quod fecerit ipsi debitori de ipso debito vel eius parte finem, quietationem, remissionem, absolutionem, restitutionem, liberationem vel pactum de ulterius non petendo perpetuo vel ad tempus vel quod cum ipso debitore super predictis transegerit vel ipsi debitori⁴⁹¹ rediderit instrumentum predictum vel talem scripturam publicam vel privatam, cancelatum seu cancellatam, incisum vel incisam vel non vel quod ipsum vel ipsam cancellaverit vel inciserit. Et etiam ex adverso siquis dicere voluerit aliquem suum debitorem esse ex aliqua causa pro quantitate vel re excedente summam vel estimationem centum librarum bononinorum vel facto principaliter in contractu vel⁴⁹² promissione deducto, cuius facti estimatio seu interesse excedat summam predictam non posit tale debitum in totum vel pro parte probari per testes et talis probatio facta vel admissa non valeat ipso iure. Salvo quod si fuerit dos promissa de dando vel restituendo vel eius augmentum vel alius contractus seu casus, de quo vel quibus debeat solvi gabella vel alius contractus seu casus, cuius cognitio spectaret ad dominos de gabela, etiam si dictam sumam seu estimationem excedat, posit probari per testes et super eis testes produci possint prout in statuto quod loquitur ‘De officio dominorum et officialium de gabella’ [III, 48] continetur. Posit etiam probari per testes, ubi petatur reddi ratio alicuius administrationis super quibuscumque ipsam administrationem tangentibus ab utraque parte vel ab altera tantum. Et etiam per testes probatio admitatur in casibus omnibus in quibus ex aliquo⁴⁹³ nostro statuto talis probatio permitatur. Preterea dicimus, quod nulla cessio alicuius iuris vel actionis realis vel personalis seu miste vel alterius cuiuscumque, que facta diceretur ex quacumque causa, titulo vel contractu seu quasi nec aliquod testamentum vel aliqua ultima voluntas per testes⁴⁹⁴ probari possit cuiuscumque summe vel estimationis existant et talis probatio facta vel admissa non valeat ipso iure. Salvo, quod si de tali cessione, testamento vel ultima voluntate vel alio casu in hoc statuto comprehenso fuerit facta publica scriptura ad ipsius scripture, que produceretur corroborationem et coadiuvationem testes produci valeant qui alias de iure admitterentur. Addicientes, quod omnibus et singulis carteselis que fierent aut facte reperiantur de solutione⁴⁹⁵ alicuius gabelle, scriptis manu notarii deputati ad officium carteselarum venditionum et dotium. Et etiam cartesellis, que fierent aut facte reperirentur de solutione fienda vel facta generali depositario comunis Bononie occasione alicuius datii vel⁴⁹⁶ alia quacumque occasione et etiam carteselis que fierent vel facte reperirentur de aliqua condempnatione vel multa scriptis manu alterius ex notariis deputatis vel deputandis ad discum Ursii et cuilibet earum plena⁴⁹⁷ fides adhibeatur et detur, non obstante, quod in eis vel aliqua earum deficiant testes, cognitor seu cognitores contrahentium et quod non

⁴⁸⁹ <obviandum> segue quod depennato.

⁴⁹⁰ <causa pro> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁴⁹¹ <debitori> segue rest depennato.

⁴⁹² <vel> segue obligationem depennato.

⁴⁹³ <aliquo> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁴⁹⁴ <testes> segue probari depennato.

⁴⁹⁵ <solutione> segue fienda vel facta depennato.

⁴⁹⁶ <vel> segue gabelle depennato.

⁴⁹⁷ <plena> corregge plenas.

sint in memorialibus et quod ab utraque parte notarius non appareat rogatus et quod deficiat signum notarii et non obstante, quod in eis deficiat nomen Pape vel Imperatoris, anni Imperatoris vel Pontificatus.//

[c. 172v]

[12] **De morte probanda. Rubrica.** [c. 172v]

Quia probationum facultas non est angustanda, sed potius amplianda et multoties contingat in hiis que de longinquo contingunt probationes non est facile reperiri provida deliberatione statuimus, quod si qua persona diceretur esse mortua longe a civitate Bononie per quinqueginta miliaria vel per spatium vigintiquinque annorum elapsorum a die, qua diceretur esse defuncta, sufficiat probari de morte illius persone, que diceretur esse defuncta per publicam vocem et famam, que fama probari debeat per tres testes ad minus maiores vigintiquinque annis, bone conditionis et fame et omni exceptione maiores. Et sufficiat talem famam esse in civitate Bononie in contrata, ubi solita erat morari ipsa persona vel sui predecessores vel in loco, ubi diceretur illam personam fore defunctam de cuius morte tractatur. Distantia vero loci similiter per famam probari posit in casibus predictis. Si vero dicatur mortua maiori tempore in civitate, comitatu vel districtu Bononie sufficiat cum sacramento mortem probare volentis, sive principalis sive procurator vel alius legitimus administrator fuerit, mortem probari per famam in contrata seu circumstanciis solite habitationis eius de cuius morte tractaretur per tres testes ad minus, maiores et conditionis ut supra, vel cum sacramento predicto per testes deponentes se fuisse presentes eius exequiis aserentes, quod tempore dictarum exequiarum publice seu comuniter dicebatur illum talem tunc fuisse sepultum seu mortuum quam diu contrarium plene non probaretur. Quo contrario probato condempnetur talis, qui mortem modis predictis vel alterro ipsorum nissus fuerit probare in quinqueginta libris bononinorum et in tantumdem quilibet testis, qui sic deposuisset per iudicem coram quo causa agiptaretur infra decem dies applicandis pro medietate camare comunis Bononie et pro alia medietate parti, contra quam talis probatio facta fuerit.

[13] **De receptione et examinatione testium producendorum in causa civili. Rubrica.** [cc. 172v-173r]

Providemus, quod quilibet notarius qui recipere debuerit et examinare aliquos testes producendos in iudicio in aliqua causa vel questione civili, que coram quibuscumque iudicibus vel⁴⁹⁸ officialibus arbitris vel arbitratoribus agiptetur teneatur ante omnia scribere nomen, prenomen seu cognomen⁴⁹⁹, testis capellam, terram seu contratam de qua se dixerit esse et omne id ex quo melius cognoscatur et diem ac locum examinationis et receptionis predicte et ipsi testi legat vulgariter id super quo producitur vel testificari debuerit et interrogetur sub iuramento per eum prestito quid⁵⁰⁰ scit de predictis et quod super eis testificari debeat veritatem. Et si dixerit, quod vera sunt vel credit vera esse que in capitulo⁵⁰¹ vel eo super quo interrogatur continentur, non scribatur tale eius dictum, sed ore proprio suo dicere debeat quid scit expresse, clare et aperte et tunc prout dixerit dictum eius scribatur incontinenti, antequam divertat ad alium actum, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum dicto notario et de ratione queratur et de aliis convenientibus dictis suis vel hiis super quibus interrogatus fuerit et alie interrogationes fiant, que in scriptis date fuerint, si per eum, qui interrogationes

⁴⁹⁸ <vel> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

⁴⁹⁹ <cognomen> *segue iudicis depennato.*

⁵⁰⁰ <quid> *segue sit depennato.*

⁵⁰¹ <capitulo> *segue continentur depennato.*

examinaverit non fuerint cancellate, que incontinenti et sub pena predicta scribantur ut supra. Et teneatur ipse examinans seu recipiens scribere propria manu omnia verba testis, nec posit vel debeat alteri committere vel in predictis aliquem coadiutorem habere, nisi fuerit de partium voluntate, sub pena cuiuslibet notario recipienti et examinanti pro quolibet capitulo, in quo contrafecerit, decem librarum bononinorum ipso facto commitenda et comuni Bononie applicanda. Providentes etiam, quod notarius actorum prestito sacramento per testes coram iudice seu officiali, qui de causa cognoverit congruo modo, loco et tempore et etiam absente eo vel extra iudicium, prestito sacramento, si hoc iudici vel officiali ex aliqua causa videretur, posit ipsos⁵⁰² testes iuratos recipere et examinare, etiam dicto iudice vel officiali absente, et omni loco et tempore etiam feriato seu solemni; alius vero notarius recipere seu examinare non posit aliquo modo, loco vel tempore, nisi sibi comitatur⁵⁰³ a nostro statuto vel a iudice vel officiali in casu eidem per nostra statuta permissio vel de partium voluntate vel ipsorum notario actorum ex alia causa verisimiliter impedito arbitrio iudicantis vel ipsis partibus discordantibus datis suspectis a partibus et extra numerum suspectorum; que commissio fieri non⁵⁰⁴ posit alicui minori viginti quinque annis vel qui non sit de societate notariorum civitatis Bononie⁵⁰⁵. Dicimus etiam, quod atestationibus testium in quacumque causa vel instantia et//

[c. 173r f. CLXIII]

coram quocumque iudice, arbitro vel arbitratore producantur ipsi testes vel attestations scribantur et in quibuscumque cartis scribantur, stetur, si notariorum vel notarii, qui testes receperint subscriptionem habuerint ac si in publicam formam reducte fuissent.

[14] De instrumentis et actis in scriptis redigendis et ipsorum copia facienda.
Rubrica. [c. 173r]

Statuimus, quod quilibet notarius teneatur instrumenta, testamenta et qualibet alias ultimas voluntates que vel quas faciet cuiuscumque quantitatis, qualitatis rerum vel facti sint vel fuerint ponere et scribere in suis rogationibus clare et aperte, ita quod tota substantia comprehendatur contentorum in instrumentis, testamentis seu ultimis voluntatibus supradictis cum pactis et obligationibus omnibus realibus et personalibus, terminis, renunciationibus et penarum adiectionibus sique intervenissent. Et eodem modo scribantur et ponantur clare et extense attestations et acta quecumque, que fierent coram prescidente alicui officio vel per aliquorum arbitrorum vel arbitratorum notarios. Et de ipsis instrumentis, testamentis et ultimis voluntatibus, actis et actestationibus facere teneantur copiam et in formam publicam exhibere et dare cuicumque petenti cuius interesset vel pro eo legiptime venienti pro competenti solutione, tunc eidem fienda secundum formam statutorum, si de eo dispositum reperiatur vel secundum formam⁵⁰⁶ statutorum societatis notariorum si de hiis statutum haberent vel arbitrio domini potestatis vel correctoris dicte societatis, qui prius adhitus fuerit per petentem copiam supradictam. Et an intersit vel non stetur declarationi iudicis qui adhitus fuerit pro predictis. Teneatur etiam predicta acta deposito salario dischi exhibere et dare iudici coram quo causa ventilatur et etiam cuicumque consultori ad petitionem partis, retento originali penes se, quod orriginale nemini tradere vel exhibere debeat, sub pena librarum

⁵⁰² <ipsos> *segue iur depennato.*

⁵⁰³ <comitatur> *segue a suo statuto depennato.*

⁵⁰⁴ <non> *segue valeat alicui depennato.*

⁵⁰⁵ <civitatis Bononie> *in soprilinea con segno di rinvio.*

⁵⁰⁶ <formam> *segue societatis notariorum depennato.*

viginti quinque bononinorum pro qualibet vice qua orriginale traderet vel exhiberet. Et cum in publicam formam redigere debuerit teneatur in principio ponere et scribere: In Christi seu Dei nomine amen, vel equipolentia verba. Ita tamen, quod ex talium verborum obmissione scriptura aliqua publica facta vel fienda non vitietur, sub pena cuiuslibet contrafacienti seu ea facere obmitenti quinque librarum bononinorum pro vice qualibet comuni Bononie applicanda. Et ad predicta omnia cogi posit et debeat quilibet talis notarius per correctorem predictum et dictum dominum vicarium ac etiam iudicem Aquile et pro quemlibet alium officialem comunis Bononie et per quemlibet seu alterum predictorum, qui fuerit adhitus ad petitionem predictorum petentium vel aliquorum pro eis comparentium simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii et quibuscumque iuris et facti remediis opportunis. Et idem quantum ad dictam copiam et exhibitionem fiendam intelligatur et fiat de instrumentis, testamentis, ultimis voluntatibus et actis seu attestationibus ab alio notario fiendis seu scripturis cuius rogationes alteri sint comisse in formam publicam redigere ut ipse notarius, cui comisse sunt vel comitentur dictam copiam et exhibitionem modo simili facere teneatur et compellatur. Item dicimus, quod heres cuiuscumque notarii vel alius quicumque penes quem reperirentur aliquae rogationes seu acta talis notarii mortui, absentis vel aliter impediti, etiam si comisse non fuerint eidem rogationes predictae seu acta teneatur et compellatur, ut supra, copiam facere rogationum ipsarum et actorum cum cautela ne dicte rogationes vel acta perdi valeant vel corumpi. Adicientes, quod aliqua acta causarum civilium vel criminalium, sententie, lauda seu arbitramenta aut compromissa non possint per testes probari, et facta probatio per testes non valeat ipso iure. Et ubicumque actorum, sententiarum laudorum vel arbitramentorum copia petatur super hiis quamvis etiam inter alios facta fuerint sufficiat petenti iurare sua vel eius pro quo peteret interesse.

[15] De rogationibus notariorum mortuorum et absentium conservandis et reficiendis. Rubrica. [cc. 173r-174r]

Ne de ceptero accidat scripturas, rogationes et protocola notariorum defunctorum vel absentium et aliorum, quos mori vel extra civitatem et districtum Bononie morari contingerit lacerari, occultari vel deficere in preiudicium aliquorum, statuerunt et providerunt, quod quicumque habens penes se rogationes vel derogationibus, scripturis vel protocolis alicuius notarii mortui vel comorantis extra civitatem vel districtum Bononie, que tali habenti comisse non sunt reficiende et autenticande, illas presentare teneatur domino potestati vel eius vicario infra decem dies post cridam et proclamationem ad hoc fiendam, sub pena centum librarum bononinorum. Qui dominus potestas vel eius vicarius ipsas rogationes et protocola de consensu eius, qui illa presentaverit ac heredis//

[c. 173v]

notarii, ubi de herede tractaretur, cuius rogationes presentate essent, si ipsius heres haberi poterit in civitate vel districtu predictis vel saltem ad hoc requisitus, comitere teneatur et posit alteri sufficienti et legali notario de societate notariorum civitatis Bononie autenticanda, reficienda et conservanda secundum morem et consuetudinem ipsius notarii principalis. Salvo quod si heres notarii mortui reperiat notarius et de collegio notariorum civitatis Bononie, illa retinere possit autenticanda et servanda ex commissione et auctoritate domini potestatis vel eius vicarii, nisi ipse heres suspectus esset circa earum custodiam de predictis vel minus expertus in arte predicta. Rogationes autem, protocola et scripture aliorum notariorum, quos deficere vel mori contingerit extra civitatem vel districtum predictos quilibet penes quem remanebunt vel reperiantur

sive heres vel extraneus fuerit et tutor⁵⁰⁷, curator et administrator talis heredis infra decem dies postquam defecerit vel se absentaverit ipsas rogationes presentare et producere teneatur eidem domino potestati vel eius vicario. Qui dominus potestas vel eius vicarius illa comitere teneatur reficienda, autenticanda et conservanda modo et ordine supradictis. Quilibet vero notarius habens comissionem et licentiam reficiendi scripturas aliquas vel rogationes alicuius notarii infra decem dies postquam fuerit proclamatum et quicumque alius notarius, qui de ceptero similem comissionem habebit infra decem dies postquam sibi comisse erunt teneatur, sub pena centum librarum bononinorum cuicumque ex predictis obmitenti accedere coram correctore et consulibus societatis notariorum civitatis Bononie, vel aliquibus ex eis, et illis stipulantibus nomine societatis predictae et cuiuscumque, cuius interesset, promissionem et cautionem facere etiam per ydoenum fideiussorem de rogationibus et scripturis sibi comis custodiendis et salvandis et de ipsis autenticandis et reficiendis secundum consuetudinem notarii principalis. Corrector autem et consules societatis predictae, seu aliqui ex eis, qui pro tempore fuerint, teneantur a quocumque et a quibuscumque notariis comissionem de talibus habentibus et ab aliis, quos contingerit similem comissionem habere, iustam recipere cautionem et fideiussionem predictam. Et nichilominus quicumque notarius obmitens cogi⁵⁰⁸ posit omni tempore ad predictam cautionem et fideiussionem faciendam et prestandam coram eis summarie et de facto omnibus remediis opportunis et ipsas cautiones et fideiussiones in uno libro seu volumine custodiendo et remanendo penes dictam societatem scribi facere teneantur per notarium dicte societatis aut correctorem, qui pro tempore erunt. Nulli quidem alicuius conditionis vel sexus liceat cum licentia vel sine, rogationes, scripturas, acta vel protocola alicuius notarii mortui vel viventis, nisi dumtaxat instrumenta autentica portare vel defferri facere extra districtum Bononie aut in ipsa civitate vel eius districtu seu extra lacerare, occultare, laniare, abradere, cancellare vel deturpare vel alicui usui deputare vel deputatas retinere aliquo modo, pretestu vel causa, sub pena unicuique⁵⁰⁹ contrafacienti trecentarum librarum bononinorum et nichilominus teneatur ad interesse cuiuscumque lesi dicta de causa, cuius pene medietas applicetur comuni Bononie et reliqua medietas denunciatori. Que pena per dominum potestatem Bononie summarie et de facto exigi debeat a quocumque etiam semiplena fide habita de predictis. Item providerunt in quolibet casu, quo dubitaretur aliquam scripturam esse vel fuisse rogationem vel de rogationibus seu protocolis alicuius notarii mortui vel qui de ceptero morietur quod tunc talis scriptura presentari debeat coram vicario domini potestatis, qui pro tempore fuerit per illum penes quem fuerit vel alium quemcumque. Et quod ipse vicarius ex suo officio, facta comparatione dicte scripture cum aliis scripturis dicti notarii, si que haberi poterint vel alia fide habita, que ipsi vicario sufficere videbitur, quod ipsa scriptura sit et fuerit de protocolis et rogationibus talis notarii ipse dominus vicarius pronunciet et declaret etiam si sibi videbitur nullo instante et petente talem scripturam esse et fuisse de protocolis et rogationibus talis notarii de quo ageretur. Et huic pronuntiationi stari debeat, nisi contrarium probaretur. Et idem intelligatur et servetur et fiat de rogationibus et scripturis cuiuscumque notarii Bononie absentis, qui absens steterit a civitate⁵¹⁰ et districtu Bononie saltem per unum annum in omnibus supradictis in quantum adaptari possint. Et quia in camara actorum aliqui libri et quaterni reperiuntur sine titulis et nominibus

⁵⁰⁷ <tutor> segue et depennato.

⁵⁰⁸ <cogi> sul margine laterale destro con segno di rinvio.

⁵⁰⁹ <unicuique> corregge unicuique.

⁵¹⁰ <civitate> segue Bononie cassato per espunzione e depennamento.

eorum, qui eos scripserunt, providerunt, quod notarii et⁵¹¹ officiales, qui nunc sunt vel tempore erunt⁵¹² officio dicte camare teneantur precise ipsos libros et quaternos// [c. 174r f. CLXIII]

carentes titulis et subscriptionibus predictis ac etiam compellantur ad petitionem cuiuscumque producere coram vicario domini potestatis Bononie, qui pro tempore erit. Et hiis sic productis teneatur ipse vicarius summarie inquisitionem facere et informationem recipere per fide dignas probationes per quem et quos scripti fuerint et quo tempore et in quo officio, et plena et sufficiente fide facta de predictis, ipse vicarius pronunciet et declaret per quem et quos et quando scripti fuerunt et in quo officio et huic tali pronunciationi stetur, nisi contrarium probaretur et tali libro et sumpto per notarium camare plena fides adhibeatur ac si in eo titulus et subscriptio notarii, qui talem librum seu quaternum scripserit apositus seu apposita fuisset. Que pronunciatio et scriptura ipsius pronunciationis scribi debeat in libro seu quaterno predicto. Hoc autem statutum corrector et consules societatis notariorum conscribi facere teneantur in volumine statutorum dicte societatis et singulis sex mensibus in consilio vel corpore eorum societatis legere seu legi facere. Et nichilominus procurare, quod dominus potestas Bononie in palatio dicti comunis tempore iuridico et per civitatem Bononie contenta in hoc statuto faciat proclamari, ut horum notitia plenissima habeatur. Addicientes, quod nullus cartolarius, spetiarius, lardarolus, merçarius vel aliquis alius cuiuscumque conditionis et status existat, audeat vel presumat emere vel alio titulo acquirere vel radere vel radi facere vel abolere vel aboleri facere vel lacerare vel lacerari facere aliquas rogationes vel protocola aliqua vel acta vel scripturas publicas, sub pena cuilibet contrafacienti quinqueginta librarum bononinorum. Et quilibet posit acusare et denunciare et habeat medietatem condempnationis. Et per dominum potestatem Bononie posit inquire de predictis.

[16] De iudiciis divisoriiis et quomodo in eis procedatur et aliis⁵¹³ diversis capitulis. Rubrica. [cc. 174r-175v]

Ordinaverunt, quod si questio, lix vel causa occasione finium antiquorum vel de novo apponendorum in aliquo certo loco alicuius rei oriretur inter aliquas personas vel universitates, qualis qualis petitio porrigatur coram vicario domini potestatis vel eius iudice officio Aquile deputato vel coram officialibus comunis Bononie alicui disco ad civiles causas deputatis seu prescientibus, qua petitione porrecta, citata parte contra quam dicta petitio⁵¹⁴ porrigetur, secundum formam statuti nostri 'De modo citationum fiendarum' [2] parte rei comparente detur per officialem, qui adhitus fuerit ipsi reo vel alii pro eo legiptime comparenti prius legiptimatione personarum precedente, si de personis fuerit contentio, dilatio arbitrio iudicantis ad respondendum dicte petitioni, quo termine elapso, omnibus exceptionibus reiectis, teneatur pars rei omnino respondere dicte petitioni parte actoris hoc petente, quarum exceptionum disputatio salva sit tempore disputationum fiendarum super diffinitiva cause principalis; qua responsione facta dicte petitioni vel non, elapso dicto termino dato ad respondendum petitioni procedatur in causa ac si foret dicte petitioni legiptime contradictum et procedatur parte actoris vel rei petente ad dilationes ordinandas, arbitrio eius coram quo causa⁵¹⁵ agetur et ad probationes et inspectionem finium fiendam, si opus fuerit, per eum coram quo

⁵¹¹ <et> segue alii depennato.

⁵¹² <erunt> in sopralinea con segno di rinvio.

⁵¹³ <aliiis> corregge alliis.

⁵¹⁴ <dicta petitio> sul margine laterale destro con segno di rinvio.

⁵¹⁵ <causa> sul margine laterale destro con segno di rinvio.

causa agetur vel per bonos et legales magistros qui in predictis questionibus sint periti ab eo qui de predictis cognoverit elligendos datis confidentibus a partibus, si partes de uno, vel pluribus concordarent vel elligendos ab ipsis partibus si adinvicem concordarent expensis utriusque partis et ad omnia alia fienda que pertinerent ad cause expeditionem. Que inspectio fieri debeat etiam partibus presentibus vel absentibus ita quod omnimode infra tempus instantie ordinate supra in statuto posito sub rubrica ‘De vocatis in iure et venientibus’ [4] per diffinitivam sententiam causa terminetur. Que locum habeat utraque parte saltem ab innitio per se vel alium comparente. Si autem pars citata secundum formam dicti statuti ‘De modo citationum fiendarum’ [2] pro se vel alium legiitime non compareat parte actoris⁵¹⁶ petente detur curator liti demum elapsis octo diebus a die citationis de reo facte, qui rem defendat etiam non facto inventario quod facere non teneatur cui curatori detur dilatio arbitrio iudicantis ad respondendum petitioni quo elapso sive fuerit contradictum petitioni sive non parte actoris petente ad ulteriora cause procedatur cum ipso curatore, salvis omnibus exceptionibus que veniant disputande, ut supra dictum est; et causa omnimode infradictum tempus terminetur ut supra. Et valeant agiptata cum curatore ac si facta forent cum principali prius citato et legiitime comparente, hiis tamen casibus quibus cum curatore proceditur, posit reus per se vel alium adesse cause et docere de iure suo, ita⁵¹⁷ tamen quod cause deffinitio ultra dictum tempus instantie ordinate protelari non valeat ullo modo. Et//

[c. 174v]

si aliquis syndicus vel massarius alicuius terre vel aliqua alia singularis persona dixerit coram aliquo ex dictis iudicibus vel officialibus in aliquo loco guardie, comitatus vel districtus Bononie se habere possessiones quarum fines⁵¹⁸ asserat se ignorare teneatur alter ex predictis qui adhitus fuerit inquirere de ipsarum possessionum confinibus per seniores vel alios illius terre in qua dicte possessiones site reperiuntur et secundum quod per dictam inquisitionem reperierit vel eidem aliis probationibus legiitimis constiterit partibus requisitis et procedendo et terminando, ut supra, dictos fines poni facere teneatur quibuscumque remediis opportunis, auxilio etiam domini potestatis adhibito, qui requisitus illud prestare teneatur. Et quia communio consuevit excitare discordias et nemo invitus in comunione debeat permanere, providerunt, quod si inter aliquos divisio alicuius hereditatis vel sucessionis vel alicuius rei mobilis vel immobilis que comunis fore asseratur vel comuniter foret posessa coram altero ex predictis fieri postuletur et super hoc petitio porrigatur parte provocata legiitime citata, ut supra et comparente legiitime et possessionem et comunionem non negante, teneatur, qui ex predictis fuerit adhitus ad divisionem procedere modo infrascripto et ordine videlicet quia si pars provocans voluerit partes equales facere et fecerit et ellectionem dederit provocato, teneatur omnino pars provocata unam partem elligere infra octo dies a die mandati sibi facti de ellectione fienda. Et si infra dictum terminum non ellegerit per se vel alium ad ipsum provocantem ellectio devolvatur et eius ellectioni stetur, si tamen pars provocata infra dictum terminum dixerit partes factas non⁵¹⁹ esse equales⁵²⁰, tunc vel postea infra terciam diem ille, qui fuerit adhitus elligat duos bonos viros expertos in talibus de quibus partes concordaverint⁵²¹ vel si concordet non fuerint, datis confidentibus a partibus, si dare voluerint alias etiam non datis confidentibus, qui elligendi debeant partes factas examinare. Et si equales videantur eisdem et hoc si

⁵¹⁶ <actoris> segue comparente depennato.

⁵¹⁷ <ita> segue il compendio di quod depennato.

⁵¹⁸ <fines> segue la lettera s cancellata.

⁵¹⁹ <non> in infralinea.

⁵²⁰ <equales> corregge inequales.

⁵²¹ <concordaverint> corregge concordarent.

assererint electi, stetur eorum declarationi et provocatus omnino elligere teneatur infra tres dies a die mandati⁵²² de novo sibi de ipsa electione fiendi. Si vero partes eisdem videantur inequales, ipsas adequare teneantur et eorum adequationi stetur et pars provocata elligere teneatur, ut supra. Et ipsa non elligente infra tres dies electio ad provocantem devolvatur ut supra et pars per eum electa ad ipsum deveniat et alia remaneat provocato, que partes ut electe fuerint per eum, qui fuerint adhitus prout cuilibet ex electione predicta obvenerint pro diviso adiudicari debeant. Si vero pars provocans partes non fecerit, tunc procedatur ad dandum dilationem ad respondendum petitioni et ad alia ut supra. Et is coram quo causa agetur ex suo officio, ut crediderit convenire, partes equales faciat vel fieri faciat per elligendos, ut supra et in ipsas partes sors mitatur et cuilibet prout sors atulerit alteram ex dictis partibus pro diviso adiudicare teneatur. Si tamen provocatus voluerit facere et fecerit partes equales de rebus super quibus fuerit contentio et electionem dederit provocanti, teneatur provocans omnimode infra quinque dies a die date electionis unam partem elligere. Et si ellegerit per se vel alium infra dictum terminum eius electioni stetur et pro diviso ipsa pars ei adiudicetur et alia pars adiudicetur alteri parti. Si vero non ellegerit infra dictum terminum per se vel alium electio devolvatur ad ipsum provocatum et eius electioni stetur. Sed si pars provocans dixerit partes fore inequales, elligantur ut supra duo boni viri, qui debeant examinare predictas partes. Et si equales videbuntur et hoc retulerint, stetur eorum relationi et provocans omnino elligere teneatur infra tres dies a die mandati sibi de novo fiendi. Si vero eisdem elligendis partes videantur inequales, ipsas adequare teneantur et ipsorum adequationi stetur et pars provocans elligere teneatur infra tres dies qua non elligente infra dictos tres dies electio ad ipsum provocatum devolvatur et fiat ut supra. Et si res dividi postulatur, que comode non recipiat divisionem uni rem adiudicet et alteri⁵²³ sue partis iustam estimationem dari facere teneatur electione data provocato velit rem vel estimationem si provocans talem divisionem rei et estimationis fecerit alias sorte dirrimatur ut supra. Si autem pars provocata et citata legitime ut supra non comparuerit, petente parte provocante, teneatur, qui adhitus fuerit elapsis octo diebus ut supra dare curatorem liti, qui absentem defendat, cum quo curatore etiam inventarium non faciente ut supra procedatur in causa principali ut supra dictum est in premissis casibus fore procedendum. Et valeant agitata cum eo ac si essent cum principali legitime comparente acta facta, fiat et terminetur ut supra. Ubi autem⁵²⁴//

[c. 175r f. CLXV]

provocatus comparens per se vel alium legitime negaverit provocantem res, que comunes dicuntur, possidere saltem pro parte in petitione contenta et de hiis cum ipso provocante comunione habere provocans vero dicat se possidere et comunione habere vel saltem se possidere, tunc procedatur et terminetur et in omnibus et per omnia fiat, ut supra dictum est, lite de finibus mota parte utraque comparente in quantum posit predictis adaptari. Si vero plures fuerint ad divisionem provocati et aliquis vel aliqui compareant et aliquis vel aliqui non eo casu procedatur cum comparente seu cum comparentibus ut supra; et pro non comparentibus⁵²⁵ detur curator liti, cum quo procedatur et causa terminetur ut supra, ubi habetur mentio, quando curator detur. In quolibet autem casuum premissorum sive de finibus sive de divisione agatur iudex, qui de predictis cognoverit, posit et debeat de personalibus prestationibus si hoc petatur cognoscere in eodem iudicio et modo et tempore et forma predictis terminare. Nec posint possessores rei comunis pro indiviso sibi ad invicem alicuius temporis prescriptionem

⁵²² <mandati> segue facti depennato.

⁵²³ <et alteri> dittografato.

⁵²⁴ <autem> di seguito sul margine destro.

⁵²⁵ <comparentibus> corregge comparenti.

opponere in predictis. Ubi autem alter insolidum possideret vel quilibet partem pro

opponere in predictis. Ubi autem alter insolidum possideret vel quilibet partem pro

opponere in predictis. Ubi autem alter insolidum possideret vel quilibet partem pro

per eum, qui de predictis cognoverit quodcumque tempore etiam feriato, nisi in honorem Dei vel propter exercitum vel cavalcatam vel quia palatium comunis steterit clausum feriatum reperiatur. Idem etiam servetur et fiat si reperiatur aliquem habere puntam, gaydam, imganbaturam vel cocam duarum tornaturiarum vel minus inter seu intra terram seu vineam alicuius, qui ter tantum habeat quam fuerit dicta coca, gayda, punta vel ingambatura, ut ille, qui cocam vel aliquod predictorum habuerit volenti emere iusto pretio vendere compellatur. Et in procedendo et terminando parte comparente vel non predicta debeant observari. Preterea dicimus idem fieri et observari debere in procedendo et terminando et ceteris aliis si minorem partem habens vendere voluerit habenti maiorem partem ut iusto pretio maiorem partem habens omnino emere compellatur. Quod pretium in quolibet casuum predictorum boni viri arbitrio statuatur. Et si vendicio ab aliqua partium⁵²⁷ non postuletur, set dicta predia modo debito driçari petantur de ipsa punta, gayda vel ingambatura seu coca. Is coram quo petitio porrigetur ipsum driçari faciat permutando habita ratione melioramenti utriusque. Et si coacto venditori vel permutatori in aliquo casuum predictorum cum quo coca, punta, gayda vel ingambatura vendi vel driçari petetur remanserint tres tornaturie in vinea vel sex in aliis possessionibus vel minus et voluerit vendere ei, qui cogi petierit eum vendere vel permutare. Is qui cogi petierit⁵²⁸ emere iusto pretio compellatur, quod si facere denegaverit non cogatur aliter ad vendendum vel permutationem faciendam presentialiter vel in futurum. Dicimus etiam, quod si reperiatur⁵²⁹ unum vel plures habere duas tornaturias vinee vel quatuor terre vel ab inde supra et non habuerit viam que pro via semper stet abilis ad usum vie, qui fuerit aditus pro predictis, teneatur viam facere fieri per locum comodiorem utriusque. Et ei per cuius fundum via construatur iustum pretium boni viri arbitrio dari faciat. Et si plures vicini sint, qui viam non habeant compelli posint et debeant ad petitionem cuiuslibet vicinorum de ipsorum terreno comunem viam ipsorum facere ubi melius et comodus fieri poterit. Ad quam viam quilibet vicinorum conferre teneatur pro rata tereni pro cuius aditu via necessaria videretur terreno tam vie quam alio pro quo conferri debet estimatio arbitrio boni viri. Que proximis casibus dicta sunt locum habeant, nisi defectu viam petentis factam fuerit, quominus via solita habeatur. Statuentes, quod dicta omnia in quolibet casuum predictorum in hoc statuto comprehensorum locum habeant in maioribus et in minoribus cuiuscumque etatis provocantibus vel provocatis dum tamen adsit tutor vel curator, ubi adesse debeat. Et in hiis et quolibet eorum posit et debeat procedi⁵³⁰ summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii omni tempore. Ita tamen, quod dicte cause omnino terminentur infra tempora superius limitata. Si vero aliquis haberet possessionem ex utraque parte alicuius vie publice vel vicinalis et via non esset recta posit ipse talis possessiones hiis ex utraque parte dictam viam driçare per suum terrenum in ea latitudine in qua erat predicta via driçando eam suis expensis et sine incomodo vicinorum et aliorum habentium ire et redire per dictam viam dummodo predicta non se estendant ad stratas magistras, nisi in quantum procederet de voluntate dominorum ancianorum.

[17] **De prescriptionibus. Rubrica.** [cc. 175v-176v]

Statuimus, quod siquis creditor alicuius persone vel universitatis maior vigintiquinque annis ex contractu mutui, depositi vel pecunie date ad laborandum vel ex promissione facta ex causa cambii seu emptionis vel venditionis alicuius monete vel

⁵²⁷ <partium> segue postuletur depennato.

⁵²⁸ <petierit> segue cum cassato per espunzione.

⁵²⁹ <reperiatur> segue unus vel plures depennato.

⁵³⁰ <procedi> segue de plano depennato.

alicuius quantitatis vel ponderis auri vel argenti vel aliorum metallorum vel alicuius rei mobilis vel bovm seu aliorum animalium locatorum ad laborandum seu in socidam vel ex precepto recepto a debitore vel ex sententia diffinitiva lata contra debitorem vel ex compromisso, laudo seu arbitramento ratione rei vel facti seu pene vel ex iure cesso in aliquo casuum predictorum vel in eo cui diceretur aliquid deberi pro aliqua solutione quam fecisset comuni Bononie animo recuperandi seu in locum comunis Bononie successisset steterit per quinquenium a die qua effectualiter sibi competierit ius agendi, quod non petierit seu postulaverit debitum faciendo ad minus citari semel inventum vel bis non inventum per diversos nuncios et diversis diebus et cridari per unum alium nuntium vel banniri debitorem suum unum vel plures vel debitore petitioni respondente vel creditore tenutam accipiente de bonis per debitorem possessis etiam si contingat ipsam tenutam revocari vel nullam pronunciari prescriptione quinquenii a petitione de// [c. 176r f. CLXVI]

biti creditor excludatur si iuraverit debitor debitum esse solutum, quod petitur vel non fuisse sibi vel ei cui successit datum, factum vel solutum id quod petitur, nixi debitor, elapso quinquenio predicto, debitum ipsum agnoverit maxime affirmando seu confitendo se esse debitorem vel prestando licitum reditum ipsi creditori; quibus casibus non currat postea ipsa prescriptio quinquenii. Salvo, quod predicta locum non habeant in contractu depositi facti per eum qui tempore contractus fenus publicum non exercuerit. Debitorem autem intelligimus ipsum, qui in sua persona se obligavit et heredem eius maiorem vigintiquinque annis vel minorem, adultum iurantem cum auctoritate curatoris vel cum consensu patris vel alterius in cuius potestate esset, si erit pubes, vel si erit impubes iurante eo in cuius potestate esset, vel pupili tutore iurante seu ipsum maiorem iurantem se vel illum, cui successit, solvisse in sua persona debitum vel factum, quod petitur fecisse vel interfuisse solutioni seu facto vel scire veritatem, quod non fuit datum vel numeratum quod petitur vel ipsum adultum iurantem cum auctoritate curatoris vel eius in cuius potestate fuerit forma predicta vel tutorem pupili heredis⁵³¹ ut premititur iurantem. Item dicimus, quod siquis qui tutorem vel curatorem habuerit, finita tutela vel cura, effectus maior vigintiquinque annis vel eius maioris vel minoris heres maior steterit per duos annos, quod non petierit seu non postulaverit in iudicio sibi reddi rationem administrationis tutele vel cure et reliqua consignari ab eo qui fuerit tutor vel curator vel ab heredem eorum faciendo ad minus citari et cridari vel banniri ut supradictum est vel ipso tutore vel curatore vel eorum heredibus petitioni creditoris respondentibus vel creditore tenutam accipiente, ut supra, ab omni petitione rationis administrationis, tutele vel cure et reliquorum consignationis, prescriptione biennii excludatur si tutor vel curator vel ipsorum vel alterius eorum heredes ut supra iuraverit se in aliquo non teneri, nisi tutor vel curator vel eorum heredes post lapsum dicti biennii agnoverint debitum ut supra est dictum. Idem per omnia dicimus, si is qui fuerit tutor vel curator vel ipsius heres maior vigintiquinque annis steterit per biennium finita tutela vel cura, quod non petierit seu postulaverit ut supra dictum est ab eo cuius tutor vel curator fuerit vel ab heredibus eius quod sibi debebatur ratione dicte administrationis ab ipso cuius tutelam vel curam gessit. Et idem per omnia dicimus in herede furiosi, dementis vel mentecapti vel prodigi et eorum vel alterius eorum curatore et ipsius curatoris herede. Idem etiam dicimus per omnia in eo qui gessit negotia alterius et in eo cuius negotia gesta sunt in iudicio vel extra, cum mandato vel sine, ut prescriptione quinquenii debitor liberetur, eodem debitore iurante, ut supra. Salvo in quolibet casuum predictorum, quod si qualiscumque absentia creditoris vel debitoris vel heredis ipsorum vel alicuius eorum a civitate et districtu Bononie infra predictum quinquenium vel

⁵³¹ <heredis> *segue iurantem depennato*.

biennium intervenerit tempus ipsius absentie vel absentiarum non computetur in prescriptionibus predictis, nec prejudicet creditori vel ipsius heredi. Si vero debitor fuerit in banno positus infra dictum quinquenium vel biennium vel preceptum factum de solvendo vigore sententie late contra ipsum debitorem prescriptione aliqua quinquenii vel biennii, postea sequentis nullatenus adiuvetur. Si vero solum citatus et cridatus ut supra fuerit vel cum eo lix contestata vel quasi vel simplex contradictio petitioni ipsius creditoris estiterit facta vel tenuta data, ut supra, et creditor per aliud quinquenium⁵³² vel biennium postea steterit, quod non fecerit infra sequens biennium seu quinquenium citari et requiri vel banniri seu litem non fuerit contestatus vel quasi vel contradictio non fuerit facta petitioni vel tenutam non acceperit, ut supra, eodem modo prescriptione quinquenii et biennii excludatur et sic sucessive procedat. Si vero ignoretur de herede debitoris sufficiat debitorem et eius heredem ad interruptionem predictam fiendam citari ad domum ultime solite habitationis dicti defuncti presentibus duobus testibus adhibitis citationibus et cridis. Adicientes, quod beneficio huius statuti in aliquo casuum predictorum renunciari non posit et renunciatio fienda non valeat etiam si fuerit iuramento firmata, quod iuramentum prestari prohibemus. Item dicimus, quod⁵³³ quilibet habens partem in aliqua turri, licet eam non habitaverit vel possederit, sed consortes eius vel alii a iure suo nulla prescriptione temporis excludatur. Preterea dicimus, quod predicta vel eorum aliquod contra comune Bononie non vendicent sibi locum. Et hoc statutum in preteritis et futuris habeat locum, ita quod in preteritis⁵³⁴ incipiant currere dicte prescriptiones solum a die qua presencia statuta incipient sumere vires, nisi iam dictarum prescriptionum tempora cuncurrissent in quibus statuta et alia iura//

[c. 176v]

vetera serventur, comuni vero Bononie predicto sive soli sive cum alio vel aliis obligato eiusque coreo seu coreis vel fideiussori aut fideiussoribus etiam in preteritis sententia vel amicabili compositione vel alio remedio non decisis dictam quinquenii prescriptionem concedimus non obstante absentia creditoris. Statuimus etiam, quod mulieri vel alii cui aliqua dos vel dotis augmentum deberet restitui quam diu duraverit matrimonium in aliqua actione reali vel personali pro eis competente contra personam vel in bonis obligatis per quemcumque possessis, nulla currat vel cucurrisse intelligatur prescriptio, etiam si videatur maritum vel alium ad dotem vel augmentum obligatum vergere vel vergisse ad inopiam et male incoare vel incoasse uti substantia sua. Et hoc habeat locum in presentibus matrimoniis et futuris. Addicientes, quod nulla prescriptio seu lapsus temporis cucurrisse intelligatur a milesimo trecentesimo quinquagesimo nono⁵³⁵ a calendis mensis decembris dicti milesimi citra usque ad annos Domini milesimi trecentesimi sexagesimi octavi exclusive. Nec etiam a calendis mensis iunii milesimi trecentesimi septuagesimi tercii, usque ad mensem novembris dicti milesimi inclusive propter mortalitatem, tunc imminentem in civitate vel comitatu Bononie. Nec etiam⁵³⁶ a calendis ianuarii milesimi trecentesimi septuagesimi sestii usque ad calendas mensis marcii milesimi trecentesimi septuagesimi octavi⁵³⁷ propter guerram imminentem in civitate et comitatu Bononie, sed dicta tempora de medio subducantur et subducta esse intelligantur, salvo quod dictum est supra de comuni Bononie coreo vel eius fideiussore. Et salvo quod predictae deductiones temporum non vendicent sibi locum

⁵³² <quinquenium> *segue steterit depennato.*

⁵³³ <quod> *segue aliquis habens cassato.*

⁵³⁴ <preteritis> *segue locum habeant depennato.*

⁵³⁵ <nono> *su rasura.*

⁵³⁶ <etiam> *segue la lettera c cancellata.*

⁵³⁷ <octavi> *corregge octa.*

in exactione alicuius datii vel gabelle, sed statutum ‘De exactione datiorum’ [II, 10.2] vendicet sibi locum.

[18] De eo qui alienaverit seu possidere desierit rem super qua movebatur questio vel moveri speraretur. Rubrica. [c. 176v]

Statuimus, quod si quis, oblata petitione coram iudice et penes⁵³⁸ notarium actorum dimissa, citatus fuerit in iudicio ad petitionem ancianis super aliqua actione ypotecaria vel alia reali actione vel mista vel personali eo quia dicatur possidere vel detinere rem petendam ab ipso mobilem vel immobilem et rem illam a se petendam alienaverit vel iura, super quibus verteretur questio cesserit vel quocumque genere alienationis ipsa die citationis vel postea in aliquam singularem personam⁵³⁹, collegium seu universitatem transstulerit vel ingnorante eo, qui fecit ipsum vocari in iudicium substinuerit contra se ferri sententiam ad petitionem alicuius super ipsa eadem re, ita quod desierit possidere⁵⁴⁰ vel aliter dolo, culpa vel facto suo desierit possidere post citationem predictam vel, petitione oblata et parte citata ut supra, rem petitam destruxerit vel deterrioraverit vel destrui seu deteriorari⁵⁴¹ fecerit vel permiserit, qui dolus et culpa semper presumatur, nisi contrarium probaretur, teneatur⁵⁴² non obstantibus predictis super eadem re de iusticia respondere et perinde ac si possideret per iudicem questio terminetur. Et si feratur sententia contra ipsum conventum mandetur sententia executioni contra ipsum et eius bona et personam secundum iura ac si dolo desierit possidere. Et nichilominus in ipsa re contra principalem, si postea possidere reperiretur et alium quemcumque possessorem ius victori ad cuius petitionem dicta citatio emanaverit salvum remaneat, non obstante tali alienatione vel sententia lata contra dictum citatum supra eadem re ad petitionem alterius cuiuscumque vel quod desierit possidere, ut supra. Que alienatio et sententia quam substinuerit contra se ferri ingnorante parte, ut supra, sit ipso iure nulla, quam nullitatem venditor contra emptorem allegare non possit, nec contra habentem causam ab emptore. Et qui alienaverit vel contra se talem sententiam expectaverit vel ut supra possidere desierit vel rem ipsam destruxerit seu deterioraverit vel destrui vel deteriorari fecerit vel permiserit penam incidat ipso facto centum librarum bononinorum comuni Bononie applicandam pro dimidia et pro dimidia parti in cuius preiudicium predicta fierent vel facta essent et de facto exigenda per potestatem⁵⁴³ Bononie et executio fiat in re alienata contra possidentem et eandem penam incurrat qui scienter emerit vel ex alio titulo receperit vel talem sententiam se scienter meruerit ingnorante eo, qui fecerit primo citari. Que omnia locum habeant, nisi quatenus de ipsius citari facientis processerit voluntate vel nisi pro ipso citato lata fuerit sententia, que remedio nullitatis vel appellationis non valeat revocari vel nisi foret perempta instantia cause, que post primam citationem sequeretur vel post ipsius citari facientis negligentiam non prosequentis causam. Que negligentia semper presumatur, si infra tempora duorum mensium dicta causa non fuerit terminata, in hiis diebus feriatis non computatis.⁵⁴⁴//

[c. 177r f. CLXVII]

⁵³⁸ <penes> segue actorum dimissa depennato.

⁵³⁹ <personam> segue vel depennato.

⁵⁴⁰ <possidere> segue post citationem predictam vel petitionem oblatam et parte citata ut supra *cassato per vacatazione*.

⁵⁴¹ <deteriorari> *corregge* deterioraverit.

⁵⁴² <teneatur> segue supradictis depennato.

⁵⁴³ <per potestatem> *dittografato e depennato*.

⁵⁴⁴ *Sul margine inferiore della carta: de confidentibus et suspectis.*

[19] **De confidentibus et suspectis consiliariis per partes dandis in causis.**
Rubrica. [cc. 177r-177v]

Placet, quod quocienscumque elligendi vel asumendi erunt unus vel plures consiliarii super aliquibus interlocutoriis vel diffinitivis una vel pluribus, quod ille vel illi consiliarii elligantur de quibus partes expresse fuerint in concordia, sed si non essent partes in concordia, tunc dicimus debere precipi partibus per iudices seu officiales de tali causa cognoscentes, quod debeant dare confidentes iudices et posit quelibet partium dare, usque ad quantitatem decem ad plus. Et comitatur uni vel pluribus confidentibus in quem vel quos partes concurrerent, salvo quod si esset ardua causa vel questio possint dari usque ad quindecim confidentes pro qualibet parte. Et asuntis consiliariis de numero confidentium deponantur penes notarium coram quo fuerit questio et stent apud ipsum notarium et per eum in actis scribantur. Quibus nominibus depositis notarius teneatur copiam facere partibus petentibus. Si vero inter confidentes non reperirentur aliqui in quos partes ambe viderentur asentire, tunc iudex vel officialis coram quo fuerit questio, posit dare consiliarios, prius datis suspets a partibus, quibus non liceat pro suspectis dare ultra numerum quinque suspectorum pro qualibet parte. Ubi autem partes confidentes vel suspectos dare noluerint vel non dederint iudicis arbitrio elligantur, sed si suspectos tantum dederint vel una pars suspectos et altera confidentes, tunc extra numerum suspectorum et confidentium elligatur. Et idem si non fuerint dati confidentes. Et⁵⁴⁵ ipsi consiliarii debeant consulere super eo super quo asumentur. Et si non consuluerint nichilominus teneantur pro ipso eodem salario consulere super eo super quo assumptus vel assumpti essent sapientes sive consiliarii sive unus sive plures fuerint consiliarii. Preterea dicimus, quod si aliqua obscuritas vel ambiguitas esset in aliquo consilio dato, quod idem consiliarii unus vel plures, qui consilium dederint, teneantur declarare illud ante sententie prolationem, sine aliquo alio salario ei vel eis dando vel concedendo vel post prolationem sententie eadem die si supersit de instantia. Et habeant locum predicta omnia in causis civilibus et criminalibus ubi consiliarii asumentur. Et quocienscumque debebunt assumi aliqui consiliarii asumantur partibus presentibus vel saltem ad hoc citatis, ad hoc ut sciant nomina consiliarii vel consiliariorum assumptorum. Et predicta habeant locum ubi sint partes ad invicem litigantes, ubi autem solum pro una parte agetur sine contradictore vel questio interveniat et debeant unus vel plures consiliarii assumi super questione decidenda, tunc possint dari suspecti a parte et assumi debeant sapientes extra suspectos. Et dicimus quod nullus possit assummi in consultorem alicuius questionis vel ad colloquium vel ad asociationem alicuius pro aliqua causa vel questione, nisi fuerit de colegio iudicum civitatis Bononie et conscriptus in eorum matricula et civis civitatis Bononie orrigine propria paterna et avita vel saltim duabus ex eis et etiam faciat et fecerit publicas factiones cum civibus civitatis Bononie ipse cum suis ascendentibus. Et si de ipsius prohibiti consilio, colloquio vel asociatione lata fuerit sententia interlocutoria vel diffinitiva non valeat ipso iure. Adicientes, quod assumptio vel asociatio consiliariorum vel forma ipsius electionis vel assumptionis vel colloqui vel asociationis non sit vel esse intelligatur de substantia iudicii, dum tamen persona prohibita non asumatur, ut supra, de qua asociatione vel petitione colloqui et assumptione eius debeat apparere in actis notarii actorum cause. Et ubicumque consiliarii unus vel plures asumentur iudex sequi teneatur consilium consiliarii consulentis datum super eo solum, super quo fuerit assumptus, si clarum et certum fuerit, alias ad declarandum et certificandum consultor, ante quam feratur sententia vel post eadem die si supersit de instantia compellatur ut supra. Statuentes quod si super aliqua sententia diffinitiva

⁵⁴⁵ <Et> segue idem depennato.

ferenda vel que sapiat eius naturam ambe partes vel earum altera petierit infra tempus instantie principalis sapientem ad consulendum assumi teneatur qui de predictis omnino sapientem asumere secundum formam nostrorum statutorum quo casu per se ipsum sine consilio pronunciare non possit si sapiens asumatur nisi staret per consultorem qui consilium daret. Super aliis vero sententiis ferendis si ab aliqua parte petatur consilium posit is qui cognoverit dare sapientem, si sibi videbitur dummodo dari non possit, nisi expensis petentis et deposito prius salario consultoris et pronunciationis penes notarium actorum dicte cause. Et idem intelligatur quantum ad depositionem salarii ubicumque sapiens assumi deberet expensis petentis. Ubi autem expresse non petatur per se ipsum si non dubitaverit alias si subitaverit, habito consilio seu colloquio cum quocumque non prohibito, si ei videbitur, cui pro tali consilio vel colloquio vel pronunciatione ipsius nullum salarium solvi debeat, terminare et pronunciare teneatur, pena centum librarum bononinorum ei qui contrafecerit imminente. Hoc addito quod si consiliarii unus vel plures fuerint, post assumptionem si consilium scripserint vel per eos non steterit quin scribatur, habeant et habere debeant totum salarium etiam si pronunciatum⁵⁴⁶ non fuerit vel partes ad concordiam pervenerint. Ad quod salarium solvendum partes compelli possint et de//

[c. 177v]

beant remediis opportunis. Et eodem modo de pronunciatione notarii actorum de salario satisfiat, non obstantibus supradictis si de tali pronunciatione aliquid ipsi notario pro consilio solvi debuiset.

[20] **De salario consiliariis dando. Rubrica.** [cc. 177v-178r]

Ordinamus, quod consiliarii, unus vel plures, asumendi super quibuscumque questionibus debeant salarium recipere prout sequens scriptura declarat et non ultra videlicet. De qualibus diffinitiva sententia quantitatis centum solidorum vel ab inde infra quocumque sint consiliarii pro qualibet parte quinque solidos bononinorum. A centum vero solidis supra usque ad decem libras bononinorum pro qualibet parte, octo solidos bononinorum. De decem vero libris et ab inde supra usque ad viginti quinque libras, decem solidos bononinorum pro qualibet parte. De viginti quinque libris vero usque ad quinquaginta libras bononinorum, viginti solidos bononinorum pro parte. De quinquaginta vero libris bononinorum et ab inde supra usque ad centum, treginta solidos bononinorum pro parte. De centum vero libris et ab inde supra usque ad trecentas libras, quadraginta solidos bononinorum pro parte. De trecentis vero libris et ab inde supra usque ad quingentas, tres libras bononinorum pro parte. De quingentis vero libris bononinorum usque ad mille libras, quatuor bononinorum pro parte. De mille libris et ab inde supra usque ad duomilia, septem libras bononinorum pro parte. De duobus vero milibus et ab inde supra quantacumque sit quantitas et summa, decem libras bononinorum pro parte et non plus.⁵⁴⁷ De interlocutoriis vero quantitatis decem librarum

⁵⁴⁶ <pronunciatum> *segue* fuerit *depennato*.

⁵⁴⁷ <plus> *segue* De interlocutoriis vero quantitatis decem librarum et ab inde infra, tres solidos bononinorum pro parte. A decem vero libris supra usque ad viginti quinque libras, quinque solidos bononinorum pro parte. De viginti quinque libris et ab inde supra usque ad quinquaginta libras a qualibet parte, decem solidos bononinorum. De quinquaginta libris vero et ab inde supra usque ad centum libras, quindecim [*corregge* tregintas] solidos bononinorum pro parte. De centum vero libris et ab inde supra usque ad trecentas libras, viginti [*corregge* quadraginta] solidos bononinorum pro parte. De trecentis vero libris et ab inde supra usque ad quingentas, tres libras, treginta solidos bononinorum pro parte. De quingentis vero libris bononinorum usque ad mille libras, quatuor bononinos pro parte. De mille vero libris et ab inde supra usque ad duomilia, septem libris bononinorum pro parte. De duobus vero milibus libris et ab inde supra quantacumque sit quantitas et summa, decem libras bononinorum et non plus *cassato per vacatazione con la seguente annotazione scritta sul margine*

bononinorum et ab inde infra, tres solidos bononinorum pro parte. A decem vero libris supra usque ad viginti quinque libras, quinque solidos bononinorum pro parte. De viginti quinque libris et ab inde supra usque ad quinquaginta libras a qualibet parte, decem solidos bononinorum. De quinquaginta vero libris et ab inde supra usque ad centum libras a qualibet parte, quindecim solidos bononinorum. De centum vero libris et ab inde supra usque ad trecentas libras bononinorum a qualibet parte, viginti solidos bononinorum. De trecentis libris vero et ab inde supra usque ad quingentas libras, treginta solidos bononinorum pro parte. De quingentis vero libris et ab inde supra usque ad mille, quadraginta solidos bononinorum pro parte. De mille vero libris et ab inde supra quantumcumque sit quantitatis, quinquaginta solidos bononinorum pro qualibet parte. Declarantes, quod taxatio expensarum fienda intelligatur esse et sit sententia interlocutoria, nisi sit consulendum vel pronunciandum an expense veniant quo casu diffinitiva sit et esse intelligatur. Et predicta habeant locum quocienscumque fuerit questio super aliqua quantitate si vero super aliqua alia re vel facto que vel quod recipere possit extimationem fiat solutio pro rata estimationis rei vel rerum super quibus esset questio et quantum predictarum. Si vero fuerit super aliqua re vel facto quod vel que non recipiat estimationem, tunc salarium ordinetur seu tassetur arbitrio iudicis seu officialis coram quo fuerit questio antequam consiliarii assumantur, dum tamen, si diffinitiva fuerit taxatio seu salarium non excedat quantitatem viginti librarum bononinorum inter ambas partes, si vero interlocutoria tunc non excedat quantitatem quatuor librarum bononinorum inter ambas partes. Et predicta locum habeant quotcumque fuerint litigatores ex una parte. Et quando sunt partes diverse ad invicem sibi contradicentes. Si vero fuerit talis questio seu causa que solum ex una parte agatur sine contradictione preter quam cum officiali coram quo questio seu causa agitur tunc fiat solida solutio consiliariis per partem que prosequitur causam seu questionem secundum quantitates estimationes et taxationes⁵⁴⁸ premissas. De questione vero quadraginta solidorum bononinorum et ab inde infra non assumatur sapiens nisi expensis petentis. Et nullo modo consiliarii accipiant ultra quam dictum est. Nec possit dici esse plures questiones quantum ad predicta salaria licet ex utraque parte vel altera tantum sint plures persone vel licet in hiis super quibus consulere debuerint contineantur plures quantitates res cause vel facta seu puncta et ex omnibus fiat una sententia et secundum illam et taxationem predictam fiat solutio⁵⁴⁹ taxatio salarii supradicti et officiales coram quibus essent questiones dicta salaria augere non possint. Item dicimus, quod consiliarii scribant consilium antequam salarium recipiant//

[c. 178r f. CLXVIII]

dum tamen sit depositum. Et si quis fecerit contra predicta vel aliquod predictorum condempnetur in decem libris bononinorum et in restitutione eius quod ultra formam supra statutam perceperit. Dicimus etiam quod consiliarii compellatur consulere in questionibus super quibus assumuntur precise si eas receperint consulendas, ita quod questiones possit decidi infra terminum statutorum⁵⁵⁰ comunis Bononie. Si vero propter defectum consultoris perierit instantia, nullum salarium percipiat et si receperit ipsum parti restituat. Et eo salario eidem soluto nichilominus penam viginti quinque librarum bononinorum incurrat.

laterale sinistro: Iste paragraphus De interlocutoriis vero et cetera usque ad paragraphum De interlocutoriis vero quantitatis et cetera exclusive vacat quia superhabundat ut ex contestu patet. *Le correzioni e le aggiunte sono sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

⁵⁴⁸ <taxationes> segue predictas depennato.

⁵⁴⁹ <solutio> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁵⁵⁰ <statutorum> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

[21] **De preceptis fiendis confessis vel convictis per sententiam et de executione fienda contra ipsos confessos vel convictos. Rubrica.** [cc. 178r-178v]

Statuimus, quod potestas et eius iudices qui presunt seu preerunt causis civilibus cognoscendis et officiales comunis Bononie dictis causis prescidentes et omnes alii officiales, qui de civilibus cognoscere poterunt civilibus debitori in iudicio legiptime confesso vel convicto coram se vel alio de preterito vel in futurum per sententiam in qua non fuerit terminus assignatus et que non posit modo aliquo retractari vel annullari vel quia non est petitum nec contra sententiam aliquid oppositum nec contendat se aliquid opponere velle ipso ad opponendum predictis antea requisito vel quia de oppositis sentencie fuerit cognitum et sententia fuerit effectualiter confirmata, ubi autem confessus presens esset et tempore confessionis preceptum fieri petatur citatio non requiratur que cognitio, oppositio et decisio fieri posit et debeat simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii posint et teneantur precipere ad petitionem creditoris vel alterius pro eo legiptime intervenientis scilicet ipsi⁵⁵¹ debitori vel eius heredibus presenti in iudicio vel etiam absentem per nuncium unum si inveniatur, et si non inveniatur per duos nuncios et diversis diebus ad domum habitationis sue solite debitoris si principalis fuerit alias heredum eius si de herede tractaretur. In quo mandato exequendo, si non inveniatur, nuntii servare teneantur formam, que in citando requiritur, traditam in statuto nostro ‘De modo citationum fiendarum’ [2] quod solvat id de quo confessus⁵⁵² est vel convictus creditori vel alii pro eo legiptime venienti usque ad decem dies si fuerit habitator civitatis Bononie vel burgorum vel guardie eiusdem. Si vero habitet in comitatu vel districtu usque ad viginti dies vel ad alium terminum, de quo partes essent in concordia. Et valeat preceptum sic fiendum etiam si debitor presens non fuerit vel ad hoc de novo non citetur. Et quod dictum est de termino decem et viginti dierum posint potestas et iudices seu officiales predicti, ex iusta causa terminum minorare si eis videbitur. Quo termino elapso si debitor non solverit pro bannito pro⁵⁵³ debito habeatur et sit quantum ad contenta in hoc statuto tantum. Et postea quandocumque ad voluntatem creditoris vel alterius pro eo legiptime venientis posit pignorari vel capi et detineri in carceribus comunis Bononie, donec creditori fuerit integre satisfactum de contentis in confessione seu sententia vel precepto supradictis et de expensis factis et que fierent occasione predicta. Et quod una via ellecta alteri non preiudicet. Et si infra mensem a die detentionis si⁵⁵⁴ detentus fuerit non satisfecerit creditori de predictis vel si creditor vel qui pro eo intervenerit magis⁵⁵⁵ velit sibi satisfieri in bonis, quam debitorem facere detineri sive ex forma statutorum nostrorum posit ipse debitor detineri vel non detineri, teneatur dominus potestas et eius⁵⁵⁶ iudex seu officialis etiam debitore detento seu non detento summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii dare insolutum creditori vel alteri pro eo de bonis que posidebantur per debitorem tempore confessionis vel late sententie seu per eum postea quesitis etiam nulla facta excussione bonorum debitoris pro estimatione fienda per duos arbitros seu estimatores elligendos per partes, videlicet unum pro parte, si elligere voluerint. Et si discordarent per illum, qui cum tercio asumendo per iudicem concordaret extra numerum suspectorum, si partes dare voluerint alias etiam non datis suspectis. Que bona a die, qua confessus vel convictus fuerit in antea, creditori sint et fuisse intelligantur expresse obligata. Et si qua debita seu nomina debitorum apparerent que per debitores

⁵⁵¹ <ipsi> *corregge ipsius.*

⁵⁵² <confessus> *segue vel depennato.*

⁵⁵³ <pro> *segue la lettera b depennata.*

⁵⁵⁴ <si> *segue ded depennato.*

⁵⁵⁵ <magis> *sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

⁵⁵⁶ <eius> *segue officiales depennato.*

debitoris confiterentur vel de quibus alias legiptime constaret, tali debitore presente vel legiptime citato, possint et debeant, petente creditore vel alio pro eo, insolutum dari etiam nulla facta excussione bonorum usque ad integram satisfactionem predictorum quatenus bona vel nomina sufficerent in predictis data ellectione creditori seu causam habenti ab eo, et in eo quod deesset et in casu evictionis ius suum salvum remaneat creditori non obstante in predictis aliqua alienatione facta per debitorem de bonis vel nominibus debi//

[c. 178v]

toris post sententiam vel confessionem predictam, que in preiudicium creditoris ipso iure non valeat. Qua insolutum datione facta in totum debitor, si detentus fuit, relaxetur vel siquid deesset, tunc demum cum creditori de resciduo fuerit satisfactum. Idem ius servetur quoad executionem sententie, tam contra personam quam in bonis ubi in sententia terminus esset prefixus. Ipso tamen termino prius elapso. Que omnia supradicta⁵⁵⁷ procedant in personalibus actionibus. In realibus autem vel in rem scriptis seu mistis rem prosequentibus et in actionibus ex testamento ad rem tradendam si petatur executio sententie fieri teneatur et compellatur condempnatus omnino rem tradere seu restituere si rem ipsam possideat et ab eo manu militari auferatur et victori tradatur sive restituatur etiam si condempnatus prestare voluerit interesse. Si vero desierit possidere siquidem dolo, quod semper presumatam si tempore responsionis facte petitioni producte possederit vel in aliqua parte actorum ante dictam responsionem vel post confessus fuerit se⁵⁵⁸ possidere, nisi probaverit se sine dolo possessionem amississe, quo casu posit in litem iurari per victorem. Et in eo quod iuratum fuerit, primo tasactione a iudice facta ante iuramentum, vel post, executio fiat contra condempnatum et in bonis ipsius ac si ab ipso innitio in sententia deductum et declaratum fuisset, ut supra in personalibus dictum est. supradicta Ubi autem culpa possidere desierit, tunc comune interesse veniat per sacramentum declarandum et taxandum, ut supra et in eo executio fiat ut supra. Dum tamen in aliquo casuum predictorum nullus septuagenarius, pupilus furiosus vel mentecaptus seu mulier vel heres alicuius confessi vel⁵⁵⁹ condempnati, cui competat beneficium inventarii a se facti vel eius nomine personaliter⁵⁶⁰ capi vel detineri posit. Statuentes, quod quilibet debitor confessus vel convictus debere aliquam mercedem diurnam posit et debeat personaliter detineri, donec satisfecerit etiam nullo termino ei dato. Adicientes⁵⁶¹ insuper quod siquis debitor alicuius steterit in carceribus comunis Bononie ad petitionem alicuius sui creditoris unius vel plurium spatio quatuor mensium vel ultra a die carcerationis ipsius numerandorum et dictus debitor non habeat in bonis mobilibus vel immobilibus unde posit ipse talis carceratus alimenta oportuna recipere et habere, teneatur dictus creditor seu creditores ad cuius seu quorum petitionem ipse debitor detentus fuerit, dare et solvere dicto debitori hoc volente et petente ipso debitore duodecim denarios parvos bononinorum pro omni die pro victu et alimentis cotidianis dicti debitoris, nisi ipse creditor ad cuius petitionem fuerit detentus infra terminum statuendum per iudicem probaverit et probatum fuerit talem debitorem habere in bonis vel bona possidere unde alimenta posit percipere et habere. Et posit dictus creditor solvere dicto debitori pro quanto tempore sibi placuerit et voluerit. Et hoc teneatur facere dictus creditor seu ipsi creditores, donec in dictis carceribus eum debitorem detineri contingat ad dicti creditoris petitionem seu ipsorum creditorum. Et predicta locum habeant etiam in carceratis, qui

⁵⁵⁷ <supradicta> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

⁵⁵⁸ <se> *in infralinea con segno di rinvio.*

⁵⁵⁹ <vel> *segue convicti depennato.*

⁵⁶⁰ <personaliter> *sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

⁵⁶¹ <Adicientes> *segue quod si depennato.*

iam dicto tempore in dictis carceribus steterint seu stabunt et in futurum carcerandis. Alioquin ipso creditore cessante in dicta solutione vel non probante ipsum debitorem habere in bonis, ut supra dictum est, dictus debitor de dictis carceribus relaxetur impune, nec ad petitionem dicti creditoris vel habentis causam ab eo ex causa pro qua detentus fuerit vel alia quacumque detineri posit infra quatuor⁵⁶² menses a die qua fuerit relaxatus. Et si aliter detineretur relaxetur impune. Et si plures fuerint creditores, qui ipsum debitorem fecerint detineri, sufficiat inter omnes solvere dictos duodecim denarios dicta de causa, si omnes simul solvere voluerint, alias siquidam sic et quidam non relaxari mandetur, nec legiptime detentus esse intelligatur pro non solventibus pro aliis detineatur, donec solverint ut dictum est nec ad petitionem dicti non solventis et requisiti, ut supra, capi posit seu sequestrari infra dictos quatuor menses⁵⁶³ a tempore quo fuerit de carceribus extractus. Eo autem casu quo in bonis executio fieret si contradictor alius quam debitor vel pro eo veniens compareat et contradicat ipsorum creditoris et contradictoris iura examinentur summarie et de plano et qui meliora iura habuerit preferatur. Que proxime dicta de contradictore omnino expediuntur infra treginta dies a die qua legiptimate fuerint persone si ad hoc detentum fuerit aliter a die comparitionis et contradictionis predictae si non fuerit appellatum. Providentes quod debitor in casibus predictis vel aliquibus aliis bonis cedendo non liberetur vel relaxetur. Item dicimus quod in aliquo casuum predictorum executionem tangentium neutri partium subcumbenti liceat appellare. Nec posit iudex aliquis apellationum suam sententiam diffinitivam super apellatione vel nullitate latam vel sententiam, quam confirmaverit, executioni mandare modo predicto vel aliquo alio, sed posit et debeat executioni mandari per quemcumque alium iudicem civilibus deputatum.

[22] **De causis peregrinorum forensium. Rubrica.** [cc. 178v-179r]//
[c. 179r f. CLXVIII^{or}]

Statuimus quod questiones civiles peregrinorum forensium decidentur summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii per dominum potestatem vel aliquem ex suis iudicibus civilibus causis prescidenibus, arbitrio ipsius domini potestatis vel eius iudicis, ita quod infra terciam diem a die prime citationis questio sopiatur et executioni mandetur. Et si in dubium revocetur an sint peregrini intelligantur esse peregrini illi quos potestas ipse vel eius iudex declaraverit esse peregrinos delato prius et prestito iuramento ei et per eum qui se dixerit peregrinum, quod sit tunc temporis peregrinus. Et habeant predicta locum sive sint questiones inter eos ad invicem sive inter eos et alios non peregrinos si questio fuerit de quantitate re vel facto, de qua vel quo non fuerit instrumentum vel sententia vel alia scriptura, cui fides debeat adhiberi et orta fuerit causa questionis predictae ipsa⁵⁶⁴ peregrinatione pendente.

[23] **Quod iudices diffiniant questiones coram suis precessoribus incohatas. Rubrica.** [c. 179r]

Iubemus, quod iudices potestatis et alii officiales comunis Bononie de causis civilibus cognoscentes difiniant querimonias, lites et questiones coram suis precessoribus sive predecessoribus incohatas. Et per eum tabelionem coram quo querimonia, lix vel questio fuerit incohata acta scribantur si poterit haberi et eius officium duraverit et eo tantum durante, finito vero ipsius officio, per alterum ex notariis

⁵⁶² <quatuor> segue a die qua fuerit relaxatus *depennato*.

⁵⁶³ <menses> segue a die quo *depennato*.

⁵⁶⁴ <ipsa> segue peregrig *depennato*.

qui cum⁵⁶⁵ ipsis iudicibus vel officialibus starent seu stare deberent ad discum cui iudex seu officiales ipsi comiterent vel quem aliqua partium prius adiverit parte adversa⁵⁶⁶ presente vel ea legitime citata pro predictas, salvo semper statuto quod loquitur ‘De iudicibus et notariis recusandis’ [7].

[24] **De sententiis interlocutoriis executioni mandandis. Rubrica.** [c. 179r]

Ordinamus, quod iudices coram quibus cause aguntur sententias interlocutorias ab eis vel eorum precessoribus⁵⁶⁷ sive predecessoribus⁵⁶⁸ latas teneantur executioni mandare secundum formam iuris et statutorum nostrorum, nisi fuerint revocate vel annullate vel per apellationem iniuste pronunciate vel suspense in casibus in quibus de iure civili vel ex forma nostrorum statutorum liceret appellare appellatione aliqua interposita non obstante que de iure civili vel ex forma nostrorum statutorum fieri non deberet. Item dicimus, quod si petatur interlocutoria aliqua lata in contradictorio iudicio nulla pronunciari vel contrario imperio revocari peti non posit, nisi coram ipso interlocvente vel eius successore infra quinque dies a die late sententie interlocutorie si parte presente vel absente legitime tamen citata ad hoc lata fuerit. Si vero absente et non citata, tunc a die scientie eius, qui per se vel alium petierit annullari vel revocari vel prima die iuridica sequenti post dictos quinque dies. Que questiones et cause nullitatis et revocationis terminentur ex iisdem actis, ita quod probationes nove fieri non posint, nisi per publica instrumenta vel alias scripturas quibus fides debeat adhiberi. Et nichilominus in causa principali procedatur, si fuerit incidens vel emergens. Et si ipsa confirmata vel aliqua pronunciata fuerit non posit aliquo modo peti dicta sententia vel que eam confirmet vel approbet iterum annullari vel revocari. Si autem revocata vel annullata fuerit prima sententia non posit peti iterum, quod dicta revocatio seu annullatio contrario imperio revocetur, nisi omnibus expensis petentis annullari vel revocari sententiam secundo latam tam consiliariorum quam etiam tabelionum. Et non posit secundo lata super revocatione vel annullatione aliquo modo vel tempore peti, revocari vel annullari, nisi semel tantum expensis petentis in termino supradicto, salvo quod talis pronuntiatio sententia vel confirmatio seu revocatio vel annullatio non preiudicet vel prosit in proferendo difinitivam sententiam si qua postea sequatur, nisi prout ius comune civile disponitur.

[25] **De causa appellationis et nullitatis et restitutionis in integrum. Rubrica.** [cc. 179r-181v]

Statuimus et ordinamus, quod quicumque voluerit appellare in scriptis vel viva voce ab aliqua sententia vel gravamine lata vel illato in aliqua causa civili a qua vel quo sit licitum de iure civili vel ex forma nostrorum statutorum appellare dictam appellationem interponatur incontinenti, si fiat viva voce, si vero in scriptis infra decem dies continuos a die prolationis sententie vel illati gravaminis. In qua appellatione fienda appellans libellum appellationis dare non teneatur, nec eciam apostolos petere vel petitos expectare nec causas gravaminis exprimere in appellatione. Nec appellare liceat nisi ad iudices seu unum ex quatuor iudicibus appellationum pro comuni Bononie deputatos vel deputan//
[c.179v]

⁵⁶⁵ <cum> *dittografato e depennato*.

⁵⁶⁶ <adversa> *segue* petente *depennato*.

⁵⁶⁷ <precessoribus> *corregge* predecessoribus; *segue* incohatas *depennato*.

⁵⁶⁸ <predecessoribus> *segue* incohatas *depennato*.

dos nomine proprio non expresso vel simpliciter non expresso ad quem appelletur. Et quomodocumque et ad quemcumque et a quocumque appelletur ad alterum tantum ex dictis quatuor iudicibus appellatio et appellationis cognitio devolvatur cui ut infra appellatio committetur, sive simpliciter appelletur, sive causa nullitatis anexa, et sive iudex a quo appellatum fuerit appellationi detulerit sive non, cui tamen defferre teneatur in casibus supradictis. Et sufficiat appellationem interponere coram uno ex dictis quatuor iudicibus appellationum. Et iudex qui de appellatione cognosserit⁵⁶⁹ ante omnia an appellationi defferendum sit vel fuerit altera parte instante cognoscere et pronunciare teneatur. Et si plures simul pronunciaverint appellatio ab uno interposita ab omnibus interposita sit et esse intelligatur. Et hoc quando prima appellatio fuerit. Si vero secunda vel ulterior, tunc interponi posit et debeat simpliciter ad collegium iudicum civium civitatis Bononie. Et quocumque et ad quemcumque et a quocumque appelletur devolvatur ad unum ex iudicibus dicti collegii cui ut infra comittetur appellatio. Et si infra terminum ut supra fuerit legitime et in scriptis appellatum non posit postea etiam infra dictum terminum iterum appellare. Ubi vero viva voce fuerit appellatum et postea infra detendum appellatio in scriptis fuerit interposita eo casu procedatur super appellatione predicta in scriptis interposita. Et dicta appellatio viva voce interposita qualitercumque pro non interposita habeatur⁵⁷⁰ et sit. Et appellatio quelibet et ad quemcumque fienda per testes probari non posit. Nec repellatur appellans quamvis ipse vel alius qui citari debuerit et citatus et inventus fuerit et tacens non venerit ad sententiam audiendam. Quam quidem appellationem prima appellator per se vel legitimum personam uni ex dictis quatuor iudicibus appellationum comunis Bononie, presente parte vel absente, legitime tamen citata, committi petat et faciat infra sex dies⁵⁷¹ continuos a die appellationis interposite per dominum potestatem Bononie vel eius vicarium vel iudicem Aquile vel per vicarium domini capitanei populi datis suspectis si partes dare voluerint, scilicet uno ex dictis quatuor iudicibus pro parte vel de numero confidentium datorum a partibus si dare voluerint. Salvo, quod si partes essent in concordia de aliquo ex dictis quatuor iudicibus appellationum potestas vel eius vicarius seu iudex Aquile vel vicarius domini capitanei qui fuerit aditus ei comitere teneatur de quo partes fuerint in concordia. Qui quidem iudices appellationum et partes in procedendo, cognoscendo et terminando servare teneantur formam statuti presentis in quantum posit adaptari. Et infra quatuor dies continuos a die comissionis appellator per se vel alium det pignora seu pignus ei iudici cui facta fuerit comissio de reficiendis expensis cause appellationis alteri parti si subcubuerit appellator in causa. De qua datione pignorum constare debeat per publicum instrumentum valiturum etiam si in memorialibus non ponatur vel non denunciatur vel etiam si in eo deficiat cognitor partium vel signum notarii. Ipsam autem comissionem omnino facere posit et teneatur dictus dominus potestas vel alter ex iudicibus suis predictis vel quicumque alius locum alicuius predictorum tenens vel dominus vicarius domini capitanei populi vel eorum alter a quo petitum fuerit modo predicto et infra tempus predictum omni loco et etiam tempore feriato reiectis exceptionibus quibuscumque que tamen coram iudice appellationis posint proponi et disputari, sub pena centum librarum bononorum et nichilominus teneatur parti appellatoris ad interesse ipsius. Quam appellationem a die presentationis appellationis teneatur tunc dictus appellator per se vel alium prosequi infra treginta dies in hiis non computatis diebus feriatis per nostra statuta, etiam sine alia petitione porrecta et sine contradictione quam dicimus in appellationis causa non requiri. Quam presentationem appellationis etiam ipse appellator per se vel alium facere teneatur infra quatuor dies

⁵⁶⁹ <cognosserit> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

⁵⁷⁰ <habeatur> *nel testo hatur.*

⁵⁷¹ <dies> *segue die depennato.*

continuos ut supra a die dationis pignorum predictorum. Et iudex cui comissa fuerit causa appellationis teneatur etiam finito tempore sex mensium pro quibus ad adictum officium electus fuisset dictam causam omnimodo terminare infra dictos treginta dies a die dicte presentationis apellationis ei facte in hiis computatis diebus feriatis ut supra artatis dilationibus et restitutionibus et reiectis exceptionibus que opponerentur ratione testium vel instrumentorum vel iurium qui vel que dicerentur esse ultra mare vel in Anglia vel in allia provintia vel in aliqua peregrinatione vel aliis exceptionibus vel replicationibus que viderentur impedire vel prorogare processum ita quod eis⁵⁷² auditis videretur non posse dicta causa terminari infra dictum terminum. Et notarius ipsius cause appellationis possit acta cause continuare usque ad sententiam inclusive etiam post dictos sex menses. Nec possit dictus iudex quoquomodo a predictis excusari nisi infirmitate evidenti vel absentia neccessaria et probabili vel causa rei publice comunis Bononie fuerit inpeditus dictam causam infra dicta tempora terminare. Quibus//
[c. 180r f. CLXX]

casibus tempus infirmitatis et talis absentie seu inpedimenti subducatur. Et possit et debeat dicta causa terminari infra tempora limitata ut supra non computato tempore supradicto. De qua infirmitate vel absentia vel inpedimento causa rei publice predicto si questio per viam principalis questionis quandocumque oriatur cognoscere debeat vicarius domini potestatis vel iudex Aquile simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii et super ea pronunciare et declarare quantum⁵⁷³ tempus fluxit occasione predicta, cui pronunciationi et declarationi stetur omnino. Si vero⁵⁷⁴ incidentur vel emergentur tunc iudex coram quo questio⁵⁷⁵ incideret vel emergeret cognoscere et terminare debeat ut supra. Salvo, quod liceat in casibus infirmitatis vel absentie iudicis de causa appellationis cognoscentis parti apellanti vel apellate petere dictam causam appellationis comiti alteri ex dictis iudicibus appellationum a predicto potestate vel altero ex suprascriptis. Et iudex cui comissa fuerit dictam causam terminare teneatur infra sua tempora. Et si victus per se vel alium appellaverit, sed non infra terminum vel appellaverit aliter vel ad alium quam supradictum est vel appellaverit legitime et dictam appellationem infra dictum tempus ut premititur comiti non petierit et fecerit vel pignus seu pignora non dederit vel appellationem non presentaverit ut supra vel ipsam appellationem non prosecutus fuerit vel non fuerit causa appellationis infra sua tempora terminata ipso iure firma et vallida remaneat ipsa sententia et sine mora executioni mandetur nec ab ea possit ulterius appellari vel nulla dici vel contra eam de nullitate opponi de qua nullitate non audiatur ut supra si dixerit sententiam nullam et si qua esset appellavit. Et dictis casibus et quolibet eorum teneatur ipse iudex dare dicta pignora parti appellate si pignora data fuerint. Et si per iudicem requisitum ab altera partium duabus vicibus diversis diebus ad minus et per instrumentum publicum valiturum etiam si non sit positum vel denunciatum in memorialibus comunis Bononie vel non sit ibi cognitor⁵⁷⁶ contrahentium steterit quominus causam terminet infra tempora sua teneatur parti requirenti refficere omnes expensas dicte cause appellationis ad quod cogatur per potestatem sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii ad petitionem partis infra quindecim dies et incidat penam vigintiquinque librarum bononinorum de facto sibi aufferendam et exigendam ut supra et comuni Bononie applicandam. Et nichilominus ipsam causam terminare posit et teneatur infra tres dies, sub pena predicta exigenda et applicanda ut supra et ultra predicta teneatur parti lese ad interesse nisi staret per

⁵⁷² <vel> segue la lettera a cancellata.

⁵⁷³ <quantum> corregge quantus.

⁵⁷⁴ <vero> segue de depennato.

⁵⁷⁵ <questio> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁵⁷⁶ <cognitor> segue partium depennato.

consultorem. Quo casu si staret per consultorem requisitum ut supra teneatur ipse consultor ut supra. Et nichilominus causa posit et debeat terminari infra tres dies ut supra cum consilio ipsius consultoris vel sine ut supra sub pena predicta. Si autem simpliciter appellavit de nullitate audiatur perpetuo excipiendo principaliter vero proponendo solum secundum formam huius statuti, nisi de nullitate expresse cognitum fuerit ubi simpliciter appellaverit, quo casu nullo modo audiatur. Salvo beneficio restitutionis in integrum unicuique cui de iure competere posset, dum tamen non possit quis in integrum restitui ad appellandum vel de nullitate proponendum vel ad tempus quod currit ad predicta prefixum. Et salvo quod, ubi nullo modo infra dictum tempus ad appellandum prefixum fuerit appellatum vel de nullitate propositum de ipsa nullitate excipiendo audiatur secundum formam iuris et statutorum nostrorum, ita quod principalis causa infra sua tempora terminetur. Si vero lata sententia subcumberet appellator vel causam non fuerit prosecutus teneatur iudex appellationis dare dicta pignora sufficientia ad expensas predictas parti adverse petenti vel refficere expensas in pecunia numerata infra octo dies a die sententie etiam si victus iterum appellaverit, quas expensas declaret tempore pronunciande sententie vel postea infra octo dies parte instante et postulante vel perempta instantia infra octo dies proxime subsequentes a die perempte instantie ubi non fieret prosecutio infra terminum antedictum, taxatione primo facta a iudice et sacramento prestito super expensis ab adversario, dum tamen taxet sine consilio sapientis si petitum fuerit. Et ad hoc faciendum compellatur per dominum potestatem vel alterum ex iudicibus suis sine libelli oblatione et aliquo strepitu iudiciorum et ellapso termino supradicto. Que omnia supradicta prout adaptari posunt locum habeant etiam ubicumque dicatur sententia nulla et si qua est appelletur ab ea vel secunda seu ulterior appellatio fiat simpliciter vel⁵⁷⁷ causa nullitatis anexa. Salvo, quod secunda talis appellatio vel ulterior solummodo comitatur uni ex dictis iudicibus civibus dicti collegii de quo partes fuerint in concordia expresse. Si vero non fuerint in concordia tunc comitatur uni ex confidentibus a partibus dandis si de eo concordent alias uni ex dictis iudi//

[c. 180v]

cibus datis suspectis si partes dare voluerint arbitrio comitentis extra numerum suspectorum, salvo semper, quod de nullitate dictum est. Addicientes, quod acta in predictis et eorum causa⁵⁷⁸ fienda⁵⁷⁹ per ipsum iudicem vel coram eo scribantur per notarium ad predictum officium deputatum seu deputandum pro quarterio pro quo iudex cognoscens de appellatione ellectus etiam finito tempore pro quo ad officium ellectus fuisset si eius copia comode haberi possit et non sit suspectus alicui partium, qui ratione suspicionis possit recusari cum sacramento recusantis de suspitione et suspitionis causa quam exprimere non teneatur. Et an possit talis notarii comode haberi copia vel non stetur declarationi iudicis coram quo erit causa, quo casu scribi possint acta per notarium elligendum per iudicem de appellatione cognoscentem unum videlicet ex dictis notariis deputatis offitio appellationum extra numerum suspectorum si partes vel alterra earum suspectos dare voluerint, ita tamen quod unum tantum quelibet partium dare possit pro suspecto. Et hoc cum commissio fieret vel facta esset uni ex quatuor iudicibus appellationum. Si vero uni ex predictis aliis iudicibus civitatis Bononie, tunc scribatur per illum notarium quem iudex cui fieret vel facta esset comissio ellegerit. Quas ellectiones ipse iudex facere posit datis confidentibus a partibus si partes dare voluerint. Et si non concordarent datis suspectis si partes vel alia earum suspectos dare voluerint extra numerum suspectorum quo casu ultra quinque dari suspecti non possint per

⁵⁷⁷ <vel> *sul margine laterale destro con segno di inserzione.*

⁵⁷⁸ <causa> *segue facta cassato per vacatazione.*

⁵⁷⁹ <fienda> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

alterram partium. Si vero simpliciter sententia dicatur nulla per viam principalis petitionis quod fieri possit et debeat solum infra decem dies datos ad appellandum ut supra, salvo quod dictum est supra de minore et eius beneficio ipse idem iudex qui⁵⁸⁰ tulerit sententiam vel vicarius potestatis vel iudex Aquile disco deputatus quem adiverit ille qui⁵⁸¹ dixerit sententiam nullam possit de ipsa nullitate cognoscere vel alter ex dictis iudicibus appellationum cui iudex comiserit et quam committere teneatur ut supra causam ipsam nullitatis principaliter mote ad eius partis que nullam sententiam dixerit petitionem ut supradictum est de causa appellationis possit cognoscere de nullitate, ita quod dicta causa artatis dillationibus et restitutionibus et reiectis exceptionibus ut supra dictum est infra treginta dies in hiis non computatis diebus feriatis per nostra⁵⁸² statuta debeat terminari a die porrectionis petitionis, si fuerit porrecta parte presente, si vero ea absente ex quo pars adversa fuerit legiptime requisita, sive veniat sive non veniat et sive contradicat sive non, quo casu si⁵⁸³ non veniat vel veniat et non contradicat possit procedi ad probationes et diffinitivam sententiam perinde ac si foret legitime contradictam. Si vero restitutio in integrum petatur per viam principalis petitionis a maiore vel minore colegio vel universitate in casibus in quibus de iure civili⁵⁸⁴ in integrum restitutio peti possit contra sententiam aliquam que lata non fuerit superincidenti vel emergenti quod fieri possit et debeat solum coram iudice qui tullit sententiam aut sucessore vel coram vicario predicto sive iudice Aquile sive uno ex dictis quatuor iudicibus appellationum ut supra dictum est de causa nullitatis procedatur, ita quod causa ipsa restitutionis petite terminetur infra treginta dies ut supra dictum est in causa simplicis nullitatis sive comparet adversarius sive non et sive contradicat sive non. Si vero petatur incidenter vel emergenter in casibus permissis procedatur et terminetur secundum formam iuris et statutorum nostrorum, ita quod principalis causa infra sua tempora valeat terminari. Et ad prolixitatem litium amputandam, statuimus, quod si minor vel alius pro eo a sententia adversus eum lata appellaverit et subcumbuerit possit contra hanc sententiam auxilium in integrum restitutionis impetrare in casu a iure permissio. Et supra restitutio ei fuerit denegata non possit ulterius appellare nec restitutionis beneficium impetrare. Si vero adversus sententiam contra eum primo latam non appellaverit, sed restitutionem petierit et sibi fuerit denegata, possit ab ea sententia appellare. Et si in ea causa appellationis subcubuerit non audiatur amplius per viam restitutionis nec appellationis. Preterea dicimus, quod si per viam principalis petitionis petatur aliquod laudum vel arbitramentum reduci ad arbitrium boni viri vel aliter annullari que fieri valeant in casu permissio solum coram iudice appellationum predicto seu altero ex dictis quatuor iudicibus appellationum⁵⁸⁵ cui commissum fuerit ut supra vel coram vicario domini potestatis vel iudice Aquile et infra decem dies continuos a die sententie laudi seu arbitramenti prolati possit ipse iudex appellationum vel alter ex dictis quatuor iudicibus appellationum ut supra vel dominus vicarius vel iudex Aquile quem pars adiverit cognoscere de predictis, ita quod causa talis arta//
[c. 181r f. CLXXI]

tis dillationibus et restitutionibus et reiectis exceptionibus ut dictum est infra treginta dies non computatis diebus feriatis per nostra statuta debeat terminari a die porrectionis dicte petitionis si fuerit porrecta parte presente. Si vero parte absente ex quo pars adversa legiptime fuerit requisita sive veniat sive non veniat et sive contradicat sive non,

⁵⁸⁰ <qui> segue la lettera d cassata per cancellatura.

⁵⁸¹ <qui> segue dis depennato.

⁵⁸² <nostra> segue la lettera s depennata.

⁵⁸³ <si> segue la lettera u depennata.

⁵⁸⁴ <civili> sul margine laterale destro con segno di inserzione.

⁵⁸⁵ <appellationum> segue ut supra depennato.

quo casu si non venerit vel non contradixerit possit procedi ad probationes et diffinitivam sententiam. Si vero petatur incidenter vel emergenter in casibus permissis procedatur et terminetur secundum formam iuris et statutorum nostrorum, ita quod principalis causa infra sua tempora terminetur, nisi partes laudum vel arbitramentum post prolationem ipsius emologaverit seu aliter approbaverit si de hoc appareat publicum instrumentum, quo casu principaliter incidenter vel emergenter peti non possit. Decernentes insuper, quod ab aliqua sententia diffinitiva vel interlocutoria a quocumque iudice vel officiali comunis Bononie ferenda a qua de iure civili vel ex forma nostrorum statutorum non liceat appellari vel ab aliqua sententia interlocutoria vel diffinitiva ferenda in aliqua causa criminali per dominum potestatem civitatis Bononie vel eius in criminalibus vices gerentem vel per aliquem alium officialem comunis Bononie nullus audiatur apellans. Et quod ab aliquibus sententiis ferendis in favorem comunis Bononie per dominum potestatem civitatis Bononie vel ali⁵⁸⁶quem de sua familia vel alium officialem comunis Bononie civem vel forensem in aliqua causa civili que verteretur principaliter inter comune Bononie vel ipsius comunis ius prosequentem ex una parte et aliquam singularem personam collegium vel universitatem ex alia semel ad plus possit appellari contra ipsum comune. Insuper mandamus, quod si aliquis velit in integrum restitui in casibus sibi a iure civili permissis adversus aliquem actum extra iudicium gestum vel obmissum ex cuius gestione vel obmissione vel eorum vel alicuius eorum occasione diceret se lesum vel eum in cuius locum successerit siquidem adversus contractum aliquem transactionis pactum dationem insolutum obligationem prescriptionem vel usucapionem vel alium actum⁵⁸⁷ similem predictis vel alicui predictorum possit et teneatur per se vel alium accedere coram quocumque iudice ad civilia deputato vel coram domino potestate et coram eis vel altero eorum qualem⁵⁸⁸ petitionem porrigere et offerre in scriptis et ea porrecta vel oblata requiri et citari facere legiptime partem adversam sive eum de cuius preiudicio principaliter ageretur coram ipso iudice coram quo fuerit porrecta seu oblata dicta petitio quo comparente vel non et respondente vel non procedatur etiam usque ad diffinitivam sententiam inclusive ita quod causa⁵⁸⁹ terminetur infra⁵⁹⁰ tempora statuta in causis principalibus posita in statuto 'De vocatis in iure et venientibus' [4] computanda a die contradictionis facte petitioni si pars comparuerit et contradixerit alias a die citationis facte de parte ad respondendum ipsi petitioni. Si vero adversus aditionem⁵⁹¹, immistionem vel repudiationem, abstentionem seu abstinentiam hereditatis vel alicuius legati seu fideicomissi universalis seu singularis vel adversus obmissionem aditionis, hereditatis vel inventarii confectionis accedere possit et teneatur coram altero ex predictis iudicibus et suam petitionem ut dictum est porrigere et ea porrecta cridari facere publice et palam et alta voce per unum ex bannitoribus comunis Bononie sono tube magno premissio super ambabus scalis palatii et ad arengheriam dicti palatii die et hora iuridicis et in contrata eius qui restitui peteretur. Quod si est aliquis qui contradicere velit ne talis et cetera nominando personam que restitui petit clare, ita quod cognoscatur sive cognosci possit ab audientibus restituatur adversus aditionem hereditatis vel aliqua vel aliquod de predictis specificando id adversus quod restitui petit clare et aperte comparere debeat infra

⁵⁸⁶ <in criminalibus vices gerentem vel per aliquem alium officialem comunis Bononie nullus audiatur apellans. Et quod ab aliquibus sententiis ferendis in favorem comunis Bononie per dominum potestatem civitatis Bononie vel ali> *di seguito sul margine laterale destro su 6 righe.*

⁵⁸⁷ <actum> *dittografato.*

⁵⁸⁸ <qualem> *dittografato.*

⁵⁸⁹ <causa> *sul margine laterale sinistro, con segno di rinvio, corregge questio.*

⁵⁹⁰ <infra> *segue sua depennato.*

⁵⁹¹ <aditionem> *segue hereditatis cassato per vacatazione.*

quinque dies proximos dicte cride coram iudice coram quo est oblata petitio nominando iudicem coram quo fuit oblata et coram eo infradictos quinque dies dicere et alegare debeat per se vel alium omnia que voluerit prope que ipsa restitutio denegetur. Et sive aliquis comparuerit sive non ellapso dicto termino fiat alia crida similis et cum simili termino statuendo ut supra. Quo secundo termino ellapso sive aliquis comparuerit sive non detur curator liti et cause indefense, cum quo curatore procedatur in causa restitutionis et detur ei terminus ad accipiendum copiam petitionis opponendum et respondendum quidquid velit infra terminum iudicis arbitrio statuendum. Et procedatur in causa, ita quod causa ipsius restitutionis terminetur infra tempora statuta in causis principalibus in statuto posito sub rubrica 'De vocatis in iure et venientibus' [4] computanda a die dationis dicti curatoris. Possit tamen quilibet cuius intersit comparere ut adsit cause cum curatore ne colludatur in causa et prosequi defensionem et alia facere que sibi crediderit expedire. Ita tamen quod dicta causa infra dictum terminum valeat terminari. Et valeat quod fiet cum tali curatore quocumque comparente ut supra quo ad omnes etiam non//

[c. 181v]

comparentes seu specialiter non citatos et eis preiudicet et prosit ac si comparuissent et causam fuissent prosecuti, ita quod ratione eius actus vel obmissionis adversus quem et quam restitutio concessa fuerit nullo modo vel tempore possit restituto aliquod preiudicium generari vel ipse restitutus in aliquo aggravari. Addicientes, quod quilibet ex dictis iudicibus appellationum singulis diebus quibus iudices potestatis sederint ad bancum teneantur venire et sedere ad bancum seu discum bannitorum positum in palatio veteri iuridico comunis Bononie et ibi iustitiam in causis coram ipsis vel altero eorum vertentibus cuilibet ministrare. Et similiter notarii ad dictum officium appellationum deputati teneantur singulis diebus predictis sedere et stare ad dictum discum et acta scribere et continuare prout iustum fuerit. Et si aliqua acta alibi facta et scripta esse reperiantur in causis predictis valeant et teneant etiam si instantia appellationis non fuerit incoata. Item statuimus, quod quilibet ex dictis iudicibus appellationum pro suo salario recipere et habere possit ad plus pro qualibet causa quam terminaverit tantum quantum solvi deberet consultori talis cause si causa esset comissa ad consilium sapientis. Et si causa fuerit comissa consilio sapientis tunc habeat dimidiam ipse iudex eius quod habebit seu habere deberet ipse consultor. Notarii vero predicti habeant dumtaxat quod suis laboribus id quod habere et recipere debent notarii ad causas civiles deputati pro causis coram se vertentibus. Declarantes, quod nullus possit elligi in iudicem vel esse iudex appellationum qui sedeat pro iudice ad aliquod officium ordinarium in palatio veteri iuridico comunis Bononie durante dicto offitio. Decernentes, quod a qualibet sententia super possessorio lata vel ferenda liceat unicuique partium subcumbentium semel tantum appellare.

[26] De expensis refficiendis super incidentibus vel emergentibus questionibus factis. Rubrica. [c. 181v]

Ordinamus, quod si que questiones inciderint vel emergerint antequam responsum sit pro parte rei petitioni actoris vel post ante tamen diffinitivam sententiam vel aliam sententiam⁵⁹² que naturam diffinitive debeat obtinere super qua vel quibus iudex coram quo causa vel questio principalis agitur habuerit consilium sapientis vel sapientum expense refficiantur tam consiliariorum quam etiam prononciationis consilii per subcumbentem partem parti que obtinuerit in totum vel pro parte in qua obtinuerit. Quas expensas iudex coram quo causa agetur, teneatur reffici facere parti obtinenti infra

⁵⁹² <sententiam> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

terciam diem omni iuris et statutorum solemnitate obmissa etiam non obstante, quod talis sententia fuerit annullata vel revocata. Et si pars subcumbens non refecerit dictas expensas infra dictum terminum non audiatur ulterius procedere volens in sui favorem donec refecerit dictas expensas. Et nichilominus ad alterius partis petitionem procedatur. In aliis vero expensis ius comune servetur.

[27] **De instrumentis, testamentis et laudis executioni mandandis. Rubrica.** [cc. 181v-183r]

Ad hoc ut in infrascriptis casibus lites brevius expediantur statuimus, quod siquis debitor esse dicatur alicuius ex aliquo publico instrumento facto vel fiendo pro aliqua quantitate pecunie vel suma aliquarum rerum, que in mensura vel pondere conscistant nomine sortis vel pro aliqua alia re mobili, que principaliter in obligationem venisset vel heres talis debitoris et petatur per creditorem vel aliam personam pro eo legitime venientem ad executionem instrumenti elapso termino in eo contento, si terminus appositus fuerit et etiam eo non apposito, procedi contra ipsum debitorem vel heredem seu bona ipsius teneantur quicumque officiales comunis Bononie ad causas civiles deputati, qui fuerint aditi ad petitionem talis creditoris vel alterius legitime venientis citari facere talem, qui debitor diceretur principalis vel heres debitoris si absens fuerit a iudicio secundum formam statuti ‘De modo citationum fiendarum’ [2], oblata prius quali quali petitione cum instrumento ex quo debitor diceretur, quod peteretur executioni mandari, de quibus in actis constare debeat antequam fiat. Et scribatur commissio citationis predictae, quod ipse citatus infra terminum quem iudex aditus statuerit per se vel alium legitime debeat comparere ad accipiendum copiam petitionis et instrumenti predicti et contradicendum quidquid vult et potest ne fiat executio dicti instrumenti. Et siquidem citatus ut supra non venerit in termino parte actoris in termino⁵⁹³ comparente procedatur contra debitorem//

[c. 182r f. CLXXII]

vel bona ipsius vel per eum posessa banniendo vel tenutam dando prout pars actoris⁵⁹⁴ ellegerit et petierit termino comparitionis ellapso. Et si ellegerit executioni mandari in tenutam dando, procedatur continuatis actis ad ipsam tenutam et ad dandum in solutum et ad cetera alia precedentia media et subsequencia secundum formam statuti nostri ‘Qualiter procedatur in causis civilibus reo non comparente’ [30] etiam prima petitione in executione formata non mutata, que pro solempni et legitime facta habeatur et sit quoad ipsum totum processum et conclusionem, sententiam et executionem ipsius et alia omnia neccessaria in predictis et perinde sit ac si directe formata fuisset et petitum, quod debitor in eo quod petitur debeat condempnari. Si autem ellegerit executioni mandari in banniendo procedatur, continuatis actis, ad cridas et banni dationem et ad cetera subsequencia secundum formam nostri statuti ‘De bannis dandis pro debito’ [32]. Et sive ellegerit tenutam dando sive banniendo si postea citatus quandocumque ante contradictionem factam petitioni per curatorem vel banni exemptionem per se vel alium legitime comparuerit non audiatur, nisi prius expensas omnes ratione contumacie obvenientes refecerit taxandas per iudicem et terminum acceperit ad accipiendum copiam petitionis et instrumenti et ad respondendum et cetera ut infra, quo casu postea procedatur ut infra subicitur debitore in termino comparente. Ubi autem citatus in termino comparuerit per se vel alium legitime legitimatis primo personis, si legitimari debuerint quia fuerit contentio de personis, detur dillatio sex dierum ipsi reo etiam invito vel alii, qui pro eo venerit ut supra ad accipiendum copiam

⁵⁹³ <in termino> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

⁵⁹⁴ <actoria> *in infralinea con segno di rinvio.*

petitionis oblate et instrumenti producti et ad contradicendum quidquid vult ne fiant que petuntur. Quo ellapso non audiatur volens facere aliquod de predictis. Et si in termino vel⁵⁹⁵ ante nichil contradixerit vel in genere seu aliter contradixerit certa et legiptima causa contradictionis non expressa vel opposuerit aliquid, quo etiam probato, non relevet arbitrio iudicantis possit et teneatur iudex seu officialis ad petitionem partis actoris post terminum quandocumque petitum fuerit mandare ipsi debitori principali vel eius heredi presenti in iudicio vel etiam absentem per unum nuncium si inveniatur. Et si non inveniatur per duos nuncios et diversis diebus ad domum habitationis sue solite debitoris, si principalis fuerit vel heredis, si de herede tractaretur. In quo mandato exequendo si non inveniatur, nuntii servare teneantur formam que in citando requiritur traditam in dicto nostro statuto ‘De modo citationum fiendarum’ [2], quod det, solvat seu tradat vel restituat id⁵⁹⁶ quod in petitione seu instrumento continetur aut estimationem rei aut summe debite vel petite si venerit ipsa estimatio solvenda, que estimatio declaretur per sacramentum petentis iudicis taxatione premissa si in petitione non fuerit declarata. Et si in ea declarata fuerit quod illam solvat, ut supra, et expensas factas in causa, quas ipse officialis taxare teneatur creditori vel alii qui pro eo legiptime venisset ad terminum decem dierum si fuerit debitor habitator civitatis Bononie burgorum seu guardie eiusdem. Et si habitet comitatu vel districtu vel extra districtum ad terminum viginti dierum vel ad alium terminum de quo partes presentes ad invicem concordarent. Et valeat preceptum sic fiendum etiam si debitor vel heres eius presens non fuerit vel ad hoc de novo non⁵⁹⁷ citetur. Terminum autem predicto decem vel viginti dierum ellapso prout de altero eorum tractabitur si debitor non dedisset, solvisset⁵⁹⁸ seu tradidisset vel restituisset, ut supra, pro bannito, debito, pro quantitate, summa seu extimatione predicta, ipso iure habeatur et sit quantum ad contenta in presenti statuto. Et postea quandocumque ad voluntatem creditoris vel alterius pro eo legiptime venientis possit capi et detineri in carceribus comunis Bononie de mandato cuiuscumque officialis comunis Bononie ad civilia deputati. Quod mandatum fieri possit etiam parte absente vel ad hoc de novo non citata. Nec relaxetur, donec creditori fuerit satisfactum de contentis in instrumento vel petitione seu precepto predictis et expensis factis et taxactis ut supra et aliis postea factis et que fierent occasione predicta, que non taxate taxari debeant per iudicem qui mandaverit fieri detentionem predictam. Et si debitor infra mensem a die detentionis, si detentus fuerit, non satisfecerit creditori de predictis, vel si creditor vel qui pro eo intervenerit magis velit sibi satisfieri in bonis quam debitorem facere detineri sive fuerit persona que potuerit capi sive non teneatur iudex seu officialis aditus etiam debitore detento et eo non detento quandocumque post terminum datum debitori ad solvendum parte prius citata solempniter//

[c. 182v]

dare in solutum creditori vel alteri pro eo de bonis debitoris vel que per ipsum possiderentur vel possidebantur tempore prime citationis vel postea pro extimatione fienda per duos arbitros vel extimatores elligendos pro partes scilicet unum pro parte si elligere voluerint et si discordarent ipsi arbitri vel extimatores, tunc pro extimatione fienda per illum qui concordaret cum tercio asumendo extra numerum suspectorum. Si vero non elligantur, tunc per elligendos per iudicem extra numerum suspectorum datorum vel suo arbitrio si partes suspectos non dederint. Et si qua nomina debitorum apparerent que⁵⁹⁹ per debitores debitoris confiterentur vel de quibus aliter legiptime

⁵⁹⁵ <vel> *segue al depennato.*

⁵⁹⁶ <id> *segue in depennato.*

⁵⁹⁷ <non> *in infralinea con segno di rinvio.*

⁵⁹⁸ <solvisset> *dittografato e depennato.*

⁵⁹⁹ <que> *dittografato e depennato.*

constaret, tali debitore presente vel legiitime citato, possint et debeant petente tali creditore vel alio pro eo eidem in solutum dari etiam nulla facta excussione bonorum usque ad integram satisfactionem omnium predictorum quatenus bona vel nomina sufficerent et in eo quod deesset et in casu evictionis ius suum saluum remaneat creditori, non obstante aliqua alienatione facta per debitorem post citationem predictam, que in preiudicium creditoris ipso iure non valeat et in eis posit executio predicta fieri, etiam nulla facta excussione. Ubi autem alienatio ante citationem facta fuisset in alienatis ab⁶⁰⁰ alio possessis non fiat executio, nisi demum facta excussione. Salva debitori in solutum datione omni sua defensione, que contra suum creditorem⁶⁰¹ alias competebat. Dicta autem in solutum datione facta in totum debitor, si detentus fuerit, relaxetur vel siquid deesset, tunc demum cum de resciduo fuerit satisfactum. Et si creditor per se vel alium id quod sortis et expensarum⁶⁰² predictarum nomine sibi deberetur fuerit consequuntus penas aliquas in ipso⁶⁰³ instrumento appositas, sive quantitati sive rei facto adiecte fuerint, vigore istius statuti petendo executionem instrumenti per se vel alium petere vel exigere non possit ab ipso debitore vel eius herede vel in bonis ipsius, nisi in casu evictionis et pro rata⁶⁰⁴ ipsius tantum si sequeretur de rebus quas in solutum meruisset⁶⁰⁵. In quibus penis vel aliquibus aliis penis quomodocumque et ubicumque positis vel adiectis huius statuti beneficium non vindicet sibi locum, etiam si sors exacta non fuisset. Si vero debitor per se vel alium infra terminum⁶⁰⁶ sibi prefixum ad contradicendum specialiter vel generaliter respondendo iustam causam contradictionis adiecerit vel legiitimas exceptiones opposuerit, que eum a debito et predictorum⁶⁰⁷ executione relevare videantur arbitrio iudicantis dentur dillationes ad probandum⁶⁰⁸ infra quas si pars rei legiitimam probationem et defensionem fecerit que per probationes partis actoris non excludatur possit et debeat⁶⁰⁹ debitor seu pars eius absolvi ab ipsa petitione et instrumento et contentis in eis. Et victus victori in expensis condempnetur. Si vero non probaverit vel si ipsius probationes per probationes partis alterius excludantur pronuncietur instrumentum executioni mandandum esse oppositione vel contradictione non obstante et in expensis debitor condempnetur et executio fiat ellapsis demum decem diebus a die sententie et tunc procedatur contra ipsum debitorem et in bonis ipsius forma predicta data supra, quando comparuerit et nichil vel non legiitime contradixerit. Et omnia in illo casu statuta et in isto casu statuta et repetita intelligantur. Que causa terminari debeat infra treginta dies non computatis⁶¹⁰ diebus feriatis per nostra statuta comprehensis a die termini dati ad opponendum executio vero fieri posit et debeat etiam postea quandocumque petitum fuerit. Eo vero casu quo in bonis executio fieret et in quolibet casuum predictorum si contradictor alius quam debitor vel pro eo veniens compareret et contradiceret ipsius contradictoris iura et dicti creditoris examinentur sumarie et de plano⁶¹¹, sine strepitu et figura iudicii. Et qui meliora iura habuerit preferatur. Que omnino expedianatur infra viginti dies continuos non computatis in eis diebus feriatis in

⁶⁰⁰ <ab> segue eo possessis depennato.

⁶⁰¹ <creditorem> sul margine laterale sinistro; segue debitorem cassato per vacatazione.

⁶⁰² <expensarum> segue nomine depennato.

⁶⁰³ <ipso> in infralinea con segno di inserzione.

⁶⁰⁴ <rata> segue il compendio di tantum depennato.

⁶⁰⁵ <meruisset> corregge meruerit.

⁶⁰⁶ <terminum> segue per depennato.

⁶⁰⁷ <predictorum> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁶⁰⁸ <ad probandum> di seguito sul margine laterale destro.

⁶⁰⁹ <debeat> segue pars cassato.

⁶¹⁰ <computatis> segue la lettera f depennata.

⁶¹¹ <et de plano> dittografato e depennato.

nostris statutis comprehensis a die qua legiptimate fuerint persone si ad hoc deventum fuerit alias a die comparitionis et contradictionis predictae. Idem in omnibus et per omnia que dicta sunt supra quando petitur instrumentum executioni mandari, dicimus et volumus fieri et observari debere quocienscumque laudum vel arbitramentum aliquod vel testamentum seu alia ultima voluntas in quo vel qua aliquam quantitatem vel sumam, que in mensura conscisteret vel rem aliquam mobilem dari, solvi, tradi vel restitui laudaretur seu manderetur vel legatam seu relictam quoquo titulo fore diceretur si tale laudum vel arbitramentum, testamentum seu ultima voluntas peteretur executioni mandari, ut supra in ipsa quantitate summa vel re vel ipsius summe vel rei estimatione si veniret extimatio rei vel summe debite seu petite, relicte seu legate solvenda ipsi petenti. Et perinde ac si ex publico instrumento in predictis debitor esset et fuisset ipsius petentis is contra quem executio peteretur, elapso demum termino in laudo, testamento vel ul// [c. 183r f. CLXXIII]

tima voluntate contento si terminus appositus fuerit et etiam si terminus appositus non fuisset decem diebus elapsis a die laudi si de eo tractaretur, ad quem precise cogi possint etiam pena in compromisso apposita si de laudo tractetur ut supra non obstante. Que pena si petens quod in laudo seu arbitramento deveniret fuerit consequutus, ut supra, postea peti vel exigi non valeat ullo modo, nisi in casu evictionis et pro rata ipsius tantum si sequeretur de rebus quas in solutum meruisset. Si vero penam quis fuerit consequutus in compromisso contentam ad id quod in laudo vel⁶¹² arbitramento devenerit perpetuo agi non possit, sive fuerit in compromisso adiectum rato manento pacto vel non, sive quid equipolens. Item statuimus, quod aliqua pena comissa a calendis mensis martii milesimi trecentissimi septuagesimi sexti usque ad kalendas mensis ianuarii milesimi trecentissimi septuagesimi octavi peti non possit et hoc atenta guerra que dicto tempore viguit in comitatu Bononie, sed sit et esse intelligatur remissa auctoritate presentis statuti. Et hoc debitor solvente interesse, quod pretenderet creditor ex obmissione solutionis aut facti ad quod idem debitor tenebatur declarandum per iudicem coram quo causam agitari contingerit. Salvo semper, quod in aliquo casuum predictorum nullus septuagenarius, pupilus, furiosus vel mentecaptus sive mulier pro predictis possit personaliter capi vel detineri, sed in eorum et⁶¹³ cuiuscumque eorum bonis, vel ab eis possessis ut supra possit executio fieri in omnibus et per omnia ut superius dictum est. Heredibus etiam debitoris beneficio inventarii si quod fecerint legiptime integre reservato in quolibet casuum premissorum. Nec possint aliqui tales debitores vel alii contra quos executio peteretur bonis cedendo a predictis liberari vel de carceribus relaxari. Si tamen debitor steterit in carceribus detentus pro quocumque debito pecuniario et quacumque de causa cuiuscumque statuti vigore per sex menses, et non probetur ipsum habere pecuniam vel res mobiles, ex quibus solvere possit, eo parato dare et offerente et dante cum effectu usque ad integram satisfactionem de bonis suis immobilibus in solutum creditori de melioribus secundum estimationem trium bonorum virorum eligendorum per vicarium domini potestatis Bononie suspectis vel confidentibus datis a partibus de dictis carceribus relaxetur. Et beneficio huius statuti renunciari non possit et si fiat renunciatio etiam cum sacramento non valeat ipso iure. Salvo semper, quod in aliquo casuum predictorum neutri partium liceat appellare, nisi semel tantum sive in principali sive in appellationis causa fuerit lata sententia. Addicientes, quod si forma presentis statuti non fuerit observata processus non vitietur, dummodo causa terminetur infra tempora instantie supradicte, sed iudex qui predicta

⁶¹² <vel> *segue* in compromisso *depenmato*.

⁶¹³ <eorum et> *sul margine laterale destro con segno di rinvio*.

non servaverit incidat penam centum librarum bononinorum tempore eius syndicatus auferenda de facto. Et nichilominus teneatur parti lese ad interesse.

[28] **Decisio super pacto de ingrediendo. Rubrica.** [c. 183r]

Quoniam frequenter dubitari contingit et estant in iure prudentium diverse sententie an pactum de ingrediendo quod in instrumentis inferri solet rem afficiat ad quemcumque detentorem perveniat ac etiam possessorem. Idcirco tale dubium declarare ac equiorem⁶¹⁴ nec non magis rationabilem sententiam elligere cupientes prehabita deliberatione matura hac valitura lege declarando statuerunt illorum prevalere sententias, qui senserunt hactenus vigore⁶¹⁵ dicti pacti creditoribus res dicto pacto subiectas alio detinente vel possidente, auctoritate propria vel etiam iudicis citatione partis⁶¹⁶ possidentis non precedente ut infra ‘De pena officialium male iudicantium’ [V, 97] ingredi non licere, declarantes tale pactum debitore vel eius herede non possidente eius res et bona non afficere quoquomodo. Addicientes, quod pactum de precario vel de ingrediendo non extendatur nec locum habeat in aliquibus bonis vel rebus mobilibus⁶¹⁷ vel semoventibus. Non obstantibus aliquibus verbis vel renunciationibus in instrumentis vel aliquibus actis vel scripturis. Et contentis in presenti statuto renunciari non possit, etiam cum sacramenti prestatione, quod ipso iure sit nullum cuius presentis legis vigor obtineat etiam in preteritis transsactione vel sententia non decisis sive aliter terminatis.

[29] **Quod scripturis mercatorum, camporum et aliorum fides adhibeatur ac de executione ipsarum. Rubrica.** [cc. 183r-184r]

Statuimus, quod scriptis et libris rationum scriptis seu scribendis manu alicuius camporis, mercatoris vel alterrius cuiuscumque in quibus confessus fuerit ipse, qui scripsit vel scriptum ab eo re//

[c. 183v]

periatur se aliquid ab eo habuisse vel recepisse vel aliquid penes se habere vel habuisse, quod ad alium pertineret vel aliquid fecisse ex quibus ius alicui queri videatur vel se seu sua bona teneri vel obligatum esse ad aliquid alicui dandum vel faciendum vel se promississe vel promittere aliquid dare vel facere vel se absolvere vel liberare vel absolvisse seu liberasse plena fides adhibeatur et detur in quantum contra eos facerent, qui scripserint vel heredes eorum etiam si parte absente fierent seu facte essent vel si causa, tempus, locus vel sigillum vel aliud signum vel subscriptio propria vel testis vel testes apposita non fuissent. Etiam si exceptioni non numerate pecunie vel alii exceptioni de iure competenti in ipsis scriptis renuntiatum non esset, dum tamen scribens sit masculus et talis, qui se et sua bona sine auctoritate, presentia vel consensu alterrius per publicum instrumentum valeat obligare. Et nisi tales scripte vel scripture cancellate reperiantur cum de earum fide tractaretur. Et si quis uti vellet et uteretur tali scriptura vel libro et ipsum vel ipsam produceret contra ipsum scribentem vel eius heredes in quo vel qua aliquid scriptum esset, quod in ipsius scribentis favorem vel sui heredis⁶¹⁸ faceret contra eum, qui sic uteretur inter ipsas personas et quoad eas tantum dicto libro et scripture pro utraque parte credatur et stetur quatenus concurreret cum quantitate petita⁶¹⁹ etiam si tale scriptum cancellatum esset et ultra non credatur nec

⁶¹⁴ <equiorem> *segue la lettera p depennata.*

⁶¹⁵ <vigore> *segue la lettera p depennata.*

⁶¹⁶ <partis> *segue non precedente depennato.*

⁶¹⁷ <mobilibus> *segue seu mo depennato.*

⁶¹⁸ <heredis> *su rasura.*

⁶¹⁹ <petita> *su rasura.*

stetur. Et quod liceat cuicumque cuius intersit per se vel alium legitime intervenientem dictas⁶²⁰ scriptas et libros seu scripturas librorum petere executioni mandari contra scribentem et eius heredes et in bonis ipsius ac si essent et fuissent publica instrumenta coram vicario domini potestatis vel iudice Aquile vel aliis quibuscumque officialibus comunis Bononie ad civiles causas deputatis, qui seu illi ex eis, qui fuerint adhiti ipsam executionem facere possint et teneantur, salvis statutis societatis artium comunis Bononie legitime approbatis. Et in ipsa et pro ipsa executione fienda procedi possit et debeat in procedendo, terminando et exequendo et tam circa personas quam circa bona, comparante vel non comparante adversario, prout et sicut in statuto nostro ‘De instrumentis et laudis executioni mandandis’ [27] plenius continetur. Et quod omnia ibidem statuta circa executionem publicorum instrumentorum et eorum occasione et etiam circa executionem istarum scripturarum et dictorum librorum statuta et hic repetita intelligantur in quantum ad eos et eas valeant adaptari. Salvo semper quod per tales scriptas vel libros seu scripturas librorum nullum preiudicium generetur vel fiat aliquibus quantum ad bona, qui ius aliquod haberent in bonis ex publico instrumento confecto inter vivos ante primam citationem factam de tali scribente vel eius herede, etiam si post scriptam, vel librum rationum confectum appareret. Declarantes, quod scriptura privata legitime recognita habeat vim publici instrumenti ex tempore recognitionis predictae. Et quod a dicta die in antea bona predicti scribentis sint et esse intelligantur expresse obligata ei in cuius favorem predicta scripta facta esset. Addicientes, quod quilibet, qui scripsisse diceretur et contra quem talis executio fieri peteretur vel contra quem talis scriptura vel liber produceretur etiam si per producentem non peteretur executioni mandari et eius heres teneatur et compellatur opportunis remediis personaliter comparere ad ipsam scripturam seu librum videndum et videndam quem vel quam manu propria ipse vel defunctus scripsisse diceretur et ad recognoscendum et confitendum seu negandum si propria manu scripsit vel non ipse vel defunctus et siquidem negaverit se vel defunctum scripsisse compellatur ille, qui scripsisse diceretur si viveret, manu propria scribere aliquam scripturam, ex qua fieri valeat comparatio litterarum ad litteras scripte seu libri de quo vel qua ageretur. Et ex ea comparatio fieri possit et debeat per duos vel tres notarios civitatis Bononie expertos et fide dignos eligendos per iudicem seu officialem, qui de causa cognoverit de quibus partes ad invicem concordarent, si de hoc concordare fuerint alio suo arbitrio, datis suspectis a partibus si partes dare voluerint, extra numerum suspectorum quorum seu maioris partis eorum declarationi et comparationi credatur et stetur. Que electio et declaratio seu comparatio scribatur in actis per notarium coram quo ventilaretur questio principalis. Et eodem modo fieri valeat et possit comparatio ex alia quacumque scripta seu scriptura, que eiusdem negantis vel defuncti manu propria probaretur per confessionem vel alio modo vel que trium testium subscriptione subscripta reperiretur vel per scripturas publicas, que videantur esse de littera eius, qui scripsisse diceretur. In quibus contineatur nomen eius qui scripsisse diceretur//

[c. 184r f. CLXXIII^{or}]

si fuerit notarius publicus de quibus stetur declarationi dicti iudicis. Et nichilominus, facta comparatione vel non, possit probari per testes principalem scriptam seu scripturam libri de qua ageretur ipsius negantis seu defuncti manu scriptam fuisse. Ubi autem contra negantem probatum fuerit per comparationem vel alio modo ipsum seu defunctum dictam scriptam seu scripturam principalem manu propria scripsisse, penam dupli incidat ipse negans alteri parti applicandam. In quo duplo fieri possit et debeat

⁶²⁰ <dictas> *segue lib depennato*.

si⁶²¹ petatur executio quemadmodum in sorte petita, nisi sit ingnarus litterarum⁶²², quo casu penam non incurrat, nisi scienter negaverit vel alias scripturas manu eiusdem scriptas recognoverit ad petitionem cuiuscumque facta fuerit recognitio. Et nichilominus executio fieri posit in sorte si petatur. Idem in omnibus et per omnia dicimus observari debere in scriptis et descriptis et libris scribanorum aliquorum campsorum vel mercatorum singularium vel alicuius societatis mercatorum vel usurariorum civitatis Bononie vel aliunde ut fides detur contra eos quorum scribani essent et in bonis ipsorum vel possessis per eos fiat executio modo predicto, si executio petatur. Et intelligantur scribani⁶²³ persone vel societatis ille et illi de quo seu quibus est vel erit publica vox et fama ipsum esse et fuisse scribanum talis persone vel societatis de qua ageretur tempore confectionis talis scripture seu tempore in scriptura contento, sive dictus scribanus fuerit etatis legitime, sive non.

[30] **Qualiter procedatur in causis civilibus reo non comparente. Rubrica.** [cc. 184r-186r]

Ordinamus, quod si quis per se vel per alium agere voluerit contra aliquam personam vel universitatem aliqua actione vel officio iudicis quod pro actione proponeretur, teneatur ante omnia qualem qualem petitionem offerre coram iudice seu officiali, quem adiverit et in actis scribi facere petitionem ipsius et ipsam personam seu universitatem, contra quam agere vellet, seu petitionem offerret citari facere secundum formam statuti nostri ‘De modo citationum fiendarum’ [2], hoc addito quantum ad contenta in hoc statuto quod ubi prima citatio fieri deberet per duos nuntios fieri debeat duobus diversis diebus, silicet per unum pro qualibet die. Et siquidem pars citata comparuerit, tunc procedatur secundum formam statutorum nostrorum positorum sub rubrica ‘De vocatis in iure et venientibus’ [4] et⁶²⁴ aliarum nostrorum statutorum quibus forma traditur in procedendo contra comparentes quatenus petitioni possunt adaptari. Si vero non venerit vel venerit et non steterit legitime elapso termino comparitionis parte actoris comparente et primo iurante de calumpnia et petente sibi dari tenutam de bonis dicte partis citate seu rei petite iudex seu officialis interloquendo pronunciet contra dictam partem citatam etiam ad audiendum pronunciationem non requisitam dictam tenutam dandam esse pro mensura quantitatis seu summe petite et expensarum si de quantitate et summa ageretur vel pro mensura estimationis facti ad quod ageretur et expensarum ut supra vel ipsius rei que peteretur si ad rem principaliter ageretur, etiam nullo alio probato vel discusso. Qua pronunciatione facta, eadem die vel postea, cum iudici videbitur, ad petitionem partis actoris iterum requiratur dicta pars primo citata et per alium nuncium, quod veniat in termino statuto per iudicem ad se defendendum a dicta sententia seu pronunciatione et ne executioni mandetur in tenutam dando, ut supra. Ad quem actum una sola citatio, etiam si pars inventa non fuerit, sufficiat. Et si non venerit legitime in termino per se vel alium pars autem actoris comparuerit dicta pronunciatio executioni mandetur in dando tenutam in pronunciatione contentam parti actoris et ad eius petitionem vel alterri pro eo recipienti de bonis requisite persone vel universitatis primo mobilium, secundo immobilium, tertio iurium et nominum si bona reperiantur seu de re vel spetie petita si hoc petatur, salvo iure omnium. Et ubi dicta tenuta data fuerit siquidem agatur personali ad rem⁶²⁵ aliquam quantitatem vel summam vel factum possit

⁶²¹ <si> segue de depennato.

⁶²² <litterarum> segue quo casu depennato.

⁶²³ <scribani> corregge scribanus.

⁶²⁴ <et> segue aliorum depennato.

⁶²⁵ <rem> in infralinea con segno di inserzione.

iudex, qui tenutam dari fecerit parti actoris hoc petenti⁶²⁶ dare in solutum ex secundo decreto de bonis de quibus data fuerit tenuta, in totum vel pro parte, et non de aliis quatenus reperta fuerint sufficientia iuxta estimationem fiendam per estimatores asumendos pro satisfactione quantitatis seu summe petite vel estimationis facti et expensarum et⁶²⁷ oblata prius secunda petitione a dicta parte actoris, in qua petat sibi predicta bona adiudicari, cuius petitio in actis redigatur ut supra et facta proclamatione seu crida per unum ex bannitoribus comunis Bononie in palatio veteri dicti// [c. 184v]

comunis ante discum seu ad discum iudicis, coram quo causa ageretur, alta voce, magno sono tube premissa, quod siquis est qui habeat ius in dictis bonis vel dicta bona defendere velit, veniat coram dicto officiali infra quinque dies a die cride, qui terminus prorogari possit arbitrio iudicantis et etiam facta alia simili crida per unum nuncium comunis Bononie in loco in quo citari debuisset secundum formam dicti statuti 'De modo citationum' [2] dando similes dillationes ad veniendum. Si vero ipse vel sua familia non habitaverit, nec solitus fuerit habitare in civitate, guardia vel comitatu vel districtu Bononie fiat similis crida ad rem seu ante rem, de qua fuerit data tenuta predicta, per predictum nuncium et una crida similis supradicte per unum ex bannitoribus comunis Bononie super qualibet scalarum palatii veteris comunis Bononie, que dilationes prorogari valeant ut supra. Et si infra dictas dillationes aliqui comparerent, contra quos non agatur, volentes defendere dicta bona tamquam sua vel ad se spectantia vel pertinentia vel tempore tenute date a se possessa vel ab eo, pro quo compareret, in totum vel pro parte, audiatur faciendo scribi in actis tempore comparitionis causas et iura ex quibus intendit deffendere dicta bona vel porrigendo suam petitionem in qua causa⁶²⁸ et iura ex quibus intendit deffendere dicta bona contineantur. Et si pars actoris presens vel ad hoc citata negaverit vera esse, que per comparentem proponuntur vel aliter contradixerit legiptimatis personis, si legiptimari debuerint, quia de personis contendatur per partes vel earum alteram ordinentur dilationes comparenti pro defensione predicta, etiam si alieno nomine compareat ad probandum de iure proposito pro defensione predicta arbitrio iudicantis. Et si infra dictas dillationes probaverit legiptime elapsis dictis dilationibus quantum ad bona defensa processus tollatur et tenuta data revocetur, si hoc petierint defensores bonorum. Nec per hoc defensoribus ius aliquod ex predictis acquiratur in bonis defensis in quibus omne suum ius cuilibet reservamus. Et eo casu procedatur in aliis bonis⁶²⁹ si qua remaneant indiscussa etiam si⁶³⁰ de eis tenuta data non fuisset, quo casu de hiis, de quibus data non fuisset, de novo detur ex eisdem actis. Et quoad allia bona fiant cride post tenutam et procedatur ut supra et infra. Si vero non⁶³¹ probatum fuerit, de ceptero non audiatur, donec fuerit lata sententia, nec propterea iuri ipsorum non probantium derrogetur, si, lata dicta sententia, via ordinaria voluerit experiri contra quemcumque possessorem etiam contra ipsum cui adiudicarentur in solutum. Ubi autem infra terminos cridarum aliquis comparuerit per se vel alium, qui dicat se vel illum pro quo comparuerit ius habere in dictis bonis de quibus data est tenuta vel de novo daretur, ut supra, vel contra debitorem de cuius bonis data fuerit et cum ipso, qui tenutam meruerit, concurrere voluerit et comoditatis ipsius tenute esse particeps audiatur offerendo petitionem suam. Et dato curatore bonis absentis et indefensi per iudicem, coram quo

⁶²⁶ <petenti> *corregge* petentis.

⁶²⁷ <et> *in infralinea*.

⁶²⁸ <causa> *corregge* causam.

⁶²⁹ <bonis> *segue* si qua *depennato*.

⁶³⁰ <si> *sul margine laterale sinistro con segno di rinvio*.

⁶³¹ <non> *segue* procedatur *depennato*.

causa vertitur, sive aliquis comparuerit sive non, procedatur in causa cuiuslibet, qui procedi petierit, contradictione facta per dictum curatorem et datis dillationibus ad probandum arbitrio iudicantis adiudicetur insolutum prout de iure debuerit. Curator autem predictus nullum inventarium facere teneatur. Item dicimus, quod missus in possessionem ex primo decreto, ubi personali actione agatur, ut supra, lucretur fructus rei in cuius possessionem missus est pro rata quantitatis et summe vel rei seu estimationis facti quod vel que petitur et pro tanto tempore pro quanto steterit in possessione. Si autem is, contra quem facta est missio in personali, ut supra, comparuerit ante contradictionem factam cum curatore volens recuperare tenutam audiatur recipiendo petitionem incontinenti et dilationem ad respondendum petitioni arbitrio iudicantis et refficiendo expensas parti actoris, quas fecerit in nunciis interlocutoria et tenuta et aliis actis retro factis et prestita satisfactione de suscipiendo litem et stando in iudicio per se vel alium⁶³² et alia faciendo, que requiruntur ex forma iuris et statutorum nostrorum et de fructibus rei in qua fuerit facta missio dandis dicto actori pro rata temporis quo steterit in possessione actor si fructus penderent tempore recuperationis dicte tenute vel post tenutam et ante recuperationem dicte tenute ad ipsum debitorem vel ad alium pro eo pervenissent, sub pena, considerato quod petitur, iudicis arbitrio declaranda, que pena loco interesse succedat. Et si talis, qui recuperaverit tenutam postea contumax fuerit non comparendo et litigando continue usque ad diffinitivam sententiam possit pars actoris agere ad penam predictam, si voluerit. Si vero noluerit, sed potius velit tenutam sibi restitui possit et teneatur//

[c. 185r f. CLXXV]

iudex eandem tenutam restituere eidem summarie et procedere ad dationem⁶³³ in solutum, ut dictum est, non admissio aliquo modo ipso convento vel alio pro eo volente iterum recuperare tenutam⁶³⁴. Sed contradictione facta per curatorem sive ante nullo modo⁶³⁵ comparuerit sive comparuerit sed destiterit non audiatur, nisi ut possit per se vel alium adesse cause et docere de iure suo, una tamen via electa, et ex ea executione secuta altera via tollatur. Cum quo curatore in quolibet casuum predictorum et in causa predicta possit summarie procedi. Si autem nuntii referant se non invenisse de bonis citate persone vel universitatis aliquid vel tantum, quod sufficiat ad mensuram quantitatis seu summe petite et expensarum, tunc iudex, coram quo causa ageretur, mittat duos nuncios successive divisim et diversis diebus, scilicet unum pro qualibet vice et secundum post lassum⁶³⁶ prime dilationis assignate in prima crida, qui crident alta voce in contrata proprie habitationis vel solite principalis persone convente vel ubi citari debuerit ex forma nostrorum statutorum vel in congregatione universitatis seu in locis ubi universitas citari debet, quod si quis est, qui sciat de bonis dicte persone citate vel universitatis, de quibus possit capi tenuta mandata per ipsum iudicem, venire debeat coram ipso iudice ad indicandum et ostendendum bona persone vel universitatis citate et requisite termino in una quaque crida seu citatione duorum dierum statuto. Et nichilominus inquirant dicti nuntii a vicinis dicte persone si estent alias ab aliquibus morantibus in capella, in qua citari debuisset ipsa persona, si aliqui in ea habitant et vicinis vel aliis habitantibus in dicta capella deficientibus, tunc ab aliquibus personis, qui sint de aliqua capella propinqua capelle in qua dicta persona citari debuisset ex forma dicti nostri statuti et a vicinis universitatis requisite si sciverint de bonis citate persone vel universitatis requisite, quod debeant indicare dictis nunciis et ipsi nuntii

⁶³² <alium> segue et prestita satisfactione depennato.

⁶³³ <dationem> segue in solutum depennato.

⁶³⁴ <tenutam> corregge tetunutam.

⁶³⁵ <modo> in infralinea con segno di inserzione.

⁶³⁶ <lassium> nel testo lassum.

debeant refferre, dicto iudici, coram quo causa agetur, si qua bona reperiantur⁶³⁷ et in eis detur tenuta⁶³⁸. Et si infra predictos terminos nulli veniant indicantes vel ostendentes de dictis bonis eo casu iudex vel officialis pronunciet non reperiri de bonis conventi ullo modo et bona ipsius conventi excussa fore. Et sic intelligatur esse⁶³⁹ excussio legitime facta, ita quod contra eam de ceptero non possit opponi, si predicta fuerint observata. Et de predictis⁶⁴⁰ stetur relationi dicti nuntii, nisi contrarium probaretur. Si vero venerit aliquis infra terminos supradictos de⁶⁴¹ dictis bonis indicans et ipsa bona dicat ipsum conventum possidere tamquam sua et pro suis et hoc per partem actoris negetur illico statuatur ei terminus octo dierum ad probandum predicta, prius tamen satisfacere cogatur ipse indicare volens de refficiendis impensis et interesse parti actoris si non probaverit. Et si postea in termino nichil sufficiens probatum fuerit pronuntiet iudex, ut supra quando nulli comparuerint. Si vero probatio facta fuerit de aliquibus bonis possessis per conventum pro suis et tamquam suis sufficientibus in totum vel pro parte ad quantitatem vel sumam seu estimationem predictas et expensas vel nuncius seu nuntii retulerint hoc, tunc actor prosequi teneatur iura sua in ipsis bonis contra ipsum vocatum et tenutam accipere de eis et in solutum mereri pro predictis. Et si non sufficiant remaneat ius suum in resciduo sibi salvum in bonis per extraneum possessis, que fuerint ipsius conventi et excussio intelligatur et sit legitime facta. Et contra eam nichil possit amplius opponi, ut supra. Et ille qui bona indicaverit et non probaverit condempnetur in libris decem bononinorum solvendis parti actoris et in expensis ipsius ut calumpniantium reffrenetur temeritas. Facta vero excussione bonorum conventi debitoris, ut supra, possit et teneatur officialis, qui de causa cognoverit ad petitionem actoris dare curatorem unum de hiis notariis, qui electi fuerint in consilio quatuormilium notarii et officiales ad inventaria conficienda pro eo tempore, liti et cause predicti conventi non comparentis indefense. Cum quo curatore procedi possit in causa predicta ad litis contestationem vel quasi seu contradictionem fiendam petitioni dicti actoris et ad probationes faciendas et ad omnia acta cause, usque ad sententiam diffinitivam inclusive. Et valeant et teneant fienda cum dicto curatore in favorem et preiudicium dicti talis conventi et non comparentis eo modo et forma, quo et qua valerent, si omnia predicta legitime facta et agiptata fuissent cum dicto tali convento vel cum legitimo defensore. Que sententia postea possit et debeat per quemcumque officialem comunis Bononie exequi et executioni mandari contra dictum debitorem realiter et personaliter//

[c. 185v]

perinde ac si legitime in iudicio adfuisset et per sententiam fuisset legitime condempnatus. Et si debitor⁶⁴² vel eius familia aliquo tempore non habitaverit in civitate, comitatu vel districtu Bononie sufficiat, post sententiam latam omnia agiptari et fieri cum dicto curatore et eidem mandatum de solvendo fieri, que fieri debuissent et possent cum principali debitore seu ipsi debitori. Et valeant predicta sic fienda perinde et ac si esset principalis debitor et si ipsi principali debitori legitime mandatum foret. Addicientes, quod si conventus postea ypothecaria dicat in bonis debitoris, contra quem dicitur excussio facta, esse, fuisse tanta bona, que sufficiebant ad solutionem quantitatis vel summe seu estimationis predictarum tempore dicte excussionis et etiam tempore oblate petitionis super ypothecaria ipsi convento et predictis temporibus per ipsum

⁶³⁷ <reperiantur> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 17 lettere annullato da una linea sagittale.

⁶³⁸ <tenuta> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁶³⁹ <esse> in infralinea con segno di inserzione.

⁶⁴⁰ <predictis> segue seti depennato.

⁶⁴¹ <de> segue la lettera b depennata.

⁶⁴² <debitor> nel testo dedebitor.

debitorem posessa fuisse et hoc probaverit infra dillationem a iudice statuendam, citato dicto principali debitore, si velit contradicere dicte probationi, qui ad probandum, si velit, contrarium admittatur, tunc super ipsa ypotecaria amplius non procedatur, sed detur tenuta de dictis bonis, in quibus facta fuerit probatio fore posessa dictis temporibus per debitorem predictum, nullo alio contradictore audito. Et procedatur contra dictum principalem debitorem et dicta bona secundum formam presentis statuti perinde ac si ante tempus dicte excussionis tenuta de dictis bonis tunc possessis per dictum debitorem data fuisset, lapsu temporis vel alio iure non obstante. Et si non probaverit ipse conventus ypotecaria vel eius probatio fuerit reprobata super ypotecaria ipsa procedatur. Sed si conventus ypotecaria tempore cridarum factarum occasione excussionis specialiter citatus fuerit⁶⁴³, quod compareat si velit indicare bona ipsius debitoris conventi et non comparuerit vel comparens etiam sine citatione non indicaverit seu indicata non probaverit post ipsam excussionem factam amplius predicta opponens non audiatur, nec contra ipsam excussionem aliquid opponere possit. Ubi autem ypotecaria vel alia reali actione vel mista seu personali ad rem sive speciem dandam, tradendam vel restituendam agatur, tunc data tenuta predictae rei seu spetiei petite, missus ex tunc incipiat vere possidere et lucretur fructus pro ea parte temporis qua steterit in possessione dicte rei. Volens autem conventa persona vel universitas ypotecaria vel alia reali actione vel mista aut personali ad rem sive speciem dandam, tradendam vel restituendam infra annum recuperare tenutam audiatur per se vel alium legiptime, si dicat se possidere rem vel speciem petitam et petitionem recipiet et dillationem ad respondendum petitioni secundum formam dicti statuti et satsidet de lite suscipienda secundum formam predictam et reficiat impensas nunciorum sententiae et tenute et aliorum actorum et satsidet de dandis fructibus actori pro ea parte temporis, qua ipse actor steterit in possessione. Et si dictam tenutam recuperaverit, ut supra, et non venerit ad causam nec steterit usque ad⁶⁴⁴ diffinitivam sententiam et actore vel alio pro eo petente ipse actor vel alius pro eo de novo missus fuerit in possessionem, volens iterum, conventa persona seu universitas, recuperare tenutam non audiatur etiam veniens infra dictum terminum. De proprietate autem vel ypoteca audiatur infra annum et post offerendo petitionem, ita quod de possessore fiat petitor. Si vero is de cuius bonis data fuerit tenuta vel adiudicatio in reali vel alia quacumque actione facta et sua familia non habitaverit nec solita fuerit habitare in civitate, guardia, comitatu vel districtu Bononie et comparuerit infra biennium a die adiudicationis vel tenute date et indebite et iniuste fore petitum probaverit vel debitum et expensas solvere voluerit vel ipso creditore recipere recusante, obtulerit, consignaverit et deposuerit secundum formam iuris, ipse debitor audiatur et processus tollatur et sublatus sit et esse intelligatur, si res accepta estat, alias recuperet estimationem pro qua accepta fuerit sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii. Addentes propter varietates temporum et mutationes, que fuerunt in millesimo trecentesimo quinquagesimo et ab inde citra usque ad annos domini mille trecentos sexaginta die primo mensis aprilis, quod quicumque possit et valeat agere quacumque actione reali, non obstantibus aliquibus provisionibus, decretis, rescriptis, beneficiis, privilegiis seu statutis in volumine statutorum comunis Bononie non descriptis vel aliquibus sententiis vigore predictorum in possessorio latis, impetratis, conditis, factis seu obtentis dicto tempore et non obstantibus aliquibus verbis etiam derogatoris et in eis contentis quorum seu quarum vigore de ceptero//

[c. 186r f. CLXXVI]

⁶⁴³ <citatus fuerit> *sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

⁶⁴⁴ <ad> *segue la lettera s depennata.*

agi vel excipi non possit. Si vero missus in possessione ex prima missione steterit per annum in possessione, si is contra quem missio facta est, sive alius recuperavit tenutam sive non, non audiatur de possessione, sed de proprietate vel ypoteca audiatur offerendo petitionem, ita quod de possessore fiat petitor.⁶⁴⁵ Dicimus etiam, quod ille contra quem facta fuit missio ex interlocutoria quacumque actione actum fuerit, elapsis decem diebus a die ipsius missionis seu tenute date ad petitionem partis actoris expellatur de ipsa possessione, si in ipsa possessione fuerit ipse, vel alius pro eo, iuris remediis⁶⁴⁶ et etiam precipiatur eidem personaliter vel ad domum habitationis sue solite, quod in ipsa possessione ingredi vel stare non debeat, nec ipsum missum vel alium eius nomine in possessione existentem turbare vel molestare debeat. Et siquidem ingressus fuerit vel steterit in ipsa possessione aut turbaverit vel molestaverit per se vel alium missum in possessione ex interlocutoria predicta vel alium in ea existentem eius nomine vel impediens missum vel mitti iussum vel alium eius nomine quominus⁶⁴⁷ mitatur vel inducatur in possessionem predictam condempnetur talis turbans vel impediens mitti iussum in centum libris bononinorum sumarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii per iudicem et officialem de cuius seu quorum mandato dicta missio seu iussum de mitendo processerit, sine alio processu de novo fiendo. Et nichilominus pars actoris manuteneatur in possessione et reus expelatur vel qui pro eo esset manu militari et iuris remediis oportunis⁶⁴⁸. Preterea dicimus, quod ille etiam contra quem ageretur ypotecaria vel alia actione reali vel personali vel mista ad rem vel speciem post citationem de eo factam, quando contumax fuit vel quasi, non possit alienare aliquo titulo vel in alium transferre per se vel alium rem pro qua citatio facta fuerit in totum vel pro parte aliqua vel alienanti seu transferenti consentire et si contrafecerit non valeat alienatio vel translatio ipso iure in preiudicium eius ad petitionem cuius citatus esset et ad omnia subsequencia procedi possit et debeat ac si talis translatio vel alienatio facta non fuisset. Et predicta locum habeant in maioribus et minoribus conventis seu convenientibus salvis semper beneficiis nullitatis, apellationis et restitutionis in integrum in personis et casibus a iure permissis, secundum modum nostrorum statutorum. Decernimus insuper, quod si contingat aliquem pignorari pro aliqua quantitate re vel facto quantitatis summe seu estimationis decem librarum bononinorum vel ab inde infra, in qua debitor alicuius esse dicatur possit et teneatur iudex seu officialis coram quo predicta processerint ad petitionem creditoris facta sibi fide de debito citari facere debitorem, quod veniat infra certum terminum per ipsum iudicem seu officialem statuendum ad luendum pignora vel quod solvat debitum alias dabuntur pignora insolutum pro debito et expensis legitimis creditori. Et si comparuerit estimentur pignora predicta per unum vel duos arbitros seu estimatores adsumendos per dictum iudicem seu officialem, prestito prius sacramento super dicta estimatione legaliter et bona fide facienda, et debitore citato ad dandos suspectos estimatores seu confidentes, si dare voluerit et ad videndum extimatores iurare et estimare et contradicendum ne predicta fiant. Et si non comparuerit vel comparuerit et non satisfecerit creditori, posit procedi ad estimationem predictam faciendam. Et teneatur et debeat iudex seu officialis aditus pro predictis dicta pignora et res dare et adiudicare in solutum creditori, usque ad concurrentem quantitatem⁶⁴⁹ debiti et expensarum dicta de causa factarum. Hoc addito, quod siquis⁶⁵⁰ alius quam debitor compareat ante adiudicationem factam et dicat se ius habere in dictis rebus videantur et

⁶⁴⁵ *Sul margine laterale destro di questo paragrafo è tracciata una manicola.*

⁶⁴⁶ <remediis> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁶⁴⁷ <quominus> minus *in infralinea con segno di inserzione.*

⁶⁴⁸ <remediis oportunis> *di seguito sul margine destro.*

⁶⁴⁹ <quantitatem> *segue concurentem depennato.*

⁶⁵⁰ <siquis> *in infralinea.*

examinentur iura utriusque infra decem dies in hiis non computatis diebus feriatis per nostra statuta et infra dictos decem dies dicta questio terminetur. Super quibus omnibus et singulis procedi possit⁶⁵¹ summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii etiam obmissis et non servatis solempnitatibus iuris et statutorum comunis Bononie. Et idem in omnibus fieri et observari volumus ubi actor meruerit tenutam ex primo decreto de bonis debitoris pro quantitate predicta decem librarum bononinorum sortis nomine et expensarum. Et valeat et effectum habeat dicta adiudicatio in solutum ac si ex primo et secundo decreto facta esset et servata essent solempnia iuris et statutorum comunis Bononie.//
[c. 186v]

[31] **De processu fiendo contra incertos heredes. Rubrica.** [cc. 186v-187r]

Placet, quod contra incertum heredem quocienscumque agi contingerit possit petitio porrigi, in qua facta narratione eius, quod petitur et ipsius cause, si dicatur ingnorari quis sit heres vel esse velit defuncti, qui dicitur obligatus fuisse, possit in ipsa petitione peti quamcumque personam que sit vel esse velit heres⁶⁵² defuncti condempnari, cogi et compelli etiam si certa persona vel nomen heredis in tali petitione non exprimatur. Et etiam contineatur in ipsa petitione quod nemine comparente qui sit vel esse velit et possit esse heres defuncti predicti, quod actor mittatur vel alius eius nomine in possessionem bonorum hereditariorum dicti defuncti tam quam defuncti sine herede vel successore et talis petitio admitatur. Qua petitione porecta, fiant due cride per duos nuncios diversis diebus videlicet, per unum pro qualibet vice ante domum et in contrata ultime solite habitationis defuncti seu in contrata in qua citari debuisset defunctus secundum formam statuti nostri, quod siquis est qui sit vel esse velit heres et esse possit predicti defuncti vel bona hereditatis dicti defuncti velit deffendere nominando et prenominando ipsum defunctum comparere debeat coram tali iudice seu officiali coram quo vel quibus dicta petitio fuerit porrecta infra certum terminum declarandum in ipsa crida. Et siquidem nulla persona comparuerit, que dicat se heredem esse vel esse velle seu qui bona hereditaria velit defendere, tunc prestito prius sacramento ab actore vel eius parte de calumpnia pronunciet iudex ad petitionem partis agentis ipsum actorem seu alium eius nomine mitendum esse in possessionem bonorum defuncti seu hereditatis eius pro mensura quantitatis petite tamquam de bonis heredum, si qui sunt, quamquam non comparentium. Et si nulli essent tamquam de bonis defuncti sine herede vel successore nemine comparente. Qua pronunciatione facta iterum fiat alia crida et per alium nuncium ad domum predictam, quod siquis est qui esse velit et possit heres esse dicti defuncti vel bona hereditatis ipsius velit deffendere infra terciam diem adsignandam in ipsa crida debeat comparere coram dicto iudice vel officiali ad contradicendum quidquid vult, ne pronuntiatio facta per dictum iudicem vel officialem de mitendo in possessionem partem agentem in bonis hereditatis ipsius defuncti mandetur executioni. Et nemine comparente mitatur ipse actor vel alius eius nomine in possessionem bonorum hereditatis dicti condam defuncti pro mensura quantitatis petite seu estimationis facti et expensarum si bona sufficientia reperiantur in totum vel pro parte. Et ipsa missione facta detur secunda petitio in qua petatur dicta bona hereditatis defuncti in quibus facta esset missio sibi adiudicari in solutum ex secundo decreto pro quantitate seu estimatione predicta et expensis iusta estimationem vel quatenus estimatio adscendit si bona sufficientia non sint. Et ea secunda petitione porecta fiant cride in palatio et procedatur ad curatoris dationem et ad alia secundum quod procederetur si certa fuisset persona conventa ab initio secundum formam statuti nostri

⁶⁵¹ <possit> *segue sup depennato.*

⁶⁵² <heres> *segue ve depennato.*

positi sub rubrica ‘Qualiter procedatur in causis civilibus reo non comparente’ [30]. Si vero tempore dande tenute retulerit nuncius se non invenisse aliqua bona hereditatis dicti defuncti vel tantum, quod sufficiat ad mensuram quantitatis seu estimationis predictarum et expensarum quo etiam casu, facta prius adiudicatione ipsorum bonorum non sufficientium pro concurrenti quantitate seu extimatione, tunc, et ante, si hoc petatur, mitantur duo nuncii diversis diebus, videlicet unus pro qualibet vice, qui crident publice et alta voce in contrata et ante domum predictam, quod siquis est, qui sciat de bonis hereditatis dicti defuncti ipsa bona debeat indicare. Et etiam inquirant dicti nuntii de bonis predictis. Et sive aliquis comparuerit ad indicandum sive non, procedatur ad ipsam excussionem faciendam et ad alia secundum formam dicti statuti ‘Qualiter procedatur in causis civilibus reo non comparente’ [30], ita quod adiudicatio seu excussio bonorum et alia fiant et fieri possint perinde ac si certa persona ab innitio esset conventa. Si autem ante dationem curatoris vel postea ante contradictionem factam petitioni per dictum curatorem comparuerit aliquis, qui dicat se heredem esse predicti defuncti et sit talis persona, que de iure possit admitti ad hereditatem predictam, tunc cum ipso herede procedatur perinde ac si eius nomen fuisset expressum in petitione predicta et ab innitio comparuisset secundum formam nostri statuti ‘De vocatis in iure et venientibus’ [4]. Et si contradictione facta petitioni per curatorem comparuerit, non audiatur, nisi ut ipse heres possit adesse cause et docere⁶⁵³// [c. 187r f. CLXXVII⁶⁵⁴]

de iure suo. Set si comparuerit ante dationem dicti curatoris sive ante contradictionem factam petitioni per ipsum curatorem aliqua tercia persona, que dicat si velle deffendere dicta bona tamquam defensor, procedatur cum eo tamquam cum defensore, prestita satisdatione secundum formam nostri statuti positi sub rubrica ‘De eo qui venerit ad defensionem alterius’ [5]. Declarantes, quod si in aliqua parte processus postea quandocumque constiterit agentem scivisse vere vel presumptive certos heredes eius de quo ageretur antequam petitioni per curatorem fuerit contradictum processus non valeat in preiudicium dicti certi heredis postea comparentis. Ubi autem aliquis compareat, qui velit cum curatore causam agere vel qui velit bona deffendere suo nomine procedatur et fiat in omnibus et per omnia ac si certa persona ab ipso initio conventa fuisset. Et predicta locum habeant etiam in quacumque actione, officio seu iure agatur seu intentetur etiam si non petatur condempnari, cogi vel compelli quatenus predictis possunt adaptari.

[32] **De bannis dandis pro debito. Rubrica.** [cc. 187r-187v]

Ordinamus, quod si aliquis debitor alicuius esse dicatur ex aliquo publico instrumento, testamento vel aliqua ultima voluntate vel aliqua privata scriptura, cui fides debeat adhiberi pro aliqua quantitate⁶⁵⁵ pecunie vel summa aliquarum rerum que in pondere vel mensura conscistant vel pro aliqua re mobili que principaliter in obligatione venisset vel relicta fuisset vel pro aliqua pena adiecta in compromisso, pacto vel alicui facto vel spetiei vel heres talis debitoris et vellet ille qui creditor diceretur talem qui debitor esse diceretur vel eius heredem banniri facere pro debito procedatur hoc modo et forma videlicet, quod ad petitionem ipsius talis creditoris vel alterius qui pro eo legitime intervenerit instrumento testamento aut ultima voluntate vel scripta ex quo vel qua banniri peteretur prius coram iudici seu officiali in actis exhibitis⁶⁵⁶ et productis quod

⁶⁵³ *Nel margine inferiore della carta: de iure suo.*

⁶⁵⁴ *Nel margine superiore della carta: 1380.*

⁶⁵⁵ <quantitate> *segue* vel *summa depennato.*

⁶⁵⁶ <exibitis> *segue* vel *depennato.*

in actis debeat apparere citetur ipse talis debitori semel inventus et bis non inventus secundum formam nostri statuti 'De modo citationum fiendarum' [2] quod veniat coram iudice vel officiali qui citari fecerit in termino qui fuerit ordinatus qui semper certus debeat ordinari ad respondendum de iure tali qui se dicit eius creditorem ex tali testamento instrumento seu ultima voluntate vel scripta privata pro tali quantitate summa vel re seu pena quo instrumento, testamento vel ultima voluntate vel scripta contineretur ponendo nomen notarii, qui scripserit instrumentum, testamentum vel ultimam voluntatem et diem ipsius et etiam eius qui dictam scriptam fecisse diceretur et diem ipsius pro qua quantitate, summa vel re seu pena dictus creditor per se vel alium petit ipsum banniri pro debito alioquin si non venerit ponetur in banno. Et siquidem citatus non venerit in termino pro se vel alium creditur legitime per alium nuntium alta voce in loco in quo citari debuerit quod veniat coram ipso iudice seu officiali qui citari fecerit infra terciam diem a die dicte cride si fuerit habitator civitatis Bononie vel burgorum seu guardie eiusdem ipse debitor. Si vero comitatus vel districtualis infra quinque dies a die dicte cride ad respondendum ut supra alias bannietur ut supra. Et si non venerit ipse vel alius pro eo infra vel intra dictos terminos elapso dicto termino comparitionis creditur in banno pro debito in prima citatione contento infra octo dies ad plus per unum ex bannitoribus comunis Bononie in palatio veteri dicti comunis ad discum seu ante discum officialis coram quo citatus fuerit publice et alta voce horis iuridicis magnoque tube sono premissis quia non venit ad respondendum ut supra nominando ad⁶⁵⁷ minus creditorem se illum qui pro eo veniat et debitorem citatum et pro qua quantitate dicendo ex actis talis notarii ad talem discum ubi fieret ipse crida. Si vero non venerit infra tres dies a die dicte cride bannitoris citatus et creditur exemplatur in banno in libris bannitorum comunis Bononie per alterum ex notariis officio bannitorum infra tres dies ad plus elapso termino supradicto trium dierum scriptis primo citationibus et cridis in actis per notarium actorum coram quo acta fuissent facta et data forma banni per dictum notarium actorum alteri ex notariis predictis bannitorum. In qua forma banni et exemplationis ipsius contineatur nomen et cognomen citati et capella, terra seu locus de qua vel quo fuisse diceretur vel nominaretur ipse citatus prout in citationibus continebitur et causa summatim debiti et ad cuius petitionem et ex cuius instrumento, testamento//

[c. 187v]

vel ultima voluntate seu scripta et pro qua quantitate summa vel re seu pena et ex cuius notarii et officialis actis formatum fuerit. Et de tali formatione et forme datione credatur scripture notarii bannitorum exemplantis et dicentis exemplatum ex actis talis notarii ad talem discum qui scripserit acta et de die dicte exemplature. De aliis vero actis et solempnitatibus precedentibus actis notarii actorum credatur et stetur, nisi in predictis contrarium probaretur. Que formato datio et exemplatio fieri valeat etiam tempore feriato et nullo mandante petente vel citato. Et si aliter bannitus vel scriptus fuerit in banno pro non bannito habeatur et possit et debeat cancellari et pro cancellato habeatur et sit. Si vero bannitus et exemplatus fuerit ut supra possit postea quodcumque etiam tempore feriato de mandato officialis⁶⁵⁸ qui eum banniri fecerit vel alterius cuiuscumque officialis comunis Bononie civilibus causis prescientis ad petitionem creditoris seu eius qui banniri petierit vel alterius pro eo legitime intervenientis vel habentis causam ab ipso creditore capi et detineri in carceribus dicti comunis, donec absolutus fuerit vel satisfecerit creditori vel habenti causam ab eo de contentis in banno vel donec placuerit creditori etiam non facta satisfactione predicta, dum tamen talis bannitus in domo vel de

⁶⁵⁷ <ad> segue ad dittografato.

⁶⁵⁸ <de mandato officialis> dittografato e depennato.

domo sue proprie habitationis pro tali banno vel debito invitus extrahi vel capi non possit.⁶⁵⁹ Quod mandatum dictus officialis facere possit etiam⁶⁶⁰ bannito absente et non citato et quocumque tempore etiam feriato. Et nichilominus ad petitionem partis creditoris procedi possit contra ipsum debitorem et in bonis ipsius vel ab eo possessis seu pro debito obligatis et aliis quibuscumque remediis ut creditor sibi debitum consequatur, salvo semper quod non possit banniri vel capi pro debito aliquis septuagenarius pupulus furiosus vel mentecaptus vel mulier. Nec etiam possit aliquis banniri ad petitionem alicuius usurarii publici vel manifesti vel sui heredis ex contractu defuncti seu habentis causam ab ipso usurario vel eius herede ex contractu predicto pro aliquibus usuris penis etiam facto adiectis dampnis vel interesse appositis vel apponendis in aliquibus instrumentis vel scripturis factis vel fiendis super aliquibus principalibus obligationibus vel promissionibus quantatum sumarum vel rerum seu factorum que fierent vel facte essent usurariis supradictis si sic usurarii fuerint ipsi principales creditores tempore talis obligationis et promissionis contracte vel contrahende. In quibus probationem fieri sufficiat coram officialibus comunis Bononie qui cognoverint de predictis. Et quod fuerit publicus vel manifestus usurarius ut supra sufficiat quo ad predicta probatio de publica voce et fama fienda per quatuor testes bone opinionis et fame etatis ad minus viginti annorum, de qua etate stetur pronuntiationi seu declarationi iudicis coram quo questio verteretur.

[33] De eo qui positus fuerit in banno quod velit dicere nullum et de eo petere se cancellari. Rubrica. [cc. 187v-188v]

Mandamus, quod si contigerit aliquem conscriptum in banno pro debito cancellari velle de ipsa descriptione vel quia satisfecerit ipsi creditori vel ab eo liberatus fuerit post bannum possit et debeat cancellari per alterum ex notariis officio bannitorum solvendo comuni Bononie quinque⁶⁶¹ solidos bononinorum si fuerit de quantitate quinquaginta librarum bononinorum vel infra. Et si fuerit de quantitate centum librarum vel infra usque ad quantitatem quinquaginta librarum, decem solidos bononinorum. Et ab inde supra cuiuscumque fuerit quantitatis, viginti solidos bononinorum quia passus fuerit se poni in banno sive fuerit detentus pro banno sive non etiam sine petitione, pronuntiatione vel consilio alicuius. Si vero petatur fieri cancellatio ex eo quod minus solempniter bannitus vel descriptus fuerit in banno vel quia banniri non potuit ratione persone vel cause pro qua baniretur, tunc oblata petitione ab ipso descripto per se vel alium legitime coram dominis et officialibus officio banitorum super tali cancellatione et parte adversa legitime citata secundum formam statuti nostri 'De modo citationum fiendarum' [2] procedatur super petitione summarie etiam tempore feriato et causa terminetur infra viginti dies a die prime citationis si descriptus in banno esset in carceribus comunis Bononie pro ipso banno. Et si non esset in carceribus tunc infra mensem a die citationis predictae nec interim relaxetur si detentus fuerit nisi pro eo foret lata sententia. Salvo, quod si talis detentus interim vellet relaxari possit et debeat relaxari si deposuerit tantum quantum continetur in banno//

[c. 188r f. CLXXVIII]

si quantitas fuerit alias estimatio eius declaranda per officiales predictos penes aliquam personam ydoneam elligendam per ipsos officiales quo deposito facto possit et debeat relaxari de mandato officialium predictorum quatenus detentus fuerit pro banno predicto non obstante quod per alios officiales mandatum fuerit pro dicto banno ipsum

⁶⁵⁹ *Sul margine laterale sinistro di questo paragrafo è tracciata una manicola.*

⁶⁶⁰ <etiam> segue eo depennato.

⁶⁶¹ <quinque> nel testo quimque.

detineri. Et si pronunciatum fuerit ipsum cancellandum esse stetur pronunciationi et cancelletur soluta comuni Bononie quantitate predicta ut supra et depositum restituatur deponenti et victus victori expensas refficere teneatur tam litis quam detentionis si fuerit detentus per ipsos officiales tassandas in quibus tempore pronunciationis debeat condemnari. Si vero pronunciabitur non esse cancellandus detur depositum creditori in satisfactione debiti de quo ageretur et si debitor ratum habuerit cancelletur. Super quibus omnibus procedi possit etiam si pars legitime citata non comparuerit quo casu si non venerit posit procedi ad probationes et ad sententiam et media cause et ad omnes alios actus ac si lix fuisset legitime contestata et adversarius comparuisset. Idem servetur et fiat etiam si principaliter petatur bannum pronunciarum nullum simpliciter vel adiecta causa quia minus solempniter vel quia persona non potuit banniri ut supra. Dicimus etiam, quod si talis bannitus simpliciter dixerit se iniuste bannitum ex eo quia non erat debitor vel aliam legitimum et iustam⁶⁶² defensionem habuerit que non respiciat banni nullitatem vel dicere voluerit simul bannum nullum et si quod esset dicat se iniuste bannitum ut supra non audiatur per se vel alium nisi coram officialibus ex quorum actis bannitus fuerit vel coram vicario domini potestatis nec etiam coram eis vel altero eorum nisi prius partem legitimum citari fecerit et petitionem suam obtulerit. In qua expressim et nominatim contineantur cause legitimum ex quibus se tueri poterat contra creditorem si ante bannum comparuisset et ex quibus hodie se tueri possit contra eundem creditorem etiam ex iure quesito post bannum que cause demostrent ipsum ex non iustis causis bannitum fuisse et hodie quamvis bannitum pro tali debito non teneri et cause nullitatis si de nullitate simul proposuerit ex quibus petat sic pronuntiarum et se cancellari de banno et oblata petitione reffecerit creditori vel alteri pro eo legitimum venienti expensas quas pars creditoris dixerit se fecisse in faciendo eum banniri et eorum occasione tassandas per eum coram quo petitio porrigeretur et si satisdederit ydonee de solvendo debitum pro quo foret bannitus et expensas faciendas in causa si non probaverit causas in petitione contentas vel saltem ex eis aliquas ex quibus relevari videatur infra terminum ordinatum vel de predictis depositum fecerit apud dictam personam ydoneam vel voluerit stare detentus et steterit in carceribus comunis Bononie quibus adimpletis detur ei terminus quindecim dierum et minor terminus si pars banniti voluerit ad probandum predicta infra quem liceat parti creditoris probare de iure suo. Et si debitor vel qui pro eo venerit non probaret aliquid propter quod relevetur non audiatur ulterius super cancellatione vel nullitate vel contra bannum vel descriptionem aliquid dicere vel opponere volens, quo casu si depositum factum fuerit detur creditori. Et nichilominus expensas bannitus creditori refficere teneatur tassandas ut supra. Si vero bannitus probaverit aliquid quod ius creditoris excludat pronuntiet ipsum cancellandum esse et cancelletur etiam sine nova petitione. Et interim pro ipso banno invitus non possit vel debeat capi vel detineri. Ubi autem talis bannitus detentus esset ante petitionem predictam vel tempore porrectionis ipsius non audiatur in predictis nisi depositum fecerit ut supra etiam si vellet satisdare. Quo deposito facto relaxetur et in petitione procedatur ut supra. Super quibus omnibus debitore detento procedi possit et debeat etiam tempore feriato sive detentus fuerit die utili vel feriato in predictis omnibus ex utraque parte omni appellatione cessante ubi bannum nullum dicatur ratione solempnitatis obmisse quia banniri non potuerit ratione persone vel cause ut supra. Iure creditoris in debito integre reservato in banniendo de novo vel aliter procedendo cui nullum fiat prejudicium ex predictis. Si vero dicatur bannitum non fuisse iuste bannitum quia non erat debitor vel ex alia causa que non respiciat banni nullitatem vel si utrumque simul dicatur//

⁶⁶² <iustam> segue causam depennato.

[c. 188v]

ut supra appellari non possit, nisi semel pro qualibet parte.

[34] **De sequestrationibus bonorum debitorum forensium et de detentione ipsorum. Rubrica.** [cc. 188v-189r]

Ordinamus, quod cuiuslibet forensis, qui debitor diceretur alicuius civis vel comitatini civitatis Bononie ex instrumento, sententia vel aliqua scriptura cui fides de iure debeat adiberi quantitatis, summe vel rei mobilis producto prius instrumento ipso vel sententia seu scriptura coram iudice et eidem ostensa et penes notarium actorum⁶⁶³ dimissa, posint mobilia bona sequestrari, si reperiantur sufficientia ad quantitatem debiti quod petitur et si non reperiantur bona sufficientia⁶⁶⁴ ad sequestrationem predictam faciendam de quo relationi nuncii credatur possit ipse forensis debitor personaliter detineri in carceribus comunis Bononie ad petitionem talis creditoris, nec revocetur sequestratio nec ipse⁶⁶⁵ debitor, qui detentus fuerit relaxetur, donec satisfecerit creditori vel satisdederit de iudicio sisti et iudicato solvendo. Que satisfactio effectum sorciatur coram quocumque iudice et in quacumque instantia vel causa fuerit ventilata etiam si ad appellationem deveniatur, qua facta vel prestita relaxetur et sequestratio revocata esse intelligatur. Et ipsa satisfactio prestita, possit et debeat ipse creditor agere via directa contra ipsum debitorem, qui satisdedit nulla fori seu iurisdictionis exceptione obstante. Et petitionem suam porrigere teneatur coram iudice, qui fecerit detineri infra quinque dies post ipsam satisfactioem prestitam. Et in dicta causa debeat procedi, ita quod dicta questio infra quadraginta dies continuos omnimode terminetur a die dicte productionis dicte petitionis. Alias si petitionem infra dictum tempus non dederit vel infra dictum tempus dicta questio non fuerit terminata vigore satisfactioem predictae amplius non teneatur ipse debitor vel eius fideiussor seu bona. Et in civitate Bononie pro dicto debito creditor vel qui causam ab eo pretenderet ulterius huius statuti beneficio uti non possit. Et si victoriam reportaverit creditor, mandetur ipsa sententia, si in vigorem rei iudicate transiverit, executioni contra ipsum debitorem et eius fideiussores et eorum bona tamquam contra fideiussores iudiciales etiam nulla facta principalis debitoris bonorum excussione. Et ne contra creditorem per debitorem fraus comitatur ad ipsius creditoris vel eius, qui pro eo intervenerit, petitionem interrogetur debitor detentus an velit⁶⁶⁶ satisfacere, ut supra. Quam interrogationem officialis, qui detineri vel sequestrari fecerit, facere teneatur, etiam parte non petente, infra tres dies a die detentionis. Et si dixerit se velle satisfacere, detur ei etiam invito terminus ad satisfaciendum qualem debitor petierit⁶⁶⁷ seu⁶⁶⁸ voluerit. Et si non petierit, tunc arbitrio iudicantis. Et si infra terminum, vel ante, non satisdederit aut interrogatus satisfacere recusaverit, elapso dicto termino vel facta recusatione predicta, possit et debeat creditor per se vel alium facere probationes que sibi incumbunt circa debitum de quo ageretur infra decem dies proximos post elapsam dicti termini vel a die qua debitor recusaverit, ut supra. Et infra dictum terminum liceat etiam debitori per se vel alium probare de iure suo. Quibus elapsis detur terminus ipsi debitori vel parti ipsius, si petierit et voluerit, decem dierum et maior vel minor, si maiorem vel minorem habere voluerit, ad probandum de iure suo et ad sui defensionem, ne pro dicto debito detineatur, infra quam dilationem liceat etiam parti creditoris probare

⁶⁶³ <penes notarium actorum> *su rasura.*

⁶⁶⁴ <ad quantitatem debiti quod petitur et si non reperiantur bona sufficientia> *sul margine laterale sinistro su 3 righe con segno di rinvio.*

⁶⁶⁵ <ipse> *dittografato e depennato.*

⁶⁶⁶ <an velit> *dittografato e depennato.*

⁶⁶⁷ <qualem debitor petierit> *su rasura.*

⁶⁶⁸ <seu> *in infralinea.*

de iure suo. Et si pars creditoris non probaverit infra dictos terminos aut si ipsius probatio per debitoris probationes excludatur, teneatur ipse creditor detento expensas reficere quas fecerit vel incurrerit ipse detentus occasione predicta tassandas per iudicem, qui cognoverit de predictis et etiam dampna et interesse ipsius probanda legiitime et ipse debitor relaxetur statim cum constiterit creditorem non probasse vel probationem eum non relevare. Quod terminari et declarari⁶⁶⁹ debeat infra octo dies elapsis dictis terminis, quod si factum non fuerit nichilominus relaxetur, interim tamen, dum probatio fieri debuerit vel declaratio supradicta, stet debitor omnino detentus nisi satisdederit de iudicato solvendo, secundum formam declarationis predictae, dando fideiussores ydoneos contra quem et quos et ipsorum bona possit fieri executio, ut supra. Hoc addito, quod si creditor in prima causa seu instantia subcumbat et appellaverit debitor nichilominus// [c. 189r f. CLXXVIII^{or}]

relaxetur et creditor suam appellationem prosequi possit infra sua tempora, quo casu expensas, dampna et interesse refficere interim non teneatur. Si vero creditor probaverit, infra terminos supradictos, ita quod ipsius probatio per ipsius detenti probationes non excludatur ipse detentus non relaxetur, nisi debitum solverit vel aliter satisfecerit creditori. Et si detentus appellaverit, quo casu sibi liceat apellare et optinuerit in causa appellationis relaxetur etiam sine satisfactione predicta non obstante aliqua appellatione facta vel fienda per ipsum creditorem, in quo casu sibi non liceat appellare nisi consenserit debitorem relaxari et ipsum relaxari fecerit salvo in debito iure suo et quod dictum est debitore detento, idem in omnibus et per omnia servetur in sequestratione facta de bonis ipsius debitoris si qua facta reperiatur ipso debitore detento vel non. Forensem autem intelligimus, quantum ad predicta contenta in presenti capitulo, omnem qui non sit civis vel incola vel comitatinus civitatis Bononie vel districtus vel habitator dicte civitatis vel districtus tempore comissionis, sequestrationis et ante per duos annos proxime precedentes. Addicientes, quod quilibet forensis possit personaliter capi et compelli ad conficendum vel negandum an scripserit vel non scriptam que dicatur scripta manu eius. Et si iudici videbitur etiam ad scribendum de novo manu sua ut ex ea possit etiam⁶⁷⁰ comparatio fieri.

[35] **De sequestrationibus. Rubrica.** [cc. 189r-190v]

Quia sequestrationum usus frequens est, idcirco decernimus, quod cuiuslibet rei mobilis per aliquem detente vel possesse seu quasi, quam aliqua persona dicat ad se spectare vel pertinere ad ipsius petitionem vel alterius pro ea legiitime venientis et iurantis ante omnia ea, que dicit, vera esse et animo calumpnie non petere et quod personam penes quam est dicta res habet suspectam, quam exprimere teneatur, si sciverit, cum nomine et aliis qualitatibus quibus melius dignosci possit, de quibus in actis debeat apparere possit fieri sequestratio penes ydoneam personam. Quam sequestrationem ipsa persona, penes quam ipsa sequestratio facta fuerit, teneatur suscipere et ipsam rem custodire et salvare et eam presentare et exhibere ad voluntatem iudicis seu officialis de cuius vel quorum mandato processerit ipsa sequestratio, sub pena arbitrio dicti iudicis vel officialibus imponenda. Et pro predictis realiter et personaliter cogi possit per iudicem seu officialem de cuius mandato facta fuerit sequestratio et aliter facta non valeat ipso iure. Et nichilominus iudex et officialis de cuius mandato facta fuerit sequestratio predicta incidat in penam librarum vigintiquinque bononinorum applicandam parti in cuius preiudicium facta reperiatur.

⁶⁶⁹ <declarari> *segue* et termi *depennato*.

⁶⁷⁰ <etiam> *dittografato e depennato*.

Teneatur⁶⁷¹ autem officialis de cuius licentia vel mandato processerit sequestratio ad petitionem eius persone, que nominata fuerit suspecta vel alterius quem ipsa talis persona nominaverit pro domino vel pro⁶⁷² possessore statuere terminum illi ad cuius petitionem facta fuerit sequestratio infra quem probare debeat res sequestratas ad se spectare vel pertinere, quod si non probaverit ipso iure et facto cadat in penam decem librarum bononinorum et ad interesse partis de facto ab ipso exigendam per quemcumque officialem, qui super hoc fuerit aditus applicandam parti in cuius preiudicium facta reperiatur et ipsa sequestratio revocata sit et⁶⁷³ esse intelligatur ipso iure. Et quod ipsam rem sequestratam habuerit ille penes quam facta fuerit sequestratio credatur relationi nuntii, si dixerit ipse nuncius se vidisse tempore sequestrationis predictae rem sequestratam penes dictum sequestrarium seu in domo proprie habitationis ipsius sequestrarii vel ipsam rem manualiter se tradidisse dicto sequestrario vel si retulerit ipse nuncius quod ipse sequester dixerit penes se habuisse dictam rem sequestratam vel etiam si ipse sequester confessus fuerit in iudicio rem sequestratam penes se habere, nisi contrarium legitime probaretur. Relationem autem predictam nuncius facere teneatur eadem die, qua fecerit sequestrationem vel sequenti si fuerit in civitate burgis vel guardia civitatis. Et infra terciam diem, si fuerit facta in comitatu vel districtu Bononie. In qua relatione contineatur nomen eius ad cuius petitionem facta fuerit sequestratio et de cuius bonis et penes quem res fuerint invente et de qua domo vel loco et res que seque//

[c. 189v]

strate fuerint et earum qualitatem et quantitatem et in quo loco vel in cuius domo posite fuerint res sequestrate, que poni debeant penes unum ex vicinis ydoneum et bone conditionis et fame et presentibus duobus testibus, qui non sint nuntii vel familiares alicuius officialis comunis Bononie. Que omnia dictus nuncius facere teneatur, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum eidem de facto per quemlibet iudicem, qui aditus fuerit auferenda pro medietate parti in cuius preiudicium facta fuerit sequestratio pro alia comuni Bononie applicanda. Et idem in omnibus servetur et servari debeat in qualibet pignoratione fienda per dictos nuncios, sub dicta pena exigenda et applicanda ut supra, ita tamen quod testes in pignoratione predicta non requirantur si fuerit pignoratio de re estimationis quinque librarum bononinorum vel ab inde infra. Salvo quod predicta non habeant locum in pignoribus que presentari debent massarolo comunis Bononie secundum formam nostrorum statutorum si tamen presentata fuerint massarolo infra terminum supradictum in quo casu dicta statuta servantur. Que sequestratio et alia quecumque sequestratio fienda, ut infra, revocari possit prestita satisfactione de custodiendo et salvando rem sequestratam et de ea exhibenda, presentanda et danda ad voluntatem iudicis et officialis de cuius⁶⁷⁴ mandato sequestratio facta fuerit per eum, qui rem sequestratam tenebat vel possidebat vel quasi tempore ipsius sequestrationis, ad que facienda et quodlibet ipsorum, qui satisdederit et eius fideiussores compelli possint ipso facto per dictum iudicem seu officialem et successorem quibuscumque remediis opportunis. Si autem fuerit aliquis, qui dicat debitorem suum vel eius pro quo comparuerit non esse solvendo insolidum vel pro parte et non possidere bona immobilia sufficientia ad solutionem sui debiti possint ipsius debitoris bona mobilia sequestrari penes ydoneam personam et ille penes quem fieret sequestratio teneatur ipsam sequestrationem recipere, si eidem fiat traditio rei sequestrande vel sequester fuerit confessus ut supra, et etiam de sequestratione et traditione et aliis credatur et procedatur,

⁶⁷¹ <Teneatur> *nel testo* teneatur.

⁶⁷² <pro> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁶⁷³ <et> *segue ees depennato.*

⁶⁷⁴ <cuius> *segue seque depennato.*

ut supra ipso, creditore vel alio pro ipso veniente ad cuius petitionem petitur ipsa sequestratio fieri, iurante ut supra et quod timet de ipsarum baratatione vel ipsius debitoris discessu. Si autem probatum fuerit vel appareat dictum debitorem possidere bona immobilia valentia quantitatem dicti debiti pro quo fuerit facta sequestratio, sciente dicto creditore vel verisimiliter scire debente, dictus iurans, suo vel alieno nomine, incidat in penam periurii cuius pene medietas applicetur ei de cuius bonis facta fuerit sequestratio et alia medietas comuni Bononie. Et si non constiterit per sententiam ante sequestrum vel postea illum esse creditorem ad cuius petitionem predicta processerint infra tempus instantie cause principalis ipso iure et facto cadat talis, qui se creditorem dixerit seu cuius procurator, tutor, actor vel curator illum dixerit creditorem in penam decem librarum bononinorum de facto ipsi auferendam et applicandam parti lese ut supra et ad refectionem dampni parti lese. Et nichilominus sequestratio revocata sit et esse intelligatur ipso iure. Declarantes, quod ubi ex sacramento vel propter sacramentum tutoris vel curatoris vel alicuius legitimi administratoris pena predicta comitatur exactio fiat dumtaxat ab ipso tutore, curatore vel legitimo administratore et dicta pena afficiat ipsum talem tutorem, curatorem vel legitimum administratorem. Si vero fuerit dominus directo utilis vel quasi vel possessor alicuius petie terre, vel alius qui dicat cum iuramento ut supra laboratorem ipsius terre vel emphyteotam seu conductorem ipsius terre suum debitorem esse, nec eum habere alia bona unde possit sibi satisfieri quam de fructibus pendentibus ipsius terre possint fructus ad dictum laboratorem spectantes recomendari penes massarium terre seu ville in qua posita est dicta terra vel penes aliam personam ydoneam ubi non sit massarius. Et ipsorum custodia et perceptio comiti eisdem, quos postea ipse massarius per se vel alium recipere et custodire possit et teneatur. Et hoc non possit vel debeat per debitorem vel alium quomodolibet impediri. Et in predictis pene possint imponi arbitrio iudicis aditi pro predictis. Si vero questio vel controversia sit inter aliquos de possessione alicuius petie terre, quam utraque partium dicat se possidere vel si timeri dicatur ne propter possessionem alicuius rei immobilis partes veniant ad arma et rissam vel si timeri dicatur de depopulatione fructuum alicuius rei immobilis in preiudicium alterius, qui ipsam rem possidere dicat vel cuius rei dicat fructus ad se spec//

[c. 190r f. CLXXX]

tare possit eodem modo ipsorum fructuum pendentium recomendatio et commissio fieri penes massarium terre vel ville in qua est dicta terra vel penes aliam ydoneam personam⁶⁷⁵ ut supra. Et si ipse massarius vel alia persona ydonea, ut supra, penes quam facta fuerit recomendatio et commissio dictorum fructuum pendentium comparuerit infra terciam diem a die recommendationis predictae et commissionis penes eum facte et dixerit suo sacramento quod ex impedimento alterius potentioris eo non poterit ipsos fructus custodire et salvare nominando impediens, tunc ille impediens et etiam ille, qui terram possideret vel detineret debeant citari et si comparuerint cogantur satisfacere videlicet ille, quem iudex elegerit ex predictis de ipsis fructibus custodiendis vel salvandis et exhibendis ad voluntatem dicti iudicis seu officialis, sub pena per ipsum officialem vel iudicem statuenda. Et ille qui satisdederit habeat ipsos fructus et redditus. Et si ambo satisdederint vel nullus eorum satisdederit, tunc fructus recolligantur per massarium illius terre et per eum conserventur, donec decum fuerit cui debeant assignari. Si autem non comparuerit persona citata, tunc multetur per vicarium domini potestatis in centum libris bononinorum et plus et minus secundum qualitatem facti et conditionem personarum et ponatur ad discum Ursii, sed si dictus massarius vel alia ydonea persona, penes quam facta esset recomendatio seu commissio fructuum

⁶⁷⁵ <personam> segue ydoneam depennato.

pendentium non comparuerit infra dictum tempus, ut dictum est supra, teneatur perinde ac si confessus fuisset in iudicio dictam recommendationem et comissionem penes eum factam esse et se eum recepisse. Et eo casu quo ipsa recomendatio seu comissio fructuum pendentium facta esset penes dictum massarium vel aliam personam, ut supra, possit ipse massarius vel alius ut supra expensis ipsorum fructuum colligere seu colligi facere fructus et redditus sequestratos et alia necessaria facere pro ipsis fructibus colligendis, aptandis et conservandis pro quibus expensis possit ipsos fructus retinere, donec sibi fuerit satisfactum. De quibus expensis sacramento massarii vel alterius, ut supra, credatur iudicis tassatione premissa. Sed si contingerit inter aliquas personas questionem oriri super aliqua re immobili in qua sint fructus pendentes oblato libelo super petitione seu avocatione ipsius rei ad petitionem alterius partium posint ipsi fructus pendentes describi ut sciantur quot et qui fructus sunt descripti et fiant due descriptiones: una primo quot sunt tornaturie terre blavate et cuius bladi vel aliorum fructuum et quot et quales arbores; secundo fiat descriptio tempore quo colligentur dicti fructus ut sciatur qui et quot et cuius estimationis sint ipsi fructus. Et precipiatur possessori, sub pena arbitrio iudicantis tempore prime descriptionis, quod ipsos fructus colligere non debeat nec colligi facere seu permittere sine licentia dicti iudicis et tempore ipsius licentie postea dande ordinetur de die, quo ipsi fructus debuerint percipi et ea die ibi esse debeant, qui secundam descriptionem faciant. Ita quod postea tempore ferende sententie super ipsa re petita cum fructibus vel super solis fructibus ex ipsis descriptionibus sciatur quot et qui fuerint ipsi fructus et eorum exstimatio, quibus descriptionibus fides adhibeatur et detur. Salvo quod in quolibet casuum predictorum ex sequestratione, recommendatione, comissione seu descriptione fienda neutri partium generetur preiudicium circa proprietatem seu possessionem rei sequestrate seu descripte. Que sequestrationes, recommendationes, comissiones et earum revocationes ac etiam descriptiones fieri possint et in eis procedi etiam pro predictis parte non citata, nisi ut supra dictum est. Et quocienscumque facta fuerit sequestratio, recomendatio vel comissio, teneatur pars ad petitionem cuius vel in cuius favorem facta fuerit ipsa sequestratio, recomendatio seu comissio porrigere petitionem suam et partem citari facere ad accipiendum copiam petitionis, ubi petitio ante porrecta non esset coram iudice vel officialibus coram quo vel quibus agere intendit super iure cuius occasione ipsa sequestratio vel aliquod predictorum factum fuerit infra quinque dies a die ipsius sequestrationis vel alterius predictorum proxime subsequentes. Et ipsam successive prosecui teneatur, ita quod successive causa terminetur infra tempus instantie secundum formam nostrorum statutorum, alias ellapsis dictis diebus et ipsa petitione non porrecta vel non prosecuta ut supra, non teneat ipsa sequestratio, recomendatio seu comissio nec etiam satisfactio pro predictorum revocatione prestita. Et nichilominus ipse non prosequens ut supra teneatur parti⁶⁷⁶ adverse in expensis dicte cause declarandis per iu// [c. 190v]

dicem. Declarantes, quod nullus officialis comunis Bononie possit aliquod predictorum facere ex suo⁶⁷⁷ mero offitio nullo hoc petente vel instante, qui diceret sua interesse. Dicimus etiam, quod ex eadem causa et ad petitionem eiusdem persone vel habentis causam ab eo amplius quam semel de eadem re vel de fructibus eiusdem rei non possit fieri sequestratio et facta ipso iure non valeat et fieri faciens eandem penam incurrat, ut supra.

[36] **De forensibus peregrinantibus non impediendis. Rubrica.** [c. 190v]

⁶⁷⁶ <parti> in infralineam con segno di rinvio.

⁶⁷⁷ <aliquod predictorum facere ex suo> su rasura.

Ordinamus, quod aliquis forensis eundo vel redeundo per civitatem vel comitatum Bononie peregrinationis causa non possit vel debeat impediri in avere vel persona occasione alicuius represalie vel debiti quod deberetur alicui civi⁶⁷⁸ vel habitatori civitatis Bononie vel districtus vel alteri cuicumque et sit precisum. Intelligendo peregrinos illum vel illos qui per dominos ancianos vel maiorem partem ipsorum declarati fuerint esse peregrini vel secundum formam comunis Bononie ubi de ipsis aliquid foret dispositum.

[37] De hiis qui cum ere alieno malo modo aufugerint et venerint ad civitatem Bononie. Rubrica. [c. 190v]

Statuimus, quod si quis de⁶⁷⁹ aliqua civitate, terra seu loco se separaverit malo modo cum pecunia vel mercadandia aut aliis rebus et se transtulerit ad civitatem Bononie vel eius districtum quod ille, qui se separaverit vel transtulerit ut premitur, ubicumque inveniretur, possit et debeat capi et detineri ad petitionem suorum creditorum vel aliorum qui pro eis intervenirent legitime nec relaxetur, nisi se concordaverit cum suo creditore vel satisdederit de iudicio stisti et iudicato solvendo. Et dominus potestas Bononie, qui nunc est vel pro tempore fuerit et ipsius iudices de causis civilibus cognoscentes ad petitionem cuiuslibet cuius interesse diceretur vel alterius pro eo legitime venientis huiusmodi homines capi et detineri faciant. Et hoc solummodo habeat locum in mercatoribus et hominibus aliarum civitatum vel locorum que similem constitutionem fecerint vel habuerint et ostenderint legitime sic habere.

[38] De subrepto per filios et alios descendentes suis adscendentibus. Rubrica. [c. 190v]

Statuimus, quod si aliquis subripuerit aliquid patri vel matri aut alii ascendenti suo⁶⁸⁰ vel fratri aut patruo vel consanguineo cum quibus fratre⁶⁸¹, patruo vel consanguineo habitaret in eadem familia talis cui subrectum fuerit a quolibet possessore illud valeat recuperare etiam nulla prestatione seu datione pecunie facta possessori. Et super hoc procedi possit et valeat omni tempore etiam feriato.

[39] De satisfactione prestanda a convenientibus subditos iurisdictioni comunis Bononie. Rubrica. [cc. 190v-191r]

Statuimus, quod quicumque non subditus iurisdictioni domini potestatis et comunis Bononie vel qui pro non subdito haberetur et reputaretur, cuiuscumque status et conditionis existeret, de quo si in dubium fuerit revocatum, stetur declarationi iudicis vel officialium coram quo vel quibus questio verteretur vel habens causam a tali non subdito ex cessione, quocumque titulo facta, et sive sit mediatas sive immediatus⁶⁸² cessionarius voluerit convenire aliquem subditum iurisdictioni domini potestatis et comunis Bononie teneatur et debeat, si petatur ante contradictionem factam petitioni actoris vel ante lapsum termini datum ad respondendum petitioni vel post infra octo dies antequam audiatur ulterius satisfacere cum ydoneis fideiussoribus uno vel pluribus subditis iurisdictioni domini potestatis et comunis Bononie coram iudice, coram quo questio fuerit incoata vel citatio facta de expensis refficiendis in causa, si subcubuerit et in omni casu in quo ad expensas teneretur, si subiectus esset. Et de respondendo coram

⁶⁷⁸ <civi> segue la lettera c cassata per cancellatura.

⁶⁷⁹ <siquis de> quis de in infralinea con segno di inserzione.

⁶⁸⁰ <suo> segue fratri depennato.

⁶⁸¹ <fratre> segue vel depennato.

⁶⁸² <immediatus> segue successor depennato.

eodem iudice in casu reconventionis vel nove conventionis de ipso non subdito fiende dummodo fiat pendente primo iudicio inchoato ad petitionem dicti non subditi vel habentis causam ab eo ut supra et de ipsius iudicis parendo mandatis et de solvendo quidquid fuerit iudicatum aliquo privilegio vel exceptione non obstante. Et si non⁶⁸³ satisfecerit processus factus⁶⁸⁴ et fiendus non valeat ipso iure, ita quod non possit sequi alia sententia, quam absolutoria ab observatione iudicii, //

[c. 191r f. CLXXXI]

nisi petitio ipsius satisfactionis fuerit remissa expresse per partem petentem. Et idem intelligatur quoad expensas refficiendas in collegiis vel universitatibus quibuscumque⁶⁸⁵ laycorum et quibuscumque mulieribus, civibus vel forensibus agentibus et in quacumque persona, que ratione maioris etatis non possit personaliter, pro debito pecuniario alicuius singularis persone, detineri secundum formam nostrorum statutorum convenientibus aliquem civem subditum ut supra. Et in quacumque tertia persona non subdita et alia quacumque persona, que ratione sexus vel etatis pro debito pecuniario singularis persone capi non possit comparente per se vel alium pro revocatione vel nullitate alicuius tenute sive sequestri vel alicuius sententie diffinitive vel interlocutorie. Qui fideiussores sic prestiti cogi debeant realiter et personaliter ad solvendum id in quo principalis fuerit condemnatus sine novo processu. Non obstante quod prius debuerit vel debeat principalis conveniri quam fideiussor vel executio contra eum fieri, nec aliquo alio in contrarium faciente. Item dicimus, quod dominus potestas comunis Bononie vel capitaneus populi vel aliquis alius officialis iurisdictionem exercens in civitate Bononie, non possit nec debeat iurisdictionem suam exercere pro aliquo, nec in favorem alicuius qui declinaret vel declinabit iurisdictionem comunis Bononie vel alicuius officialis dicti comunis vel aliquid opposuerit propter quod videatur ipsam iurisdictionem declinare tacite vel expresse. Et quod contrafieret non teneat ipso iure dum tamen contenta in presenti paragrapho 'Item dicimus et cetera' quo ad penam predictam non vendicent sibi locum in aliquo opponente exceptionem usurariam per se vel alium cuius cognitionem et decesionem decernimus spectare ad iudicem coram quo fuerit opposita, qui sic in ea procedat quod principalis causa infra sua tempora valeat terminari nisi coram iudice ecclesiastico, ante dictam oppositionem porrectam coram officiali comunis Bononie fuisset causa usurarum inchoata per citationem partis inde secutam quo casu per solum iudicem ecclesiasticum debeat questio usurarum decidi.

[40] **Quomodo et qualiter forensibus agentibus ius reddatur. Rubrica.** [c. 191r]

Ordinamus, quod in causis civilibus forensibus et cuilibet alii non subdito iurisdictioni domini potestatis Bononie agentibus per se vel alium in civitate Bononie contra aliquem civem vel districtualem civitatis Bononie ius reddatur tale et eodem modo et forma quo vel qua et quale seu quod redderetur civibus seu districtualibus Bononie agentibus per se vel alium in civitate, terra vel loco seu foro, de qua vel quo dicitur esse ipse forensis seu non subditus si placuerit ipsi convento et hoc obiciatur ab eius parte et per eum probetur quale et quomodo ius ibidem reddatur quo non probatius reddatur prout civibus ad invicem redderetur. Et idem in forensibus reconvenientibus intelligatur et fiat. Dicimus etiam, quod idem ius servetur in civitate Bononie circa personas et bona ipsorum forensium vel non subditorum, tam in iudicio quam extra, et in quibuscumque actis circa personas, res et bona ipsorum, que haberent vel adquirere vellent vel possent in civitate Bononie vel eius districtu, quod servatur civibus vel

⁶⁸³ <non> *segue processerit depennato.*

⁶⁸⁴ <processus factus> *su rasura.*

⁶⁸⁵ <quibuscumque> *sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

districtualibus civitatis Bononie circa personas, res et bona posita in foro vel foris talium forensium vel non subditorum, si placuerit tali civi Bononie vel districtuali vel alteri venienti pro eis vel altero eorum, salvo semper iure et potestate comunis Bononie. Volumus etiam, quod contra quemlibet incedentem in habitu seculari dominus potestas Bononie et quilibet ex suis iudicibus et etiam quilibet officialis comunis Bononie presciciens sit et esse intelligatur in civilibus et criminalibus iudex competens prout haberet et habet iurisdictionem ex forma alicuius nostri statuti non obstante aliquo fori privilegio ad eo quod non possit aliqua eius iurisdictione declinari. Forenses autem intelligimus quo ad contenta in presenti⁶⁸⁶ capitulo quemlibet qui non habitaverit seu habitabit saltem per quinquennium cum sua familia in civitate vel comitatu Bononie.

[41] **De syndico domini bononiensis episcopi. Rubrica.** [c. 191r]

Ordinamus, quod in causis domini bononiensis episcopi sufficiat syndicum ydoneum ab eo constitutum iurare de calumpnia.

[42] **De syndico universitatis. Rubrica.** [cc. 191r-191v]

Placet, quod quilibet universitas sive collegium laycorum civitatis Bononie vel districtus possit//

[c. 191v]

habere procuratorem seu syndicum in suis causis civilibus vel criminalibus etiam qui non sit de universitate vel collegio dum tamen sit notarius et de societate notariorum civitatis Bononie, eo casu quo syndicus de universitate non esset.

[43] **De privilegio fideiussorum et coreorum. Rubrica.** [c. 191v]

Ordinamus quo si aliquis pro aliquo fideiusserit vel obligatus fuerit solus vel cum alio in solidum vel pro parte in comuni vel extra comune⁶⁸⁷ conveniri possit et exigi ab eo, non obstante quod principalis debitor non fuerit excussus primo vel eius bona, nisi obligatus fuerit per instrumentum publicum, quo casu uti possit beneficio prout sibi competit de iure, nisi legitime renunciaverit, fideiussio tamen vel obligatio probari non possit aliter quam per publicum instrumentum vel aliam scripturam publicam vel privatam cui fides debeat adhiberi cuiuscumque quantitatis fuerit vel per testes si fuerit de vigintiquinque libris bononinorum vel ab inde infra. Et si satisfecerit talis fideiussor vel obligatus ut supra, sciente vel ingnorante eo pro quo fideiusserit vel cum quo se obligaverit vel confessus fuerit creditor sibi ab illo solutum vel satisfactum vel dampnum aliquod substinuerit nec ei satisfactum fuerit dummodo principalis pro quo fideiusserit vel cum quo se obligaverit talis sit, qui tempore obligationis potuerit obligari et fuerit solenniter obligatus. Et potestas vel eius iudices de civilibus cognoscentes teneantur tali fideiussori vel alii obligato ut supra et cuilibet pro ipso legitime venienti simile ius in omnibus et per omnia reddere contra ipsum pro quo satisfecit ut supra et eius bona etiam ipsum personaliter detinendo quale redditum fuit vel reddi potuit ipsi creditori cui satisfactum est contra debitorem principalem ante satisfactionem predictam. Ita quod in omnibus et per omnia succedat loco creditoris principalis. Ita etiam, quod bona dicti principalis seu corei pro quo principali fideiussor eius vel coreus solverit seu satisfecerit, ut supra sint et fuisse intelligantur expresse ypotecata dicto fideiussori seu coreo solventi vel satisfacienti, ut supra a die obligationis cum creditore contracte cui solutum vel satisfactum fuerit. Ita quod in omnibus et per omnia quoad

⁶⁸⁶ <presenti> *segue statuto depennato.*

⁶⁸⁷ <comune> *in infralinea con segno di inserzione.*

bona succedant dicti coreus vel fideiussor in locum creditoris principalis ante solutionem vel satisfactionem factam pro omni eo, quod solvisset vel satisfecisset ut supra, usque ad integram satisfactionem⁶⁸⁸. Et hoc habeat locum tam in forensibus quam in civibus. Idem beneficium dicimus habere illum vel illos, qui haberent causam a tali fideiussore vel coreo per quotcumque personas ambulaverit dum tamen septuagenarius, pupillus, furiosus vel mentecaptus vel mulier cuiuscumque etatis personaliter detineri non possit, nec heres qui inventarium fecerit ultra quam iuris fuerit teneatur, salvo semper aliis statutis nostris loquentibus de predictis etiam si plus vel minus disponerent. Et quod dictum est supra de probationibus faciendis per testes, instrumenta et scripturas publicas locum habeant solum quantum ad contenta in presenti statuto.

[44] De creditoribus agentibus in bonis debitorum et offerentibus aliis creditoribus. Rubrica. [cc. 191v-192r]

Statuimus, quod liceat cuilibet creditori de bonis debitoris sui tenentiam accipere et in solutum mereri ipsaque bona persequi et avocare in casibus in quibus a iure permittitur et nostris non obstat statutis etiam non obstante, quod debitor aliquid ex dictis bonis dederit alicui suo filio vel descendenti uni vel pluribus in emancipationem vel alio modo legitimo modo post obligationem eius debiti pro quo agitur et possit agi in dictis bonis ac si datum non esset, dum tamen tali filio vel descendenti non preiudicet in aliquo suo iure vel obligatione quesita seu contracta ante obligationem debiti supradicti pro quo tali iure seu obligatione sibi dicta bona liceat retinere et etiam de bonis filiorum et aliorum descendendum, qui sint in potestate debitoris, que quesiverint morando cum illo de cuius obligatione ageretur pro debito patris, nisi publice dicatur ipsa bona pervenisse ad⁶⁸⁹ filios vel alios descendentes vel ea quesivisse ex aliqua eorum industria quam exercuerint vel ex aliqua adventicia causa vel successione. Quibus casibus debito eius in cuius esset potestate talia bona non capiantur vel dentur in solutum. Dicimus etiam, quod liceat cuilibet creditori posteriori agere in bonis que fuerunt debitoris sui sibi obligatis, datis seu adiudicatis alteri creditori priori in solutum pro dote constante matrimonio vel soluto vel pro alio aliquo debito//

[c. 192r f. CLXXXII]

si non estarent alia bona debitoris vel tanta unde satisfieri possit ipsi agenti et tunc in eo casu, in quo deesset offerendo creditori priori, cui data fuerint in solutum dicta bona vel adiudicata quantitatem pro qua data vel adiudicata essent dicta bona. Salvo quod liceat ei, cui data vel adiudicata fuerint creditori posteriori offerenti, ut supra debitum ex quo ius pretendit offerre. Ita quod sit in electione eius vel offerre offerenti sibi et retinere bona vel dare bona et recipere quantitatem oblatam. Et si mulier pecuniam elegerit ipsa pecunia deponatur penes ydoneam personam, arbitrio iudicis eligendam, que pecunia omnimode convertatur in emptionem rei immobilis, que sit comunis pretii et valoris ipsius quantitatis pecunie dotis predictae. Et in quolibet ipsorum casuum ille, qui debitum oblatum acceperit, teneatur cedere offerenti iura debiti sui et iura, que habet in re pro tuitione et defensione dictorum bonorum.

[45] De lucris liberorum inter se dividendis et usufructu parentibus debito. Rubrica. [c. 192r]

Ordinamus, quod omnes fratres et alii descendentes masculi et per masculum in eadem potestate et familia infrascripte acquisitionis tempore constitutus quidquid

⁶⁸⁸ <ut supra usque ad integram satisfactionem> *sul margine laterale sinistro con segno di rinvio su 2 righe.*

⁶⁸⁹ <ad> *segue ipsos cassato per vacatazione.*

adquisiverint preterquam ex sucessionem vel legatis vel dote uxoris vel ex industria certa vel presumpta stando cum patre vel alio ascendente, ut supra, et in potestate ipsius, id totum ad invicem sibi communicare debeant ac fratribus suis masculis et aliis descendentibus et supradictis in eadem potestatis constitutis tempore acquisitionis mortuo patre vel alio in cuius potestate essent in stirpes tantum. Exceptis fratribus et aliis descendentibus publice se male gerentibus, quibus communicare non teneantur. Et dicimus, quod pater et alii ascendentes predicti in omnibus aquisitis a filiis vel aliis descendentibus supradictis secum habitantibus et in sua potestate constitutis tempore sue vite habeant usumfructum exceptis castrensibus vel quasi et aliis exceptatis a iure.

[46] **De solutionibus scripturarum fiendis notariis in officio constitutis. Rubrica.**
[cc. 192r-193v]

Statuimus, quod solutiones scripturarum fiendarum ab officialibus comunis Bononie prepositis ad aliquod officium comunis Bononie fiant secundum formam inferius anotatam videlicet. De qualibet citationis commissione et pro quolibet citato et relatione si fuerint sex vel infra solvatur solidus unus, si vero ab inde supra inter omnes citatos, solidos duos. De qualibet crida sive tuba et testibus, octo denarii, si cum testibus vel tuba duodecim denarii. Et si plures fuerint simul cridati, tunc pro primo octo denarii et pro aliis solidi due ut supra in citatione dictum est si fuerint decem vel ab inde infra. Et ab inde supra pro quolibet quotcumque⁶⁹⁰ fuerint, duo denarii. Et de presentatione cuiuslibet qui se presentaverit et pro qualibet vice, tres denarii. De licenciando quemlibet citatum tres denarii⁶⁹¹. De recusatione iudicis vel notarii ut calumpniöse predicta non fiant, solidi quinque vel de asociatione postulata. De commissione cause solidus unus. Et tantundem de commissione que sit super testibus recipiendis. De exceptione opposita pro qualibet carta scripta secundum formam scripture que fieri debet de testibus recipiendis, solidi duo. De qualibet satisfactione prestanda, solidi duo. De qualibet interrogatione et responsione ante litem contestatam ad litem ordinandam, sex denarii. De qualibet protestatione facta ante contradictionem vel post, solidus unus. De libello seu petitione exemplando vel registrando, decem et octo denarii bononinorum. Et si fuerit magnus, solidi duo. De responsione facta petitione seu libelo et sacramento calumpnie, sex denarii. De terminis statutis a qualibet parte cui statuti fuerint, tres denarii. De qualibet positione, tres denarii. Et tantundem de qualibet responsione. De testibus recipiendis quotcumque sint testes et notarii, duo solidi pro carta qualibet, que solutio fieri debeat ubi notarius de medio non recusatur, sed asociatur per utramque partem videlicet a producente pro duabus partibus et ab eo contra quem producuntur pro tercia parte. Et ubi non recusaretur vel asociaretur habere debeat solum denarios decem et octo de scriptura cuiuslibet carte scripture ex omni latere que ex quolibet latere debeat esse vigintiquatuor linearum ad minus et quelibet linea debeat esse tregintasex litterarum ad minus. Et de exemplatura cuiuslibet talis carte//

[c. 192v]

scripte ipsorum testium, unus solidus et non ultra et que exemplatura sit totidem linearum et litterarum ut superius continetur de publicatione testium, sex denarii a qualibet parte. De usu seu productione cuiuslibet instrumenti, si scribatur productio, sex denarii bononinorum. Exceptis istius⁶⁹² infrascriptis registrandis. De registratione in actis instrumenti tutele, actorie, cure et procurationis et syndicatus si fuerit parva, solidi

⁶⁹⁰ <quotcumque> *nel testo* quotcumque.

⁶⁹¹ <De licenciando quemlibet citatum tres denarii> *sul margine laterale destro con segno di rinvio su 2 righe.*

⁶⁹² <istius> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

duo bononinorum pro quolibet. Et si fuerint mediocria, tres solidi bononinorum. Et si fuerint magna, quinque solidi et non ultra. Et tamtundem de exemplatura talis instrumenti in papiro si vero in membranis cum subscriptione notarii actorum duplum supradictarum quantatum. Et si fuerit tale instrumentum quod non debeat registrari fiat solutio⁶⁹³ secundum magnitudinem ipsorum instrumentorum. De pronuntiatione sententie interlocutorie vel diffinitive condempnatorie vel absolutorie si cum consilio unius sapientis vel plurium lata fuerit habeat dimidiam salarii, quod habere debuerit consultor qui super causa consuluerit. Et de ponendo eam ad camaram actorum secundum formam nostrorum statutorum notarius, qui eam ponere debuerit pro eius labore habeat et habere debeat medietatem tantum eius quod sibi debetur de pronuntiatione. Alias si sine consilio feratur solvantur pro diffinitiva quantitatis decem libras et ab inde infra solidos duo bononinorum pro qualibet parte. Si vero fuerit a decem libris supra usque ad viginti, tres solidi bononinorum pro parte. Si vero fuerit quantitatis viginti librarum et ab inde supra usque ad quadraginta libras bononinorum, quinque solidi bononinorum pro parte. Si vero fuerit quantitatis quadraginta librarum bononinorum et ab inde supra usque ad centum libras, solvantur decem solidi pro qualibet parte. Et si fuerit quantitatis centum librarum bononinorum et ab inde supra usque ad trecentas libras bononinorum, viginti solidi bononinorum pro parte qualibet. Et si fuerit de trecentis libris et ab inde supra⁶⁹⁴ usque ad mille, quadraginta solidos bononinorum pro qualibet parte. Et si fuerit quantitatis mille librarum bononinorum et ab inde supra cuiuscumque sit quantitatis solvantur⁶⁹⁵, tres libre bononinorum pro parte et non plus. Et ubi causa ageretur cum curatore dato bonis citati absentis vel liti et cause indefense seu cum procuratore vel sindico comunis vel alio prosequente nomine comunis vel ubi causa tractaretur absque aliquo contradictore. Et idem quantus ad notarios arbitratorum seu arbitrorum servetur in laudis et arbitramentis et in scripturis eorum occasione factis, quod dictum est in diffinitivis sententiis predictis. Et si fuerit interlocutoria super aliqua emergenti vel incidenti sine consiliario solvantur tres solidi bononinorum pro parte. Et si fuerint magni negotii, quinque solidi bononinorum et non plus pro parte. Idem servetur si fuerit questio, que estimationem recipiat pro rata estimationum et quantatum supradictarum. Si vero fuerit super re vel facto, que vel quod estimationem non recipiat, relinquatur arbitrio⁶⁹⁶ eius coram quo⁶⁹⁷ questio ageretur tasactionem faciendo moderatam. De predictis omnibus exceptis officialibus officio bannitorum et notariis, qui de talibus pronuntiationibus cum consilio vel sine nichil consequantur. De comissione cause nullitatis seu appellationis solidi duo. De appellatione sententie in actis, duodecim denarii⁶⁹⁸. De interlocutoria lata contra contumacem duo solidi. De precepto tenute date ex interlocutoria, duodecim denarii. De relatione duodecim denarii. Et si fuerit quantitatis maioris vigintiquinque librarum bononinorum, solidi duo bononinorum. De precepto sequestrationis, duodecim denarii et totidem de relatione. De scriptura cuiuslibet venientis ad defensionem alterius et de satisfactione, duo solidi. De precepto facto debitori confesso vel convicto, solidi duo. Et de ponendo tale preceptum ad camaram secundum quod tenetur ex forma statuti si fuerit quantitatis quinqueginta librarum bononinorum vel ab inde infra, quatuor solidi bononinorum. De quinqueginta vero libris bononinorum usque ad centum, solidi sex bononinorum. Si vero fuerit de centum libris usque ad trecentum, octo solidi. De

⁶⁹³ <fiat solutio> *dittografato e depennato*.

⁶⁹⁴ <supra> *segue* cuiuscumque sit quantitatis *depennato*.

⁶⁹⁵ <solvantur> *nel testo* solvandur *corretto*.

⁶⁹⁶ <arbitrio> *segue* iudicantis *depennato*.

⁶⁹⁷ <quo> *in infralinea con segno di inserzione*.

⁶⁹⁸ <denarii> *segue* De relatione duodecim denarios *depennato*.

trecentis vero et ab inde supra quantacumque sit quantitas decem solidi bononinorum. De banno formando pro debito quatuor solidos. Et de ponendo ipsum ad camaram cum actis secundum quod tenetur ex forma nostrorum statutorum solidos quindecim bononinorum. De dando bannum debiti exemplatum duodecim denarios. De securitate danda ab accusato vel denunciato et etiam coram officialibus dischi malefitorum parvorum, duodecim denarii bononinorum. Idem servetur in omnibus aliis⁶⁹⁹ securitatibus, que darentur in iudicio occasione alicuius questionis civilis coram aliquo officiali comunis Bononie tam in civitate Bononie quam extra. De exemplatura banni in libris bannitorum pro malefitio, quinque solidi bononinorum si fuerit unus tantum. Et si fuerint plures et ab inde supra usque ad decem, pro quolibet, unus solidus. Si vero decem vel ultra quocumque fuerint inter omnes viginti solidos bononinorum. Et pro banno dato exemplato si unus fuerit, tres solidi. Et si fuerint ab inde supra quocumque sint ultra unum, sex denarii pro quolibet. Si vero fuerit bannum de damno dato solvatur dimidia eius, quod solveretur si esset bannitus pro alio malefitio. De scribenda pronuntiatione extrahendo vel//

[c. 193r f. CLXXXIII]

cancellando aliquem de banno, si fuerit pro levi malefitio, quinque solidi bononinorum. Et si fuerit pro gravi malefitio, solidi decem et non ultra. De cancellatione banni dati pro debito duo solidi. De cancellatione banni dati pro levi malefitio solidi sex bononinorum. Si vero pro alio malefitio solidi decem bononinorum. De reformatione danda exemplata si fuerit parva, tres solidi. Et si fuerit magna, quinque solidi bononinorum vel ab inde supra, usque ad decem solidos arbitrio vicarii domini potestatis. De exemplatione litterarum missarum pro comuni seu ex parte domini potestatis vel eius curie ab eo ad cuius instantiam facta fuerit, solidi duo. De qualibet compensatione cuiuslibet condempnationis vel multe si fuerit viginti quinque librarum bononinorum vel ab inde infra, tres solidi bononinorum. Si vero a viginti quinque libris supra usque ad centum, quinque solidi. Si vero a centum libris supra quantacumque sit quantitas, decem solidi bononinorum. De instrumento seu cartesella solutionis condempnationis seu multe, que fieret depositario ad discum Ursii siquidem fuerit quantitatis centum librarum bononinorum vel ab inde infra solidus unus bononinorum, ab inde vero supra quantacumque sit quantitas solvenda comuni Bononie duo solidi bononinorum ad plus. Notarii vero ad discum Ursii deputati seu deputandi recipiant ad plus quantitates infrascriptas videlicet de qualibet condempnatione seu multa cancellanda quantitatis centum solidorum bononinorum vel ab inde infra, solidus unus bononinorum. A centum vero solidis supra usque ad quantitatem decem libras bononinorum, solidi duos bononinorum. A decem vero libris bononinorum supra usque ad viginti quinque libras bononinorum, solidi tres bononinorum. A viginti quinque vero libris supra usque ad quinquaginta libras bononinorum, solidi quatuor bononinorum. A quinquaginta libris vero supra usque ad centum libras bononinorum, solidi quinque bononinorum. A centum vero libris supra usque ad quingentas libras bononinorum, solidi decem bononinorum. A quingentis vero libris supra quantacumque sit quantitas, viginti solidi bononinorum. Et ultra vel aliter directe vel indirecte percipere non possint. De instrumento seu cartesella alicuius solutionis alicuius gabelle solvende comuni Bononie vel habenti causam ab eo si fuerit quantitatis viginti quinque librarum bononinorum solvendarum comuni Bononie vel habenti causam ab eo, ut supra, vel ab inde infra duodecim denarios bononinorum parvos a viginti quinque libris supra usque ad quinquaginta libras bononinorum decem et octo denarii bononinorum. Et ab inde vero supra quantacumque sit quantitas duos solidi bononinorum de solutione alicuius

⁶⁹⁹ <aliiis> in *infralinea con segno di inserzione*.

quantitatis pecunie que fieret generali depositario comunis Bononie si fuerit a decem libris infra unus solidus. De cartesella a decem libris supra usque ad quinqueginta, solidi duos bononinorum. A quinqueginta vero supra usque ad centum, tres solidi bononinorum. A centum vero libris supra usque ad quingentas, quatuor solidi bononinorum. A quingentis vero libris supra usque ad mille, quinque solidi. A mille vero supra quantacumque sit quantitas solidi octo. Curator autem bonorum habeat pro qualibet causa a viginti quinque libris infra quatuor solidos. A viginti quinque vero libris usque ad quinqueginta, sex solidos bononinorum. A quinqueginta vero libris supra usque ad centum, octo solidos bononinorum. De centum vero libris et ab inde supra quantacumque sit quantitas, duodecim solidos bononinorum. De qualibet condempnatione seu multa⁷⁰⁰ subscribenda vel exemplanda quantitatis centum solidorum bononinorum vel ab inde infra, pro quolibet condempnato duodecim denarios parvos. A centum vero solidis bononinorum supra usque ad decem libras bononinorum duos solidos⁷⁰¹ bononinorum. A decem libris usque ad viginti quinque libras, tres solidos bononinorum. A viginti quinque libris⁷⁰² usque ad quinqueginta, quatuor solidos bononinorum. De quinqueginta libris usque ad centum, quinque solidos bononinorum; a centum libris supra usque ad quingentas, decem solidos bononinorum. A quingentis libris supra quantacumque sit quantitas, viginti solidos bononinorum et non plus. Et modum dictarum solutionum non excedant, sub pena imposita in libro statutorum nostrorum super criminalibus editorum sub rubrica ‘De pena officialium estorquentium vel recipientium ultra quam sit sibi commissum’ [V, 91, 95]. De autenticatura sententie quantitatis viginti quinque librarum bononinorum vel ab inde infra, quindecim solidos bononinorum. Et a viginti quinque libris usque ad centum, treginta solidos. Et a centum libris supra usque ad trecentas, quadraginta solidos bononinorum. A trecentis vero libris supra quantacumque sit quantitas, tres libras bononinorum ad plus. Ultra quas tasactiones seu limitationes dicti notarii nichil petere vel recipere possint, etiam a sponte dare volentibus ex causis supradictis vel aliqua earum, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet solido, quem ultra acceperint. Cuius pene medietas comuni Bononie applicetur et alia denunciante de facto contrafaciente auferenda per iudicem Ursii vel alium quemcumque officialem forensem comunis Bononie, qui in predictis fuerit aditus absque aliqua petitione vel condempnatione fienda. Et de predictis credatur et stetur sacramento denunciantis si iudici seu officiali predicto videbitur personam denunciante non esse suspectam de periurio si pena imponenda fuerit quantitatis centum solidorum bononinorum vel ab inde infra alias ab inde supra cum sacramento unius testis credatur et stetur dicto denunciatoris. Et predicta et infrascripta observari volumus in notariis tam civibus quam forensibus, qui solutionem receperint. Et iudices ipsorum officialium foren//

[c. 193v]

sium predicta omnia et singula faciant ab eorum⁷⁰³ notariis observari, sub pena quinqueginta librarum bononinorum.

[47] **De lucris officialium inter se dividendis. Rubrica.** [c. 193v]

Ordinamus, quod tabeliones, qui presunt ad discum domini potestatis sive ad discum Aquile debeant communicare lucra, que fecerint in offitio et durante ratione dicti offitii cum sociis communicare inter se et socios dividere. Ceteri vero tabeliones aliis officiis

⁷⁰⁰ <multa> segue cancelanda depennato.

⁷⁰¹ <solidos> in infralinea con segno di inserzione.

⁷⁰² <libris> segue supra depennato.

⁷⁰³ <eorum> segue off cassto per depennamento.

presidentes dividant cum iudicibus, sociis et militibus cum quibus in officio prescident. Et habeant locum tam in civitate quam extra. De hiis excipimus iudices appellationum et eorum notarios qui non teneantur communicare lucra inter se vel cum iudicibus seu aliis notariis dicti officii. Item excipimus lucra que fierent ex autenticatura aliquarum sententiarum diffinitivarum quas aliis autenticas traderent que communicari non debeant, nec etiam ordinata salaria danda officialibus per comune Bononie.

[48] **De feriis. Rubrica.** [cc. 193v-194r]

Statuimus et ordinamus, quod omnibus et singulis diebus reddatur ius in quibuscumque causis civilibus de mane et post nonam exceptis infrascriptis videlicet. Diebus Nativitatis domini nostri Iesu Christi et tribus precedentibus et omnibus sequentibus usque ad diem Circumcisionis inclusive. Et Epiphanie Domini. Et diebus Pascatis Resurrectionis dominis nostri Iesu Christi cum septem precedentibus et septem sequentibus diebus. Diebus Ascensionis domini nostri Iesu Christi. Et festivitatum⁷⁰⁴ Corporis et Sanguinis Christi. Et diebus Pentecostes cum duobus sequentibus. Et diebus omnibus solis qui dominicales appellantur. Diebus omnibus festivitatum beate Virginis gloriose, scilicet Nativitatis, Anunciationis, Purificationis, Assumptionis et Conceptionis eiusdem. Et sancte Marie Magdalene. Sancte Caterine. Beati Michaelis Archangelli mensis maii et septembris. Beati Iohannis Baptiste tam nativitatis quam decolationis. Beatorum Petri et Pauli Appostolorum. Et omnium duodecim Appostolorum et etiam Evangelistarum. Et in catreda sancti Petri. Et in festo sancti Petri ad Vincula. Et in festo conversionis sancti Pauli. Et etiam sancti Martini. Sancti Laurentii. Sancti Petronii. Sancti Ambrosii. Sancti Floriani. Sancti Nicolai. Sancti Blasii. Sancti Gregorii. Sancti Antonii de mense ianuarii. Sancti Benedicti. Sancti Salvatoris. Sanctorum Iohannis et Pauli. Sancte Lucie. Sancti Dominici. Sancti Francisci. Sancti Proculi. Sancte Malgarite. Sancti Georgii. Sancti Augustini. Sancti Ieronimi. Sancte Crucis de mense maii et septembris. Sancte Agnetis virginis. Sancte Agate. Sancte Cecilie. In vigilia Sancte Lucie post nonas. Diebus festivitatum omnium sanctorum. Et diebus comemorationis mortuorum. Sancti Silvestrii cuius festivitas cellebranda occurrit die viginta mensis iunii propter memoriam victorie triumphalis habite dicta die in terra Sancti Rophili. Et in diebus sabati post nonas. Et etiam in diebus vigiliarum cuiuslibet ex duodecim Appostolis post nonas. Et in vigiliis beate Marie Virginis mensium martii et augustii post nonas. Et diebus vigilie sancti Petronii post nonas. Et diebus quatuor temporum post nonas. Diebus generalis ellectionis officialium comunis Bononie in consilio quatuor milium. Diebus in quibus intrabunt domini anciani comunis Bononie in eorum officium de mane. Et diebus quibus traduntur confalones dominis confaloneriis comunis Bononie. Et diebus quibus fiet consilium quadringentorum populi et comunis Bononie pro cuius congregatione pulsabitur ad campanam que est in palatio dominorum antianorum. Ea videlicet hora qua continget⁷⁰⁵ dictum consilium congregari videlicet ante tercias si tunc congregabitur vel post nonas si tunc similiter continget dictum consilium congregari. Die Carnisprivii cum die precedenti et sequenti qui omnes et singuli dies suprascripti sint et esse intelligantur feriati et solempnes⁷⁰⁶ in causis civilibus. Decernentes etiam, quod tempore exercituum et cavalcatarum sint ferie in dictis causis. Intelligimus autem exercitum quando milites et pedites omnis civitatis vel duo vel tria vel unum tantum quarterium militum et peditum tantum equitarent. Et

⁷⁰⁴ <festivitatum> *nel testo* festivitatum.

⁷⁰⁵ <continget> *segue il compendio di con cancellato.*

⁷⁰⁶ <et solempnes> *dittografato e cassato per sottolineatura.*

cavalcata[m] quando dominus potestas vel capitaneus populi Bononie vel alicuius eorum miles vel//

[c. 194r f. CLXXXIII^or]

alius cum tota militia vel parte militie cum insignis populi et comunis Bononie equitarent vel cum populo toto vel uno aut pluribus quarteriis populi. Et si alia quantitas populi et militum equitarent quo ad eos qui irent in cavalcata[m] sint ferie toto tempore quo iverint et steterint et usque quo redierint in causis predictis et per unam diem post. Item dicimus, quod in omnibus diebus in quibus preconizatum fuerit per civitatem, ne quis veniat ad palatium pro iure petendo vel quocienscumque provisum et deliberatum fuerit per dominos ancianos non debere ius reddi in causis civilibus. Et ut dictorum dierum solempnium et feriatorum noticia haberi possit volumus et mandamus, quod dicti dies solempnes et feriat[i] describi debeant per unum ex notariis deputatis disco domini potestatis et Leonis et per unum ex notariis officio Aquile. Quos quidem notarios notarii ad dicta officia prescidentes pro predictis scribendis de se ipsis elligere teneantur prima die qua continget ipsos ad dicta officia exercenda sedere, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet eorum de qua ellectione debeat apparere publicum instrumentum. Qui notarii ad predicta sic elligendi et deputandi dictos dies scribere teneantur et causas propter quas solempnes et feriat[i] sint et teneantur ponere ad camaram actorum comunis et populi Bononie dictos dies in cartis membran[is] infra duos menses deposito eorum officio, sub pena librarum vigintiquinque bononinorum pro quolibet eorum qui fuerit negligens in predictis, et scripture eorum quo ad predicta adhibeatur plena fides. Adicientes, quod dictis feriis tacite vel expresse renunciari non possit. Et facta etiam iuramento firmata non teneat ipso iure.

[49] **De causis ancianorum, ambaxiatorum et absentium rei publice causa.**
Rubrica. [cc. 194r-194v]

Decernimus, quod cause, questiones seu controversie principaliter dominorum ancianorum civitatis Bononie et suorum notariorum durante eorum offitio et etiam ambaxiatorum civitatis Bononie et eorum, qui rei publice civitatis Bononie causa extra civitatem Bononie et districtum absentes fuerint vel in civitate vel comitatu Bononie existentes rei publice causa sint impediti tali impedimento quod in causis adesse non possint, de quibus impedimento et aliis supradictis stetur declarationi dominorum ancianorum. Et etiam cause et questiones et controversie in quibus aliqui predictorum fuerint advocati, procuratores, curatores, tutores vel actores seu syndici si in causa, questione seu controversia predicta pars principalis non habuerit alium advocatum, procuratorem, curatorem, tutorem vel actorem seu syndicum, qui in dicta causa seu questione possit interesse vel in quibus sit notarius actorum sint et esse debeant in pendent[i] durante dicto offitio ambaxarie vel absentie seu impedimento ut supra et in eo statu in quo erant ante tempus ipsius offitii ambaxarie vel absentie vel impedimenti ut supra. Dum tamen ipse questiones, cause vel controversie per tres dies ante tempus dicte ambaxarie, offitii vel absentie aut impedimenti incohate fuerint per petitionis oblationem et partis citationem. Et ita demum si ipse querimonie vel cause per ipsos advocatos, procuratores, curatores, tutores, actores vel syndicos vel notarios vel aliquem eorum vel eorum seu alterius eorum nominibus ante tempus eorum offitii ambaxarie vel absentie seu impedimenti, ut supra date fuerint in scriptis coram vicario domini potestatis et penes unum ex notariis dischi domini potestatis dimisse, que in actis per eum notarium debeant registrari, nisi pars principalis cuius favore causa dillatur predictis non obstantibus velit in causa seu questione procedi, quo casu procedatur predictis non obstantibus, salvo etiam quam in causa anciani vel notarii ancianorum in qua non

procedatur, nisi fuerint de voluntate utriusque partis, dummodo tales absentie advocatorum, procuratorum, curatorum, actorum seu syndicorum non durent ultra quindecim dies, quibus elapsis procedi possit in causa non obstante tali absentia. Et etiam ante quindecim dies predictos si verisimile fuerit dictam absentiam duraturam ultra dictos quindecim dies de quo stetur declarationi iudicis coram quo causa agiptabitur, salvo quam in anciano et notario ancianorum ut supra, quibus casibus requiratur voluntas utriusque partis. Et similiter in causis que in suspenso essent occasione impedimenti de quo supra sit mentio procedi possit, elapsis diebus quindecim dicti impedimenti si videbitur et placuerit dictis dominis ancianis. Et idem intelligatur, fiat et observetur si durante tempore ipsius offitii ambassarie vel absentie vel impedimenti predicti//

[c. 194v]

aliqua persona velit eidem officiali ambasiatori vel absentia seu impedito, ut supra, litem, questionem vel controversiam de novo movere vel si ipse officialis, ambasiator vel absens vel impeditus ut supra per se vel alium vellet de novo causam vel querimoniam alicui inferre, quibus casibus voluntas ipsius officialis, ambasiatoris vel absentis vel impediti, ut supra, servetur. Volumus etiam, quod si carceratus reperiretur pro aliquo debito alicuius singularis persone aliquis cum elligeretur vel vocabitur ad ancianatus offitium relaxari debeat si ydonee satisdederit creditori suo de satisfaciendo eidem vel revertendo ad carceris finito offitio predicto.

[50] **De salario arbitrorum et arbitratorum. Rubrica.** [c. 194v]

Ordinamus, quod si contingerit compromiti de aliqua se aliquibus questionibus in aliquem vel aliquos tamquam in arbitros vel arbitratores vel amicabile compositores, si fuerint certe quantitates vel summe, habeant arbitri seu arbitratores, sive unus sive plures fuerint, de ipsorum laudo seu arbitramento inter omnes et inter ambas partes pro eorum salario sex denarios bononinorum pro qualibet libra quantitatis et sume de qua fuerit questio, usque ad summam mille librarum bononinorum vel ab inde infra. Et si fuerit maioris quantitatis vel summe mille librarum bononinorum habeant arbitri seu arbitratores quocumque fuerint, usque ad dictam quantitatem mille librarum bononinorum, sex denarios bononinorum pro qualibet libra ut dictum est. Et de eo quod erit questio ultra dictam summam percipiant et habeant pro ipsorum salario tres denarios bononinorum pro qualibet libra inter ambas partes. Et si fuerit de certa re, facto vel specie quod vel que estimationem recipiat, percipiant arbitri seu arbitratores pro rata cuiuslibet libre estimationis dicte rei, facti vel spetiei, ut supra dictum est. Et si questio fuerit alicuius facti seu negotii de quo compromitatus, quod estimationem non recipiat non possint percipere vel habere⁷⁰⁷ pro suo salario si fuerit negotium arduum vel magnum ultra id quod perciperet si questio esset mille librarum, ut supra dictum est. De aliis autem parvis negotiis seu mediis percipiant quod iustum et conveniens videbitur. Et si questio inde foret quod videretur iustum sive convenientis relinquatur arbitrio unius ex iudicibus domini potestatis silicet vicarii vel iudicis Aquile officio presidentis. Adicientes, quod compromissum aliquod fiendum ultra duos menses continuos a die ipsius durare non possit, nisi aliud actum fuerit inter partes seu fuerit prorogatio⁷⁰⁸ facta per ipsas partes. Notarii vero qui confecerint acta et scripturas, quas fieri occurrerit ratione compromissi et etiam laudi et arbitramenti pro eo salario quocumque fuerint habere debeant prout in nostro superiori statuto posito sub⁷⁰⁹ rubrica ‘De solutionibus

⁷⁰⁷ <habere> segue la lettera s cancellata.

⁷⁰⁸ <prorogatio> corregge progatio.

⁷⁰⁹ <prorogatio> nel testo su.

scripturarum fiendis notariis in officio constitutis' [46] continetur. Adicientes, quod si maior pars arbitratorum vel arbitratorum pronunciaverit alio seu aliis requisitis pro parte ipsorum arbitrari volentium seu eorum mandate prout et⁷¹⁰ secundum quod quis citari debuerit ad sententiam audiendam secundum formam statutorum nostrorum valeat et teneat talis pronuntiatio seu laudum non obstante absentia predicti requisiti seu quod non laudaverit seu pronunciaverit.

[51] De declinantibus forum comunis Bononie vel suorum officialium pretestu privilegii fori ecclesiastici vel exceptionis usurarum. Rubrica. [cc. 194v-195r]

Rursus statuimus, quod quivis de iure comuni vel per⁷¹¹ constitutiones domini bononiensis episcopi esutus vel privatus beneficio seu privilegio fori ecclesiastici, in aliqua causa criminali vel civili audeat vel presumat eo pretestu, quod asserat se clericum vel ecclesiasticam personam regularem vel secularem declinare forum seu iurisdictionem comunis Bononie vel alicuius sui officialis, sub pena trecentarum librarum bononinorum. Et nullus officialis comunis Bononie talem declinantem contra formam presentis statuti audiat vel admitat sub eadem pena. Quam penam dominus potestas, qui pro tempore fuerit, vel eius vicarius vel iudex Ursii ex quo coram iudice competenti facta fuerit fides predictum declinantem forum fore exutum vel privatum beneficio sive privilegio fori ecclesiastici exigere teneatur. Ut autem predicta debitum sortiantur effectum et nichil statuatur in preiudicium ecclesiastice libertatis, decernimus// [c. 195r f. CLXXXV]

quod si contra huiusmodi exceptionem declinatoriam fori fuerit replicatum, quod declinans propter aliquam causam, quam replicans specificet, est privatus vel exutus privilegio fori ecclesiastici, officialis coram quo predicta proponuntur receptionem probationis, exceptionis et replicationis ad forum ecclesiasticum remitat, quam remissionem dictus declinans incontinenti petat. Et infra tres dies immediate sequentes predictas exceptionem et replicationem iudici ecclesiastico debeat presentare et petere terminum ad exceptionem probandam. Et durante termino asignato per iudicem ecclesiasticum ad probandum predicta, non currant tempora instantie cause principalis incoate coram dicto officiali comunis Bononie, que aliter currerent secundum formam statutorum comunis Bononie. Et si dictus declinans incontinenti dictam remissionem non petierit vel infra dictos tres dies omnia acta agitata coram dicto officiali comunis Bononie non presentaverit vel exceptionem infra terminum asignatum per iudicem ecclesiasticum non probaverit vel replicans probaverit suam replicationem hoc ipso in quolibet casuum predictorum predictam penam incurrat. Et nichilominus super eo, de quo agebatur vel procedebatur contra eum, nulla ipsius allegatione audita vel admissa, habeatur pro confesso et per dictum officialem comunis Bononie contra ipsum declinantem tam quam contra confesum procedatur. Si vero coram aliquo officiali comunis Bononie incidentur proponeretur quod causa, de qua agitur, est usuraria et ideo ad ecclesiasticum iudicem remittenda, proponens quod ad ecclesiasticum iudicem remittatur causa in hoc non audiatur, sed officialis comunis Bononie coram quo proposita fuerit exceptio usurarum, ipsam admittat et de ea cognoscat modo et forma, quibus cognoscere debet de aliis exceptionibus peremptoriis secundum formam statutorum comunis Bononie. Et probatio facta de dicta exceptione per testes vel instrumenta, presumptiones vel alio modo, illum effectum habeant quem habere deberent si facta forent in foro ecclesiastico, etiam si de iure civili vel quocumque statuto comunis Bononie predicta carerent effectum. Predicta autem volumus inviolabiliter

⁷¹⁰ <et> segue sicut depennato.

⁷¹¹ <per> in infralinea con segno di inserzione.

observari, nisi coram iudice ecclesiastico ante petitionem porrectam coram officiali comunis Bononie fuisset causa usurarum incoata per petitionem et citationem partis inde secutam.//

[c. 197r f. CLXXXVII]

[52] **Quomodo et qualiter creari debeant tabeliones. Rubrica.** [cc. 197r-197v]

Statuimus, quod quicumque voluerit de ceptero tabelio fieri vel artem notarie in civitate Bononie vel districtu eiusdem operari se presentet coram correctore et consulibus societatis notariorum civitatis Bononie, et facta examinatione ipsius notarii secundum formam statutorum societatis predicte et illa in scriptis redacta, per ipsos correctorem et consules presentetur cum productione scripturarum dicte examinationis coram domino potestate civitatis Bononie vel eius vicario vel iudice Aquile dicti domini potestatis et duobus iurisperitis civitatis Bononie, qui sint de societate predicta et octo notariis, scilicet duobus pro quolibet quarterio elligendis ad brevia singulis sex mensibus tempore et modo quibus alii officiales dicte societatis elliguntur vel alio tempore, si eorum ellectio facta non esset, pro examinando talem presentatum. Et quilibet sic presentatus teneatur iurare et plenam fidem facere per doctorem seu magistrum, sub quo studuerit, si vivet et fuerit presens in civitate Bononie, et per tres testes ad minus fide dignos, quod studuerit in gramatica quinque annis ad minus et⁷¹² in documentis notarie vel iure canonico vel civili spatio duorum annorum ad minus sub doctore notarie vel doctore iuris civilis vel canonici. Quo sacramento prestito, factis examinationibus et probationibus supradictis, postea examinetur ibidem coram domino potestate vel eius vicario seu iudice Aquile et dictis aliis examinadoribus diligenter de latino et hiis que spectant ad artem notarie. Et si inventus fuit sufficiens dictus dominus potestas, vicarius seu iudex potestatis iuxta consilium dictorum examinadorum vel maioris partis eorum sentenciando pronunciet ipsum auctoritate comunis Bononie esse notarium et ipsum de ceptero in civitate et districtu Bononie posse artem notarie exercere. Et ipsum esse conscribendum in matricula societatis notariorum pro legitimo tabelione. In qua scribi non posit, nisi tunc vel ante depositis et asignatis in camara actorum scripturis et probationibus predictis. Que per ordinem scribantur et scribi debeant per notarium dicte societatis seu correctoris, qui pro tempore fuerit, sub pena cuilibet ipsorum notariorum ac notariorum camare, qui aliter aliquem scripserit in⁷¹³ matricula predicta centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice ipso facto exigenda et auferenda per iudicem Ursii a quolibet contrafaciente vel obmitente predicta servare. Qui iurisperiti et octo notarii elligendi, ut supra dictum est, sint et esse debeant ad minus etatis quadraginta annorum et pratici in ministerio notarie spatio decem annorum ad minus. Et si quis minor quadraginta annorum vel non praticus, ut dictum est, elligeretur ellectio eius careat viribus et effectu. Et nichilominus quilibet talem elligens penam incidat decem librarum bononinorum comuni Bononie applicandam. Ellectus vero contra dictam formam eandem penam incurrat si dictam ellectionem acceptaverit vel pro ea ad aliquem actum pervenerit. Et quod corrector et consules dicte societatis in breve mitendo pro tali ellectione mentionem faciant de etate et pratica cuiuscumque, qui elligi debuerit ad predicta. Si vero duo iurisperiti et octo notarii, corrector et consules dicte societatis aut aliquis seu aliqui ex eis predicta et quodlibet predictorum obmiserint observare penam incidant pro quolibet ipsorum//

[c. 197v]

contrafacientium vel obmitentium centum librarum bononinorum comuni Bononie applicandam et a quolibet contrafaciente auferendam. Et posint approbari simul decem ad plus. Et habeat quilibet de predictis iurisperitis et notariis, qui interfuerint dicte approbationi et examinationi, salarium ordinatum secundum formam dicti statuti societatis predicte. Et notarius civis ipsius domini potestatis, vicarii vel iudicis

⁷¹² <et> segue cinque annis cassato per vacatazione.

⁷¹³ <in> segue familia depennato.

potestatis⁷¹⁴ teneatur ipsas sententias scribere et dare cuilibet examinato et approbato suam sententiam infra octo dies et ponere clare et aperte in formam publicam nomen et pronomen cuiuslibet examinati et approbati in singulis matriculis societatis predictae, que sunt in armario comunis Bononie. Et pro hiis omnibus predictus notarius habeat pro quolibet approbato quinque solidos bononinorum et non ultra. Preterea dicimus, quod approbari, presentari aut examinari aut ad exercitium notarie seu tabelionatus admitti non possit aliquis, qui non sit civis orrigine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis fumans seu estimatus districtus Bononie vel descendens ex eis per masculos, etatis ad minus decem et octo annorum. Nullus que officio honore vel munere aut quibuscumque officiis vel beneficiis comunis Bononie sub nomine et appellatione notarii potatur, gaudeat vel fungatur, nisi sit vel fuerit ipse et eius maiores cives vel fumantes, ut supra. Et si quis contra ea vel aliquod eorum fecerit vel fieri permiserit, puniatur pro qualibet vice qua contrafecerit vel fieri permiserit in centum libris bononinorum. Et si corrector et consules notariorum contrafecerint vel venerint in aliquo de predictis condempnetur pro quolibet et qualibet vice per potestatem in viginti quinque libris bononinorum. Et per syndicum societatis notariorum nichilominus in decem libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice condempnetur. Et possint inquirere dicti syndici de predictis. Et ad hoc ut notarii, qui creati sunt, et creabuntur dicto modo auctoritate comunis Bononie possint non solum in civitate vel comitatu Bononie conficere instrumenta, acta et scripturas et alias scripturas publicas, sed etiam extra comitatum per universum orbem, dicimus, quod corrector et consules sive notarii teneantur et debeant procurare omnino quod privilegium regum et comitum et singulorum aliorum, qui privilegia habent et habebunt creandi tabeliones, que haberi poterint habeantur et scribantur in registro comunis Bononie insinuata auctoritate domini potestatis vel eius iudicis, ita quod quilibet, qui meruerit vel merebitur fieri vel creari tabelio ab aliquo de predictis habentibus dicta privilegia possint habere copiam dictorum privilegiorum et ubicumque voluerint ostendere vel portare exemplum ipsorum. Quibus registratis vel registrandis et scripture inde publica manu sumende tamquam originalibus plena fides adhibeatur et detur et prout dumtaxat dictis orriginalibus fides adhiberetur et daretur et non aliter. Que insinuatio valeat etiam nemine citato vel requisito. Decernentes, quod si aliquis aliquo instrumento utatur in civitate Bononie vel districtu in iudicio vel extra, scripto extra dictam civitatem vel districtum manu alicuius, qui sit vel fuerit de societate notariorum civitatis Bononie et tempore confectionis talis instrumenti non sit pro malefitio bannitus vel in figura banni conscriptus civitatis Bononie, eidem instrumento plena fides adhibeatur et detur perinde ac si fuisset confectum et scriptum in civitate predicta, non obstante quod non sit notarius imperiali auctoritate. Item volumus et iubemus ut presentis statuti noticia habeatur, et ne per ingnorantiam ipsius observantia obmitatur. Quod corrector dicte societatis, qui pro tempore fuerit, precise teneatur dictum statutum poni et scribi facere in volumine statutorum dicte societatis ac illud seriatim legi et publicari facere coram supradicto domino potestate, eius vicario seu iudice Aquile et sapientibus supradictis vice qualibet, qua contingerit aliquos pro notariis approbari vel improbari debere, sub pena ipsi correctori obmitenti predicta facere centum librarum bononinorum ab ipso per iudicem Ursii vice qualibet auferenda.

[53] **De tabelionibus qui possunt conficere instrumenta. Rubrica.** [cc. 197v-198r]

Statuimus, quod aliquis qui non sit vel non erit nec esse possit secundum formam nostrorum statutorum de societate notariorum civitatis Bononie et conscriptus in

⁷¹⁴ <vicarii vel iudicis potestatis> *di seguito sul margine laterale destro su 2 righe.*

matricula societatis notariorum, que est vel erit in camara actorum comunis et populi Bononie, non posit tamquam notarius//

[c. 198r f. CLXXVIII]

conficere aliquod instrumentum in civitate Bononie vel districtu vel aliquam aliam scripturam publicam. Nec etiam ut notarius aliquod posit habere vel exercere officium in comuni vel extra nec ad ipsum officium elligi. Et qui tempore ellectionis de eo facte ad aliquod officium notariatus aliquam artem vel ministerium manuale seu mechanicam faciat in civitate Bononie, et si fecerit vel exercuerit ipso iure non valeant gesta per eum occasione dicti officii, et nichilominus ille talis sic faciens vel exercens ipso facto incidat in penam centum libris bononinorum comuni Bononie applicandam et pro qualibet vice. Quam penam dominus potestas exigere teneatur ad denunciationem cuiuscumque infra decem dies, facta sibi denunciatione predicta et fide habita de predictis sub eadem pena. De hiis excipimus speciales notarios domini potestatis et domini capitanei populi Bononie et aliorum quorumcumque officialium comunis Bononie forensium, et etiam omnes notarios forenses in officio comuni Bononie vel domini bononiensis episcopi existentes. Qui durantibus offitiis eorum posint et potuerint instrumenta et acta conficere que sibi commiterentur occasione seu causa eorum offitii. Item dicimus, quod aliquis clericus beneficiatus vel in sacris ordinibus constitutus vel conversus, sive sit in matricula societatis notariorum conscriptus sive non, nullo modo tamquam notarius posit conficere aliquod publicum instrumentum vel scripturam publicam. Et si fecerit ipso iure non valeat in iudicio vel extra. Que locum habeant in presentibus et futuris. Statuimus etiam, quod aliquis, qui de ceptero fuerit condempnatus vel bannitus seu in figura condempnationis vel banni conscriptus pro aliqua falsitate, quam diceretur fecisse in comitendo vel obmitendo circa ipsum officium tabelionatus ipsa condempnatione soluta vel non et banno cancellato vel non, non posit tamquam notarius conficere aliquod publicum instrumentum vel aliquam publicam scripturam vel habere seu exercere aliquod officium notariatus in civitate, comitatu vel districtu Bononie vel extra. Et si fecerit vel exercuerit ipso iure non valeat instrumentum vel scriptura in iudicio vel extra. Et nichilominus qui fecerit vel exercuerit incidat et incidisse intelligatur ipso facto in penam predictam centum librarum bononinorum pro qualibet vice exigendam ut supra. Dicimus etiam, quod aliquis bannitus vel banniendus vel conscriptus vel conscribendus in figura banni pro alio malefitio ultra quantitatem centum librarum bononinorum interim ante cancellationem ipsius banni vel figure quoquomodo factam vel fiendam non posit conficere aliquod publicum instrumentum vel aliquam publicam scripturam vel habere seu exercere aliquod officium notariatus in civitate, comitatu vel districtu Bononie sub dicta pena. Item dicimus, quod aliquis nuncius vel bannitor publicus comunis Bononie, qui nunc est vel pro tempore fuerit vel officium nuncii vel publici bannitoris exercuerit non posit esse notarius vel officium notariatus exercere sub pena predicta. Et si fuerit conscriptus in matricula notariorum de dicta matricula debeat cancellari et pro cancellato ipso iure habeatur et sit nec aliquem honorem habere in societate notariorum. Et corrector notariorum teneatur ipsum nuncium cancellari facere de quibuscumque matriculis dicte societatis positis ad camaram actorum et alibi ad petitionem cuiuscumque et etiam ex suo officio.

[54] **De cognitore contrahentium aponendo⁷¹⁵ in instrumentis conficiendis in civitate vel comitatu Bononie.** [cc. 198r-198v]

Ordinamus, quod nullus in civitate Bononie vel districtu eiusdem conficere debeat aliquid instrumentum super aliqua obligatione, confessione, liberatione vel pacto seu

⁷¹⁵ <aponendo> *corregge* ponendo.

contractu extra iudicium faciendis a quantitate centum solidorum supra si fiant de quantitate vel de re rebus vel factis, que sint vel esse dicantur estimationis a centum solidis supra, nisi ipse tabelio cognoscat vel dicat seu aserat se cognoscere partes facientes fieri instrumentum vel saltem sit ibi unus ex testibus in instrumento describendis, qui cognoscat seu dicat vel aserat se cognoscere dictos facientes fieri instrumentum vel contrahentes, etiam si alieno nomine fierent predicta. Et hoc scribat tabelio in ipso instrumento, quod ipse tabelio cognoscit contrahentes vel partes seu facientes fieri instrumentum si verum sit, quod ipse notarius sic cognoscat vel quod talis testes cognoverit vel dixerit seu aseruerit se cognoscere ipsos contrahentes vel partes seu facientes fieri instrumentum predictum. Et de cognitione contrahentium vel partium vel facientium fieri instrumentum stetur et credatur scripture tabelionis, nisi probetur contrarium. Et si aliter instrumentum factum fuerit seu factum reperiatur et talis//

[c. 198v]

cognitio aliter non probetur, ut infra, non valeat ipso iure. Et tabelio incidat in penam centum librarum bononinorum et nichilominus teneatur ad interesse parti lese ex obmissione predicta. Si autem testis fuerit, qui dixerit vel aseruerit se cognoscere contrahentes predictos unum vel plures vel partes predictas et reperiatur ipsum dixisse contra veritatem, penam falsi testis paciatur et ex hoc instrumentum non vitietur. Si autem contrahens vel contrahentes fuerint forenses et non cogniti a tabelione nec a testibus, tunc sufficiat si faciat instrumentum coram domino potestate vel uno ex iudicibus suis. De hiis excipimus instrumenta syndicatus a quibuscumque et in quibuscumque locis facta reperiatur super quacumque re vel facto vel quantitate et alia instrumenta fratrum vel sororum sive monacarum in locis vel conventibus religiosis permanentium ab eis ut universis facta in dictis locis et alia instrumenta omnia cuiuscumque universitatis ubicumque facta reperiatur et super quacumque quantitate, re vel facto, que fierent per ipsam universitatem, sine syndico vel simul cum syndico. Et etiam instrumenta procurationum confecta de procuratore uno vel pluribus absente vel absentibus tempore confectionis instrumenti, que posint fieri dicta solempnitate cognitoris vel iudicis non servata dummodo constituens procuratorem sit cognitus, ut supra. Hoc addito, quod si singularis persona fuerit vel syndicus alicuius universitatis, vel colegii, que vel qui contraheret vel tale instrumentum fieri faceret cum tali colegio vel universitate, tunc quantum ad⁷¹⁶ ipsam singularem personam vel syndicum omnia dicta de cognitione notarii vel testis vel circa ea vel eius obmissionem vendicent sibi locum. Ubi autem instrumento de⁷¹⁷ cognitione partium nichil contineatur, posit talis cognitio probari per testes et talis probatio admitatur, quo probato, valeat instrumentum tali obmissione non obstante. Statuentes, quod ex eo quod in instrumento alicuius syndicatus nomina constituentium non essent posita et expressa ipse syndicatus vel instrumentum de eo factum⁷¹⁸ non vitietur dummodo alia que iuris fuerint estiterint observata. Nec etiam tali instrumento syndicatus posit opponi quod administrator sive officialis cuius auctoritate vel mandato syndicatus fuerit constitutus quocumque nomine nuncupetur non fuerit tunc administrator sive officialis et legiptime constitutus si in instrumento contineatur ipsum administratorem fuisse, nisi contrarium probaretur. Et in quibus etiam instrumentis et scripturis quibuscumque publicis teneantur predicti notarii scribere et aponere nomen summi pontificis seu pape, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet obmitente et qualibet vice. Ex obmissione tamen ipsius nominis ipsum instrumentum vel scriptura non vicietur.

⁷¹⁶ <ad> *segue eum depennato.*

⁷¹⁷ <de> *dittografato.*

[55] **De forma contractuum inihendorum cum comuni Bononie. Rubrica.** [cc. 198v-199r]

Sancimus, quod omnes contractus et pacta, quos et que de ceptero comune Bononie vel aliquis alius auctoritatem habens nomine comunis Bononie fecerit cum aliqua persona, comuni, colegio seu universitate occasione alicuius laborerii comunis Bononie vel aliqua alia ocaxione excepta locatione datiorum et gabellarum in quibus⁷¹⁹ forma tradita super eis observetur, per quos vel quem comune Bononie obligetur alicui vel aliquis se obliget comuni Bononie in quantitate vigintiquinque librarum bononinorum et ab inde supra vel quod hinc inde fiat obligatio, fieri debeant in infrascripta forma, videlicet quod ipsi contractus et pacta debeant scribi per unum ex notariis, qui presunt ad camaram actorum comunis Bononie et per unum ex notariis defensorum averis comunis Bononie et dictentur et approbentur per duos sapientes viros ad dominis ancianis comunis Bononie elligendos. Et fiant due note instrumenti predicti eiusdem tenoris et postea legatur per unum ex dictis notariis et per alterum ascultetur in presentia dictorum dominorum ancianorum. Qui notarius ad camaram actorum comunis Bononie dictum contractum infra terciam diem publice et autentice confectum deponere teneatur et debeat. Ita tamen quod quilibet, qui conducet a comuni Bononie aliquod opus ad faciendum promitat et se obliget, datis bonis fideiussoribus de ipso opere suo periculo, risigo et fortuna manutenendo usque ad decennium, nisi aliud per contrahentes fuerit conventum. Et contractus factus vel pactum factum, obmissa forma predicta non valeat in preiudicium comunis Bononie. Ex obmissione autem predictorum in quantum respiciant favorem comunis Bononie contractus vel pactum nullatenus vitietur. Et dicimus, quod omnes contrahentes cum comuni Bononie seu eidem se obligantes ad aliquid dandum vel faciendum, quod vel cuius estimatio excedat quantitatem vigintiquinque librarum bononinorum teneantur prestare bonam et ydoneam se//

[c. 199r f. CLXXXVIII^o]

curitatem approbandam per alterum ex approbatoribus comunis coram dictis dominis defensoribus averis comunis Bononie. Que fideiussio recipiatur pro ut per ipsum approbatorem fuerit approbata et non aliter. Ita quod comune nullum dampnum paciatur, quod si sic approbata non reciperetur teneantur recipientes eam dictum comune conservare⁷²⁰ indemne. Que securitates eodem modo scribantur per dictum notarium defensorum averis et ponantur ad dictam camaram in registro dicti comunis ne comune Bononie defraudetur de suo iure. Posint tamen predicti defensores immobilia dicti comunis locare ad tempus quinque annorum vel ab inde infra quibuscumque personis cum pactis et conventionibus prout melius poterunt convenire ut eis videbitur, dum tamen quod si annua pensio vel redditus excedat summam decem librarum bononinorum, fiant ipse locationes cum consensu dominorum ancianorum.

[56] **De contractibus et privilegiis comunis Bononie registrandis. Rubrica.** [c. 199r]

Ordinamus, quod omnes contractus, privilegia et conventiones, que facta sunt seu que fierent in futurum, que respiciant seu respicere posint honorem et utilitatem perpetuam vel temporalem et bonum statum comunis et populi Bononie debeant registrari seu conscribi in registro comunis Bononie per notarium qui dicta privilegia, instrumenta, contractus et conventiones scripsit infra quindecim dies post ipsorum confectionem. Et si quis notarius predicta non fecerit condempnetur pro quolibet et

⁷¹⁸ <de eo factum> *su rasura*.

⁷¹⁹ <quibus> *segue super eis depennato*.

⁷²⁰ <conservare> *su rasura*.

qualibet vice in decem libris bononinorum et plus secundum qualitatem facti et nichilominus cogatur registrare. Et si fuerint privilegia vel instrumenta confecta extra civitatem et districtum Bononie vel per notarium forensem, tunc registrentur per unum ex notariis dicte camere actorum in registro comunis Bononie infra decem dies postquam eisdem fuerint presentata sub pena predicta. Et hoc etiam defensores averis qui pro tempore fuerint teneantur procurare.

[57] **De venditionibus factis per comune Bononie manutenendis. Rubrica.** [c. 199r]

Statuimus, quod dominus potestas Bononie et omnes officiales comunis Bononie teneantur et debeant defendere omnes illos, qui emerunt et ement a comuni Bononie vel eius sindico vel officiali vendendi potestatem habente aliquas res vel possessiones ac ipsorum heredes et successores in rebus et possessionibus supradictis etiam si pro hiis gabella soluta non fuerit vel subastatio facta vel alia iuris solemnitas non fuerit observata. Nec etiam per ipsum comune vel eius officiales tales contractus retractari valeant nisi quatenus tantum in hiis comune Bononie fuisset defraudatum. Et iddem in aliis contractibus factis et fiendis per comune Bononie vel eius syndicum vel officialem de hoc potestatem habentem servetur tam in favore dicti comunis quam contra ipsum comune.

[58] **De rebus per comune Bononie concessis non alienandis. Rubrica.** [c. 199r]

Placet, quod nullus vendat vel alienet aliquam rem sibi per comune Bononie concessam ad tempus et si contrafecerit ipso iure non valeat, nisi facta esset de voluntate auctoritatem habentium et nichilominus penam incidat ipse venditor trecentarum librarum bononinorum.

[59] **De pactis factis seu fiendis per comune Bononie cum quacumque civitate, terra vel barone in camara actorum comunis Bononie scribendis. Rubrica.** [cc. 199r-199v]

Ordinamus, quod dominus potestas Bononie et sui iudices infra duos menses ab ingressu sui regiminis debeant audire et examinare si pax Constantie et si pactum factum inter comune Bononie et dominum bononiensem episcopum et laudum latum inter ipsas partes super facto Centi et Plebis et Umçole et quarundam aliarum terrarum comunis Bononie et omnia alia pacta, que comune Bononie habet vel habebit cum quacumque alia terra⁷²¹, comune, domino vel barone seu prelato alicuius terre vel loci et omnes alie et singule provisiones et privilegia, que pertinent vel spectare posunt vel noscantur ad honorem et bonum statum comunis et populi Bononie sunt in camara actorum comunis Bononie vel in sacristia Sancti Petri, si ibi esse debuerint. Et ipsa, que ibi reperirentur, manuteneri et conservari facere in ipsis locis et que non reperirentur subtiliter inquirere eo indagare teneantur. Ad quod faciendum habeant purum et merum arbitrium. Et illis repertis vel aliquo eorum ipsa in dicta camara actorum comunis Bononie poni facere vel in sacristia beati Petri seu fratrum Minorum vel Predicatorum et ibi ea conservare et conservari facere. Et iddem fiat de promissionibus sive pactis factis ab archipresbitero Sancti Iohannis in Persiceto et ab archipresbitero Montisbelii de facto ecclesiarum//

[c. 199v]

⁷²¹ <terra> segue vel depennato.

Castri Franchi et Serravallis. Item dicimus, quod si qua de novo fieri pacta contingeat teneatur potestas ea scribi facere et poni in dicta camera comunis Bononie. Et predicta omnia fiant expensis comunis Bononie. Et teneantur potestas et eius familia et ceteri officiales comunis Bononie servare omnia pacta et conventiones factas et facta inter comune Bononie ex una parte et quamcumque personam, universitatem vel comune si ipse persone, universitas vel comunia ex alia causa comuni Bononie servaverint vel eis non fuerit derogatum et aliter non. Ad que omnia et singula suprascripta fienda et observanda teneantur domini defensores, sub virtute prestiti per eos sacramenti.

[60] **De contractibus emphyteoticis. Rubrica.** [cc. 199v-200r]

Statuimus, quod omnes habentes vel qui habebunt in futurum res aliquas in civitate Bononie vel districtu positas in emphyteosim perpetuam ab aliqua persona singulari, colegio vel universitate civitatis Bononie vel districtus vel extra, solvant et solvere debeant conventam et debitam pensionem et post terciam personam in quartam renovare. Dicimus etiam quod tempore renovationis fiende solvatur nomine renovationis domino vel eius heredibus vel sucessoribus sex denarios bononinorum parvos pro qualibet libra estimationis rei in emphyteosim date, nisi alia pacta in contractu emphyteotico contineantur, tam circa renovationem quam, circa id, quod renovationis nomine solvi deberet, que pacta prout contineantur debeant observari. Que estimatio fieri debeat arbitrio duorum bonorum virorum et legalium vicinorum rei estimande elligendorum a partibus si concordaverint vel a iudice potestatis, qui pro predictis fuerit adhitus. Ita tamen quod nulla superficies estimetur. Et hoc habeat locum in rebus que sunt in civitate Bononie vel burgis. In rebus autem, que sunt extra civitatem vel burgos dicimus quod fiat estimatio supradicto modo. Ita tamen quod tempore renovationis fiende solvantur pro ipsis rebus extra civitatem Bononie et burgos positis duodecim denarii bononinorum parvi pro singulis libris estimationis ipsarum rerum, nisi alia pacta facta fuerint ut supra. Et hoc locum habeat, ubi pensio solvi debeat in pecunia vel obsequiis personarum vel enxeniorum vel hospitem receptione vel aliorum servitorum⁷²² prestatione. Item dicimus, quod si aliquis maior vigintiquinque annis rem aliquam in emphyteosim perpetuam concessam possideat et dominus dicte rei petierit quod possessor se debeat renovare et possidens se renovare noluerit et res fuerit in casu renovationis, tunc potestas Bononie vel unus ex iudicibus suis ad requisitionem domini teneatur admonere possessorem rei semel per unum nuncium inventum vel non inventum per duos nuncios duobus diversis diebus, quod veniat ad se renovandum aut rem emphyteoticam domino relinquat. Et si post admonitionem infra mensem non venerit ad renovandum rem emphyteoticam vel eam non relinquerit, tunc potestas vel iudex qui fecerit talem admonitionem teneatur mittere dominum in possessionem rei emphyteotice et dominus lucretur fructus tocius anni, nisi possessor venerit infra quinquaginta dies ad renovandum. Quo casu dominus lucretur fructus pro rata. Post elapsa autem dicta tempora dominus invitus renovare dicto possessori nullatenus teneatur. Et si emphyteoticarius infra dicta tempora vel ante quandocumque voluerit renovare et dominus noluerit, tunc emphyteoticarius restituatur in possessionem rei, si ex ea extractus fuerit et lucretur fructus omnes, nec teneatur solvere pensionem, donec ei renovatio fiat. Item dicimus, quod si aliquis⁷²³ alius quam primus verus emphyteoticarius receperit renovationem alicuius rei in emphyteosim perpetuam ei date liceat primo emphyteotecario avocare rem ab alio, qui se renovaverit ac si ipse primus renovationem

⁷²² <servitorum> *segue* prelati *depennato*.

⁷²³ <aliquis> *segue* al *depennato*.

recepisset si paratus sit renovare, dum tamen veniat infra dicta tempora⁷²⁴ vel ante quancumque. Item dicimus, quod si aliquis emphyteoticarius perpetuus posideret rem emphyteoticariam et spatio treginta annorum cessaverit in pensionis solutione non fiat domino nec emphyteotario preiudicium si totam preteriti temporis voluerit solvere pensionem. Quo casu si sciverit possessor esse rem emphyteoticam⁷²⁵ et cessaverit in pensionis solutione scienter teneatur solvere duplum pensionis solite. Et si ignorans fuerit solvat solummodo simplum. Et de⁷²⁶ scientia vel non stetur et credatur dicto possessoris iurando//

[c. 200r f. CLXXXX]

de veritate dicenda, nisi contrarium per testes vel instrumenta probaretur. Item dicimus, quod si aliquis habuerit hedificium super terrenum comunis Bononie vel alicuius private persone vel alterius universitatis vel colegii solvendo⁷²⁷ conventam pensionem vel solitam ubi de conventa non constaret quam retro solvere obmiserit vel cessaverit⁷²⁸ vel volendo emere terrenum iusto pretio arbitrio boni viri, si illud vendere voluerit dominus soli vel alienare, non posit reici vel cogi ad removendum hedificium vel ad solvendum aliquid ultra dictam pensionem etiam si in solutione pensionis cessatum fuerit dicto tempore treginta annorum, nisi sciens cessaverit, quo casu duplum solvere teneatur ut supra. Et de scientia vel ignorantia credatur ut supra. Preterea dicimus, quod quicumque habet vel habuerit aliquam rem in emphyteosim quocumque iure emphyteotico perpetuo vel temporali vel aliter conduxerit a comune Bononie vel ab aliqua persona privata, colegio vel universitate posit ius suum alienare, domino requisito, et dare et vendere ipsum dicto domino volenti pro pretio, quod ab alio habere potuerit vel tantominus quanto teneretur ex pacto inhito in instrumento emphyteotico expectando dominum per mensem vel plus vel minus secundum quod continebitur in instrumento emphyteotico⁷²⁹. Expectato autem domino secundum formam pacti vel per mensem, ubi terminus non esset apositus et emere nolente liceat⁷³⁰ emphyteotario vendere cuicumque⁷³¹ voluerit, salvo tamen iure domini in renovatione et pensione contra quamcumque personam ad quam res predicta emphyteotica quocumque modo vel iure pervenerit a qua posit dominus possessionem et renovationem petere auctoritate presentis statuti. Et potestas vel eius iudices et alii officiales comunis Bononie teneantur imponere scilicet volentibus venire contra formam presentis statuti. Addicientes, quod ubicumque dominus rei emphyteotice, ut supra obtulerit alicui creditori ipsius emphyteote sibi debitum, non posit creditor ipse rem predictam emphyteoticam acquirere in solutum in iudicio vel extra in preiudicium ipsius domini, qui preferatur et preferri debeat in acquisitione ipsius rei. Et si ante oblationem predictam meruisset talis creditor in solutum vel incohasset iudicium, ex quo videretur ipsum consequi posse talem rem in solutum et dominus infra mensem a die scientie obtulerit ipsi, qui meruerit in solutum⁷³² vel iudicium predictum incohaverit vel eius successori sibi debitum et expensas, quas fecerit⁷³³ pro⁷³⁴ predictis posit avocare talem rem emphyteoticam a

⁷²⁴ <tempora> segue si paratus sit renovare cassato per vacatazione.

⁷²⁵ <emphyteoticam> corregge emphyticam.

⁷²⁶ <de> in infralinea con segno di inserzione.

⁷²⁷ <solvendo> segue continuam depennato.

⁷²⁸ <quam retro solvere obmiserit vel cessaverit> sul margine laterale destro su 2 righe con segno di inserzione.

⁷²⁹ <emphyteotico> in infralinea.

⁷³⁰ <liceat> segue domini depennato.

⁷³¹ <cuicumque> corregge cui.

⁷³² <solutum> segue vel eius successori depennato.

⁷³³ <fecerit> segue ocasionibus espunto.

⁷³⁴ <pro> sul margine laterale sinistro.

predicto auctoritate presentis statuti. Qui teneatur ipsi domino cedere iura, que habet pretestu talis debiti usque ad concurrentem quantitatem ad defensionem dicte rei et se obligare ad defensionem dicte rei et pro tutione⁷³⁵ pro suo facto tantum. Et predicta omnia etiam locum habeant in precariis et in aliis quibuscumque locationibus et concessionibus ad renovandum, dum tamen fiat renovatio secundum formam precedentis contractus in quantum posit adaptari, dum tamen nichil solvere teneatur pro renovatione, nisi aliter in dicto contractu ageretur.

[61] **De contractibus cum minoribus et filiis familias conficiendis. Rubrica.** [cc. 200r-201r]

Ordinamus, quod nullus minor vigintiquinque annis qui sit sui iuris contrahere posit vel alteri se obligare expresse extra iudicium vel sponte in iudicio confiteri per se vel per tutorem vel curatorem vel bona sua immobilia vel aliqua sua iura vendere, alienare, cedere vel alteri obligare vel renunciare alicui iuri sibi competenti vel competituro vel beneficio huius statuti vel sacramentum prestare corporaliter vel verbo tenus faciendo predicta vel eorum aliquod inter vivos. Nisi pupillus cum auctoritate tutoris vel per tutorem vel adultus cum auctoritate curatoris, sive sit generalis curator sive specialis peritus ad actum predictum, ubi generalem curatorem non haberet. In quo generali curatore constituendo servetur ea solempnitas⁷³⁶ in cridis fiendis, que servatur in emancipationibus. Et in presentia unius ex iudicibus domini potestatis ipsi contractui vel obligationi, venditioni, alienationi, renunciationi vel cessiononi vel confessioni suam auctoritatem prestantis et unius boni et legalis notarii et fide digni contractum venditionis, alienationis, cessionis, obligationis, renunciationis vel confessionis scribentis et quatuor testium ad minus bone fame et opinionis, quorum quatuor unus sit agnatus vel cognatus dicti minoris, qui predictis consentiat et sit maior vigintiquinque annis et homo bone fame et opinionis, qui iuret corporaliter coram dicto iudice se agnatum vel cognatum dicti minoris et se credere ea que aguntur non fieri in dampnum vel fraudem//

[c. 200v]

dicti minoris. Et de presentia agnati vel cognati et ipsius etate et⁷³⁷ bona fama et opinione⁷³⁸ aliis supradictis credatur et stetur scripture tabelionis, nisi probetur contrarium. Adiungentes et declarantes, quod si de venditione seu alienatione bonorum immobilium impuberis tractaretur ultra solempnitates predictas etiam alie que de iure requiruntur debeant adhiberi, nisi aliter fuerit provisum per dominos ancianos comunis Bononie secundum formam nostrorum statutorum dum tamen dicti tutores vel curatores facere non possint locationem aliquam de aliquibus rebus immobilibus eorum quorum negotia administrant pro maiori tempore seu termino trium annorum, nisi cum decreto dominorum ancianorum et servata forma presentis statuti. Si autem predicti pupili vel adulti agnatus vel cognatus talis non reperiatur in civitate Bononie vel eius comitatu de quo stetur asertioni ipsius tutoris et adulti de qua fiat mentio in instrumento, nisi contrarium probetur, tunc fieri debeant predicta cum auctoritate tutoris vel curatoris, ut supra, et in presentia domini potestatis et unius ex iudicibus suis vel duorum iudicum ipsius domini potestatis suam auctoritatem interponentium, qui succedant in locum agnati vel cognati. Et si tutor pupili vel ipse adultus per mendantium⁷³⁹ dixerit se vel pupillum

⁷³⁵ <tutione> segue la lettera a depennata.

⁷³⁶ <solempnitas> segue que servatur cassato.

⁷³⁷ <et> segue de cancellato.

⁷³⁸ <opinione> in infralinea con segno di inserzione.

⁷³⁹ <per mendantium> sul margine laterale sinistro con segno di rinvio.

agnatis vel cognatis carere vel non reperiri in civitate vel comitatu et contrarium reperiretur non validentur ex hoc predicta vel aliquod eorum, sed ipse hoc⁷⁴⁰ aseverans in penam sui mendati puniatur in centum libris bononinorum sumarie, de plano sine strepitu et figura iudicii, applicandam comuni Bononie pro dimidia et pro dimidia parti lese, si contra predicta vel aseverationem predictam ventum fuerit per aliquem, qui contravenire posit. Et quia in fraudem huius solempnitatis minores aliquando adcedunt seu ducuntur extra districtum Bononie⁷⁴¹. Ideo decernimus, quod minores viginti annis non possint predicta facere, sine presentia et consensu duorum agnatorum vel cognatorum maiorum et iurantium, ut supra in aliquibus terris, villis vel castris extra districtum Bononie, nisi in loco, in quo contraxerunt moram traxerint tempore dicti contractus et ante per tres menses ad minus. Et hoc sibi locum non vendicet in contractibus quantitatis decem librarum bononinorum vel ab inde infra. Item dicimus, quod aliquis filius familias non possit se vel sua bona obligare vel vendere, cedere vel alienare bona vel iura aliqua vel suo iuri presenti vel futuro renunciare vel confiteri sponte in iudicio vel extra vel sacramentum prestare, nisi sit pubes masculus vel femina seu maior, nec etiam pubes vel maior, nisi ipse pubes vel maior predicta fecerit in presentia patris vel alterius in cuius esset potestate et cum consensu et auctoritate ipsius intercedentis contractui vel actui. Et si que cessiones, renunciationes seu contractus alienationis seu obligationis vel sacramenta vel confessiones predictorum minorum vel filii familias vel instrumenta aliqua de predictis fierent contra predictam formam et non servatis solempnitatibus predictis ipso iure sint capsi, casse et cassa et nullius valoris vel momenti in preiudicium dicti minoris vel filii familias et suorum heredum et bonorum et etiam pro eis et in eorum favorem seu utilitatem si pro alia parte gesta⁷⁴² voluerint esse nulla, nisi esset minor impubes, quo casu qui cum eo contraxerint⁷⁴³ eidem obligentur. Ipse autem impubes non obligetur, nisi in quantum factus esset locupletior, si eos vellet sibi obligatos habere alias cum eo facta et acta ex omni parte ipso iure sint cassa. Et talibus instrumentis et scripturis exinde confectis nulla fides adhibeatur vel detur. De hiis minoribus et filiis familias excipimus nobiles comitatus Bononie in comitatu vel guardia habitantes et omnes alios, qui in comitatu vel guardia per maiorem partem temporis morantur. Et pedisechas, servientes, scolares et ceteros forenses, qui possint et valeant se obligare, cedere, vendere, alienare⁷⁴⁴ et renunciare et confiteri si puberes vel maiores fuerint absque solempnitatibus supradictis seu presentis statuti de iure comuni et minores iurando in contractu. Salvo quod ubi obligarent se vel obligati essent aliqui minores vigintiquinque annis maiores quatuordecim de comitatu cum aliquibus de terra sua pro comuni sue terre etiam si non iurent, valeat obligatio non obstante sacramenti obmissione. Item excipimus filios familias maiores viginti annis, qui exercent aliquam negotiationem, artem vel ministerium publice tamquam patres familias et sint bone fame et conditionis et cum patribus in eadem familia habitantes, in hiis, que contraxerint super rebus mobilibus occasione artis, negotiationis vel ministerii predictorum. Et iddem dicimus de filiis familias maioribus vigintiquinque annis seorsum cum sua familia habitantibus ab hiis in quorum essent//

[c. 201r f. CLXXXI]

potestate, quamdiu sic habitaverint, etiam si negotiationem, artem vel ministerium non exercent vel super eis vel earum aliqua non contraxerint. Preterea dicimus, quod filius familias maior vigintiquinque annis etiam si seorsum non habitet, ut supra, possit

⁷⁴⁰ <hoc> segue aser depennato.

⁷⁴¹ <Bononie> sul margine laterale destro con segno di rinvio.

⁷⁴² <gesta> segue fuerint depennato.

⁷⁴³ <contraxerint> segue ipsi depennato.

⁷⁴⁴ <alienare> segue cederes depennato.

obligare se et sua bona et contrahere et talia facere in quibus solemnitates requiruntur ut supra, etiam sine dictis solemnitatibus si tempore quo predicta faceret esset in potestate alicuius furiosi, dementis vel mentecapti seu prodigi, cui bonorum administratio esset interdicta vel qui bannitus esset pro aliquo malefitio vel aliter prohibitus esset stare seu habitare in civitate vel districtu Bononie vel qui ex aliqua⁷⁴⁵ probabili et neccessaria causa absens esset a civitate et districtu Bononie. Salvo quod quando bannitus vel aliter prohibitus seu absens esset, ut supra saltem consensus eius per publicum instrumentum requiratur, qui precedat vel saltem ipsius approbatio et confirmatio subsequatur, si sit prope civitatem Bononie per quinqueginta miliaria vel ab inde infra. Patri tamen seu illi in cuius esset potestate ex predictis nullum preiudicium generetur. Et idem dicimus si minor fuerit talis filius familias pubes tamen si presente et auctorante eius curatore predicta faceret et alia de puberibus supra statuta fuerint observata. Quibus casibus proxime dictis curator posit dari et debeat non obstante patria potestate. Excipimus etiam infra dotium datarum, promissarum vel confessatarum et contractus ipsarum, qui et que possint fieri a quocumque sine solemnitatibus presentis statuti dum tamen minores adulti iurent in ipso contractu sive sit masculus sive femina et sint ibi⁷⁴⁶ quatuor testes ad minus ex quibus sit saltem unus agnatus vel cognatus minoris se obligantis, qui sit bone fame, vite et opinionis et iurans in instrumento se agnatum vel cognatum esse et se credere contractum ipsi minori utilem fore, de quibus credatur, ut supra. Item excipimus adultos sui iuris et filios familias ubicumque habitent qui si sint maiores viginti⁷⁴⁷ annis possint sine solemnitatibus huius statuti vel sacramenti prestiti vel prestandi se obligare in comuni Bononie et bona sua mobilia alienare. Et eorum obligatio valeat et teneat quantum ad comune nec possint iuvari vel se defendere ratione minoris etatis vel patrie potestatis. Et si quis scienter usus fuerit aliquo instrumento facto cum aliquo minore vel filio familias, non servata forma predicta ut premititur contra ipsum minorem vel filium familias condempnetur in centum libris bononinorum. Addicientes, quod pupillus aliquis ad iurandum corporaliter vel verbo tenus nullatenus admitatur et eius iuramentum si quod faceret nullo modo in scriptis redigatur. Et si quis ad iurandum ipsum pupilum inducerit vel tale sacramentum in scriptis redigeret penam incidat centum librarum bononinorum pro qualibet vice. Et tali scripture quantum ad probationem talis iuramenti nulla fides adhibeatur vel detur nec ea aliquis uti valeat vel presumat vel illam per se vel alium producere, sub pena centum librarum bononinorum pro qualibet vice et idem intelligatur de quocumque pubere contrahente, promittente vel obligante se vel bona sua vel iuri suo renunciantem presentis statuti solemnitate non servata etiam si iurasse diceretur vel ad iuramentum admitteretur. Ubi autem puberes predicti aliquod fecerint, observatis solemnitatibus predictis, beneficium restitutionis in integrum ratione minoris etatis non valeant optinere.

[62] **De pena eius qui per mendacium dixerit se maiorem. Rubrica.** [cc. 201r-201v]

Decernimus, quod quicumque filius familias vel minor aserat se in contractu aliquo vel obligatione seu renunciatione vel aliquo alio actu, quem vel quam faciat, maiorem esse vel emancipatum vel sui iuris vel seorsum habitare vel negociationem publice exercere, etiam si iuraverit predicta vel aliquod predictorum vera esse, quod ex hoc contractus vel obligatio vel renunciatio seu actus non validetur, sed careat viribus et

⁷⁴⁵ <aliqua> segue probabili depennato.

⁷⁴⁶ <ibi> segue quatuor depennato.

⁷⁴⁷ <viginti> segue quinque annis depennato.

effectu. Et ipse talis, qui predicta vel aliquod predictorum affirmaverit contra veritatem et postea venerit seu dixerit contra talem asertionem per se vel alium vel alius opponat, qui opponere posit predicta vel aliquod predictorum condempnetur ipse talis minor vel filius familias ex sua falsa aseveratione in penam sui mendatii in centum libris bononinorum comuni Bononie applicandis pro dimidia et pro alia dimidia parti lese. Et exigendis summarie, sine strepitu et figura iudicii, nisi dolo adversarii ad iurandum vel asserendum inductus fore probaretur. Et quilibet posit acusare et denunciare de quibus asertione et iuramento credatur et stetur instrumento de predictis facto//

[c. 201v]

quamvis aliter non valeret ratione obmissionis solempnitatis presentis statuti.

[63] Qualiter procedatur si super etate contendatur. Rubrica. [c. 201v]

Quia plerumque de etate dubitatur, cui onus probationis incumbat iubemus, quod si in aliqua lite iudex pronunciaverit personas fore legiptimas stetur pronunciationi et valeat processus si nulla de etate in lite fuerit habita contentio sive venerit quis ut maior sive ut minor et sive ex parte actoris sive ex parte rei nec ratione etatis posit aliquo modo infringi. Si vero de etate fuerit contentio ante litem contestatam sive de etate alterrius ex litigatoribus tantum sive utriusque siquidem presens in civitate vel comitatu Bononie ille vel illi de cuius vel quorum etate quereretur compelli debeant si fieri potest se coram iudice presentare. Et iudex ipsis presentatis pronunciet de etate ex aspectu corporis, qua pronunciatione facta ei stetur quoad ordinationem iudicii et processus, nisi contrarium probaretur. Si autem sint absentes a civitate Bononie vel comitatu vel presentes, sed eorum presentia ex aliqua iusta causa haberi non posit, ubi iudici videatur, iudex pronunciet personas fore legiptimas et valere et tenere quicquid factum fuerit cum eis, si persone pro absentibus comparentes essent alias abiles, sufficientes et ydonee, nisi adversarius illius de cuius etate queratur onus probationis super etate in se suscipere vellet, cui ad probandum dilatio ordinetur arbitrio iudicantis. Et ratione etatis non posit ullo modo pronunciatio vel processus viciari in causa principali vel apellationis sive contendatur de etate utriusque sive actoris sive rei tantum et sive de etate maiori vel minori. Et talis pronunciatio facta super legiptimatione personarum, sive contentio de etate fuerit sive non, tantummodo quantum ad ordinationem iudicii et processus firmitatem valeat. Et circa etatem quantum ad contractum et obligationem super quibus iudicium ventilatur seu ventilari speraretur et in aliqua alia re vel causa prodesse vel obesse non debeat. Sed si restitutionis beneficium in iudicio principaliter proponeretur, tunc de etate debeat probare ille cuius favore restitutio postulatur. Si autem veniat aliquis coram iudice et coram eo proponat de sua vel alterius etate volens ex etate maiori vel minori comodum aliquod vel ius sibi acquirere vel conservare, tunc ille, qui agere videretur debeat de etate probare, sive de etate dixerit affirmando, sive negando. Sed si de etate incidenter quereretur post litem contestatam ille, qui prius de etate contendit debeat de etate probare, sive affirmando sive negando contendat, sive actor sive reus existat.

[64] De rebus comunibus inter coniunctos nisi certo modo non alienandis. Rubrica. [cc. 201v-202r]

Statuimus et ordinamus, quod quandocumque aliquis habens rem comunem immobilem cum aliquo sibi coniuncto iure agnationis vel cognationis, usque ad sestum gradum inclusive de iure civili numerandum, voluerit partem suam alienare, dominium

directum⁷⁴⁸, utile vel quasi in alium transferendo, qui cum eo in tali re comunem non haberet, teneatur per se vel alium requirere talem coniunctum sibi, cum quo habet rem comunem personaliter vel ad domum, sive fuerit maior, sive minor requirens vel requirendus, si vult eam emere et expectare per quindecim dies post requisitionem, nisi talis coniunctus alienationi consentiret tempore alienationis vel ante seu ratificaverit postea quodcumque. Et si requisitus coniunctus unus vel plures voluerit dictam rem⁷⁴⁹ acipere et emere pro pretio competenti, quod pretium competens dicimus esse illud, quod statuerint tres etatis legitime propinquiores ipsius alienantis et emere volentis vel tres ex melioribus amicis seu vicinis predictorum coniunctorum teneatur alienare volens omnino eidem suo coniuncto vendere pro dicto pretio et nulli alii, quam ut premititur, nisi suo coniuncto vel coniunctis. Et si plures fuerint tales coniuncti comunem habentes et requisiti, ut supra, qui dicant se velle emere in emendo priores in gradu venditori, si qui estant, preferantur, alias pares in gradu pariter admitantur. Et si alienaverit contra dictam formam, ipso iure non valeat in preiudicium non requisiti et eidem emere volenti vendatur ut supra. Et si requisiti coniuncti dixerint se nolle emere vel non responderint se//

[c. 202r f. CLXXXII]

velle emere ad terminum predictum, ex tunc liceat cuilibet alii vendere vel obligare. Et si fuerit minor, qui alienare voluerit rem cum coniuncto sibi comunem, hoc plus requiratur, quod non possit alienari, nisi primo fecerit dictam requisitionem et cum solemnitate statuti nostri positi sub rubrica ‘De contractibus cum minoribus et filiis familias faciendis [61].

[65] **De donationibus. Rubrica.** [c. 202r]

Placet, quod omnis donatio que fiet de ceptero inter aliquos inter vivos excedens quantitatem seu estimationem centum librarum bononinorum fiat in presentia unius ex iudicibus potestatis et septem testium et duorum tabelionum, quorum quilibet scribat contractum et quilibet in suo instrumento alterius instrumenti faciat mentionem et aliter facta non valeat ipso iure. Et hoc locum non habeat in donationibus causa emancipationis vel in donationibus ex quibus nulla rei corporalis traditio subsequatur vel quasi vel in tacitis donationibus vel aliis, que non proprie donationes dicuntur.

[66] **De instrumentis emancipationum et solemnitatibus eis servandis. Rubrica.**

[cc. 202r-202v]

Ordinamus, quod de emancipationibus, que deinceps fieri debeant confici instrumenta per aliquem notarium de societate notariorum civitatis Bononie non prohibitum conficere instrumenta, quibus factis, ipse emancipationes publicari et cridari debeant in palatio veteri comunis Bononie et super ambabus scalis dicti palatii per unum ex bannitoribus comunis Bononie, sono tube premissa et in contrata seu contratis emancipantium et emancipatorum et ante domos vel domum eorum habitationum si fuerint habitatores civitatis Bononie vel burgorum. Et si fuerint habitatores guardie, comitatus vel districtus similiter publicari debeant in palatio et super scalis et postea per unum nuncium comunis Bononie in contrata, terra seu villa vel terris, in qua vel quibus habitat in pluribus locis et ante domum seu domos habitationis ipsorum. Si vero non fuerint habitatores civitatis, burgorum, guardie, comitatus vel districtus Bononie sufficiat fieri cridam per bannitores in palatio et super scalis predictis publice et alta voce

⁷⁴⁸ <directum> *segue* vel *depennato*.

⁷⁴⁹ <rem> *in infralinea con segno di inserzione*.

dicendo talis emancipavit talem suum filium vel nepotem vel alium suum desendentem, unum vel plures, nominando emancipatum vel emancipatos et emancipantem. Que publicationes et cride fieri debeant infra terciam diem, si fiant in civitate Bononie vel burgis. Si vero in guardia, comitatu vel districtu infra octo dies et redigantur in scriptis emancipatio ipsa et relationes ipsarum publicationum et cridarum in eadem carta ante subscriptionem nominis notarii et notarius postea se subscribat hoc modo: Ego talis notarius predicte emancipationi interfui et ipsam et suprascriptas relationes publicationum et cridarum scripsi. Et ipsi scripture relationum stetur etiam si de comissione ipsarum publicationum et cridarum non appareat. Item dicimus, quod quando fienda est aliqua emancipatio volens emancipare et emancipari iurent, si sint puberes vel maiores coram potestate seu iudice, coram quo fiet ipsa emancipatio, quod ipsam emancipationem faciunt bona fide et non in fraudem comunis Bononie vel alicuius terre comitatus et districtus eiusdem aut alicuius singularis persone. Que⁷⁵⁰ emancipatio et relationes cridarum, que fient in civitate Bononie poni debeant in memorialibus comunis Bononie infra decem dies post elapsum terminum ipsarum publicationum et cridarum vel ante. Et sufficiat solam emancipationem per notarium scribentem et emancipantem et emancipatum denunciata esse alteri ex notariis memorialium. Declarantes, quod nulla emancipatio fieri valeat, nisi coram ipso potestate vel eius vicario aut altero ex suis iudicibus cuicumque offitio deputatis. Et si qua emancipatio fieret non servata forma predicta vel eius effectum non valeat ipso iure. Et si servata fuerit retro a tempore emancipationis postea valuisse intelligatur. Item dicimus, quod si quis filius familias male utatur substantia bonorum patris vel male tractaverit bona patris ludendo vel alio modo, posit et debeat potestas vel unus ex⁷⁵¹ iudicibus suis requisitus a patre compellere talem filium recipere emancipationem. Et pater partem quam de iure relinquere in testamento tenetur, quoad usumfructum tantum, deductis dotibus et here alieno, debeat dicto suo filio in premium emancipationis assignare. Quem usumfructum in alimentis sibi a patre debitis debeat// [c. 202v]

imputare et illum percipiat patre vivente, eo vero mortuo ius comune servetur. Item dicimus, quod pater teneatur et compellatur filium emancipare si male utatur pater substantia sua vel dicti sui filii. Et eo casu pater teneatur dare filio de bonis suis legitimum pleno iure quod datum mortuo patre in ipsius portione vere imputetur huius legis auctoritate et etiam usumfructum bonorum adventiciorum. Et hoc habeat locum etiam in avo et nepote deinceps.

[67] **De distracione pignorum. Rubrica.** [c. 202v]

Statuimus, quod si alicui alicue res mobiles obligate et tradite fuerint pignori sine pacto distrahendi vel obligandi, post terminum elapsum apositum solutioni debiti faciende vel post spatium sex mensium a die obligationis, ubi non est terminus solutioni adiectus, liceat creditori habenti res obligatas, denunciatione facta debitori, ut debitum solvat et pignora luat, si infra quindecim dies, facta denunciatione non solverit debitum et pignora non luat⁷⁵² vendere ipsa pignora vel obligare citato semel invento debitore vel bis non invento diversis diebus ut presens sit venditioni seu obligationi pignoris, si presens est debitor in civitate Bononie vel districtu. Si vero absens fuerit a civitate Bononie et districtu etiam sine citatione posit creditor pignus obligare vel vendere. Item

⁷⁵⁰ <Que> segue la lettera e depennata.

⁷⁵¹ <ex> segue dictis depennato.

⁷⁵² <si infra infra quindecim dies facta denunciatione non solverit debitum et pignora nonluat> sul margine laterale sinistro su 4 righe con segno di rinvio.

dicimus, quod si aliquae res alicui fuerint obligatae pro aliquo debito mobiles vel immobiles sub pacto de alienando liceat creditori secundum formam pacti alienare, citato tamen prius debitore⁷⁵³ semel invento vel bis non invento pro duobus diebus specialiter ut praesens sit alienationi ipsarum rerum et ad contradicendum quidquid vult ne alienatio fiat seu venditio vel ad solvendum debitum⁷⁵⁴ data sibi dilatione decem dierum, nisi infra tempus citationis et termini decem dierum venerit ad solvendum debitum pro quo ipse res fuerit obligatae vel legitimum causam contradictionis proposuerit quam probare teneatur infra alios decem dies continuos. Et an sit legitima causa contradictionis stetur arbitrio iudicantis. Et hoc quod dictum est de citatione habeat locum quando obligatus est de civitate Bononiae vel districtu alias secundum formam pacti. Qua venditione facta, teneatur debitor vel alius eius nomine detinens rem obligatam venditam emptori libere relaxare et ad hoc cogatur remediis opportunis per dominum potestatem vel eius vicarium aut alium quemcumque iudicem competentem. Et aliter facta venditio non valeat ipso iure, etiam si actum fuerit quod venditio fieri valeat auctoritate creditoris et debitore non citato vel hoc statuto non obstante. Item dicimus, quod quocumque creditor vigore alicuius pacti in instrumento ascripti voluerit rem debitoris habere emptam vel in solutum accipere, si debitor vel alius pro eo ante, sententiam, que ob predicta sequi posset, solverit creditori debitum vel per eum non steterit, audiatur debitor et qui pro eo comparuerit, nec possit creditor vel alius pro eo ipsam rem habere emptam vel in solutum dum tamen offerat debitor vel alius pro eo quantitatem debiti et deponat et consignet penes personam eligendam per iudicem, qui de causa cognoverit coram iudice se et expensas solutorum ipsi creditori taxandas iudicantis arbitrio.

[68] **De cessionibus contra comune Bononiae non faciendis. Rubrica.** [c. 202v]

Iubemus, quod nulla persona audeat vel presumat cedere ex aliqua causa vel in solutum dare aliqua iura sibi competentia contra comune Bononiae vel aliqua suscipere iura contra dictum comune. Et si quis contrafecerit vel venerit ipso iure non valeat cessio et cedens ius, quod cesserit amittat.

[69] **De instrumentis fictitiis et simulatis cassandis. Rubrica.** [cc. 202v-203r]

Statuimus, quod omnes venditiones vel alienationes quecumque per quas dominium directum, utile vel quasi, transferatur, facte in aliquem magnatem, potentem vel nobilem vel alium quemcumque de aliqua re, domo vel fundo vel alia possessione, quam possideat rusticus vel popularis tempore alicuius rixe vel maleficii commissi vel commitendi per ipsum popularem vel rusticum et steterit in detentione et fructus seu redditus dicte rei perceperit prout ante dictam venditionem vel alienationem faciebat et omnes contractus mutui et talium bonorum obligationes facti et facte per talem rusticum vel popularem cum aliquo supradictorum tempore supradicto pro nullis habeantur et censeantur et pro fictitiis et simulatis reputentur et nullius//

[c. 203r f. CLXXXIII]

esse momenti decernimus⁷⁵⁵, nisi contrarium probaretur. Dicimus etiam, quod contractus et alienationes de quibus esset fama publica factos esse occasione alicuius rixe seu maleficii commissi vel comitendi vel ratione vassalatici vel alicuius iurisdictionis capiende in aliquos homines in fraudem comunis vel alterius persone in⁷⁵⁶ aliquem

⁷⁵³ <citato tamen prius debitore> *su rasura*.

⁷⁵⁴ <debitum> *segue* pro quo ipse res fuerint obligatae *depennato*.

⁷⁵⁵ <decernimus> *nel testo* decernibus.

⁷⁵⁶ <in> *segue la lettera a depennata*.

nobilem vel potentem etiam non magnatem censeantur esse fictitii et ficticie et nullius esse valoris et ille, qui huiusmodi contractus recusaret cassare condempnetur, si est de magnatibus vel nobilibus in centum libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et si fuerit alius potens in quinqueginta libris bononinorum et cassetur et cassum esse intelligatur ipsum instrumentum et alienatio et contractus, salvis maioribus penis si que per nostra statuta imposita reperiantur.

[70] **De decretis interponendis. Rubrica.** [c. 203r]

Decernimus, quod potestas Bononie seu locum tenens potestatis vel eius vicarius et quilibet alius ex suis iudicibus etiam si causis civilibus non prescideret posit interponere auctoritatem et decretum omnibus et singulis contractibus, tutelis, curis, emancipationibus et ultimis voluntatibus ac instrumentis publicandis seu insinuandis. In qua insinuatione citentur ille vel illi, quorum videretur principaliter interesse ex inspectione instrumenti, si fuerint habitatores civitatis vel comitatus vel districtus Bononie. Et nichilominus fiat crida generalis ut infra. Et si non fuerint habitatores civitatis, comitatus vel districtus Bononie, tunc fiat crida in palatio veteri comunis Bononie et super ambabus scalis dicti palatii. In qua crida etiam contineatur, quod quilibet, qui velit contradicere tali insinuationi debeant comparere infra certum terminum arbitrio iudicantis statuendum, dum tamen terminus dicte cride non sit minor quinque dierum in qua crida contineri debeat qualitas instrumenti, quod insinuari petitur summarie et nomen notarii, qui illud confecit⁷⁵⁷ et dies et annus. Et insinuatio aliter facta sit ipso iure nulla. Que comparitio ut supra fienda, fieri debeat coram iudice coram quo debeat fieri insinuatio. Et etiam interponere auctoritatem et decretum omnibus et singulis aliis scripturis in quibus requiratur ex forma iuris comunis vel statutorum comunis Bononie decretum seu auctoritas iudiciaria omni loco et tempore etiam feriato vel solempni et eciam si forensis fuerit minor, qui velit fieri aliquod predictorum in quo, ut supra, decretum iudicis requiratur vel si in ipsa civitate voluerit litigare et opus sit interpositioni decreti. Et super datione tutoris, curatoris vel actoris⁷⁵⁸, sed si fuerit filius familias cuius pater vel is in cuius esset potestate fuerit banitus, furiosus vel mentecaptus vel absens, ita quod eius copia de facili haberi non posit, si fuerit maior posit etiam sine patris consensu litigare, si vero minor detur per iudicem curator liti et cause et eo casu posit iuditio interesse sine consensu eius in cuius esset potestate, dum tamen dandus tutor vel curator seu actor sit de iurisdictione civitatis Bononie. Item dicimus, quod alii iudices officiales comunis Bononie posint dare curatores in causis, litibus seu controversiis que coram eis verterentur seu agitari debuerint. Preterea dicimus, quod quilibet tabelio, qui conficere posit instrumenta in civitate Bononie ex forma nostrorum statutorum posit scribere contractus emancipationum tutelarum et cure et omnes alios contractus et instrumenta ad voluntatem eorum, qui contrahunt etiam si non sint notarii iudicis vel officialis, qui auctoritatem vel decretum interposuerint seu interponere debuerint.

[71] **De eo cui⁷⁵⁹ interdicta est administratio et eius cura. Rubrica.** [cc. 203r-203v]

Ordinamus, quod potestas Bononie vel eius vicarius posint interdicere alienationem et obligationem cuicumque bonorum suorum, de quo facta fuerit fides eidem, quod persona, cui petitur fieri interdictum, malo modo discipet seu expendat que expendenda

⁷⁵⁷ <confecit> *corregge* fecit.

⁷⁵⁸ <actoris> *segue spazio bianco corrispondente a circa 3 lettere.*

⁷⁵⁹ <cui> *segue est depennato.*

non sunt per aliquos propinquos illius, cui petitur fieri interdictum. Et teneatur potestas vel eius vicarius hoc facere ad petitionem duorum vel plurium propinquorum eius, qui discipare diceretur seu videretur vel alterius cuiuscumque iurantis se hoc petere bona fide. Et requisitis dictis propinquis et dare curatorem unum de propinquis magis idoneum ipsi interdicto, si estant propinqui alias arbitrio iudicantis. Et fiat interdictum in publica congregatione consilii octingentorum ad discum Ursii. Quo facto bis preconigetur per civitatem Bononie et burgos et ante domum sue solite habitationis sono tube magno premissis. Quo interdicto facto non possit fieri aliqua alienatio rei immobilis per eum, cui//

[c. 203v]

interdictum fuerit bonis vel eius curatorem, nec obligare ipse, cui factum est interdictum, sine solemnitate statuti, que requiritur in alienatione fienda ab adulto. Et si aliter alienatio vel obligatio facta fuerit ipso iure non valeat in rebus vero mobilibus ius commune servetur. Que omnia locum habeant tam in prodigo pubere, quam maiore huius legis auctoritate, nisi talis pubes generalem curatorem haberet, quo casu sufficiat illum generalem curatorem habere durante officio sue cure.

[72] **De instrumentis contractuum in memorialibus ponendis. Rubrica.** [cc. 203v-205r]

Statuimus, quod quocienscumque de contractu aliquo vel actu aliquo fiendo in civitate Bononie vel burgis, guardia, comitatu vel districtu eiusdem super quantitate excedente summam viginti librarum bononinorum vere sortis vel super re vel facto principali cuius estimatio excedat vel excederet poset tempore confectionis instrumenti summam predictam conficietur instrumentum teneatur notarius notam instrumenti antequam eam coram partibus legat et testibus scribere tenorem ipsius. Et ipsa die qua fiet instrumentum vel post infra quinque dies si fiat in civitate, burgis vel guardia supradictis teneatur ipse notarius per se et ipsi contrahentes vel alium actum facientes per se si masculi fuerint et sani si vero infirmi vel mulieres fuerint per se vel per procuratorem. Et, quod fuerit infirmus credatur et stetur instrumento procurationis si in eo contineatur nisi contrarium probaretur si vero in comitatu vel districtu per se vel per procuratorem sive masculi fuerint sive femine et sive sani fuerint sive infirmi infra quindecim dies de cuius procurationis instrumento in quolibet casuum suprascriptorum credatur instrumento principali si in ipso instrumento vel eius nota contineatur quod talis fecit illum qui denunciaverit suum procuratorem et hoc poni sufficiat in ipso instrumento seu in eadem carta instrumenti ante subscriptionem notarii etiam si de hoc per se instrumentum procurationis non fiat et nichilominus si de hoc fiat speciale eidem credatur ut supra, nec vicietur ipsum procuratorium ratione alicuius solemnitatis obmissee. Pupilli vero per eorum tutores adulti per se vel curatorem vel aliam legitimum personam que fuerit in contractu denunciare debeant uni ex tabelionibus deputatis ad memorialia contractuum et ultimarum voluntatum quod ipsi contraxerunt simul super tali re vel rebus vel super tali facto vel quantitate vel tali causa seu tale negotium gesserunt et nomen notarii qui fecit instrumentum et quod ipsum instrumentum ponat in memorialibus secundum formam nostri statuti vel equipolentia verba. Et ipse notarius qui de ipso contractu seu actu fuerit rogatus dictam notam infra dies quindecim a die confectionis ipsius instrumenti si fuerit confectum in civitate, guardia vel burgis. Si vero in comitatu vel districtu infra mensem dare teneatur predicto notario memorialium et penes eum vel alium qui scribere debuerit denunciationem ipsius dimittere teneatur, satisfacto tamen prius ipsi notario rogato et notario ad memorialia de ipsorum labore et mercede, pena notario qui rogatus fuerit de contractu si dictam notam non scripserit et

predicta non dixerit et fecerit ut supra decem librarum bononinorum quam penam ipso facto et iure incidat et incurat exigendam et applicandam ut in nostris statutis continetur. Et si infra dictos terminos singula singulis referendo dicta nota scripta, data et dimissa non fuerit ut supra teneatur ipse notarius rogatus de contractu vel actu infra quinque dies dare denunciationem note dicti contractus vel actus sub brevitare prout et sicut scribi debet in provisorio vicario potestatis vel iudici Aquile, sub pena ipsi notario obmitenti ipsam denunciationem note dare ut supra decem librarum bononinorum pro qualibet denunciatione note dari obmissa. Et teneantur dicti vicarius et iudex Aquile et ipsorum quilibet deputare alterum ex eorum notariis civibus ad ipsorum disca deputatis qui scribere debeant dictas denunciationses fiendas qui notarii sic deputati seu alter eorum qui super hoc adhitus fuerit teneantur ipsas denunciationses recipere a quolibet notario de aliquo contractu vel actu rogato ipsam denunciationem dante et offerente sibi. Et ipsas in quodam libro specialiter per eum ad hoc deputato scribere, pena cuilibet notario ex predictis qui adhitus fuerit decem librarum bononinorum pro qualibet denunciatione quam recipere et scribere obmiserit ut supra. Ipse autem vicarius seu iudex Aquile qui fuerit adhitus super hoc teneatur expensis illius sive illorum cui vel quibus incumbebat vel incumbit onus satisfaciendi dicto notario rogato et notario ad memorialia realiter et personaliter illum vel illos cui vel quibus incumbebat vel incumbit onus⁷⁶⁰ predictum ad satisfaciendum ipsi notario rogato et notario ad memorialia et notario ad hito super hoc ex suo mero officio etiam nemine petente et obmissis omnibus solemnitatibus, sub pena decem librarum bononinorum ipsis vicario et iudici Aquile et cuilibet eorum qui adhitus fuerit//

[c. 204r f. CLXXXIII^{or}]

obmitentibus seu obmitenti predicta facere infra quindecim dies si fuerint habitatores in civitate, burgis vel guardia ille vel illi cui vel quibus incumbit predictum onus satisfaciendi ut supra. Si vero in comitatu vel districtu infra mensem. Et notarius deputatus officio provisoris ad memorialia contractuum in loco in quo fiet denunciatio seu in loco ubi deputatus fuerit notarius cui facta fuerit teneatur facta denunciatione dictam notam breviter et cursorie, ita quod posit intelligi super quo facta fuerit ipsa nota scribere in libro suo provisoris denunciationum sub eadem die de qua facta fuerit secundum formam supra traditam in statuto de officio notariorum ad memorialia. Si autem hii qui denunciare debuerint denunciaverint omnis vel aliqui ex eis infra terminum ordinatum sufficiat ponere in libro denunciationum predictarum per ipsum provisorum diem tantum ultimo denunciantis infra terminum et omnes denunciationses iam factas simul et sub illa die ponere. Et quod de denunciatione et note datione predictis in omni casu scripture dicti libri credatur. Quam notam ipse notarius cui denunciata et data fuerit vel alius tunc dicto officio deputatus secundum formam nostri statuti de officio notariorum ad memorialia infra quindecim dies post dictum terminum supra statutum ad ipsam notam dandam teneatur scribere in libro suo seu quaterno memorialium estense et integre prout est ipsa nota et diem quo predicta denunciatio et nota data fuerit, sub pena quinque librarum bononinorum quam penam incidat ipso iure et facto ille cui dicta nota ex assignatione provisorum in parte obvenerit registranda nisi per alterum ex sociis dicti officii registrata reperiatur secundum formam dicti statuti de officio notariorum ad memorialia ut supra que pena applicetur ut supra. Et si posita non fuerit infra dictum terminum poni posit et debeat infra octo dies postea subsequentes per ipsum notarium vel alium ex notariis registrationi deputatis ut supra, sub pena predicta

⁷⁶⁰ <satisfaciendi dicto notario rogato et notario ad memorialia realiter et personaliter illum vel illos cui vel quibus incumbebat vel incumbit onus> aggiunto nel margine inferiore della carta con segno di rinvio su due righe.

quam incidat predictus qui registrare debuerit ipso iure⁷⁶¹ et facto applicanda ut supra. Et nichilominus si posita non fuerit postea quodcumque illam ponere compelli⁷⁶² posit. Et debeat quilibet dictorum notariorum remediis opportunis. Et ipsis scripturis memorialium depositis ad camaram actorum credatur ut alio originali notarii qui illud originale scripsisset crederetur etiam si de originali non constet. Et hoc etiam habeat locum in omnibus instrumentis fiendis in civitate vel burgis, guardia vel districtu Bononie de aliquibus emancipationibus, donationibus, venditionibus instrumentis aditionum, immiscionum, repudiationum, hereditatum et inventariis ab herede faciendis et nominationibus heredum vel aliis contractibus, confessionibus, liberationibus, conventionibus, confirmationibus, compromissis seu⁷⁶³ emologationibus ex intervallo factis promissionibus, renunciationibus, obligationibus, consensibus et pactis et solutionibus extra iudicium faciendis excedentibus summam predictam vel estimationem summe predictae si super re vel facto que certam non contineant quantitatem fierent ex quacumque causa et⁷⁶⁴ instrumentis pacis vel consensus cancellationis vel exemptionis alicuius banni vel condemnationis. Et si instrumentum per partes et notarium denunciatum non fuerit ut supradictum est ipso iure non valeat. Si autem instrumentum originale positum fuerit et a scriptura memorialis discordet et nota instrumenti in memorialibus registrata appareat que cum ipso instrumento concordet tunc instrumento credatur et si cum memoriali tunc ipsi memoriali credatur. Si vero discordet et nota non appareat siquidem de solemnitate discordia fuerit que in instrumento reperitur et non in memorialibus instrumento credatur⁷⁶⁵ si vero in memorialibus et non in instrumento reperitur, tunc memoriali credatur ubi autem in substantialibus discordia fuerit soli memoriali credatur. De hiis excipimus instrumenta procurationum et syndicatorum et curarum et actorie, nisi fierent ad omnia negotia generaliter gerenda et exercenda vel ad contractum iniendum super re vel facto excedente predictam summam viginti librarum bononinorum vel aliquam alienationem fiendam excedentem predictam summam vel ad faciendum cancellari de banno aliquem bannitum comunis Bononie pro malefitio vel ad pacem faciendam vel recipiendam. Et etiam excipimus instrumenta tutelarum et inventarii, nisi bona inventarii et tutele excederent quantitatem predictam in quibus casibus dicte solemnitates debeant observari. Excipimus etiam instrumenta denunciationum protestationum et locationum possessionum datarum ad laborandum. Et instrumenta locationum bobum et aliorum animalium locatorum ad coaticam nisi eorum animalium estimatio excederet summam quadraginta librarum bononinorum. Et etiam instrumenta locationum rerum immobilium, nisi mercedes seu pensiones excederent summam viginti librarum bononinorum et locationum scutiferorum sive servientium vel discipulorum positorum ad aliquam artem. Item dicimus, quod instrumentis//
[c. 204v]

procuracionum de absentibus et instrumentis syndicatorum fiendis in civitate Bononie, burgis vel guardia, comitatu vel districtu si talia instrumenta deberent denunciari seu registrari ut supra sufficiat si constituens procurator vel syndicus constitutus per se vel procuratorem ad hoc specialiter constitutum ut supra⁷⁶⁶ cum tabelione qui scripserit instrumentum et etiam cum massario vel alio generali administratore si fiat ab aliqua universitate laycoorum civitatis vel districtus Bononie denunciaret coram uno ex dictis tabelionibus predicta et nota detur et dimitatur et fiat in omnibus et per omnia ut

⁷⁶¹ <iure> segue es depennato.

⁷⁶² <compelli> corregge compellere.

⁷⁶³ <seu> segue obligationibus cassato per vacatazione.

⁷⁶⁴ <et> segue in depennato.

⁷⁶⁵ <credatur> corregge credatus.

⁷⁶⁶ <vel syndicus constitutus per se vel procuratorem ad hoc specialiter constitutum ut supra> su rasura.

superius scriptum est. Preterea excipimus instrumenta consensus ad acusandum vel denunciandum aliquem de aliquo malefitio que denunciari vel registrari non debere decernimus non obstante statuto posito sub rubrica ‘De causibus in quibus quis prohibetur temporaliter cancellari de banno’ [V, 117] vel aliquo alio. Et instrumenta ingresuum possessionum rerum aliquarum et tenutarum ipsarum. Item excipimus instrumenta fideiussionum, obligationum et promissionum que fierent alicui de comitatu vel districtu Bononie vel alterri eius nomine per aliquos massarios, syndicos, saltuarios seu eius officiales occasione dictorum officiorum vel ipsorum fideiussorum. Item excludimus omnia acta quorumcumque notariorum cuicumque officio ecclesiastico vel seculari presidentium et tam pro comuni Bononie quam pro quibuscumque societatibus, comitatibus vel universitatibus civitatis vel districtus Bononie etiam si in eis alique promissiones, obligationes, confessiones⁷⁶⁷ absolutiones vel renunciaciones contingerent. Salvis contentis in statuto posito sub rubrica ‘De officio notariorum presidentium ad causas civiles’ [III, 32]. Item excipimus instrumenta omnia fienda per notarios inquisitorum heretice pravitatis que fierent super hiis que ad predictum officium pertinerent. Item omnia instrumenta pertinentia principaliter ad comune Bononie vel que fierent de aliquibus que agerentur vel fierent per ipsum comune vel⁷⁶⁸ cum eo vel eius nomine. Que ex hoc non vitientur. Teneantur tamen notarii conficientes talia instrumenta pertinentia ad dictum comune Bononie vel confecta de hiis que fierent per ipsum comune vel cum⁷⁶⁹ eo vel eius nomine infra mensem post confectionem ipsorum instrumentorum ipsa registrare propria manu in registro comunis Bononie vel in aliquo ex libris dicti memorialis posito ad camaram actorum comunis et populi Bononie suis propriis expensis et absque aliqua solutione propter hec eidem fienda, de quo registro teneantur notarii ad dictam camaram deputati facere copiam dicta camara ut ipsa registrari possint et ligari in dicto registro, sub pena viginti quinque librarum bononinorum exigenda et applicanda ut supra et nichilominus ad registrandum compellatur quibuscumque remediis opportunis. Et si una partium ex hiis que denunciare debuerint denunciaverit ut supra, altera vero pars denunciare obmiserit siquidem notarius denunciaverit et notam dederit ut supra scribatur in libro et registretur in memorialibus ut supra faciendo mentionem in libro et in memorialibus de parte que non venit ad denunciandum. Et eo casu valeat instrumentum sic registratum vel saltem denunciatum et in libro provisoris scriptum in favorem denunciantis. In favorem autem non denunciantis ipso iure non valeat. Et idem per omnia intelligatur et locum habeatur in procuratore presente et⁷⁷⁰ volente constituto ad denunciandum ad memorialia, qui si non denunciaverit ut supra ipso facto incurrat penam quinque librarum bononinorum. Dicimus autem, quod si plures fuerint creditores in eodem contractu sufficiat⁷⁷¹ si unus creditorum cum omnibus debitoribus et tabelione, qui scripserit instrumentum coram uno ex⁷⁷² dictis tabelionibus denunciaverit predicta. Item dicimus, quod consentientes et renunciantes aliquibus venditionibus, emptionibus vel alienationibus vel in solum dationibus vel in quibuscumque aliis contractibus si in eodem instrumento consenserint vel renunciaverint denunciare predicta minime teneantur, sed sufficiat si emptor et venditor seu contrahentes vel alii principales coram dictis tabelionibus denunciaverint predicta. Et dicimus, quod quilibet notarius quando scribet vel rogatus fuerit facere aliquod instrumentum et fuerit tale instrumentum quod poni debeat in memorialibus

⁷⁶⁷ <confessiones> segue obligationes depennato.

⁷⁶⁸ <vel> in infralinea con segno di inserzione.

⁷⁶⁹ <cum> segue eius nomine depennato.

⁷⁷⁰ <et> in infralinea.

⁷⁷¹ <sufficiat> segue sufic depennato.

⁷⁷² <ex> segue ta depennato.

comunis Bononie ex forma presentis statuti teneatur denunciare partibus principalibus quod huiusmodi instrumentum denuncient uni ex notariis memorialium pena et banno quinque librarum bononinorum. Et credatur de denunciatione facta per ipsum notarium si hoc contineatur in ipso instrumento⁷⁷³. Statuimus etiam, quod si presente uno ex notariis prescientibus officio memorialium qui in instrumento de quo ageretur pro teste scriptum reperiatur vel ipse notarius de instrumento rogatus sit notarius ad memorialia aliqua persona instrumentum fieri fecerit de predictis sive sanus fuerit sive infirmus intelligatur legitime denunciatum fuisse, dum tamen reperiatur ipsa instrumenti nota scripta ut supra in libro provisoris denunciationum per notarium ad hec deputatum quam scribere posit et teneatur ut supra etiam denunciatione non precedente. Dicimus etiam// [c. 205r f. CLXXXXV]

quod in camara actorum comunis et populi Bononie semper sint et esse debeant et remanere omnis libri memorialium contractuum et ultimarum voluntatum. Et dicimus, quod per notarium prepositum ad camaram actorum fiat singulis sex mensibus unus liber qui continue stet ad camaram predictam. In quo libro scribantur nomina et cognomina notariorum qui fuerint ad memorialia contractuum et ultimarum voluntatum dicto tempore. Et iuxta nomen cuiuslibet scribatur in quo loco vel capsula armarii fuerit liber cuiuslibet notarii ut facilius posit cuicumque de ipsis petenti copiam⁷⁷⁴ exhiberi. Preterea statuimus, quod si opponatur contra aliquod instrumentum de ceptero conficiendum quod in memorialibus poni debuisset illud positum vel saltem legitime denunciatum non fuisse ut supra quandocumque ante terminum datum ad deponendum seu consignandum libros memorialium ad camaram actorum vel ante depositionem factam de libris provisorum temporis dicti instrumenti sufficiat probari denunciationem predictam per instrumentum seu scripturam publicam manu alterius ex dictis⁷⁷⁵ provisoribus vel per subscriptionem fiendam per ipsum provisorum in fine instrumenti de quo ageretur qua caveatur ipsum denunciatum fuisse legitime vel postea quandocumque per scripturam libri dicti provisoris positi ad dictam camaram sumendam per alterum ex notariis dicte camere, cui instrumento scripture et subscriptioni ac sumptioni⁷⁷⁶ credatur et stetur. Quod ipse provisor requisitus facere posit et teneatur etiam productione talis instrumenti facta vel lite mota de predictis. Iniungentes domino potestati et eius vicario ac iudici Aquile et cuilibet eorum qui fuerit adhitus quod teneatur et debeat officialibus deputatis per nostra statuta super executionibus predictorum prestare auxilium et favorem et penas predictas quas aliquis predictorum incureret occasione aliqua de predictis posit et teneatur exigere de facto realiter et personaliter sine strepitu et figura iudicii et quibuscumque remediis opportunis ad petitionem dictorum officialium et alterius cuiuscumque etiam si sua non intersit tempore etiam feriato et nichilominus fieri et observari faciat supradicta et alia quecumque posita supra in statuto 'De officio notariorum ad memorialia' [III, 38], cui statuto predicto per partes vel aliqua ipsarum etiam cum sacramento renunciari non posit. Preterea statuimus, quod si qua instrumenta fierent que denunciari vel registrari non deberent ut supra si sponte denunciata fuerint ut supra et scripta reperiatur manu alicuius notarii, qui posit conficere instrumenta in civitate vel comitatu Bononie in eis locum habeant et servantur omnia supradicta prout posunt adaptari ad validationem et fidem ipsorum tantum. Item dicimus, quod si aliquid instrumentum, testamentum vel ultima voluntas reperiatur scriptum vel scripta sive registratum vel registrata in aliquo libro memorialium comunis Bononie deposito ad camaram actorum per aliquem

⁷⁷³ <in ipso instrumento> *su rasura*.

⁷⁷⁴ <copiam> *segue petenti depennato ed espunzione*.

⁷⁷⁵ <dictis> *segue notariis depennato*.

⁷⁷⁶ <sumptioni> *corregge sumptione*.

notarium habentem potestatem de predictis non posit opponi, quod denunciatum vel denunciata vel quod positum vel posita et scriptum vel scripta non fuerit in ipsis memorialibus tempore et modo contentis in scriptura memorialis predicti. Et quantum ad predicta fides dicto memoriali debeat adhiberi non obstante quod non reperiatur in provisorio nisi contrarium legitime probaretur et hoc in preteritis. In futuris vero non valeat instrumentum vel testamentum, nisi denunciatum reperiatur in provisorio.

[73] **De modo solutionum fiendarum notariis conficientibus instrumenta extra iudicium. Rubrica.** [cc. 205r-205v]

Ordinamus, quod tabeliones qui conficient instrumenta contractuum vel ultimarum voluntatum solutiones accipiant in hunc modum videlicet: de instrumento cure⁷⁷⁷ ad causas generales quatuor solidos bononinorum quotcumque sint curatores vel hii quibus dentur. De instrumento cure ad contractum quinque solidos si fuerit a centum libris infra et si ab inde supra octo solidos. De instrumento tutele quinque solidos quotcumque sint tutores si pupilus habuerit in bonis centum libris vel ab inde infra et si ab inde supra octo. De inventario si fuerit parvum quinque solidos, si fuerit mediocre decem solidos, si fuerit magnum viginti solidos, si fuerit maximum libras duas de quibus si fuerit questio comitatur arbitrio iudicantis. De instrumento simplicis emancipationis octo solidos. Et si fiant in eo donationes aliquarum possessionum solidos duos pro qualibet re immobili donata seu data ultra dictos octo solidos De instrumento actorie quatuor solidos. De procuracione simplici ad causas duos solidos. Et si fuerit cum relevacione tres solidos. De instrumento venditionis quantitatis viginti quinque librarum bononinorum vel ab inde infra quinque solidos si in eo non fuerint pacta libelli alias si fuerint octo solidos. De viginti quinque vero usque ad quinquaginta, decem solidos. De quinquaginta vero librarum quantitate usque ad centum solidos duodecim bononinorum. De centum vero libris usque ad trecentas, viginti solidos. De trecentis vero libris usque ad quingentas, solidos treginta bononinorum⁷⁷⁸. Ab inde vero supra pro quolibet centenariio//

[c. 205v]

ultra dictam summam duos solidos bononinorum. Et idem servetur in instrumentis, dotium promissionum, absolutionum, donationum, cessionum et permutationum si fiant super re vel facto vel quantitate que recipiat estimationem quotcumque sint contrahentes. De renunciationibus et consensu que vel qui ponentur in aliquo de dictis instrumentis duos solidos quotcumque fuerint renunciantes vel consentientes. De quolibet sacramento sex denarios bononinorum⁷⁷⁹. De testamento a sex libris infra relinquendis pro anima, quatuor solidos bononinorum. De sex libris usque ad duodecim libras relictis pro anima, octo solidos bononinorum. De duodecim libris usque ad viginti libras bononinorum solidos duodecim bononinorum. De viginti libris usque ad sexaginta viginti quinque solidos bononinorum. De sexaginta vero libris pro anima relictis usque ad centum, treginta solidos bononinorum. De centum vero libris usque ad quingentas pro anima relictis, quadraginta solidos bononinorum. De quingentis usque ad mille, tres libras bononinorum. A mille vero libris quantacumque sit quantitas in testamento relicta pro anima ultra dictam summam pro quolibet centenariio, quinque solidos bononinorum. Et pro quolibet alio legato in testamento aposito solidum unum bononinorum. Pro heredis institutione quotcumque sint heredes quinque solidos bononinorum et tantumdem pro qualibet substitutione. Et quod dictum est in testamento idem

⁷⁷⁷ <cure> segue generalis depennato.

⁷⁷⁸ <bononinorum> segue De trecentis vero usque ad quingentas depennato e vacatazione.

⁷⁷⁹ <sex denarios bononinorum> su rasura.

intelligatur et sit in codicilis et qualibet alia ultima voluntate. Et de predictis solutionibus debeant tabeliones esse contenti tam pro rogatione instrumentorum quam pro nota fienda et tradenda memoriali et autenticatura ipsorum instrumentorum dandorum partibus semel tantum. De aliis vero instrumentis et scripturis quibuscumque moderatam accipiant solutionem. Et si occasione alicuius solutionis questio inter aliquos oriatur de solutione fienda ubi per statutum non esset terminatum decidatur ipsa questio per correctorem societatis notariorum qui pro tempore fuerit seu per vicarium domini potestatis. Et si quis contrafecerit condempnetur pro qualibet vice qua acceperit ultra formam presentis statuti vel declarationem fiendam per dictum correctorem⁷⁸⁰ seu vicarium in decem libris bononinorum. Et cum triplo restituat quod ultra acceperit. Et quilibet ex iudicibus domini potestatis posit et debeat de predictis summarie cognoscere et condempnare.

[74] **De solutionibus fiendis notariis officio memorialium deputatis. Rubrica.** [cc. 205v-206r]

Dicimus, quod notarii prepositi officio memorialium instrumentorum contractuum solutiones accipiant in hunc modum videlicet. De quolibet instrumento quantitatis quinqueginta librarum bononinorum vel ab inde infra, quinque solidos bononinorum. A quinqueginta vero supra usque ad centum, sex solidos. De centum vero libris usque ad quingentas, septem solidos bononinorum. De quingentis usque ad mille libras, duodecim solidos bononinorum. Ab inde vero supra quantacumque sit quantitas, viginti solidos bononinorum. De quolibet consensu seu renunciatione facta super aliqua re vel obligatione vel fideiussione vel fideiussionibus data vel datis in ipso instrumento solidum unum bononinorum. Si vero extra contractum solidos quatuor bononinorum. De instrumento tutele cure actorie et procurationis que deberet poni in memorialibus pro quolibet si foret parvum, duos solidos bononinorum. Et si magnum quatuor solidos. Excepto quam de instrumento procurationis facto ad denunciandum aliquod instrumentum in memorialibus comunis Bononie seu ultimam voluntatem, de quo acipere possint denarios sex bononinorum. De simplici emancipatione et crida tres solidos. Et si in emancipatione datum fuerit aliquid emancipato vel emancipatis pro qualibet re immobili vel quantitate pecunie ultra dictam quantitatem sex denarios bononinorum. De instrumento inventarii terciam partem eius qua habere debet secundum formam statutorum notarius qui conficiet instrumentum. De compromisso a qualibet parte, tres solidos. De emologatione laudi tres solidos. De simplici divisione, quatuor solidos. Si vero de voluntate partium apponerentur res immobiles vel pacta vel debita aut credita de qualibet re immobili vel pacto aut credito vel debito ultra dictam quantitatem tres denarios. De transsactione siquidem fuerit parvum instrumentum, quatuor solidos. Si vero mediocre solidos sex. Si magnum solidos decem. De instrumento absolutionis vel liberationis seu pacti de non petendo ubi non est certa quantitas, duos solidos bononinorum. De instrumento absolutionis ubi est certa quantitas, vigintiquinque libras vel ab inde infra duos solidos. Ab inde vero supra quantacumque sit quantitas sive sequatur generalis absolutio sive non, quatuor solidos bononinorum. De testamento et qualibet alia ultima voluntate habeant terciam partem eius quod habere deberet⁷⁸¹ ex forma nostrorum statutorum notarius, qui illud scripserit. De instrumento pacis et concordie vel consensus quod aliquis extrahatur de banno maleficii vel contumacie duos solidos bononinorum. Item si multi fuerint contrahentes a quatuor supra pro quolibet tres denarios ultra quantitatem pro instrumento principali

⁷⁸⁰ <correctorem> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

⁷⁸¹ <deberet> *corregge* deberent.

decretam. De instrumento syndicatus siquidem parvum fuerit solidos tres. Si vero mediocre solidos sex. Si//

[c. 206r f. CLXXXVI]

magnum solidos decem. De licentiis et fidantiis dandis aliquibus occasione represaliarum vel alia qualibet⁷⁸² occasione duos solidos. De quolibet instrumento locationis⁷⁸³ bobum et aliorum animalium, solidos quatuor bononinorum. Et si excedant quantitatem quinqueginta librarum bononinorum quantacumque sit quantitas sex solidos. De conservatione indemnitatis in uno contestu in eodem loco et testibus duos solidos. Et si alibi facta quatuor solidos. De instrumento permutationis de una re ad aliam a qualibet parte tres solidos. Et si fuerint plures res a qualibet parte et pro qualibet re ultra quantitatem predictam sex denarios. Et non posint accipere plus nisi ut superius est taxatum. Et qui contrafecerit condempnetur in octo solidos bononinorum pro quolibet solido quem plus acceperit auferendis, exigendis et applicandis prout in statuto de officio notariorum ad memorialia continetur. Si vero contrahentes duxerint notarium ad memorialia deputatum extra palatium comunis vel circuitum palatii et platee seu cambii et tocus trivii porte Ravenatis per civitatem Bononie occasione recipiendi aliquem contractum in memorialibus ponendum, tunc posit ipse notarius pro labore suo accipere duos solidos et non ultra.

[75] **De testamentis et ultimis voluntatibus in memorialibus ponendis et in secreto fiendis. Rubrica.** [cc. 206r-207v]

Statuimus, quod quicumque masculus vel femina condiderit aliquam ultimam voluntatem in civitate Bononie vel burgis, guardia, comitatu vel districtu denunciaret per se vel per procuratorem ad hoc specialiter constitutum ponente ipso tabelione in instrumento procurationis quod talis testator fecit talem suum procuratorem et⁷⁸⁴ credatur instrumento si hoc in instrumento contineatur vel in ipso testamento seu ultima voluntate. Et sit procurator unus ex testibus qui fuerit testis in testamento seu ultima voluntate si fiat in civitate, burgis vel guardia. Si vero in comitatu vel districtu, tunc etiam alius quam testis posit esse procurator. In cuius testamenti seu ultime voluntatis nota seu scriptura vel eadem carta ponatur dictum procuratorium nec vicietur ipsum procuratorium ratione alicuius solempnitatis obmissee vel ex eo quia constituens vel constitutus minor esset viginti quinque annis. Nec extinguatur mandatum dicti procuratoris per mortem mandantis condentis ultimam voluntatem uni ex notariis prepositis officio memorialium, contractuum et ultimarum voluntatum ipsa die qua condiderit dictam ultimam voluntatem vel postea infra quinque dies si dicta ultima voluntas fiat in civitate Bononie, burgis vel guardia. Si vero in comitatu vel districtu infra quindecim dies a die ultime voluntatis facte. Et etiam ipse notarius qui scripsit ultimam voluntatem quod condidit ultimam voluntatem et nomen tabelionis qui scripsit. Si tamen notarius rogatus de dicta ultima voluntate sit notarius ad memorialia vel unus de testibus in ipsa descriptus alia denunciatio non requiratur, sed habeatur perinde ac si denunciatio legitime facta fuerit ut supra. In qua ultima voluntate si fiat in civitate Bononie vel burgis sit presens unus sacerdos ultra numerum testium qui publice habeatur sacerdos in contrata vel capella ubi habitat ipse condens. Qui sacerdos et unus ex testibus in testamento descriptus vel ipse notarius rogatus de testamento una cum sacerdote dicat se cognoscere condentem ultimam voluntatem et sane mentis esse vel aliquis religiosus de aliquo loco religioso civitatis Bononie vel prope per unum miliare.

⁷⁸² <qualibet> segue la lettera o depennata.

⁷⁸³ <locationis> corregge locationibus.

⁷⁸⁴ <et> segue la lettera c depennata.

Qui religiosus et unus ex testibus vel ipse notarius ut supra dicant ut supra. Si vero in guardia vel comitatu vel districtu fiat ipsum testamentum vel ultima voluntas expediat duos testes descriptos in ipso testamento vel ultima voluntate vel ipsum notarium rogatum et unum de dictis testibus dicere se cognoscere dictum testatorem ut supra. Et supradicta dictus notarius qui de ultima voluntate⁷⁸⁵ rogatus fuerit in scriptura per eum conficienda aponere teneatur. Et teneatur notarius qui scripsit ultimam voluntatem scriptis notam ipsius ultime voluntatis totam et integram dare uni ex notariis memorialium et penes eum dimittere. Et in eadem carta ubi scripta est dicta nota scribi debeat procuratorium si factum fuerit. Et notarius deputatus officio provisoris ad memorialiam contractuum in loco in quo fiet denunciatio seu in loco ubi deputatus fuerit notarius cui facta fuerit teneatur, facta denunciatione, predictam notam breviter et cursorie, ita quod possit intelligi super quo facta fuerit ipsa nota scribere in libro suo denunciationum sub ea die qua facta fuerit secundum formam supra traditam in statuto ‘De officio notariorum ad memorialia’ [III, 38] et postea in libris memorialium scribatur extense et integre et fiant omnia prout dictat forma⁷⁸⁶ statuti positi sub rubrica ‘De instrumentis contractuum in memorialibus ponendis’ [72] et infra tempora et sub penis que in ipso continentur. Et si aliqua ultima voluntas reperiatur non facta et scripta predicto modo et forma pro non legitima habeatur nec ex ea aliquid peti possit. Salvo quod legata in ul//

[c. 206v]

tima voluntate relicta aliis iure et statuto solemnitatibus roborata prestari debeant legatariis per heredem institutum in dicta ultima voluntate si talis sit heres in dicta ultima voluntate institutus cui de iure dicta hereditas ab intestato deferretur.

Et si opponatur quodcumque denunciationem talis ultime voluntatis factam non fuisse constare sufficiat de ipsa denunciatione prout in instrumentis contractuum dictum est supra in statuto predicto. Et si scriptura publica ultime voluntatibus discordet a memoriali, idem servetur quod in instrumentis contractuum dictum est supra in statuto predicto ‘De instrumentis contractuum in memorialibus ponendis’ [72]. Addicientes, quod scripture memorialium credatur et stetur prout originali staretur etiam si de originali non constet, dum tamen in camera actorum talis scriptura memorialium reperiatur. In ultimis autem voluntatibus scolarium, peregrinorum, viatorum vel forensium qui forenses non fuerint habitatores civitatis, comitatus vel districtus Bononie per sex menses ad minus ante confectionem testamenti dicimus, quod valeant si in eis servate fuerint solemnitates iuris comunis et perinde ac si solemnitates omnes huius statuti in ipsis fuerint observate. Item dicimus, quod si aliquis fuerit propter delictum aliquod per sententiam ad mortem condemnatus vel bannitus seu in figura banni descriptus propter quod veniens in fortiam comunis Bononie mori debeat bona tamen eius non veniant publicanda secundum formam presentium statutorum⁷⁸⁷ posit ante executionem sententie sive banni et etiam post bannum condere qualibet ultimam voluntatem secundum formam presentium statutorum. Non obstante quod dicatur ipsum fore factum servum pene vel eius bona ad suos proximos devenire debere. Preterea dicimus, quod si quis masculus sui iuris vel alius de iure abilis ad infrascripta et maior viginti annorum voluerit condere aliquam ultimam voluntatem quam secretam esse voluerit aliis quam presentibus confectioni ipsius illam posit condere secundum formam iuris in presentia septem testium et ultra dictum numerum coram sacerdote qui publice habeatur sacerdos et uno teste ut supra aserentibus se cognoscere condentem ultimam

⁷⁸⁵ <voluntate> *dittografato e depennato*.

⁷⁸⁶ <forma> *segue predicti depennato*.

⁷⁸⁷ <statutorum> *segue non obstante quod dicatur ipsum fore factum servum pene vel eius bona ad suos proximos devenire debere cassato per vacatazione*.

voluntatem et eum sane mentis esse vel duobus religiosis de aliquo conventu religioso civitatis Bononie vel prope per unum miliare aserentibus se cognoscere ut supra manu alicuius notarii civitatis vel districtus Bononie publicatam. Que deponi debent per ipsum condentem si sanus est vel per procuratorem si est infirmus infra quintam diem a die ipsius ultime voluntatis condite vel etiam ipsa die vivo vel mortuo ipso condente dictam ultimam voluntatem. Cuius procuratoris mandatum morte mandantis non debeat expirare apud sacristam et in sacristia fratrum Predictorum de Bononia vel Minorum vel fratrum Heremitarum vel fratrum de Carmelo vel Servorum Sancte Marie Strate Maioris. In carta cuius ultime voluntatis etiam sub una tantum subscriptione notarii scriptum esse debeat procuratorium si per procuratorem fiat depositio et etiam scribi debeat ipsa depositio. Et defectus procuratorii vel depositionis circa solemnitates non viciet ipsam ultimam voluntatem. Nec posit opponi quod instrumentum procurationis vel depositionis dicte ultime voluntatis debuerit poni in memorialibus. Que ultima voluntas sigilari debeat sigilo ipsius condentis vel guardiani vel custodis vel prioris ipsius loci vel sub prioris vel conventus. De qua sigilatione fienda et sigillo credatur scripture fiende de predictis si fieri contingat vel ex aparentia ipsius sigilli apositi carte dicte ultime voluntatis. Que dicta ultima voluntas presentari debeat post mortem ipsius condentis per duos ex fratribus loci in cuius sacristia deposita fuisset sic sigillata coram vicario domini potestatis seu iudice Aquile vel alio ex iudicibus dicti domini potestatis. Et ascultetur ipsa ultima voluntas cum rogatione notarii qui eam scripserit in presentia dicti domini vicarii vel altero ex dictis iudicibus et ipsorum duorum fratrum et quatuor testium et unius ex notariis de societate notariorum. Qua ascultatione facta si inveniatur ipsa ultima voluntas concordare cum rogatione predicta saltem in effectu. Ipse vicarius vel iudex ipsam voluntatem publicet et pro publica et autentica haberi iubeat seu mandet. Que presentatio, ascultatio seu publicatio scribi debeat per dictum notarium qui presens fuerit ipsi publicationi. Mandantes, quod ipse notarius ipsam publicationem in ipso originali publicato scribere teneatur si in eodem comode scribi poterit alias in nova carta quam eidem originali adiungere teneatur. Et ad hoc compelli posit et debeat per officiales executores. Et nichilominus incidat penam vigintiquinque librarum bononinorum applicandam pro dimidia comuni Bononie et pro alia dimidia executoribus predictis. Et huius scripture obmissio non viciet ultimam voluntatem. Ad quam publicationem nullius citatio requiratur. Et instrumentum publicationis ex eo quod non fuerit denunciatum vel regi⁷⁸⁸//

[c. 207r f. CLXXXVII]

stratum in memorialibus non vitietur. Et ipsa publicationem facta unicuique petenti fieri posit et debeat copia dicte ultime voluntatis vel partis ipsius per notarium qui illud scripserit vel per eum cui sue rogationes comiterentur seu comisse fuerint. Et si ipsius notarii vel rogationum predictarum post publicationem copia haberi non posit, tunc de originali in sacristia posito exemplum sumi posit per quemcumque notarium qui sit de societate notariorum. Et ipsi exemplo una⁷⁸⁹ cum scriptura dicte publicationis si ea appareat adhibeatur plena fides, sicut adhiberetur originali predicte voluntatis sigilate deposite et postea publicate, nisi quatenus discordare reperiretur ab originali predicto. Et intelligatur dictam copiam haberi non posse si citatus fuerit coram vicario domini potestatis vel iudice Aquile ipse notarius qui dictam ultimam voluntatem fecisse dicatur vel eius heres in spetie si reperiatu semel inventus vel bis non inventus ad domum eorum habitationis seu ultime solite habitationis vel heres dicti notarii in genere ad domum ultime solite habitationis dicti notarii quod certo termino per dictum vicarium

⁷⁸⁸ *Nel margine inferiore della carta: stratu.*

⁷⁸⁹ <una> *corregge unaa.*

vel iudicem Aquile qui aditus⁷⁹⁰ fuerit pro predictis faciendis compareat coram eo cum rogationibus dicti notarii ac etiam facta una crida publice et alta voce in contrata et ante domum ultime solite habitationis dicti notarii et coram duobus vicinis dicte domus ac etiam per unum ex bannitoribus comunis Bononie, sono tube premissis, in palatio veteri iuridico comunis Bononie et super ambabus scalis dicti palatii de mandato dicti iudicis quod si qui sunt qui sciunt vel habeant rogationes talis notarii nominando et prenominando dictum notarium vel penes quos sint die tali per iudicem statuendo compareat coram dicto iudice cum dictis rogationibus vel ad indicandum ubi sunt et penes quem et non comparuerit ipse notarius nec eius heredes nec aliquis ipsas habens vel indicans infra dictos terminos et per hoc non exhibeantur dicte rogationes infra dictum tempus. Que omnia expediri possint omni die etiam feriato. Si autem dicta publicatio facta non sit vel facta non reperiretur et copia ipsius notarii vel rogationum haberi non possit quam copiam intelligatur haberi non posse si fiant citationes et cride ut supradictum est post publicationem presentetur dicta ultima voluntas ad petitionem cuiuscumque coram vicario potestatis vel iudice Aquile et sic presentata aperiat et legatur coram dicto iudice et ex tunc pro publicata habeatur et sic et de dicto originali copia sumi possit per quemcumque notarium de societate notariorum cui sumpto fides adhibeatur ut supra. Que omnia superius dicta de publicatione et exemplatione fienda locum habeant tam in iam factis ultimis voluntatibus quam fiendis. Item dicimus, quod liceat cuilibet masculo sui iuris vel alias de iure abili ad infrascripta maiori viginti annorum condere quamlibet ultimam voluntatem in scriptis cum solemnitate legali secundum formam iuris etiam non obstantibus vel non adhibitis et servatis solemnitatibus supradictis que poni possint penes alterrum ex sacristis et in alterra ex sacristiis dictorum fratrum. Que quidem ultima voluntas mortuo eo qui illam condiderit per duos ex dictis fratribus presentari debeat coram alterro ex dictis iudicibus et debeat aperiri per iudicem et citatis testibus scriptis in ultima voluntate, qui viverent et habitatores essent civitatis vel districtus Bononie et comparentibus et suas subscriptiones ac sigilla que aposuerint recognoscentibus et confitentibus possit publicari et pro publicata haberi et declarari, cui ultime voluntati sic presentate aperte et publicate ut supra fides adhibeatur et detur et in sacristia predicta conservetur et eidem et sumpto credatur et publicatio scribatur et apponatur et omnia fiant et locum habeant que supra circa publicationem testamenti secreti et ipsius testamenti fidem sunt provisae. Et non obstante quod talis ultima voluntas non sit scripta manu condentis vel alicuius notarii vel omnis testes inscripti vel eorum sufficiens iuris non venerit ad recognoscendum subscriptiones et sigilla ut supra. Addicientes, quod si in aliqua ultima voluntate solemniter facta secundum formam nostrorum statutorum contineatur et velit ipse condens observari seu executioni mandare contenta in aliqua privata scriptura scripta manu condentis deposita in aliqua sacristia dictorum locorum et vere fuerit ipsa scriptura scripta manu ipsius condentis sive facta et deposita reperiatur ante talem ultimam voluntatem sive post et ibi reperta post mortem ipsius ipsi scripture credatur ac si in ipsa ultima voluntate specialiter et expresse forent scripta contenta in ea. Que quidem scripta presumatur manu condentis si deposita reperiatur tempore mortis in aliqua ex sacristiis predictis et de dicta depositione appareat publicum instrumentum in quo contineatur quod ipse deponens aseveret ipsam scriptam⁷⁹¹ sua manu scripsisse quod instrumentum sit scriptum extra et a tergo dicte scripture manu alicuius notarii, qui sit de societate notariorum civitatis Bononie in presentia trium testium ad minus quorum

⁷⁹⁰ <Aquile qui aditus> *su rasura*.

⁷⁹¹ <scriptam> *corregge* scripturam.

unus vel ipse notarius⁷⁹² asserat se cognoscere dictam scriptam deponentem quod instrumentum non vicietur licet non sit scriptum in memo//
[c. 207v]

rialibus comunis Bononie. Si vero scripta esset manu alterius persone vel in alio loco reperta non valeat ipso iure. Decernimus insuper, quod publicata dicta ultima voluntate descripta faciente mentionem vel habita pro publicata ut dictum est, posit dicta scripta privata exemplari et de ea copia sumi in carta membrana per quemcumque notarium de societate notariorum civitatis Bononie, nisi testator in ultima voluntate alio modo vel tempore disposuerit observari. Qui modus servari debeat. Et presentari debeat dicta scripta coram vicario domini potestatis vel iudice⁷⁹³ Aquile per sacristam monasterii seu loci in quo dicta scripta reperiretur vel duos fratres seu religiosos dicti loci ad petitionem cuiuscumque et⁷⁹⁴ coram ipso domino vicario seu iudice qui aditus fuerit posit predictum sumptum seu exemplatum legi per ipsum exemplantem. Et dicta scripta presentata per dictum sacristam seu fratres predictos ascultari debeat per duos alios notarios de predicta societate notariorum. Et si inventum⁷⁹⁵ fuerit dictum sumptum seu exemplatum insimul et per ordinem concordare cum dicto originali seu cum dicta scripta presentata posit et teneatur dictus dominus vicarius vel iudex Aquile qui aditus fuerit pro predictis ut eidem exemplo adhibeatur plena fides suam auctoritatem et decretum predictis interponere. Et predicti sacrista seu fratres dictam scriptam presentantes dictum originale reportare et reponere teneantur in sacristia predicta in ipsa custodiendum et salvandum. Et notarius qui dictum exemplum scripserit seu copiam sumpserit de predictis omnibus gestis coram dicto domino vicario seu iudice et per ipsum dominum vicarium seu iudicem mentionem facere teneatur et scribere in carta dicti exempli et suam⁷⁹⁶ subscriptionem cum suo signo consueto ponere. Et predicti alii duo notarii qui dictum exemplum ascultaverint cum scripta predicta se sub scribere teneantur cum eorum signo consueto. Que omnia fieri et expediri possint omni loco die et tempore. Quibus exemplo et sumpto predictis observatis adhibeatur plena fides sicut dicto suo originali et scripture predictae citatis tamen hiis quorum principaliter ex inspectione dicte scripture videretur interesse et heredibus scribentis secundum formam statutorum 'De modo citationum fiendarum' [2] aliorum autem citatio non requiratur. Hiis omnibus optinentibus in ultimis voluntatibus⁷⁹⁷ et scriptis fiendis, sed in iam factis iura vetera municipalia vendicent sibi locum hoc addito quod etiam in iam factis non dum publicatis circa ipsarum publicationem et ipsius occasione provisum presens statutum debeat observari. Item dicimus quod sacrista ordinis vel conventus ubi deposita fuerit aliqua ultima voluntas tempore quo ipsa ultima voluntas publicabitur procuret habere instrumentum factum de publicatione dicte ultime voluntatis autenticum manu notarii de hoc rogati quod adiungere teneatur ipsi ultime voluntati publicate vel in eadem carta scribi facere ut dictum est supra ut semper de ea copia haberi possit alias vigore dicte ultime voluntatis non possit cogi aliquis ad aliquid prestandum vel solvendum dicto sacriste conventui fratribus vel religiosis talis conventus vel ordinis in quo dicta ultima voluntas deposita fuerit. Notarius vero qui illam ultimam voluntatem scripserit seu notarius qui eius rogationes habuerit penes se seu cui comisse fuerint infra decem dies a die publicationis dicte ultime voluntatis ipsam ultimam voluntatem seriatim scribere et registrare teneatur cum instrumento depositionis in uno libro cartarum pecudinarum

⁷⁹² <notarius> segue ase depennato.

⁷⁹³ <iudice> corregge iudices con depennamento della lettera s.

⁷⁹⁴ <et> in infralinea con segno di rinvio.

⁷⁹⁵ <inventum> segue esset depennato.

⁷⁹⁶ <suam> segue sub depennato.

⁷⁹⁷ <voluntatibus> corregge voluntate con l'aggiunta di ibus.

deputando et conservando in camera actorum comunis et populi Bononie, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum ab ipso notario obmitente auferenda de facto. Quem librum esse volumus in uno volumine ad minus decem quaternorum signatorum per folia simul ligatum et copertum una carta pecudina emendum expensis notariorum camere actorum comunis Bononie qui ibidem⁷⁹⁸ preerunt tempore quo presentia statuta vires habere incipient qui liber in dicta camera perpetuo conservari debeat, nec de ea extrahi posit ad penam amputationis manus ei qui eum inde extraxerit. Et quod ipsi ultime voluntati sic scripte et registrate in dicto libro plena fides adhibeatur et detur ut orriginali notarii principalis. Iudex vero coram quo publicabitur teneatur tempore publicationis compellere illum ad cuius petitionem publicabitur ad satisfaciendum ipsi notario qui illam registrare debuerit de suo labore, cui notario ob id tantum debeatur quantum deberetur notario memorialium si illud testamentum poni debuisset in memorialibus. Et si non fuerit heres qui illam fecisset publicari ab eo exigere debeat et solutum per eum repeti posit ad heredem eius qui dictam ultimam voluntatem condidisset. Ad quam solutionem fiendam compellatur talis heres quibuscumque remediis opportunis per quemcumque officialem super premissis adhitum.

[76] **De sucessionem liberorum patre vel matre vel aliis ascendentibus decedentibus**⁷⁹⁹ **condito testamento. Rubrica**⁸⁰⁰. [cc. 207v-208v]// [c. 208r f. CLXXXVIII]

Ordinamus, quod si pater vel mater vel alius ascendens decesserit condito testamento relictis filiis seu aliis liberis masculis et per masculum descendentes et filiabus vel aliis feminis per masculum vel per feminam descendentes in quocumque statu fuerint etiam si ipsi liberi masculi vel femine in gradu fuerint inaequales et in ipso testamento aliquid iure institutionis vel alio modo filiabus vel aliis feminis relinquunt etiam si minus sit legitima quod relinqueretur adversus filios vel alios liberos masculos et per masculum ex tali testante descendentes unum vel plures institutos universaliter heredes vel qui pro universaliter institutis debeant haberi adhaerentes vel etiam ipsis non adhaerentibus contra ipsorum descendentes masculos et per masculum descendentes de iure ad repletionem vel contra testamentum agi vel excipi non possit per filias vel alias feminas supradictas nec modus, conditio etiam casualis vel alia quaecumque onus, dilatio, mora vel quodcumque gravamen dicto relicto apositum et aposita tolli debeat nec sublatum esse intelligatur. Filiabus autem vel aliis feminis descendentes ut supra vel aliis extraneis universaliter institutis vel qui pro universaliter institutis haberi debeant de iure contra ipsas filias seu feminas et extraneos agi possit ad supplementum non obstantibus conditione etiam casuali aposita vel modo vel gravamine, dilatione vel mora a testatore apositis, qui et que ipso iure sint et esse intelligantur sublata respectu legitime. Et de nullitate testamenti dici non possit per tales filias vel feminas vel descendentes integram legitimum non habentes vel non pure et quibus de iure comuni legitima debetur. In qua legitima tales filiae vel descendentes femine, si que dotatae fuerint ab ipso testante dotem datam et augmentum dotis si quod ab eo datum reperiretur sibi debeant imputare. Inter filios autem seu liberos alios masculos et per masculum descendentes ut supra quorum aliqui instituti fuerint⁸⁰¹ universaliter vel pro universaliter institutis haberi debeant et aliqui quibus legitima relinquatur vel minus legitima vel non pure ius commune debeat observari, ubi tamen minus legitima relictum est vel non

⁷⁹⁸ <ibidem> *segue* prel *depennato*.

⁷⁹⁹ <decedentibus> *segue* contu *depennato*.

⁸⁰⁰ <Rubrica> *dittografato*.

⁸⁰¹ <fuerint> *segue* ut supra *depennato*.

pure agi solum posit ad supplementum. Et omnis condictio etiam casualis modus, dilatio vel mora vel aliud quodlibet gravamen sint et esse intelligantur ipso iure sublatis et sublata aposita a testatore et de nullitate testamenti dici non possunt. Item dicimus, quod si tales filie vel alie femine per masculum vel feminas descendentes preterite fuerint ab ipso testatore inserta causa preteritionis vel non, estantibus masculis supradictis institutis, ut supra, vel aliquibus aliis institutis, qui tales feminas ab intestato repellerent ex forma nostrorum statutorum nichilominus valeat testamentum si alia solempnia et substancialia fuerint observata. Et in bonis testantis ratione legiptime eis debite iure nature nichil petere possint, nisi ut infra scribitur. Et siquidem eo casu dotate fuerint filie vel alie femine per masculum descendentes ab ipso testante vel alio quocumque, ut infra in sequenti statuto continetur [77] de ipsa dote sint contente et in bonis ipsius testantis nichil ultra petere possint. Si vero dotate non fuerint, dotari debeant secundum formam sequentis statuti [77]. Et quoad eas in casu predicto dictum statutum debeat observari. Que omnia supradicta locum habeant in presentibus et futuris et etiam in preteritis iudiciali termino vel amicabile compositione non dum sopitis. Dicimus etiam, quod masculi cuiuscumque gradus nati ex feminis descendentes ex testatore per masculum vel feminam institutis filiis testatoris vel aliis masculis descendentes ex eo per masculum vel aliquibus aliis institutis, qui tales natos masculos ex feminis ab intestato repellerent ex forma nostrorum statutorum ad repletionem non agant nec modus vel alia tollantur ut supra. Et ex eorum preteritione testamentum non vitietur, ut supra, nec ratione legiptime aliquid petere possint, ut supra. Et idem intelligatur in quibuscumque ascendentes preteritis vel institutis in minus legiptima vel non pure aliis universalibus institutis. Qui tales ascendentes ab intestato repellerent, ut supra. Item statuimus, quod⁸⁰² si aliquis testator decesserit non relictis aliquibus filiis vel aliis liberis masculis per masculum descendentes, sed solum filiabus una vel pluribus vel aliis feminis per masculum descendentes vel per feminam vel masculis per feminam descendentes, liceat testatori talibus filiabus vel aliis feminis vel masculis per feminam natis substituere in quacumque etate fuerint et quecumque modo substitutionis in omni eo, quod excederet dotes, quas pro eis destinasset vel destinaret, videlicet in casu non existentium liberorum, etiam si dotes minus quam legiptima sibi debita fore reperiantur. Et si masculus ex femina fuerit, tunc in eo, quod excederet dotes maternas, etiam si minus sit legiptima, ut supra substituere, possit. In dote autem//

[c. 208v]

data et eius augmento substitutio aliqua non procedat.

[77] De liberorum successione patre vel matre vel aliis⁸⁰³ ascendentes decedentes ab intestato. Rubrica. [cc. 208v-209r]

Statuimus et ordinamus, quod si quis proprie vel improprie sumpto vocabulo intestatus decesserit relictis filiis vel aliis liberis masculis legitimis et naturalibus per masculum descendentes uno vel pluribus laicis vel clericis in sacris ordinibus non constitutis vel non religiosis alicuius ordinis et filia vel filiabus una vel pluribus si filia seu filie, que remanserint dotata vel dotate fuerint a patre vel matre, fratre⁸⁰⁴ vel fratribus suis, avo vel proavo, paterno vel patruo suo, filia seu filie, que dotate sunt sint contente de ipsa dote seu dotibus. Et in bonis paternis avitis vel proavitis amplius non petant nec petere possint. Et matre etiam moriente ab intestato extantibus ex ea aliquibus de masculis supradictis etiam patre vivo vel eo mortuo ex testamento vel ab intestato in

⁸⁰² <quod> segue aliquis depennato.

⁸⁰³ <aliis> in infralinea con segno di inserzione.

⁸⁰⁴ <fratre> dittografato.

bonis maternis petere non possint, nec heredes patris vel matris censeantur si tales masculi superstites vel alter eorum hereditatem defuncti adhivenerint vel in ea se inmiscuerint ipsi vel eorum descendentes masculi et per masculum per se vel per legitimum personam pro eis nemine vero adente vel se inmiscente succedant de iure comuni. Et intelligatur filia esse dotata sive data sit dos ab aliquo⁸⁰⁵ de predictis sive in ultima voluntate eidem relicta fuerit pro ea dotanda et ipsi mulieri vel alteri pro ea fuerit soluta et per mulierem vel eius nomine viro dos data fuerit. Et si plures⁸⁰⁶ supersint femine estantibus masculis supradictis et una vel plures dotate fuerint ab aliquo de predictis et alie indotate, tunc ille que dotate fuerint in bonis amplius petere non possint et sint contente ut dictum est. Ille vero, que dotate non fuerint, dotari debeant, sive maritentur sive religionem intraverint vel maritari vel monasterium ingredi velint, in ea quantitate in qua fuerint relique sorores dotate pro qualibet, nisi bona patrimonialia essent diminuta, quod legitimum probationibus constare debeat domino potestati Bononie vel eius vicario dummodo dos constituenda virilem patrimonii portionem non excedat, sed filio virilis remaneat. Et si plures filii, sint similiter cuilibet filio debeat virilis remanere. Et si diminute essent vires patrimonii habeatur ratio diminutionis in dote constituenda a die ultime dotis date. Si vero aliqua predictarum filiarum non fuerit dotata ab aliquo de predictis, constituatur et detur ei vel eis dos in bonis patris, matris, avi vel proavi de cuius hereditate ageretur vel possessis per eos vel eorum alterum⁸⁰⁷ tempore mortis eorum vel alterius eorum, de cuius hereditate ageretur arbitrio quatuor bonorum virorum coniunctorum ex parte patris, qui sint saltem etatis viginti annorum. Et si quatuor non estarent vel estarent et ipsorum copia comode haberi non possit arbitrio trium et secundum possibilitatem et facultates bonorum patris, matris, avi vel proavi de cuius hereditate ageretur. Et si non estarent tres vel ipsorum copia comode haberi non possit, tunc arbitrio⁸⁰⁸ duorum vel unius tantum ut premitur coniunctorum. Et si duo vel unus non estarent vel ipsorum copia haberi non possit comode, tunc arbitrio coniunctorum masculorum etatis ut supra ex parte matris si plures estant in eis servando omnia supradicta de agnatis uno vero tantum cognato existente, tunc arbitrio dicti domini potestatis seu eius vicarii cum ipso cognato et tribus vicinis eius in cuius bonis dicta dos constitui et dari debet. Et nullo cognato estante, tunc arbitrio domini potestatis seu eius vicarii cum consilio trium vicinorum, ut supra, predicta dos constituatur et detur. Quam dotem possint heredes talis mulieris petere taxari, constitui et declarari et taxatam, constitutam et declaratam, sive in pecunia sive in aliis rebus petere sibi dari similibus modis, quibus supra ipsa mulier petere potuisset tempore sue vite. Quod locum habeat etiam in casibus preteritis non decisis. Et aliud petere non possint. Et si mater moriretur superstitibus filiis vel aliis liberis masculis per masculum descendantibus et filia vel filiabus una vel pluribus et superstite patre vel avo paterno eo casu filie vel filia dotari debeant de bonis patris vel avi locupletis ad dotem constituendam. Si vero ex facultatibus eorum dos constitui non possit, tunc dos constitui debeat de bonis matris de cuius hereditate agitur modo predicto. Et ad predictam dotem sic constituendam⁸⁰⁹ ei vel eis seu eius vel earum heredibus in quolibet casuum predictorum compellantur coniuncti predicti et alii supradicti et ad ipsam dotem constitutam solvendam masculi supradicti unus vel plures per dominum potestatem civitatis Bononie vel eius vicarium su//
[c. 209r f. CLXXXVIII^{or}]

⁸⁰⁵ <aliquo> segue de propriis depennato.

⁸⁰⁶ <plures> segue sint depennato.

⁸⁰⁷ <alterum> segue eorum depennato.

⁸⁰⁸ <arbitrio> segue coniunctorum masculorum cassato per vacatazione.

⁸⁰⁹ <constituendam> segue et dandam et solvendam cassata per vacatazione.

marie, sine strepitu et figura iudicii et quibuscumque iuris et facti remediis ad requisitionem filie unus vel plurium vel alterius pro ea vel eis legitime venientis si vellent nubere et essent habiles ad nubendum vel si iam nupte essent et non dotate vel si religionem intrare vellent seu voluerint. Quo casu religionis intrande non consideretur dos sororis, que fuerit maritata, sed constituatur arbitrio coniunctorum vel potestatis seu eius vicarii ut supra dictum est quando nulla fuerit dotata. Et etiam ante tempus nubile vel ad religionem intrandum ex eo quod masculi vel alter eorum, qui heredes fuerint defuncti male incoherent vel incohare dicerentur uti substantia sua. Hiis vero casibus et quolibet eorum filia, que dotata erat ab hereditate predicta excludatur, filia vero que dotata non erat eodem modo ab hereditate excludatur et eidem vel eius heredi solummodo competat ius petendi sibi dotem constitui et dari, ut dictum est. Et bona defuncti vel per eum posessa tempore mortis pro dicta dote constituenda et danda ex die mortis illius sint et esse intelligantur eidem filie seu eius heredi expresse et specialiter obligata, de quibus dicti propinqui vel potestas seu vicarius cum supradictis ut dictum est posint eidem filie indotate vel eius⁸¹⁰ heredi adiudicare insolutum pro quantitate dotis sic constituende et ipsam vel alium pro ea in possessionem ipsorum inducere et induci facere etiam nulla excussione facta, salvo iure cuiuslibet competenti in bonis ipsis quesito ante mortem dicti defuncti. Et valeat quod fiet, etiam si iuris vel statutorum solemnitates non fuerint observate, dum tamen huius statuti solemnitas observetur. Et in quolibet casuum predictorum antequam dictis mulieribus seu ipsarum nominibus dotes fuerint constitute et date, prestari et dari debeant alimenta decentia ipsis mulieribus de bonis hereditatis ipsius de qua dos constitui debuerit coniunctorum arbitrio vel potestatis et aliorum ut supra dictum est in dote constituenda. Et pro ipsis alimentis bona dicte hereditatis sint specialiter obligata. Et in eis posit procedi ut supra dictum est in dote constituenda. Item quod dictum est de filiabus et masculis remanentibus, ut supra patre vel matre decedentibus ab intestato optineat per omnia in nepte ex filio et aliis feminis descendentibus per masculum estantibus dictis masculis, dum tamen dotes constituende non excedant portionem, que patri deberetur si viveret. Neptes autem vel nepotes ex filia et ceteri alii masculi et femine descendentes per feminam remanentibus⁸¹¹ filiis vel aliis liberis masculis descendentibus per masculum ex defuncto vel defuncta ab intestato a successione paterna, materna, avita vel proavita per ipsos masculos penitus excludantur. Filiabus autem vel aliis feminis per masculum descendentibus estantibus et nullis estantibus filiis vel masculis per masculum descendentibus inter eos succedant et successio de iure comuni procedat. Declarantes insuper, quod ubicumque in aliquo casuum predictorum in hoc vel precedenti statuto [77] mulier a successione ex testamento vel ab intestato repellitur si inter masculos ad invicem vel cum aliis questio oriatur super debita iure nature quota seu quanta intelligatur propter numerum liberorum tales femine quoad ipsam legitimum in numero liberorum non contineantur seu computentur. Item dicimus, quod si quis promittens vel solvens dotem esset debitor mulieris pro qua promiserit vel solverit ex aliqua ultima voluntate vel ex aliqua successione ab intestato intelligatur promisisse vel solvisse de eo in quo est debitor ipsius mulieris usque ad concurrentem quantitatem.

[78] **De successione ab intestato ascendentium et collateralium. Rubrica.** [cc. 209r-210v]

⁸¹⁰ <eius> *segue filie depennato.*

⁸¹¹ <remanentibus> *segue feminis cassato per vacatazione.*

Statuimus, quod si quis vel si qua intestatus vel intestata in quacumque etate sive testabilis fuerit, sive non, decesserit, quod in succendo sibi seruentur iura comunia. Salvo superiori statuto [77] et salvo quod in casibus infrascriptis videlicet.

Quod ascendentes masculi et per masculum seu alter ex eis preferantur in succedendo omnibus aliis ascendentibus persone defuncte feminis vel per feminam excepta matre vel avia vel deinceps paterna, vidua ex eo matrimonio, ex quo talem filium vel filiam, nepotem vel neptem de cuius successione ageretur vel deinceps habuerit, que vidua, ut supra estantibus ascendentibus predictis masculis et per masculum vel altero eorum habeat solum usumfructum eius, quod sibi a iure comuni civili defertur donec⁸¹² vixerit vel ad alia vota transsiverit vel ususfructus aliter fuerit extinctus, ita quod satisfacere teneatur. Salvo tamen iure cuiuscumque persone, cui quesitus esset ususfructus predictus iure patrie potestatis vel alia quacumque de causa.

Item preferantur predicti ascendentes masculi et per masculum descendentibus defuncte persone per fe//
[c. 209v]

minam. Salvo quod omne id, quod alias de iure ipsis descendentibus per feminam obvenire deberet, reservare teneantur dictis descendentibus per feminam post eorum mortem, si decesserint sine masculis liberis et per masculum vel cum liberis masculis et repudiantibus seu abstinentibus vel minime adeuntibus seu inmiscitibus.

Nec non fratres matres defuncte persone ex utroque parente vel ex patre tantum coniuncti et filii masculi⁸¹³ talium fratrum seu alter ex eis preferantur dictis descendentibus persone defuncte per feminam in totum. Et similiter descendentibus predictis per feminam preferantur patris defuncte persone et etiam filii masculi eorum vel alter ex dictis patris vel filiis eorum vel alterius eorum, nisi in legitima eis debita iure nature dote tamen sua vel materna sive avita vel deinceps in ea non computata.

Ipsi quidem fratres eorumque filii masculi, patris eorumque filii masculi seu ex eis alter preferantur prefatis ascendentibus defuncte persone feminis et per feminam, nisi matri vel avie paterne, matre non estante seu estante et repudiante vel non adeunte vel proavie matre et avia non estantibus vel estantibus et repudiantibus vel non adeuntibus ex eo matrimonio immediate, ex quo talem filium, nepotem vel neptem proneptem vel proneptem de cuius successione agitur habuerint, que tunc habeat solum usumfructum virilis partis si cum dictis fratribus concurrant. Et si cum filiis eorum concurrant ipsi filii fratrum in stirpem. Et si cum patris vel eorum filiis masculis, tunc usumfructum habeant totius hereditatis, donec vixerint vel ad alia vota transsiverint vel ususfructus aliter fuerit extinctus, ita quod satisfacere teneantur ac etiam subire pro rata partis seu toto, quod habuerint, ut supra, omnia onera et gravamina comunis Bononie ipsi hereditati vel bonis imposita et imponenda quatenus patitur ususfructus et non ultra donec ipse ususfructus duraverit.

Ascendentes prefati masculi et per masculum etiam preferantur sororibus defuncte persone earumque descendentibus etiam masculis et filiabus fratrum persone defuncte et descendentibus etiam masculis ex ipsis filiabus, exceptis bonis que ad defunctam personam pervenerint ex dote vel titulo lucrativo a matre vel coniuncto per matrem defuncte persone in quibus inter eos ius comune servetur.

Dicti vero fratres, matres ex utroque parente vel ex patre tantum coniuncti filiique masculi eorum seu alter ex eis preferantur sororibus defuncte persone earumque liberis etiam masculis ac filiabus fratrum masculorum et earum liberis etiam masculis ac etiam fratribus et sororibus uterinis tantum et eorum et earum liberis etiam masculis exceptis

⁸¹² <donec> *segue viser depennato.*

⁸¹³ <masculi> *segue eorum depennato.*

bonis ad defunctam personam⁸¹⁴ pervenerint ex dote vel titulo lucrativo, ut supra, a matre vel coniuncta persona per matrem dictarum sororum vel uterinorum. Que seu qui autem eorum vel earum liberi si concurrerent cum fratre vel fratribus eorumque filiis ex patre tantum vel altero eorum in quibus talibus bonis ius comune servetur.

Agnati namque masculi transversales seu alter ex illis usque ad quartum gradum inclusive, gradum numerando in qualibet parte nostrorum statutorum secundum ius civile, preferantur omnibus feminis transversalibus cognatis etiam infra dictum gradum existentibus, preter quam sororibus persone defuncte utrimque coniunctis vel ex patre tantum vel filiabus fratrum masculorum persone defuncte similiter coniunctorum. Salvis dispositis in hoc statuto. Et salvo si ipse vel aliqua earum concurrerent cum patruo seu patruis defuncte persone, quo casu cum eo seu eis pariter admitantur, nisi in bonis perventis, ut supra, ad defunctam personam a matre vel coniuncta persona per matrem dictarum⁸¹⁵ sororum vel filiarum in quibus ius comune servetur.

Et etiam predicti agnati preferantur omnibus transversalibus cognatis, etiam masculis et etiam in ius agnationis translatis. Exceptis bonis que ad defunctam personam pervenerint ex dote vel titulo lucrativo ut dictum est a matre vel coniuncta persona per matrem defuncte persone in quibus ius comune servetur nisi filii masculi vel femine vel alii liberi sororum utrimque coniunctorum concurrerent cum fratribus maribus persone defuncte utrimque coniunctis seu eorum liberis masculis vel altero eorum quo casu ipsi fratres vel liberi etiam in dictis bonis preferrantur.

Volentes quod naturalibus tantum et etiam spuriis succedatur et succedi possit ab intestato per quoscumque perinde ac si forent legitimi et naturales secundum tamen suprascriptam et infrascriptam dispositionem in quantum adaptari potest et quoad ipsam sucessionem⁸¹⁶ eis fiendam legitimi et naturales censeantur, nisi estarent ex ipsis naturalibus tantum vel spuriis, ut supra, liberi etiam naturales tantum vel//
[c. 210r f. CC]

spurii tantum ut supra, qui tunc admitantur et omnibus preferantur preterquam liberis legitimis et naturalibus, quo casu inter eos ius comune⁸¹⁷ et nostra statuta serventur. Declarantes, quod leges de secundis nuptiis loquentes seu tractantes in supradictis omnibus et infrascriptis vendicent sibi locum, nisi in supradictis vel infrascriptis casibus aliud specialiter sit provisum.

Insuper statuimus, quod homicida seu ille cuius dolo malo aliqua persona decesserit non succedat nec succedere possit ex testamento vel ab intestato ipsi defuncte persone nec alicui eius ascendenti vel descendenti, nisi ex testamento postea confecto nec aliquid de bonis talium capere possit, nisi ex testamento ipsorum postea confecto ut supra⁸¹⁸ vel ab intestato proprie vel inproprie sumpto vocabulo. Item uxor, filii, nepotes talis homicide seu cuius dolo⁸¹⁹ malo decesserit eodem modo predictis non succedant, nec capere possint de bonis predictorum ut supra, donec vixerit ille talis homicida seu cuius dolo malo decesserit. Et de predictis homicidio et dolo sufficiat probari per bannum inde formatum et exemplatum in libris bannitorum comunis Bononie positus ad discum bannitorum. Decernentes hereditatem predictam etiam interim ad sequentes pervenire debere secundum formam iuris et statutorum nostrorum. Que tamen hereditas sic ad sequentes devoluta ex causis predictis revertatur ipso iure ad personas predictas exclusas, ut supra,

⁸¹⁴ <etiam masculis ac etiam fratribus et sororibus uterinis tantum et eorum et earum liberis etiam masculis exceptis bonis ad defunctam personam> *di seguito sul margine laterale destro, prosegue sul sinistro.*

⁸¹⁵ <dictarum> *segue personarum cassato per vacatazione.*

⁸¹⁶ <sucessionem> *segue fiendam depennato.*

⁸¹⁷ <comune> *segue serventur depennato.*

⁸¹⁸ <postes confecto ut supra> *scritto di seguito sul margine laterale destro.*

⁸¹⁹ <seu cuius dolo> *scritto di seguito oltre il margine laterale destro.*

quandocumque postea mortuo tali homicida vel cuius dolo malo deceserit talis persona defuncta ut supra. Et de omnibus bonis dicte hereditatis teneatur ipsa persona ad quam sic interim pervenerit inventarium conficere et satisfacere ad omnem requisitionem persone exclude de utendo et fruendo eis arbitrio boni viri et ea custodiendo et salvando et restituendo ea omnia vel estimationem eorum, que servando servari non possunt seu non potuerint persone sic exclude post mortem talis homicide vel cuius dolo malo deceserit persona defuncta. Fructus tamen quoscumque percepti a tali sequente ad quem devoluta fuerit hereditas, ut supra ex causis predictis ante secutam mortem dicti homicide vel cuius dolo malo deceserit persona defuncta, ut supra, cedant lucro ipsius percipientis, satisfactione ut premititur prestata, et alias non.

Mandantes, quod in quolibet casuum predictorum, ubi femine de linea agnationis contra ius commune excluduntur, si tales femine dotate non essent vel non sufficienter, dotari possint et debeant et eis dos augeri in bonis et de bonis persone defuncte⁸²⁰ modo et forma tradita in statuto nostro proxime precedenti si alium, qui dotare eas⁸²¹ deberet non haberent vel minus sufficientem. Si vero aliqua femina de linea cognationis excludatur a successione contra ius commune et sit pauper et indotata nec est de bonis alicuius in quibus possint et debeant dotari, tunc possit ipsa femina de linea cognationis exclusa, ut supra, petere se dotari in bonis et de bonis talis persone defuncte a cuius successione excluditur ut supra. Et se alimentari modo et forma tradita in statuto proxime precedenti. Et idem si tales femine de linea agnationis vel cognationis exclude ut supra religionem intrasent vel intrare vellent. Ita tamen, quod predicta non excedant portionem a qua excluduntur vigore statuti presentis. Ubi vero in matrimonio vel religione constitute non essent, nec esse vellent et ex eo quod haberent decenter vivere non possent, decernantur et constituantur et dentur eis alimenta in bonis predictis quam diu vixerint in tali statu honesto modo predicto, dummodo dicta alimenta non excedant usumfructum eius portionis a qua exclude sunt ut supra. Et si antequam dotentur, ut supra moriantur nupte vel non nupte transmitant illud ius petendi dotari ad heredes earum. Qui heredes possint petere modo et forma contentis in precedenti statuto omne id et totum quod petere poterat ipsa persona defuncta, que poterat ut supra petere se dotari. Volentes insuper et declarantes, quod omnia contenta in presenti statuto disposita in casibus supradictis si separatim seu divisim contingant locum habeant in dictis casibus etiam si simul vel coniunctim contingant quocumque sint casus insimul vel coniunctim contingentes, quatenus possint adaptari.

Item quod omnis hereditas quorumcumque ascendentium vel descendentium vel agnatorum supradictorum delata alicui ex testamento vel ab intestato si moriatur ante adhibitam hereditatem vel inmissionem factam transmitatur ad eius heredes ex testamento vel ab intestato masculos ex linea masculina agnationis provenientes secundum dispositionem supradictam. Et si fuerit de suis heredibus transmitat ex existentia sui heredis hereditatem ipsam ante adhibitionem vel inmissionem ad eius heredes ex testamento vel//

[c. 210v]

ab intestato de linea agnationis vel cognationis tantum non ad alios. Et similiter ius quod competeat alicui ascendenti vel descendenti dicendi aliquam ultimam voluntatem nullam propter preteritionem de eo factam in aliqua ultima voluntate transmitatur ad quoscumque eius heredes descendentes et collaterales masculos et per lineam masculinam coniunctos usque ad quartum gradum inclusive gradus numerando ut supra.

⁸²⁰ <defuncte> *segue* persone *depennato*.

⁸²¹ <eas> *segue* debuerit seu *depennato*.

Declarantes quod in quacumque parte presentis statuti sit mentio de patruo, intelligatur tantum de fratre patris utrimque coniuncto vel ex patre tantum.

[79] **De tutelis. Rubrica.** [c. 210v]

Decernimus, quod si mater vel avia, cui ex testamento vel a lege deferatur tutela et que etatis sit legitime, scienter steterit per quatuor menses a die eidem delate tutele quod eius tutelam seu eius⁸²² administrationem sibi decerni non fecerit et alius postea legitimus vel dativus in suscipienda tutela solempniter eam pervenerit eidem preferratur et ipsa mater et avia ab ipsa tutela penitus excludantur. Si vero nullus legitimus vel dativus eam prevenerit infra dictum tempus vel postea nullo transcurso temporis excludatur. Item dicimus, quod estantibus legitimis tutoribus et ydoneis ad tutelam subeundam pupulorum, que suscepta⁸²³ non esset, non possint peti vel dari tutoris dativi, sed ipsius legitimi ydonei excusationem legitimum non probantes ad administrationem tutele legitime subeundam ad petitionem et requisitionem cuiuscumque summarie et de plano iuris remediis compellantur. Et sic estante legitimo et ydoneo et excusationem non habente tutor dativus daretur, datio non teneat ipso iure, nisi legitimus fuerit in mora ut supra in matre et avia dictum est. Dificientibus vero testamentariis et legitimis ipsa matre vel avia transeunte seu transire volente ad secundas nuptias sive tutelam susceperint sive non, tutorem dativum filio vel nepoti impuberi per eam vel alium ab ea submissum⁸²⁴ vel inductum, petitem vel ad eius petitionem nominatum in tutorem, nisi tali nominato de iure talis tutela defferatur dari prohibemus. Et si daretur petitem et datio non teneat ipso iure. Et si reperiatur maritus ipsius matris vel avie vel aliquis de ipsius mariti familia, agnatione vel cognatione tutor esse ipsius pupuli, ipso iure desinat esse tutor et ipsius pupuli perpetuo tutor esse non possit, nec bonorum eius⁸²⁵ administrationem quoquomodo suscipere vel habere, nisi fuisset testamentarius vel alius legitimus tutor dicti pupuli, quo casu tutor esse non desinat. Ipsa autem matre vel avia desinente esse tutrice vel remota tunc legitimi ipsius pupuli, si qui estant ydonei ad ipsam tutelam subeundam de iurisdictione comunis Bononie et in civitate vel districtu Bononie habitantes, compellantur ut supra aliter ad petitionem cuiuscumque per vicarium domini potestatis vel iudicem Aquile ex inquisitione vocatis tribus vel quatuor vicinis propinquis ipsius pupuli, si estant bone opinionis et fame tutor ordinetur dativus. Nec possit aliquis tutor finita tutela absolvi a ratione administrationis sue tutele ab alio tutore vel ab ipso cuius tutor fueri facto adulto, nisi coram uno ex iudicibus potestatis et cum eius auctoritate si per adultum fieret absolutio et presentibus duobus propinquis dicti adulti etatis vigintiquinque annorum et bone fame, vite et opinionis si eos habeat asserentibus et iurantibus coram dicto iudice se credere predictum condam tutorem vel tutricem in nullo teneri ex ipsa tutela ultra vel aliter quam in ipsa absoluteione contineatur de quibus instrumento inde⁸²⁶ fiendo credatur, si in eo ita fuisse contineatur.

[80] **De suspectis tutoribus et curatoribus. Rubrica.** [cc. 210v-211r]

Propterea dicimus, quod si contingetur aliquem tutorem alicuius impuberis testamentarium legitimum vel dativum seu anomalum dici suspectum et ex hoc a tutela et eius administratione petatur removeri. Liceat impuberi maiori infante cum auctoritate

⁸²² <eius> *in infralinea.*

⁸²³ <suscepta> *corregge subcepta per depennamento della lettera b.*

⁸²⁴ <submissum> *segue la lettera p depennata.*

⁸²⁵ <eius> *segue qu depennato.*

⁸²⁶ <inde> *in infralinea con segno di rinvio.*

curatoris ad hoc constituendi si voluerit et etiam cuilibet agnato vel cognato ipsius impuberis in quacumque etate fuerit ipse impubes et alii cuicumque, qui de iure comuni ad acusandum de suspecto admitteretur suam qualem qualem petitionem porrigere de suspecto coram vicario domini potestatis, super qua petitione ipse vicarius ad petitionem ipsius cum petitione legitime venientis procedere teneatur prout procedi debet in causis civilibus solam suspitionis et remotionis causam sine pena aliqua proseguendo. Et nichilominus idem dominus vicarius ex//
[c. 211r f. CCI]

suo mero officio posit, si ille, qui petitionem porrexerit, causam non proseguatur, de contentis in petitione inquirere veritatem tutore, qui diceretur suspectus legitime citato ad omnem actum, ad quem citari deberet. Qui comparens per se vel alium legitime audiatur et ipsius defensiones legitime admitantur. Et eo non comparente, citato tamen, ut supra, nichilominus in petitione et in inquisitione procedi posit ad omnem actum et conclusionem et sententiam et ipsius sententie executionem ac si comparuisset et lix fuisset vere et legitime contestata. Nec ad ipsos actus vel conclusionem neccessario requiratur eius citatio si ab innitio citationis neglexerit comparere, ad sententiam tamen et eius executionem requiratur. Quo casu scilicet si non comparuerit posit ipse vicarius, si sibi videbitur, administrationem interdiceret et in eius loco dare curatorem ad administrandum. Et si ex probationibus factis tam per partem petentem, ubi causam proseguatur quam etiam per inquisitionem seu ex officio inquirentis et agitatis in causa constiterit ipsum tutorem suspectum esse tali suspitione quod de iure veniat removendus vel asociandus seu eidem alius adiungendus pronunciet vicarius ipsum suspectum esse et removendum a tutela et administratione ipsumque de facto removeat et compellat, et ipse remotus de tutela et administratione predicta se nullatenus intromittat alias penam suspecti et dolosi tutoris incurrat. Et nichilominus de facto repellatur. Et si non venerit ad proseguendum causam sue defensionis vel veniens per se vel alium legitime⁸²⁷ comparentem litem non fuerit contestatus a tali sententia que pro definitiva habeatur et sit ei non liceat appellare. Si tamen comparuerit et contradixerit statim interdicitur ei administratio et pro interdicta habeatur et curator in locum eius in administratione rerum ordinetur et procedatur in causa. Et si contra eum fuerit lata sententia et ad ipsam⁸²⁸ audiendam citatus contumax non fuerit ei de iure liceat semel tantum appellare. Que omnia terminari debeant infra quadraginta dies a die comparitionis ipsius, qui dicitur suspectus et contradictionis facte per ipsum dicte petitioni, si contradixerit alias a die termini dati ad respondendum dicte petitioni elapsi si comparuerit. Et si non comparuerit a die quo debuit comparere et respondere. Ubi⁸²⁹ autem de suspecto tutore acusatio principaliter et criminaliter proponatur, sive civilis cum ea intentetur sive non, porrigi debeat solum coram altero ex iudicibus malefitorum domini potestatis et in ea et super ea sicut in aliis maleficiis procedatur ad omnem actum et ad sententiam et ad alia occurrentia in predictis non obstante quod acusans talis impuberis consensum acusandi non haberet et non obstante quod dicta acusatio infra statuta tempora dicatur non fuisse porrecta. Que omnia supradicta locum habeant et serventur etiam in quocumque et de quocumque generali curatore. Nec posit talis tutor vel curator, qui suspectus dicatur et removeri petatur, petere sibi curatorem adiungi postquam fuerit oblata petitio de predictis. Item dicimus, quod quocienscumque appareat aliquem tutorem analogistam in testamento relictum esse in aliquo dolo vel lata culpa circa res pupillares de quo sit publica vox et fama in civitate Bononie maxime in contrata habitationis ipsius tutoris vel ipsius pupili vel adulti, qua fama sufficiat probari per quatuor testes cives Bononie

⁸²⁷ <legitime> segue non depennato.

⁸²⁸ <ipsam> segue citatus contumax depennato.

⁸²⁹ <Ubi> segue la lettera a depennata.

bone opinionis⁸³⁰ et fame maiores treginta annorum, teneatur dictus tutor de gestis et administratis per eum dicta tutela durante vel post reddere rationem et reliqua consignare ei cuius tutor fuerit⁸³¹ vel eius heredibus non obstante aliqua remissione vel aliquo legato sibi ob hoc facta vel facto predictorum occasione per aliquem in aliquo testamento vel ultima voluntate seu aliqua pene impositione in favorem dicti tutoris in tali ultima voluntate aposita, quam et quod in casu predicto volumus esse nullius efficacie vel momenti. Ad quam rationem reddendam compellatur per quemcumque officialem comunis Bononie de predictis cognitionem habentem quibuscumque remediis opportunis.

[81] De dotibus restituendis et ipsarum parte⁸³² lucranda et fructibus rerum parafrenalium. Rubrica. [cc. 211r-212r]

Ordinamus, quod si inter aliquos dissolutum fuerit matrimonium, morte uxoris, non estantibus liberis ex ea ex ipso matrimonio vel aliquo alio maritus seu pars mariti teneatur solum dimidiam dotis et augmenti dotis, si de augmento tractaretur, restituere ei, cui de iure restituenda vel restituendum fuerit infra tempus ordinatum a iure. Reliquam dimidiam lucri faciat ipse maritus seu pars eius in quibuscumque⁸³³ quantitativis summis vel rebus estimatis vel non et a quocumque et cuicumque dos fuerit data vel constituta vel per partem viri fuerit confessata vel ipsius dotis augmentum. Et si maritus non rece//
[c. 211v]

pi set dotem vel non tantum quod dimidiam posit retinere, tunc petere posit tantum de dote quod dimidia habeat non obstante quod matrimonium fuerit dissolutum. Si vero ex ea liberi masculi vel femine estarent ex aliis matrimoniis uno vel pluribus non tamen estent liberi masculi vel femine ex ultimo matrimonio ex quo decesserit vel ex aliis matrimoniis uno vel pluribus estent liberi masculi et ex ultimo matrimonio in quo decesserit estent femine tantum tunc maritus connumerata persona sua liberis masculis mulieris ex aliis matrimoniis uno vel pluribus dotis et augmenti dotis virilem tantum portionem lucretur quam reservare teneatur liberis ex dicta muliere et ipso marito natis resciduum vero restituere teneatur ut supra. Reservare tamen teneatur maritus omne id quod lucratur de dote vel augmento dotis liberis ex illo matrimonio ex quo lucrum predictum habuit. Et hiis casibus et aliis expense funeris dicte mulieris pro rata partis quam quilibet de dote vel eius augmento habuerit dividantur et fiant et si per partem mariti facte fuerint deducantur. Salvo si in instrumento dotium vel augmenti ipsorum pactum appositum fuerit de minori vel maiori parte lucranda, solum quod in pacto devenerit debeat observari, nisi extarent liberi ex aliis matrimoniis uno vel pluribus, quo casu de maiori parte lucranda liberis non noceat ultra dictam virilem portionem. Que omnia habeant locum in matrimoniis contrahendis et etiam in contractis in posterum disolvendis. Item dicimus, quod si dos data fuerit vel confessata in totum vel pro parte aliqua in rebus immobilibus estimatis⁸³⁴ et casus restituende dotis in totum vel pro parte aliqua advenerit, quod pars, cui dos fuerit restituenda, teneatur eandem rem recipere pro eadem estimatione pro qua data fuerit, habita ratione meliorationis, vel deteriorationis ipsius rei, habendo respectu ad tempus quo data fuerit dos seu confessata et restitutionis predictae. Et hoc sit in optione eius, qui dotem restituere debebit. Et idem de augmento

⁸³⁰ <opinionis> segue ef cassato.

⁸³¹ <fuerit> segue seu erit depennato.

⁸³² <parte> in infralinea con segno di rinvio.

⁸³³ <quibuscumque> segue casibus depennato.

⁸³⁴ <estimatis> corregge inestimatis con espunzione di in.

dotium iudicamus. Addicientes, quod mulier seu pars eius teneatur bona immobilia, que in solutum aceperit pro dote vel augmento dotis vel pro parte ipsius in iudicio vel extra constante matrimonio de bonis mariti vel soceri vel alterius obligati restituere soluto matrimonio viro vel heredibus viri vel alii obligato vel eius heredibus, de cuius bonis meruerit in solutum ut supra pro ea estimatione pro qua aceperit in solutum et pro expensis quas, fecisset in accipiendo in solutum parti cui debet restitutio fieri ut supra hoc volentibus et petentibus infra annum a die qua matrimonium fuerit dissolutum si presentes fuerint et sciverint alias infra annum a die reversionis et scientie alienatione aliqua facta mortuo viro infra annum predictum non obstante que omnino intelligatur prohibita in preiudicium predictorum. Et avocari posit a quocumque in quem alienatio facta reperitur vel a possessore dicte rei, qui teneatur restituere facta eis oblatione pretii vel estimationis pro qua mulier aceperit, ut supra, in omnibus et per omnia prout de muliere superius dictum est habita semper ratione meliorationis et deterriorationis ut supra et habito respectu ad tempus quo sic aceperit in solutum et restituerit. In qua restitutione fienda pars mulieris vel alterius restituentis ut supra nullas expensas facere teneatur. Declarantes, quod quilibet, qui ad restitutionem dotis vel eius augmenti fuerit obligatus, posit etiam constante matrimonio dotem vel eius augmentum restituere mulieri in rebus immobilibus tantum eo casu, quo ab ipso invito peti et exigi posit ipsa dos vel eius augmentum et valeat ipsa restitutio dummodo statutorum nostrorum solemnities intercedant. Quo etiam casu, dissoluto matrimonio, teneatur pars mulieris et quilibet habens causam ab ipsa muliere vel ipsius rei possessor rem restituere, ut supra, quam meruerit in solutum. Item dicimus, quod mulier pro qua data vel confessata fuerit dos vel eius augmentum estantibus liberis ex ipso matrimonio pro quo dos data vel confessata fuerit vel eius augmentum a quocumque et ubicumque data vel confessata fuerit lucretur dictam dotem et eius augmentum et ipsa mortua eius liberi ex quocumque matrimonio preferendo tamen masculos et per masculum descendentes feminis et per feminam descendentes quemadmodum preferuntur⁸³⁵ in successione ab intestato secundum formam nostrorum statutorum. Et ei et eis successive restitui posit et debeat et illam et illud petere et exigere valeant et ex eis testari tamquam de proprio iure non obstante quod alius, qui dotem vel eius augmentum dederit vel promiserit seu confessionem a parte viri receperit illum vel illud sibi reddi fuerit stipulatus et etiam non obstante quod talis mulier sit in alterius potestate et etiam non obstante quod talis mulier⁸³⁶ liberos habeat ex quocumque matrimonio dum tamen//

[c. 212r f. CCII]

ipsis liberis reservetur legitima secundum formam iuris et nostrorum statutorum et marito pars quam⁸³⁷ lucrari debet secundum formam presentis statuti. Et idem quod omnia intelligatur ubi liberi non estarent si maritus predecedat, providentes insuper quod in ultimis⁸³⁸ bonis obligatis pro dote vel eius augmento renunciatio aliqua contractus vel quivis alius actus per mulierem fienda vel fiendus mulieri non preiudicet vel alteri cui petitio dotis competeret vel eius augmenti etiam si sint vel fuerint iuramento firmata seu firmati, nec aliqua in hiis pena apposita comitatur in preiudicium mulieris vel sui heredis nec ipsa renunciatio contractus vel actus seu instrumenta super hiis facta valeant, sed ipso iure nulla sint nec ad aliquid confessatum vel receptum teneantur, nisi quatenus ex forma nostrorum statutorum concessum reperiretur. Preterea statuimus, quod si quis perceperit fructus vel redditus quoscumque ex bonis parafrenalibus uxoris sue, voluntate uxoris, non posit ipsa vel eius heres ipsos fructus

⁸³⁵ <preferuntur> segue a sus depennato.

⁸³⁶ <mulier> di seguito sul margine laterale destro.

⁸³⁷ <quam> segue la lettera s depennata.

⁸³⁸ <ultimis> segue voluntatibus depennato.

vel reditus petere vel extimationem ipsorum, que voluntas semper presumatur, nisi voluntas contraria legitime probetur. Et idem servetur in fructibus et redditibus rerum sponsarum et puellarum cuiuscumque etatis traditarum matrimonio vel destinatarum a parentibus cuiuscumque habitantium simul cum sponso vel patre ipsius sive matrimonium sit completum sive non. Decernimus etiam, quod soluto quocumque modo matrimonio res mobiles quecumque cuiuscumque nominis et conditionis existant a marito seu parte ipsius uxori sive ab uxore vel eius parte marito date, donate sive ad usum concesse vel in domum viri translate sive inducte ex causa quacumque fuerit ante nuptias seu nuptiarum tempore vel post nuptias quodcumque et ubicumque extra dotem vel dotis augmentum reverti debeant ad unumquemque ex eis vel eorum heredes et alios quoscumque ab ipso marito vel uxore causam habentes si supersint et estant et in eo statu in quo esse reperirentur et alter et ipsius heredes seu alii causam habentes ab altero et eius heredibus posint vindicare et a se possessas vel detentas sua etiam auctoritate retinere. Et alter seu eius heredes, qui alterius res possidere vel deponere reperiretur, compellatur ipso facto summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii iurisque remediis quibuscumque alii et eius heredibus seu causam habentibus restituere omni donationis et confirmationis ipsius presuntione sublata. Et si aliquis ex eis vel alius eius voluntate tales res alterius pignorerit ipsas modis omnibus luere compellatur et reddere et libere relaxare alteri parti ut supra.

[82] **De erroribus notariorum. Rubrica**⁸³⁹. [cc. 212r-213r]

Cum nonnulli notarii minus industriosi minusque periti in ultimis voluntatibus, contractibus ac scripturis aliis interdum et sepius errare noscuntur, quod tam eis quam aliis nocere ut plurimum posset volentes succurere defectibus utrorumque. Statuimus, quod singulis sex mensibus in generali corpore societatis notariorum civitatis Bononie, tempore quo alii officiales dicte societatis eligi contingerit vel postea quodcumque si tunc electi non essent eligantur et eligi debeant duodecim boni et experti et legales viri sex iurisperiti et sex notarii videlicet tres pro quolibet quarterio coequando quarteria. Qua electione facta infra quinque dies presentari debeant nomina dictorum electorum pro correctorem societatis notariorum vicario domini potestatis. Qui habita informatione de sufficientia talium electorum eligere debeat et deputare duos ex dictis iurisperitis et duos ex dictis notariis qui sint meliores et sufficientiores ad dictum officium errorum. Qui iurisperiti sint etatis quadraginta annorum et officium advocationis publice in palatio exercentes et sint cives civitatis Bononie et de collegio iudicum dicte civitatis. Dicti vero notarii sint cives et etatis predictae et de societate notariorum et vere ipsam artem exercent et exercitati sint in exercicio et ministerio notarie et quorum aliquis non fuerit in ipso officio in anno tunc proxime elapso et de qua electione fiat publicum instrumentum. Ipsi vero quatuor et vicarius supradictus sint et esse intelligantur officiales deputati super erroribus quorumcumque notariorum qui fieri vel facti reperirentur in aliquibus instrumentis contractuum et ultimarum voluntatum et aliis quibuscumque scripturis imperitia et descidia notarii scribentis circa nomina, prenomina vel cognomina vel agnomina in eis contenta vel que contineri debuissent vel circa qualitates//

[c. 212v]

vel quantitates rerum de quibus agerentur vel ipsarum confines si de confinibus ageretur seu tractaretur vel circa tempus instrumenti appositum vel apponendum vel circa solemnitates vel alia quecumque aposita vel apponenda in ipsis instrumentis contractuum vel ultimarum voluntatum vel aliorum actuum quorumcumque in iudicio

⁸³⁹ <Rubrica> *nel testo* Rubrica.

vel extra in preteritum vel in futurum. Et eodem modo et tempore per predictos elligatur unus notarius qui sit notarius dictorum officialium pro singulis sex mensibus. Et quocienscumque aliquis notarius de societate predicta vel forensis, qui esset officialis comunis Bononie tempore erroris in preteritum inveniretur errasse vel in futurum errabit sine fraude, ut supra dictum est, in aliqua ultima voluntate, aliquo contractu, instrumento seu aliis quibuscumque scripturis posit ille cuius, intererit per se vel alium porrigere petitionem super tali errore. Quam petitionem in scriptis recipere teneantur et in actis scribatur et eam examinare debeant predicti officiales electi una cum dicto vicario et si eis vel maiori parti eorum simul congregatorum verisimiliter videretur errorem fuisse requiri facere teneantur illum vel illos in cuius vel quorum preiudicium⁸⁴⁰ predicta procedere viderentur et notarium, qui predicta scripsisse diceretur seu errasse, si vivit, qui notarius coram eis comparere et eisdem obedire teneatur in hiis, que ad eorum officium pertinebunt et illis quorum interesse videretur seu diceretur, presentibus vel absentibus tamen citatis, ut supra, interrogetur per dictum dominum vicarium in presentia aliorum vel saltem duorum ex eis, notarius, qui diceretur errasse, sub sacramento, si verum est eum scripsisse ipsam scripturam et errasse prout in petitione continetur. Et si ipse notarius negaverit se errasse ad correctionem petitam perpetuo coram eo vel⁸⁴¹ aliquibus aliis secundum formam huius statuti procedi non posit, nisi ex ipsa scriptura evidenter de errore constaret, quo casu notarius errorem corrigere posit et teneatur mandato ipsorum. Si vero confitebitur se dictam scripturam scripsisse et errasse ut in ipsa petitione scriptum reperiretur vel aliquibus in ea contentis vel dixerit se dubitare vel non recordari, tunc si ex ipsa scriptura evidenter de errore scripture constet, corrigere posit et teneatur ut supra. Sed si non constaret citari debeant hii qui dictis officialibus citandi videantur. Et eis comparentibus per se vel alios legitime statuatur terminus competens ad accipiendum copiam petitionis et respondendum, opponendum et contradicendum quicquid velint quo elapso eis dicta facientibus vel non, statuatur terminus arbitrio dictorum officialium utrique parti vel etiam soli parti petenti, si altera non compareret ad probandum quicquid velint. Et nichilominus parte comparente vel non, etiam pendente termino supradicto dicti officiales inquirant de veritate predictorum per notarium, qui scripsisse diceretur, si vivat et per testes inscriptos in instrumento vel ultima voluntate seu scriptura de cuius errore tractaretur, et etiam per sacerdotem seu religiosum, qui interfuit ultime voluntati, quos omnes, si vivant et habitent in civitate vel districtu Bononie, qui haberi poterunt, teneantur requiri facere ad predicta et ab eis et aliis quibuscumque toto posse exquirere veritatem. Et si ex probationibus tam partium quam inquisitionis dictis officialibus simul in uno loco convenientibus vel maiori parti ipsorum de tali errore constaret teneantur declarare erratum fuisse quatenus de errore constare videretur, ut supra, cui declarationi stetur omnino nec ab ea liceat appellare et ipsum notarium posit et teneantur, si vivat, compellere ad correctionem dicti erroris iuxta formam declarationis predictae, remediis opportunis. Et in predictis dictus notarius parere teneatur et valeat quod corrigendo fecerit ipse notarius ac si ab ipso innitio factum fuisset et vires optineat etiam in pendenti tunc iudicio de predictis. Si autem non vivat ipse notarius, qui errasse diceretur, posit ipsi officiales vel eorum maior pars procedere super predictis prout eis videbitur quorum processui et declarationi fiende super correctione predicta stetur et perinde habeatur ac si in ipso originali instrumento scriptum vel obmissum fuisset id quod scribi vel obmiti debuit iuxta declarationem predictam, quorum mandato in premissis fiendo stetur omnino omni appellatione reiecta. Ubi autem probatum non reperiatur vel ex inspectione instrumenti non appareat de

⁸⁴⁰ <preiudicium> in infralinea con segno di inserzione.

⁸⁴¹ <vel> segue aliis depennato.

errore pronuncietur non debere procedi ad correctionem supradicti erroris quatenus non debere corrigi videretur, cui declarationi stetur, ut supra. Et supradictis et infrascriptis omnibus et singulis posint et debeant procedere summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii et omni tempore etiam feriato, primo tamen petitione oblata eis in scriptis, ut supra. Que omnia terminari debeant infra treginta dies a die petitionis oblatae et citationis facte de illo de//

[c. 213r f. CCIII]

cuius preiudicio videretur agi et notario. Si vero scriptura in qua diceretur erratum corrigenda posita vel scripta reperiretur in memorialibus comunis Bononie, facta ipsa pronunciatione sive declaratione super correctione a dictis officialibus, ut supra, perinde habeatur ipsa scriptura ac si in memorialibus posita fuisset et reperiretur sic correcta tempore quo posita fuit. Salvo quod dicta correctio vel aliquod predictorum non preiudicet alicui, qui citatus non fuerit ad respondendum petitioni, ut supra, si talis non citatus honus probandi contrarium sibi asummat. Habeant autem predicti quatuor officiales omnes pro eorum salario et labore a predictis partibus, si contradictor existat, tantum salarium quantum datur consultoribus in causis civilibus diffinitivis secundum formam statuti nostri et non ultra. Ipsa autem vicarius pro predictis nichil debeat percipere vel habere. Et si contradictor non existat petens corectionem fieri totum salarium solvat, notario autem fiat solutio de scripturis et actis secundum formam nostrorum statutorum loquentium ‘De solutionibus scripturarum fiendis notariis in officio constitutis’ [46]. Prohibentes elligi in officialem seu notarium dictorum officialium aliquem qui fuerit bannitus et in libro bannitorum comunis Bononie positus ad discum bannitorum comunis Bononie descriptus vel condempnatus vel qui banniretur vel describeretur in aliquo ex dictis libris in futurum pro aliqua falsitate vel falsa acusatione per eum instituta seu aliqua alia falsitate vel qui fuerit corector et consul seu notarius societatis notariorum tempore ellectionis fiende de dictis officialibus vel qui sit frater, filius vel nepos ex filio vel ex fratre correctoris vel consulis antedicti. Quecumque alia statuta a quibuscumque facta super correctione errorum scripturarum notariorum omnimodo annullantes, et declarantes, quod in errore quo ad omnia supradicta et infrascripta etiam obmissio includatur et inclusa intelligatur.

[83] Quod nullus intret possessionem rei hereditarie hereditate vel possessione ipsius per heredem non apprehensa et de pena contrafacientium. Rubrica. [cc. 213r-213v]

Quia ante apprehensam hereditatem seu etiam ea apprehensa antequam heres pro se vel alium possessionem vel quasi nanciscatur bonorum, que erant per defunctum de cuius bonis seu hereditate ageretur seu tractaretur tempore mortis ipsius posessa vel quasi vel in quorum possessione vel quasi tunc erat aliqui ausu temerario sua auctoritate vel alio colore quesito talia bona mobilia vel immobilia et ipsorum possessionem vel quasi occupant, intrant vel invadunt et heredi postea possidere volenti restitunt tam in iudicio quam extra, statuimus, quod nemini alii quam heredi liceat mortuo possessore vel quasi talia bona sua auctoritate vel alio colore quesito per se vel alium occupare, ingredi vel invadere vel occupata vel ingressa seu invasa retinere, nec etiam auctoritate iudicis vel officialis, nisi legitimis citationibus seu cridis premissis secundum formam statuti nostri ‘De modo citationum fiendarum’ [2]. Nec etiam heredi, qui pro aliqua parte tantum heres esset, nisi pro parte hereditatis eum tangente. Nisi tali occupanti vel invadenti vel intranti hereditatis predicte bona seu bonorum hereditariorum possessionem liceret ingredi ex parte vel licentia defuncti vel ipse defunctus se ea occupantis seu invadentis vel intrantis nomine vel eius a quo occupans vel invadens vel intrans causam

haberet possidere vel quasi constituisset. Et si quis contrafecerit ipso iure et facto cadat ab omni iure et comodo ipsius possessionis vel quasi ipse et qui causam pretenderet ab eodem. Et si heredi possidere volenti vel quasi dicta bona restiterit seu contradixerit per se vel alium ex tunc ipso iure et facto cadat ab omni et quocumque suo iure. Si vero extra iudicium restiterit vel contradixerit eo casu puniatur ac si turbasset ipsum heredem in sua possessione vel quasi vel eum de ipsa possessione vel quasi⁸⁴² expulisset. Et ipsius turbantis seu expellentis penam incurrat. Et nichilominus probata possessione vel quasi talis defuncti heres vel alius pro eo in possessionem ipsorum bonorum vel quasi mitatur et alius quicumque, qui in possessione fuerit expellatur auctoritate iudicis competentis tali⁸⁴³ invasione vel ingressu vel occupatione vel quocumque iure competente ipsi occupanti, intranti vel invadenti vel habenti causam ab eo non obstante. Mandantes, quod aliquis cui ususfructus vel usus debeatur in bonis alicuius ex aliqua ultima voluntate vel ex aliquo contractu vel ex aliquo nostro statuto vel iure comuni non possit ipsius ususfructus vel usus comoditatem percipere vel habere per se vel alium, nec ipsa bona sua vel iudicis auctoritate apprehendere pro predictis vel fructus seu redditus ipsorum lucri facere, nisi primo satisdederit proprietario, cum ab eo petitum fuerit vel saltem se ad hoc optulerit, et per eum non steterit secundum formam iuris. Et si quos fructus vel redditus antea percepi//

[c. 213v]

set, illos proprietario restituere teneatur, nisi eos perceperit ex licentia sibi data a testatore vel ab herede, quo casu fructus percipiens eos lucri faciat, licet non satisdederit, nisi forte satisdatio ipsa petita fuerit ab eo et eam prestare obmiserit spatio unius mensis a die petitionis sive requisitionis predictae de satisfactione prestanda. Et si apprehenderet contra formam predictam et fructus et redditus predictos cum petitum fuerit, non restituerit, ipso iure cadat ab omni suo iure ususfructus et usus predicti tam pro preterito tempore, quam pro futuro.

Explicit liber quartus statutorum comunis et populi civitatis Bononie.⁸⁴⁴

⁸⁴² <vel quasi> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁸⁴³ <tali> *segue ingressione cassato per vacatazione.*

⁸⁴⁴ *Nel margine inferiore della carta: Incipit liber quintus causarum civilium.*

LIBER QUINTUS

cc. 214r-268v

Incipit liber quintus causarum criminalium.

[1] **Et primo in quibus diebus sint ferie in causis criminalibus. Rubrica**⁸⁴⁵. [c. 214r]

Imprimis statuimus, quod de quolibet et super quolibet crimine seu malleficio vel delicto publico vel privato, ordinario vel extraordinario, quod diceretur fore commissum, possit dominus potestas civitatis Bononie et quilibet ex suis iudicibus et officialibus et quilibet alius officialis comunis Bononie civis vel forensis, cui vel quibus de predictis vel aliquo predictorum cognitio seu iursidictio comissa reperiretur adhiri sive procedatur sive procedi debeat vel procedi contigerit per accusationem sive per inquisitionem vel alio quocumque modo, quo procedi posset. Et possit et debeat per ipsum potestatem et quemlibet ex dictis iudicibus et officialibus ius reddi quolibet die, instante aliquo, qui ad ipsum crimen malleficio vel delictum prosequendum posset admitti ex forma infrascripti statuti positi sub rubrica ‘De personis que accusare possunt vel accusationi adesse’ [2] vel procuratore ipsius vel aliquo alio legitime instante vel petente procedi ad ea ad que potest de iure admitti. Et etiam nullo instante vel petente ubi per inquisitionem vel alio modo procederetur. Exceptis tamen ab omnibus suprascriptis diebus dominicis et Pascalis videlicet die Resurrectionis et Nativitatis domini nostri Iesu Christi et duobus sequentibus, quemlibet ipsorum dierum Pascalis, Circumcisionis, Epiphanie. Pentecostis seu Rosarum, Assensionis Domini et dies Corporis et Sanguinis domini nostri Iesu Christi ac etiam diebus veneris et sabati Sanctorum. Festivitatum beate Marie virginis gloriose matris Domini nostri silicet mensis augusti, septembris et marcii ac etiam Purificationis eiusdem que de mense februarii celebratur ac Conceptionis nec non dies festivitatis beati Iohannis Batiste mensis iunii et omnium Appostolorum et etiam Evangelistarum et cuiuslibet eorum et dies festivitatis victorie beati Michaelis mensis maii et festivitatum beatorum Petronii patroni nostri Dominici et Francisci. Salvo etiam, quod his exceptatis diebus et quolibet ipsorum possit ex officio predictorum inquiri in his videlicet casibus in quibus inquiri permittitur. Et nomina etiam testium in scriptis dari et porigi secundum formam statuti inferioris de hoc loquentis. Et etiam accusatio et notificatio fieri et porigi si terminus ad accusandum vel notificandum his diebus laboretur. Hoc addito, quod singulis diebus iuridicis potestas et eius iudices teneantur bis in die venire et stare in palacio veteri comunis Bononie ad eorum disca et officia et cuicumque ius reddere silicet de mane usque ad terciam et post nonam incontinenti usque ad hora in competentem nisi iusta causa fuerint impediti.

[2] **De personis que acusare possunt vel acusationi adesse. Rubrica.** [cc. 214r-215r]

Item statuimus et ordinamus, quod de quolibet crimine publico vel privato, ordinario vel extraordinario, quod commissum dicatur, non solum liceat ei, qui principaliter offensus diceretur seu heredibus ipsius legitime venientibus accusare, set etiam cuilibet alteri, cui aliter de sua iniuria accusare liceret, liceat accusare et in ipsa accusatione et circa eam omnia facere que principaliter offensus facere posset nisi quatenus ab aliquo nostro statuto prohiberetur prius tamen consensu habito ab eo, qui diceretur principaliter offensus vel eius herede quando unus tantum sit heres vel unus, qui dicatur principaliter

⁸⁴⁵ <in causis criminalibus. Rubrica> *scritto in soprilinea.*

offensus. Et si plures fuerint heredes vel plures, qui dicantur principaliter offensi ex eadem iniuria vel offensa, unius ipsorum consensus sufficiat. Et si diversi a diversis heredibus vel a diversis, qui dicerentur offensi consensum habuerint et quilibet porigeret accusationem vel porrigere vellet vel ius porigendi se habere pretenderet de eodem et contra eundem iudex, coram quo predicta fuerunt seu ipse accusationes porigerentur, eligat quem ydoniorem putaverit et eius electioni stetur omnino. Et electus solus accusator principalis existat. Liceat tamen ceteris et cuilibet ipsorum adesse accusationi, que poretta esset et prosequi et probationes inducere et in causa persistere usque ad finem etiam desistente vel non desistente accusatore. Et teneatur iudex ipsum vel ipsos admittere et ad eorum et cuiuslibet eorum requisitionem procedere et terminare ac si fuissent principalis vel principales actor vel accusatores. Dum tamen non liceat tali, cui adesse et prosequi liceret accusationi renunciare vel fiendam condemnationem quomodolibet impedire. Idem servetur et fiat in omnibus et per omnia, si veniant plures, qui dicantur offensi sive iniuriati principaliter de eadem iniuria vel offensa accusare volentes. Si vero quidam venerit, qui diceretur offensus principaliter vel iniuratus et alii vel alius heres eius, qui dicatur offensus eadem iniuria vel offensa vel alius vel alii de aliorum, qui dicerentur offensi, consensu vel sui heredes tunc solus, qui diceretur principaliter offensus admittatur et alii heredes vel de consensu accusantes repellantur ab accusando. Possint tamen adesse cause et prosequi et iudex ad ipsorum et cuiuslibet ipsorum requisitionem procedere teneatur et terminare, ut dictum est in superioribus casibus. Item si heres eius, qui dicatur offensus, veniat unus vel plures et veniat alius vel alii de alieno consensu accusantes de eadem iniuria vel offensa et nemo principaliter offensus veniat, tunc repellantur de consensu accusantes et solus heres eius, qui diceretur offensus, admittatur ad accusandum. Ceteri tamen heredes vel de consensu accusantes possint ut supra prosequi et adesse et procedi debeat, ut dictum est. Consensu autem non habito a principaliter offenso vel offensi herede de aliena iniuria vel offensa accusatio non procedat, ut dictum est, qualecumque sit crimen, nisi fuerit tutor vel curator generalis vel syndicus seu alius legitimus administrator quibus suo nomine liceat accusare de iniuria seu offensa eorum pro quibus officio fungerentur ad utilitatem ipsorum et non aliter. Et etiam alteri consentire, quod de tali iniuria vel offensa valeant⁸⁴⁶ accusare. Salvo quod si filius patrem vel alium suum ascendentem occiderit vel aliter peremerit vel pater filium vel alium suum descendentem vel frater fratrem vel alium suum transversalem//

[c. 214v]

usque ad quartum gradum inclusive, gradus computando secundum ius civile, tunc elapsis decem diebus a die mortis occisi vel aliter perempti si aliqui predictorum quibus supra presenti statuto accusare permissum est infra ipsos decem dies non accusaverint, tunc quilibet admittatur cui de iure comuni de publico crimine accusare permissum est. Si autem infra dictos decem dies accusaverit ille vel illi, cui vel quibus hoc statuto permittitur sive post dictos decem dies accusaverit eorum aliquis vel alius, cui de iure comuni concedatur ut supra, possit quilibet de iure comuni ad accusandum ydoneus adesse cause ne coludatur et accusatore non prosequente vel prosequente et non probante vel si de probationibus dubitetur prosequi et probare possit ac si ipse idem principalis accusator existeret. Salvo etiam quod de consensu alterius mulier vel minor aliquis vel clericus seu persona ecclesiastica vel religiosa vel aliquis cui de publico crimine accusare non liceret, non acuset de aliena principaliter iniuria vel offensa. Et si fuerit dubitatum an sit minor vel maior in casu premissio vel alio quocumque in criminali causa occurrente, incidente vel emergente iudex ipsius cause vel questionis

⁸⁴⁶ <valeant> *nel testo* valea.

super etate pronunciet ex aspectu, cui pronunciationi stetur, nisi pronunciatione facta aliqua partium onus probandi contrarium pronunciationis sibi assumeret ad quod admittatur. Et eo casu liceat alteri parti probationem inducere ad coadiuvationem pronunciationis predictae moderatis et artatis dilationibus, ita quod principalis causa infra sua tempora omnino terminetur. Qua probatione facta iudex super etate pronunciet de novo secundum quod invenerit esse probatum cui pronunciationi stetur indistincte. Et salvo etiam quod qui duos reos eodem tempore de⁸⁴⁷ diversis criminibus et diversis libellis accusatos haberet, non admittatur ad tertiam accusationem etiam de consensu alterius, nisi suam vel suorum iniuriam, usque ad septimum gradum computandum, ut supra, prosequatur. Item si contingat eiusdem, qui diceretur principaliter offensus, plures heredes existere si quidem omnes concurrant vel aliquem ex pluribus eligat iudex coram quo causa agatur vel agenda fuerit, quem ydoniorem esse putaverit. Et electus solus principalis accusator existat. Possint tamen alii concurrentes vel non concurrentes ad accusandum et eorum quilibet, cui vel quibus alias de sua iniuria accusare liceret si voluerit vel vellent adesse cause et probationes inducere super accusatione porrecta et ad eorum et cuiuslibet eorum requisitionem in causa procedatur et terminetur et omnia et singula expediantur desistente vel non desistente accusatore per quem videatur iudici vel videri debeat non expediri debere vel posse ad petitionem cuiuslibet predictorum ac si quilibet⁸⁴⁸ predictorum volens prosequi principalis accusator existat. Si vero venerit unus solus, cui ius accusandi competat accusans aliquem de homine occiso habente unum solum vulnus mortale et aliqui alii concurrerent vel ex post facto venerint infra quinque dies a tempore prime accusationis volentes alium vel alios accusare vel accusationes de eodem homicidio porigere iudex cogat eos consentire in unum infra tertiam diem a die omnium porrectarum accusationum. Et si finaliter in consensiendo existerent contumaces cuiuslibet accusatio admitatur si se ad penam talionis inscripserint, qua facta, iudex accusantes teneat cum accusatis pari custodia et contra non probantes suo mero officio secundum formam iuris comunis penam inferrat talionis. Et si omnes vel quidam suas probaverint accusationes, tunc iudex manente in termino in suspensio in principali negotio inquisitionem faciat contra testes et producentes et prehabita veritate et reperta puniat de occiso quem culpabilem esse reperierit et alii absolvantur. Et sic contra unum solummodo pro uno mortali vulnere executio fiat et etiam puniat pena debita tam testes, quos falsum dixisse reperierit quam producentes eosdem. Si vero quidam sub dicta custodia et pena accusare voluerit vel voluerint alius vel alii noluerint, tunc soli sic volentes admittantur modo predicto et alii repellantur omnino. Si vero nemo voluerit sub predicta pena et custodia accusare, tunc repellantur omnes omnino. Et possit et debeat iudex inquirere de ipso crimine et per inquisitionem procedere et terminare cuius inquisitionis fiende seu incoande tempus tunc demum incipiat cum predicta tempora trium dierum ad concordandum ad invicem ordinata elapsa fuerint. Possint tamen ipsi et quilibet predictorum contra eum contra quem iudex per inquisitionem procedet coadiuvare inquisitionis officium et probationes inducere et ad hoc admittantur per iudicem inquirentem etiam si non inscribantur ad penam talionis. Item dicimus, quod post dictos quinque dies a tempore prime accusationis porrecte postea veniens et accusare volens penitus repellatur. Possit tamen ipse veniens prime accusationi adesse et prosequi, ut dictum est in aliis casibus supradictis. Si vero plura mortalia habuerit tot possint accusatori ab eodem vel pluribus de occiso quot vulnera mortalia habebat et non plures dum tamen de diversis accusentur vulneribus et non de eodem. Si vero existentibus pluribus vulneribus mortalibus de eodem//

⁸⁴⁷ <de> *in infralinea*.

⁸⁴⁸ <quilibet> *segue vo depennato*.

[c. 215r CCVIII]

vulnere ex ipsis pluribus plures veniant accusantes vel plures de occiso accusentur quam essent vulnera mortalia idem servetur quod dictum est ubi uno solo vulnere existente de eo plures veniant accusantes. Et si contingerit ex occiso vel occisis vel aliter iniuriatis vel offensis infantem vel infantes heredes existere et sic accusanti consentire non posse, nec per se ipsos propter defectum etatis valeant accusare occisorem vel occisores vel alios malefactores vel si personaliter, verbaliter vel realiter ipsi infantes offenderentur vel iniuriarentur, tunc et in hiis casibus et ipsorum quolibet liceat tutori ipsius vel ipsorum vel alteri in cuius esset vel essent potestate constituti accusare proprio nomine ad utilitatem ipsius vel ipsorum infantium et alteri etiam consentire quod accuset. Si vero tutore carerent et in nullius essent potestate, tunc liceat tutori dando vel si non daretur, tunc propinquiiori agnato vel cognato, sane mentis et etatis legitime suo nomine accusationem instituere de ipsa iniuria vel offensa et etiam prosequi usque finem ad utilitatem ipsius vel ipsorum infantium. Et si proximior non esset etatis legitime vel sane mentis vel accusare nollet, tunc sequentes eodem modo admittantur, secundum ordinem gradus et possint accusationem ipsam instituere et peragere usque ad finem ad utilitatem ipsius vel ipsorum infantium. Et si plures in eodem gradu concurerint eligat iudex quem putaverit ydoniorem cui electioni stetur. Possint tamen alii non electi ipsi accusationi adesse et prosequi, ut supra, etiam electo non prosequente. Maiores vero infante cuiuscumque sint etatis quolibet casu quo suam vel suorum iniuriam prosequerentur possint per se ipsos accusare et prosequi vel alteri consentire secundum formam nostrorum statutorum vel iuris permissionem. Eo tamen casu quo talis maior infante esset in potestate alterius sufficiat in accusando et prosequendo consensus eius in cuius esset potestate, si tamen talis in cuius esset potestate delictum comisise diceretur de quo ex consensu ipsius accusandus veniret, tunc consensus ipsius non requiratur. Et si minor esset accusans, detur curator liti et ad accusandum et prosequendum cuius eo casu auctoritas et consensus sufficiat in predictis. Ubi autem talis pupilus vel adultus non esset iurisdictioni comunis Bononie subiectus possit eo casu iudex, qui de aliquo tali crimine cognitionem haberet curatorem etiam alterius fori dum tamen secularem ad litem dare, qui dandus quantum ad omnia supradicta legitimus curator intelligatur. Dicimus etiam quod si iniuria vel offensa spectaret principaliter ad comune Bononie et non principaliter ad aliquam singularem personam vel esset talis iniuria vel factum in qua vel quo foret cautum per aliquod nostrum statutum quod quilibet possit accusare quilibet de iure comuni ydoneus admittatur ad accusandum et prosequendum. Siquis tamen sic sit de iure comuni ydoneus, quod deberet primo veniens ad accusandum admitti sive esset talis, qui alio veniente seu concurrente preferendus esset sive non possit adesse cause ne coludatur et⁸⁴⁹ probationes inducere. Et si plures concurerent in accusando his preferatur, qui de iure comuni deberet preferi. Possint tamen ceteri concurentes adesse cause et prosequi et ne colludatur probationes inducere si sic sint ydonei, quod de iure comuni ad accusandum de publico crimine vel populari debentur admitti. Et quod quociens in aliquo statuto continebitur quod possit quilibet accusare, intelligatur istud verbum quilibet cum hac conditione silicet qui sit de iure comuni ydoneus de publico crimine vel populari ad accusandum. Et quod concurentes vel etiam ex post facto adesse volentes ne coludatur possint adesse cause et probationes inducere si sint ydonei modo predicto.

[3] **Infra que tempora acusationes porrigi seu institui possint et debeant.**
Rubrica. [cc. 215r-215v]

⁸⁴⁹ <et> *in infralinea con segno di inserzione.*

Item statuimus, quod de aliquo maleficio quod diceretur commissum in civitate, burgis vel guardia civitatis vel comitatus vel districtus Bononie, non possit aliqua accusatio, denunciatio vel notificatio fieri ex qua aliquis processus sequi possit vel condemnatio per quemcumque et ex quacumque causa fiat, nisi poretta fuerit infra mensem a die commissi maleficii in civitate Bononie vel burgis vel guardia civitatis vel infra duos menses a die commissi maleficii in comitatu Bononie vel districtu. Et habeant locum predicta in maleficiis infrascriptis solummodo silicet insultus, vulneris, homicidii, stupri⁸⁵⁰, robarie, veneficii, privati carceris, raptus, quibus duobus casibus proximis incipiant currere dicta tempora a die quo fuerit relaxatus. Et in casu guarnimenti, incendii et mandati facti seu adhibiti ad aliquod de predictis maleficiis comitendis vel eis commissis et in omnibus aliis casibus in quibus quis personaliter esset iniuriatus vel offensus. In aliis vero maleficiis, que comissa dicerentur in civitate, burgis, guardia vel districtu vel comitatu Bononie institui debeat accusatio, denunciatio vel notificatio infra mensem a die sciencie eius in quem vel contra quem fore dicatur maleficio perpetratum.//

[c. 215v]

Salvo quod si heres alicuius occisi vel offensi vel alius, cui de ipso maleficio ex forma precedentis statuti ius accusandi vel notificandi competere esset absens a civitate Bononie et districtu Bononie tempore commissi maleficii quod ei non curat terminus supradictus, nisi quando redierit ad civitatem Bononie vel districtum sive comitatum Bononie. Si vero aliquod de maleficiis supradictis nominatis et specificatis comiteretur extra districtum Bononie, tunc infra unum mensem a die, quo redierit offensus in comitatu vel districtu vel civitate Bononie possit accusatio vel notificatio institui vel si mori contingat offensus ante quam redeat ad ipsam civitatem, comitatum vel districtum, tunc infra mensem possit heres eius accusare vel notificare a die quo sciverit ipse heres vel publica vox et fama fuerit in civitate Bononie vel eius districtu, maleficio commissum et illum mortuum esse in aliis vero a die quo redierit et sciverit ipse mensis incipiat, quo elapso non valeat, accusare vel denunciare seu notificare. Item dicimus, quod si contingeret aliquem vulnerari vel venenari vel quovis alio modo sibi mortis causam sibi preberi et ex intervallo ex ipso vulnere vel propter ipsius vulnus vel venenationem vel alium actum perimendi mori contingerit siquidem ante ipsam mortem subsecutam instituaturs accusatio vel notificatio de vulnere vel venenatione vel alio actu perimendi incipiant curere dicta tempora a die vulneris illati vel venenationis vel alterius actus qua accusatione vel ipsius processu pendente si superveniat accusatio de morte vel etiam inquisitio, tunc tollatur et cassa sit accusatio et ipsius processus solum quoad hec ne condemnatio vel bannum ex ea vel ex eo sequatur, probationibus iam factis firmis manentibus in instancia cause mortis ut etiam ex eis pronunciari possit. Si vero superveniat post primam sententiam siquidem per modum absolutionis, tunc non recipiatur nec recipi possit accusatio vel notificatio vel fieri inquisitio de morte, nisi absolutio procesisset ex ea causa, que condemnationem impedierit in casu vulneris vel venenationis vel alicuius actu perimendi ubi mors non sequeretur non autem impedietur in casu mortis vel nisi absolutio procesisset ex eo quia prime accusationi renunciatum fuisset. Si vero per modum condemnationis vel banni nec ipsa⁸⁵¹ condemnatio soluta sit, tunc facta executione super accusatione vel inquisitione mortis, cassa sit precedens condemnatio vel banum. Si vero soluta esset condemnatio predicta, tunc de executione fienda propter mortem in bonis malefactoris detrahetur quantitas sive extimatio quantitatis solute de bonis predictis. Accusationi autem instituende de occiso, morte

⁸⁵⁰ <stupri> *nel testo* strupi.

⁸⁵¹ <ipsa> *nel testo* ipsia.

secuta, incipiant curere supradicta tempora a die mortis vere subsecute, salvo et repetito in his casibus, quod dictum est supra de herede absente vel aliis asendentibus, quibus competeret ius accusandi de malleficiis extra comitatum et districtum Bononie commissis. Salvo quod predicta tempora non curant ubi aliqua malleficia forent adeo occulte comissa, quod ignoretur persona delinquens seu delinquentium de quibus tamen malleficiis fuerit publica vox et fama in civitate vel comitatu Bononie ea fuisse comissa, set ygnoretur persona comitens seu que comixit delictum quam causam sufficiat probari fore seu fuisse in loco ubi comissum malleficium dicatur, quibus casibus dicta tempora incipiant curere a tempore quo nomen delinquentis seu nomina delinquentium in noticiam pervenerint, dum tamen dicta tempora ulla ratione bienium a tempore asserti comissi⁸⁵² malleficii non excedant. Declarantes quod de quolibet gravi malleficio comisso extra civitatem, comitatum seu districtum et territorium Bononie in aliquem civem vel comitatum Bononie, possit accusatio fieri infra tempora et secundum formam presentis statuti et inde possit procedi et sententia et executio fieri in civitate predicta, dum tamen sit publica vox et fama in civitate vel comitatu Bononie, in capela vel loco habitationis solite malleficium pasi ipsum pasum malleficium fuisse offensum a persona accusata de dicto gravi malleficio de quo accusatus est et aliter non. De malleficiis vero quibuscumque commissis extra dictam civitatem, comitatum, districtum et territorium, quocumque modo in aliquem, qui non sit vere civis vel comitatus vel districtualis Bononie per iudicem non possit inquiri vel procedi, nec accusatio fieri vel porigi vel executio fieri ullo modo.

[4] De iudicibus qui de quolibet crimine cognitionem habeant et cuius iudicis sit officium diffiniendi, procedendi et banniendi. Rubrica. [cc. 215v-216r]//
[c. 216r f. CCVIII]

Statuimus quod omnes accusationes et notificationes cuiuscumque conditionis et de quocumque crimine vel delicto possint porigi coram domino potestate et coram quocumque ex iudicibus ipsius ad malleficia deputatis vel coram vicario domini potestatis in casibus in quibus sibi foret iurisditio attributa. Et omnes processus fiendi super ipsis accusationibus et etiam super quibuscumque inquisitionibus factis vel porectis infra tempora per presentia statuta ordinata fiendis super quocumque malleficio vel delicto de quo posset inquiri de iure nostro municipali contra reum comparentem vel non comparentem possit per eos et quemlibet eorum etiam expediri. Salvo quod pronunciationes definitive ex quibus pena personalis insurgere deberet vel pecuniaria maioris quantitatis centum librarum bononinorum pronuncietur per dominum potestatem vel si officium domini potestatis deficeret pronuncietur per eum, qui loco ipsius preerit regimini civitatis Bononie. Si vero ex eis infringi deberet pena pecuniaria quantitatis centum librarum bononinorum, vel abinde infra, pronuncietur et pronunciarum possit tam per dominum potestatem quam per eius vicarium vel in defectum regiminis domini potestatis per alium, qui loco ipsius preesset, tunc regimini civitatis Bononie. Possit etiam dictus vicarius dictas penas pecuniarias maiores centum librarum bononinorum imponere ex comisione sibi in casu premissis facta per potestatem. Bamna vero pronuncietur per ipsum dominum potestatem vel eius vicarium⁸⁵³ vel alium loco domini potestatis ipsi regimini presidentem, nisi ex forma alicuius nostri statuti specialiter reperiretur fore per alium procedendum.

⁸⁵² <comissi> *segue la lettera c depennata.*

⁸⁵³ <vel eius vicarium> *dittografato.*

[5] Quo loco acusationes et notificationes instituende coram domino potestate vel suis iudicibus porrigi debeant. Rubrica. [c. 216r]

Item statuimus quod accusationes, notificationes seu denunciationes, que de cetero porigentur coram domino potestate vel aliquo ex suis iudicibus non possint porigi nisi in palacio veteri comunis Bononie ubi ius reddi consuevit in malleficiis, quem locum porectionis notarius, qui acta scribere debuerit talis accusationis vel notificationis in actis scribere teneatur, salvo quod eo casu, quo accusare vel notificare volens esset taliter vulneratus vel infirmus quod, considerata condicione sue persone, iudici videatur quod non possit comode vel honeste ad palatium venire, potestas vel eius iudex coram quo ipsa accusatio vel notificatio deberet institui possit, teneatur et debeat unum ex notariis suis malleficiorum mittere ad locum ubi esset talis vulneratus vel infirmus ad recipiendum accusationem vel notificationem, quam porigere volunt, si vulneratus vel offensus seu accusare volens in civitate Bononie, burgis vel guardia existeret. Si vero in comitatu possit per procuratorem ad hoc specialiter constitutum porigere accusationem conceptam in personam ipsius infirmi vel vulnerati et cetera expedire procuratorio nomine, que per ipsum principalem possent expediri. In alio vero casu non possit recipi, nisi in locis predictis. Et si aliter fuerit recepta vel alibi, tunc recipiens incidat in penam pro qualibet vice qua contrafactum fuerit centum librarum bononinorum. Et eandem penam incurat notarius, qui non scripserit in actis locum, ut supradictum est et nichilominus tamen teneat accusatio et notificatio quatenus teneret si loco debito porecta vel recepta fuisset.

[6] De officio et iurisdictione officialium malleficiorum parvorum. Rubrica. [cc. 216r-216v]

Item dicimus, quod officialium malleficiorum parvorum cognitio et officium solum sit quod de accusatione et denunciatione que proponetur de crimine vel delicto vel quasi delicto coram eis cuius pena esset pecuniaria decem librarum bononinorum vel infra que tamen accusatio vel denunciatio non sit scripta manu alicuius ex officialibus ipsi officio deputatis quam prohibemus recipi et admitti posse modo predicto possint cognoscere et in eis procedere. Dum tamen ante quam accusatus requiratur vel citetur accusatio in scriptis redigatur in libro actorum per alium ex notariis dicti officii integraliter cum die porectionis ipsius accusationis et nomine porigentis. Et idem fiat de aliis quibuscumque agitandis super ipsa accusatione sucesive ante quam ad alios actus procedatur alias acta non valeant et ex eis condemnatio sequi non possit. Et finito eorum officio infra quindecim dies ad plus ad cameram actorum comunis Bononie deponantur et in ea dimittantur, nisi fuerint accusationes vel denunciationes quibus fuerit renunciatum vel ex quibus condemnatio iam fuerit subsequuta. Et nichilominus incidat qui contra fecerint ipso facto penam viginti quinque librarum bononinorum quociens contrafactum fuerit in aliquo casum predictorum. Ipse autem accusationes terminari et expediri debeant absolvendo vel condemnando per dominum potestatem vel eius vicarium in ceteris autem delictis et casibus interdiximus eis iurisdictionem etiam in cognoscendo vel decidendo nisi eis alias ex forma nostrorum statutorum aliud reperiat esse concessum. Accusationes vero predictae de quibus ipsis officialibus malleficiorum parvorum cognitio comiteretur non possint//

[c. 216v]

porigi nec per eos recipi, nisi in palacio veteri ad banchum ubi per ipsos officiales consuetum est ius reddi. Qui accusati requiri debeant personaliter vel ad domum habitationis ipsorum silicet semel inventi et bis non inventi per duos nuncios silicet unum pro quolibet die assignando pro termino pro qualibet citatione diem sequentem

iuridicam post diem citationis. Et contra ipsos comparentes procedatur ad condemnationem factis probationibus secundum formam statutorum de damnis datis loquentium quibus non factis absolvantur. Et si non compareant ad mandata procedatur ad condemnationes fiendas factis probationibus ut supra, que probationes fieri possint etiam parte absente dum tamen citata alias absolvantur accusati ab observatione iudicii et quicquid factum fuerit non servata forma predicta ipso iure sit nullum. In quibus et super quibus accusationibus vel denunciationibus, citationibus et aliis quibuscumque actis, processibus et scripturis et sentenciis super his fiendis vel ferendis necesse non sit aliqua iuris vel statutorum solemnitas servari alia quam predicta, set super eis procedi possit summarie et de plano omni alia iuris et statutorum solemnitate obmissa dum tamen ipse cause infra sua tempora terminentur. Volentes quod officiales vacationem habeant secundum quid continetur supra in statuto nostro posito sub rubrica ‘De officiis ordinariis et extraordinariis’ [III, 14].

[7] De officio notariorum malficiorum parvorum. Rubrica. [c. 216v]

Item statuimus, quod notarii ad officium et discum malficiorum parvorum teneantur venire, esse, stare et sedere ac suis officialibus obedire ut supra accusationes seu denunciationes que coram eis vel suis officialibus fierent et acta quecumque scribere et de eis copiam dare attestations testium que dita per eos receptorum secretas reptinere ut supra, debitas solutionesque recipere acta predicta registrare, deponere et consignare secundum formam statuti precedentis et alia facere que in dicto statuto continentur. Et generaliter omnia et singula facere eisdem concessa, comissa et comitenda vel que ad eorum officium quomodolibet pertinerent vel que facere tenerentur ex forma statutorum nostrorum a cunctis que prohibitis et illicitis abstinere ut supra, quos vacare volumus tempore superius contento in statuto precedenti.

[8] De iuramento et satisfactione prestanda a quolibet accusatore seu notificatore tempore porrectionis acuse seu notificationis et de datii solutione. Rubrica. [cc. 216v-217v]

Statuimus quod si aliquis accusaverit vel notificaverit aliquem vel aliquos de aliquo malficio vel adesse voluerit accusationi seu notificationi ab aliquo facte in casu permissio, teneatur et debeat tempore porrectionis et dationis accusationis et notificationis vel tempore quo comparuerit adesse volens iurare quod ea, que continentur in ipsa accusatione vel notificatione credit vera esse. Et satisfacere de expensis reficiendis adversario si non probaverit vel desisterit vel renunciaverit seu non fuerit prosequutus vel accusatio vel notificatio non procederet ratione persone accusantis vel notificantis vel quacumque alia. Et etiam de quantitibus infrascriptis comuni Bononie solvendis secundum infrascriptos casus et modos videlicet. Quod si accusatio vel notificatio fuerit instituta de crimine de quo iure municipali deberet personaliter detineri accusatus vel notificatus et tali accusatione vel notificatione probata deberet mors vel membri assisio prosequi vel alia pena ex forma nostrorum statutorum personalis imponi de solvendo comuni Bononie libras quinqueginta bononinorum comparente adversario et detempto, si non probaverit accusator vel notificador vel qui adesse voluerit aut desisterit vel non fuerit prosequutus aut renunciaverit post comparitionem. Et de decem libris bononinorum dicto comuni solvendis si renunciaverit ante comparitionem et detemptionem adversarii. Non comparente autem nec detempto tali accusato vel notificato sola contumacia non faciat eum haberi pro confesso, nec habeatur pro plena probatione, nec possit banniri vel in banno poni, nec in banno exemplari vigore dicte accusationis vel notificationis, nisi precedant probationes vel aliqua indicia verisimilia arbitrio domini potestatis vel

capitanei et de quibus appareat in actis curie quibus non apparentibus absolvatur talis accusatus vel notificatus ab observatione⁸⁵⁴ iudicii et si videatur ipsi domino potestati vel capitaneo ipsum accusatorem vel notificatorem procesise ad talem accusationem vel notificationem sine iusta causa possit talem accusatorem vel notificatorem condemnare arbitrio suo, usque ad quantitatem vigintiquinque librarum bononinorum. Si vero accusatio vel notificatio fuerit instituta de malleficio de quo accusatus vel inquisitus non deberet personaliter deponeri de iure municipali siquidem de tali crimine esset accusatus pro//

[c. 217r f. CCX]

quo veniret condemnandus accusatus ipsa accusatione probata in libris trecentis bononinorum vel abinde supra, tunc accusator vel notificador vel adesse volens satisfacere debeat de quinque libris bononinorum solvendis comuni Bononie. A trecentis vero libris infra satisfacere debeat de quadraginta solidis bononinorum alias accusatio vel notificatio vel quod sequeretur ex eis non valeat ipso iure. In quibus quantitibus fieri debeat condemnatio per dominum potestatem vel eius vicarium seu per quemcumque alium, qui de accusatione vel notificatione predictis cognosceret infra octo dies proximos postquam satisfactio comissa fuerit. Que condemnatio exigi possit tam a principali⁸⁵⁵ quam a fideiussore. Salvo quod predictae satisfactiones de solvendo comuni Bononie quantitates superius declaratas, non habeant locum in accusationibus damnorum datorum vel non denunciatorum ad terminum. Salvo etiam quod pene predictae non comitantur, nec locum habeant ubi accusatio toleretur ex eo quod appareret nulla esse, quia minus solemniter concepta, his tamen casibus sub hoc, salvo contentis et etiam aliis superioribus cogatur precise per iudicem talis accusator vel notificador vel adesse volens et eorum fideiussores in solidum inter eos ordine non attento realiter et personaliter sine strepitu et figura iudicii et quibuscumque remediis infra octo dies a die absolutionis definitive vel ab observatione iudicii ad restituendum et reficiendum accusato vel notificato omnes expensas, quas fecerit occasione predicta credendo de ipsis expensis sacramento accusati vel notificati iudicis tassatione premissa per se vel cum consilio sapientis de collegio iudicum si petatur omni iuris et facti exceptione et defensione et appellatione reiectis, sub pena iudici predicto centum librarum bononinorum. Et nichilominus elapso dicto termino teneatur facere supradicta alias ipse iudex de suo reficere teneatur. Possit tamen iudex coram quo causa fuerit agitata tutorem accusantem de pupilli sui offensa vel eius cuius pupillus esset heres non probantem vel desistentem sive arbitrio minori condemnationi afficere si sibi visum fuerit ipsum tutorem bona fide accusationem instituisse non obstante satisfactioe predicta, salva semper dictarum expensarum refectione. Item dicimus, quod si contingat mortifere vulneratum palam dicere talem vel tales ipsum vulnerasse et de hoc appareat publicum instrumentum heres eius talem seu tales nominatos accusans ab ipsis penis totaliter sit immunis semper tamen salva satisfactioe de impensarum refectione. Et idem in omnibus observetur, quod in proximo superiori casu dictum est quando accusatio de vulnere vel percussione mortifera instituta fuerit secundum relationem medicorum missorum ad videndum vulnera seu percussiones ad partis offense postulationem ante institutam accusationem et referentium vulnus esse mortale seu percussioem dum tamen probaverit accusatum intulisse vulnus in accusatione contentum. Hoc addito quod si accusator desistat vel desistere velit vel renunciaverit post probationes factas super dicta accusatione non audiatur quominus accusatus condemnetur vel accusati, qui non fecerit vel non fecerint defensionem legitimam in ea pena in qua condemnaretur si non destitisset vel

⁸⁵⁴ <observatione> *corregge* osservazione.

⁸⁵⁵ <principali> *nel testo* principale.

renunciasset accusator ubi malleficium esset tale de quo sit imponenda pena personalis. Si vero pecuniaria condemnetur in dimidia quilibet accusatus eius in quo condemnaretur si dicta renunciatio non intervenisset. Item quod quilibet accusans vel notificans ante accusationis vel notificationis poremptionem solvere teneatur datium ordinatum secundum formam locationis et pactorum facte vel fiende de datio supradicto, sub pena decem librarum bononinorum ex hoc tamen non vicietur ipsa accusatio vel notificatio. Salvo quod predicta dacia solutio non vendicat sibi locum in notificationibus porigendis per ministras capellarum civitatis Bononie vel burgorum seu massarios vel syndicos terrarum comitatus vel districtus Bononie fiendis necessitate eorum officii vel per alios nomine predictorum. Nec in aliquibus libellis seu petitionibus porigendis contra aliquem officialem comunis Bononie tempore sui sindicatus in quibus presens statutum in aliqua parte sui nolumus locum habere. Salvo etiam quod si aliquis de consensu alterius accusaverit non possit accusator renunciare et renunciatio non teneat, nisi fieret de voluntate eius, qui consenserit accusari de qua volun//

[c. 217v]

tate constet in actis vel per publicum instrumentum in actis productum et renunciatione non obstante possit ille, qui consenserit accusationem prosequi ac si ipse idem accusasset. Principalis vero, qui accusari consenserit, possit etiam invito accusatore renunciare accusationi et valeat renunciatio ac si ipse idem accusasset et ubicumque renunciatum fuerit accusationi ante probationes accusatoris factas per illum, qui renunciare possit, ut supra, contra accusatos ex accusatione illa ulterius procedi non possit si de tali renunciatione in actis appareat, nisi ante renunciationem predictam aliquis venerit adesse volens in casu permissio, quo casu ad illius petitionem tantum procedi possit renunciatione non obstante. Salvo iure inquisitionis facte vel fiende de predictis in casibus in quibus ex forma presentium statutorum tenetur vel potest potestas inquirere. Declarantes quod si accusator plures accusaverit et renunciaverit accusationi quocumque fuerint in accusatione inclusi una tantum pro omnibus condemnatio fiat. Et si plures renunciationes fierent pro qualibet una condemnatio subsequantur.

[9] Quod in acusatione alicuius criminis non adiciantur quedam generalia verba. Rubrica. [c. 217v]

D⁸⁵⁶icimus etiam quod in aliqua accusatione vel notificatione, que fieret de aliquo vel aliquibus malleficiis non addiciantur in ipsa accusatione vel notificatione quod accusatus vel notificatus sit publicus vel famosus latro vel assassinus vel criminosus et si addicerentur non noceat accusato vel notificato possit tamen ad hoc principaliter fieri accusatio et notificatio alio tamen libelo seu accusatione in quantum et prout de iure permittitur.

[10] Quando executione alicuius criminis semel facta posit vel non contra eum vel alium executio fieri. [c. 217v]

Ordinamus et statuimus quod si aliquis vel aliqui fuerint inquisiti vel accusati et ex accusatione vel inquisitione processum fuerit ad difinitivam sententiam, condemnatoriam vel absolutoriam, vel etiam ad exemplationem banni, quod sententia lata vel banno exemplato non possit contra eundem de eodem de quo fuerit condemnatus vel absolutus vel bannitus modo aliquo procedi. Salvo repetito et reservato, quod dictum est supra in tercio statuto quod incipit ‘Item statuerunt quod de aliquo et cetera’ in paragrapho ‘Item dicimus, quod si contingeret et cetera’ [3] ubi

⁸⁵⁶ <D> nel testo S.

tractatur quando ex intervallo mors secuta fuerit nec etiam contra alium, nisi qui accusaretur vel contra quem ex officio procederetur ante sententiam de alio vel aliis latam vel ante exemplationem banni contra alium vel alios factam fuerit de hoc accusatus, notificatus vel inquisitus. Preterea dicimus, quod si contingeret alicuius generis delictum comitti extra civitatem vel districtum Bononie per aliquem de civitate vel districtu Bononie vel ipsius per quinquenium habitorem in aliquem, qui non sit de civitate vel districtu Bononie incola vel habitator, ut supra, et ea ratione conventus in loco criminis condemnatus fuerit vel bannitus vel etiam absolutus, de cetero ratione vel occasione eiusdem criminis in civitate Bononie non valeat conveniri nec ulterius aggravari⁸⁵⁷. Si tamen primo in civitate Bononie banniretur et postea in loco delicti ad petitionem offensi banniretur de banno in civitate Bononie dato impune possit et debeat cancelari. Si vero in aliquem civem, comitatum vel districtualem civitatis Bononie, incolam vel habitorem ut supra, tunc possit accusari et contra eum procedi in civitate Bononie non obstante quod de ipso delicto fuerit bannitus in loco delicti, sed si comparuerit ad mandata in loco delicti et fuerit processum ad difinitivam sententiam condemnando vel absolvendo non possit de eodem ulterius accusari. Et si in cognoscendo iudex loci in quo fuerit malleficium commissum preveniat interim supersedeatur Bononie et expectetur eventus, quo secuto procedatur vel non, ut superius dictum est superiori hic salvo⁸⁵⁸ et repetito et reservato ut supra silicet cum mors ex intervallo fuerit subsecuta.

[11] Quot homines possint inculpari de morte et mortifero vulnere uno vel pluribus et de medicorum transmissione. Rubrica. [cc. 217v-218v]//
[c. 218r f. CCXI]

Ordinamus quod non possint vel debeant de morte alicuius ex vulneribus sive percusionibus subsecuta vel mortifero vulnere alicui illato accusari vel notificari nisi tot homines quot apparuerint vulnera mortalia esse illata sive percusiones mortuo vel mortifere vulnerato sive percusso. Et habeant predicta locum cum unus ad accusandum procedit. Si vero venerint plures accusare vel notificare volentes servetur forma ordinamenti secundi huius libri quod incipit ‘Item statuerunt et ordinauerunt et cetera’ [2] in paragrapho ‘Item si contingat eiusdem qui diceretur principaliter offensus plures heredes existere et cetera’ [c. 214v] et in sequenti sub rubrica ‘De personis que accusare possunt vel accusationi adesse’ [2]. Et idem inquirens in inquisitione, quam faceret, teneatur et debeat observare ut accusans in accusatione tenetur. Nec potestas vel eius familia contra plures possit inquirere de morte vel vulnere mortifero quam sint vulnera mortalia. Et si apparuerint vulneratum vel mortuum tantum unum ictum mortale habere, tunc unus tantum per eundem possit accusari, notificari vel inquire de morte vel mortifere vulnerato. Si autem apparuerint plura vulnera offenso illata fuisse, tunc ab eodem solummodo tot de morte vel mortifero vulnere possint accusari vel notificari vel inquire quot apparuerint vulnera mortalia illata fuisse. Et predicta locum habeant, nisi plures animo et intentione homicidium comittendi accesserint ad aliquem occidendum et ad actum proximum pervenerint occidendi et occisus fuerit, quo casu ius comune servetur et pro sciendo veritatem vulnerum et ne fraus vel dolus comittantur, mictantur duo medici, qui sint etatis quilibet eorum treginta annorum ad minus et fuerint habitatores civitatis Bononie vel burgorum eiusdem per viginti annos et habeant extimum ipsi vel eorum ascendentes in comuni Bononie si extima tunc essent in civitate

⁸⁵⁷ <aggravari> *nel testo* aggregari.

⁸⁵⁸ <salvo> *corregge* salvo.

Bononie et sint periti et exercitati in scientia⁸⁵⁹ medicandi et amatores presentis status pacifici, qui micti debeant eo casu, quo aliquis occisus esset incontinenti cum ad noticiam domini potestatis vel alicuius ex iudicibus suis ad malleficia deputatis vel vicarii pervenerit ad occisum vel mortuum ex vulneribus vel percusionibus, qui videant vulnera omnia illata occiso et percusiones et referant quot repererint et quot sint mortalia et quot alia, si qua repererint, non mortalia. Et predicta referant sub sacramento eorum de novo prestando. In qua rellatione declarare teneantur qualitatem vulnerum, signa omnia et causas ex quibus incident seu referant ea esse vel non esse mortalia. Et de his stetur et credatur relationi ipsorum sub sacramento eorum vel maioris partis eorum, nisi contrarium legitime probaretur. Que relatio reduci debeat in scriptura in actis unius ex notariis domini potestatis ad malleficia deputatis, qui notarius una cum dictis medicis vadat et videat et scribat predicta. Et sine eo ire vel micti non possint quem notarium ipse dominus potestas seu iudex, qui de malleficio cognoverit, expensis ipsius domini potestatis mittere teneatur quociens fuerint requisiti. Et teneatur heres mortui per se vel alium cum malleficio comissum fuerit in civitate, burgis vel guardia. Cum vero in comitatu vel districtu, tunc ipse heres per se vel alium. Et etiam massarius et syndicus terre in cuius curia fuerint vulnera mortalia illata vel percusiones ex quibus mors subsecuta fuerit, denunciare domino potestati vel eius vicario vel uni ex iudicibus suis ad malleficia deputatis qualiter ille occisus est mortuus ex vulneribus vel aliter occisus et quod mittat medicos ad videndum occisum et vulnera in eum illata antequam tradatur corpus sepulture. Dicimus autem quod medici eorum relationem si malleficio fuerit comissum in civitate Bononie, burgis vel guardia civitatis facere teneantur ea die, qua eis fuerit comissum videre vulnera. Et si fuerit in comitatu vel districtu Bononie saltem infra terciam diem a die comisionis eis facte vel citius si poterint. Eo autem casu quo fieret accusatio⁸⁶⁰, notificatio vel inquisitio de mortifero vulnere vel vulneribus mortiferis, tunc quantum ad hoc, ut sciatur, an debeant⁸⁶¹ ad mandata comparentes unus vel plures deperneri vel non mittantur medici demum inquisitis, accusatis vel notificatis comparentibus ad mandata comparentis vero uno vel pluribus⁸⁶² de accusatis, notificatis vel inquisitis mittantur medici, ut supra dictum est, ad videndum et examinandum vulnus vel vulnera ascriptum vel ascripta dicto comparenti vel comparentibus et eorum relationi stetur, ut supradictum est, declarando in ipsa relatione, ut supra, et probatio etiam audiatur in contrarium, ut supra. Si vero pars offensa voluerit etiam ante accusationem vel notificationem instituendam vel inquisitionem incoandam medicos micti ad videndum vulnera seu percusiones utrum sint mortales vel non, tunc mitti debeant medici, quorum relationi stetur quantum//

[c. 218v]

ad accusationem accusatoris a pena mortalis vulneris non probati. Si tamen probaverit vulnus in accusatione contentum et hoc casu mittantur expensis petentis. Et idem modus et forma, que tradita sunt circa occisum in medicis mictendis ad cognoscendum vulnerum qualitatem, servetur si aliquis dicatur necatus vel strangolatus, suffocatus vel venenatus vel quovis alio modo peremptus. Dicimus etiam quod in quolibet casuum predictorum medici, qui elligentur ad eundum⁸⁶³ ad videndum mortuum seu vulneratum vel aliter peremptum teneantur, ellectione facta de eis et requisitione, incontinenti ire cum dicto notario ad videndum mortuum vel aliter peremptum, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet electo et

⁸⁵⁹ <scientia> *segue me.*

⁸⁶⁰ <accusatio> *segue vel depennato.*

⁸⁶¹ <an debeant> *segue adebeant.*

⁸⁶² <pluribus> *segue accusantibus cassato.*

⁸⁶³ <eundum> *corregge eundeum.*

qualibet vice summarie et sine streppitu iudicii auferenda per dominum potestatem vel eius vicarium a tali electo non eunte, nisi iustam excusationem habuerit.

[12] **De notificationibus malefactorum per ministrales vel massarios fiendis.**

Rubrica. [cc. 218v-219r]

Placet quod ministrales capellarum civitatis Bononie vel burgorum eiusdem et massarii terrarum, comitatus et districtus civitatis predictae teneantur per se ipsos vel alium dum tamen de licencia vel mandato ipsius ministralis vel massarii, de qua appareat per publicum instrumentum, notificare domino potestati civitatis Bononie aut uni ex suis iudicibus ad maleficia deputatis solum maleficia infrascripta modis et terminis infrascriptis videlicet homicidia quocumque modo committenda in eorum capellis vel terris vel curiis terrarum infra octo dies si fuerint ministrales. Si vero in comitatu, massarius infra octo dies a die quo comissa fuerint cum loco et finibus loci in quo comissa dicantur et cum tempore homicidii comissi et cum nomine et cognomine occisi et occidentium si fuerit seu fuerint illo tempore habitatores illius capelle vel terre seu curie vel aliter notus vel noti. Et idem intelligatur in robariis, raptibus hominis vel mulieris, incendiis et in quibuscumque vulneribus commissis per aliquos maiores quatuordecim annorum cum aliquo genere armorum vetitorum vel non vetitorum, cum sanguinis efusione vel alio quocumque modo, sine armis cum sanguinis efusione, in quacumque percussione facta in facie de quibus maleficiis sit publica vox et fama in ipsis capellis vel terris seu curiis eorum vel eorum aliquod fore commissum, sub pena quinquaginta librarum bononinorum si fuerit homicidium, incendium, robaria vel raptus. Si vero fuerit vulnus cum genere armorum vetitorum non denunciatum pena vigintiquinque librarum bononinorum. Si vero fuerit vulnus cum genere armorum non vetitorum non denunciatum pena decem librarum bononinorum. Si vero sine armis pena quinque librarum bononinorum ipso facto committendis et exigendis quociens contrafactum fuerit, nisi absentia ipsius ministralis vel massarii vel alia iusta causa cum viri boni arbitrio excusaret. Declarantes quod si vigore denunciationis vel notificationis alicuius ministralis vel massarii fuerit factus aliquis processus aliter vel in aliis casibus quam predictis non valeat ipso iure processus nec sententia inde secuta. Etiam si ex officio potestatis, iudicis vel officialis inquiratur. Ita tamen quod si plures fuerint ministrales in una capella non habentes iustam excusationem, ut supra, ipsa pena equaliter inter omnes dividatur et inter omnes una sola pena solvatur. Et si aliqui vel aliqui iustam excusationem habuerit vel habuerint, ut supra, alii vel alius insolidum teneantur et similiter si fuerit divisio capelle facta inter ipsos ministrales quoad denunciations fiendas teneatur ille tantum ministralis, cui incombebat denunciare secundum ipsam divisionem, quam penam potestas exigere possit, sine streppitu et figura iudicii etiam accusatione vel inquisitione non precedente. Salvo semper quod si talibus maleficiis aliqua inquisitio vel accusatio seu notificatio fieret vel facta esset seu inchoata infra terminos ipsis ministrilibus seu massariis datos ad notificandum etiam tali notificatione non precedente vel subsequente, quod a tali pena ipse massarius vel ministralis sit totaliter absolutus et absoluti nec ipsam incidisse intelligantur et idem intelligatur si vulnus ex quo postea mors sequatur fuerit denunciatum, etiam si mors subsequata denunciata non fuerit//

[c. 219r f. CCXII]

dummodo in alia terra vel capella moriatur, alias etiam mors debeat denunciari, ut supra. Et salvo quod de tali notificatione non debeat aliqua solvi gabella vel dacium vel satisfacere de aliqua quantitate solvenda vel expensis reficiendis occasione ipsius notificationis nec aliquas alias expensas substinere. Et quod sufficiat alterum ex

massariis vel ministrabilibus facere supradicta vel alium eius nomine cui predicta comiterentur ut supra. Et quod de aliquibus denunciationibus vel notificationibus hinc retro fieri obmissis per tales ministrales vel massarios de aliquibus malleficiis commissis ab anno retro non possint vel debeant decetero ipsi ministrales vel massarii requiri vel molestari. Declarantes quod capelle existens intra muros civitatis Bononie que extendi dicerentur extra dictos muros quantum ad predicta extendi non intellegantur a dictis muris versus guardiam ultra quinqueginta perticas capelle non existentes extra muros in burgis civitatis Bononie non intellegantur quantum ad predicta extendi ultra centum perticas ab ecclesia dicte capelle versus guardiam numerandas. Preterea dicimus, quod si aliquis talis ministralis vel massarius in premissis negligens fuisse dicatur vel non observasse predicta ad talem penam solvendam non teneatur vel compellatur, nisi prius qui malleficium non denunciatum comisisse diceretur fuerit accusatus vel inquisitus et de ipso malleficio condemnatus vel exemplatus in banno, qua condemnatione vel exemplatione facta, talis pena ipso facto exigi possit et debeat etiam accusatione, inquisitione seu condemnatione de tali obmissione non precedente. Addicientes quod ministrales vel massarii predicti in aliquibus casibus quam predictis in presenti statuto expressis compelli non possint aliquam denunciationem vel notificationem facere per se vel alium et non recipiatur per dominum potestatem Bononie vel per aliquem eius officialem nec per aliquem alium officialem dicti comunis, sub pena recipienti vel compelenti aut eius vigore procedenti ducentarum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice.

[13] **De casibus in quibus dominus potestas tenetur inquirere. Rubrica.** [cc. 219r-220r]

Ordinamus quod dominus potestas teneatur inquirere per se ipsum vel aliquem ex iudicibus vel militibus suis asistente semper cuicumque inquisitioni, que fieret uno ex notariis ipsius, qui scribat in omnibus et singulis casibus infrascriptis et quolibet eorum contra infrascripta malleficia comitentes in civitate Bononie eiusque territorio vel districtu, nisi bienium fuisset elapsum postquam malleficium fuisset commissum dum tamen ex forma alicuius nostri statuti non sit prohibitum inquiri vel specialiter aliter dispositum. Imprimis contra homicidam vel homicidia facientem vel vulnus ex quo etiam ex intervallo homicidium fuerit subsequutum. Et contra mandantes aliquod de ipsis⁸⁶⁴ homicidiis vel vulneribus fieri. Et contra rapientes homines vel mulieres vel furtive subtrahentes. Et contra quemlibet facientem seu fabricantem scienter falsum instrumentum seu acta falsa in formam publicam vel qui talia fieri facerent vel eis scienter uteretur per se vel alium. Et contrafacientes vel fieri facientes falsa testimonia. Et contra producentes falsos testes scienter. Et contra incendia facientes vel fieri facientes. Et contra hereticos et hereticorum receptatores, et contra ydollas⁸⁶⁵ facientes, et contra factuatores et factuatrices. Et contra matematicos, et contra assassinos vel infamatos de assassinatu, et contra derobantes vel derobari facientes, et contra cançellantes aliquem bannitum vel in figura banni conscriptum in aliquo ex libris bannitorum comunis Bononie contra forma in statutorum comunis Bononie. Et contra cançellantes contra formam dictorum statutorum aliquem condemnatum dicto comuni, et contra subscribentes se tali cançellationi facte vel que fieret contra dictam formam de aliquo bannito vel condemnato, et contra fabricantes vel fabricari facientes vel scienter expendentes falsam monetam vel aliquod aliud falsum circa ipsam monetam factam vel

⁸⁶⁴ <ipsis> *segue* malleficiis depennato.

⁸⁶⁵ <ydollas> *corregge* ybdollas.

infectam comitentes, et contra latrones. Et contra comitentes aliquod malleficium ex quo sanguis exiverit in civitate//

[c. 219v]

Bononie vel eius guardia cum aliquo genere armorum post primum sonum campane comunis Bononie, que pulsatur de sero pro custodia seu guardia civitatis et ante sonum campane diei, que pulsatur de mane vel infra ipsas horas his diebus quibus campane ipse non pulsantur. Et contra frangentes domos vel hostia domus alicuius seu murum in civitate Bononie vel comitatu. Et contra frangentes stationes vel scrineos seu arcas alicuius artificis civitatis predictae vel ipsas seu ipsa aperientes maliciose, et contra hedificantem seu fieri facientem occupantem vel tenentem contra voluntatem comunis Bononie vel contra presentem statum aliquod castrum vel aliquam fortilicium, terram sive locum et etiam contra occupare⁸⁶⁶ volentes si ad evidentem actum de hoc pervenerit, et contra dantes consilium, operam, ausilium vel favorem in aliquo predictorum duorum proximorum casuum vel quod aliquod castrum, fortilicium vel rocha⁸⁶⁷ aut terra pervenire debeat ad aliquem in preiudicium dicti comunis vel status presentis, et contra facientes conspiracyonem vel monstram ad invicem in dannum comunis Bononie vel presentis status popularis. Et contra facientes vel servantes aliquod manopolium vel iuram vel conspiracyonem in damnum dicti comunis vel presentis statutus popularis Bononie. Et alio tempore ulla ratione vel causa procedere non possit per se vel alium etiam pretestu alicuius ignorantie⁸⁶⁸. De homicidio autem vel robaria comisso vel comissa in aliquem civem vel comitatinum Bononie teneatur inquirere infra tempus bienii a die comissi malleficii numerandi predictus potestas. Item possit et⁸⁶⁹ teneatur predictus dominus potestas per se ipsum vel aliquem ex suis iudicibus et officialibus inquirere contra infrascripta malleficia comitentes dumtaxat comissa tempore sui officii vel tempore sui in officio precessoris in civitate, comitatu vel districtu Bononie. Imprimis contra facientes falsas accusationes scienter, que tamen non sint de ipsis accusationibus falsis, que in sequenti statuto continentur dum tamen falsa non dicatur vel habeatur eo quod probata non fuerit vel non prosequata vel eo quod eidem fuerit renunciatum. Et contra volentes corumpere aliquem officialem comunis Bononie si ad evidentem actum de hoc pervenerit. Et contra subornantes testes expresse quod falsum testimonium deponant. pretestu alicuius Et contra sedomittas. Et contra lenones ipsorum. Et contra percutientes aliquem cum sanguine vel sine in aliquo ex palaciis comunis vel in platea comunis Bononie vel in circumstanciis ipsius platee per viginti perticas vel in trivio porte Ravenatis vel palaciis seu curtilli episcopatus bononiensis vel in Campo Fori vel in saligata fratrum Minorum vel in saligata, que est intra Stratam Maiorem et stratam Sancti Vitalis, hiis silicet diebus quibus forum esset in dictis salegatis. Et contra vulnerantes cum aliquo genere armorum rectores forenses universitatis scolarium vel ipsos forenses scolares, qui essent sub rectoribus ipsorum. Et contra notarios ancianorum comunis Bononie et contra cancelarios comunis Bononie et quemlibet eorum tam presentes quam futuros vel preteritos, qui non deponerent seu deponissent ad cameram actorum comunis et populi Bononie secundum formam sui officii provisiones vel reformationes integraliter et cum scrupulinis fabarum ubi scrupulinum factum reperiretur et alia scripturas quas deponere tenerentur. Et contra omnes et singulos, qui scripturas vel privilegia pertinentia et spectancia ad honorem vel utilitatem comunis Bononie haberent vel tenerent⁸⁷⁰ et restituere denegarent. Et contra

⁸⁶⁶ <occupare> *nel testo occupare.*

⁸⁶⁷ <rocha> *segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 3 lettere annullato con linea sagittale.*

⁸⁶⁸ <etiam pretestu alicuius ignorantie> *aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

⁸⁶⁹ <possit et> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁸⁷⁰ <tenerent> *segue vel cassato per sottolineatura.*

subtrahentes vel dolose seu maliciose accipientes aliquem librum comunis Bononie vel quaternum vel cartam de aliquibus libris comunis Bononie vel carte partem, si in dicto libro vel quaterno, carta vel carte parte scriptura aliqua foret ex cuius amisione generari possit preiudicium comuni Bononie. Et contra scribentes in ipsis libris vel scripturis ultra quam sibi competat ex forma sui officii vel statutorum comunis Bononie. Et contra delacerantem maleciose vel corumpentem aliquam scripturam pertinentem ad comune Bononie. Et contra tenentes ludum açardi vel mutuantes ad ludum açardi. Et contra facientes aliquam cavalcatam vel coadunationem hominum armatorum decem vel ultra per civitatem vel districtum Bononie de uno loco ad alium in iniuriam vel damnum alicuius et contra quemlibet armatum euntem in dictis cavalcatis vel andatis. Et contra omnes et singulos preliantes in civitate//
[c. 220r f. CCXIII]

Bononie vel burgis ad invicem cum armis in quo prelio fuerint a qualibet parte saltem decem homines armati. Et contra omnes et singulos, qui causam darent propter quam tumultus, rumor vel rissa fieret in civitate Bononie vel districtu, propter quod tota civitas vel maior seu magna pars civitatis ad arma traxerit. Et contra blasphemantes dominum nostrum Iesum Christum vel beatam Mariam virginem gloriosam matrem eius vel eius Sanctos. Et contra iniuriantes figure domini nostri Iesu Christi vel matris sue gloriose Virginis Marie vel alicuius Sancti vel Crucem eiusdem domini nostri Iesu Christi. Et contra custodes carcerum comunis Bononie, si dicatur indebite vel iniuste per se vel alium seu alios extorsisse vel accepisse occasione custodie vel quod carceratos personaliter vel realiter indebite aggravaret de aliquo. Vel ex eo quod aliquem carceratum indebite relaxarent seu recedere permiterent studiose vel propter malam custodiam. Et contra ipsos carceratos fugientes vel recedentes inlicenciatos. Et ipsorum aliquem receptantes, et contra eos, qui⁸⁷¹ recederent cum aliquo carcerato vel operam darent ut aufugerent si fuga sequatur. Item contrafacientes contra ordinamentum quod est infra ‘De personis plorantium’ [122]. Item contra facientes seu comitentes aliquod malleficium in aliqua ecclesia seu in aliquo loco sacro seu sacrato in civitate vel districtu Bononie seu in campis ecclesie Sancti Dominici et Sancti Francisci de Bononia. Item contra facientes vel comitentes aliquod malleficium in personam vel contra personam alicuius ex dominis ancianis comunis Bononie vel suorum notariorum ipsorum durante officio vel cancelarium dicti comunis vel aliquem ex confaloneriis vel massariis, qui adesse debent consiliis et partitis ipsorum durante officio. Item contra tenentes publice vel occulte uxorem alicuius extra domum habitationis viri tamquam amasiam vel concubinam. Item contra quemlibet uxoratum tenentem publice in domo sue habitationis amasiam. Item contra quaslibet⁸⁷² mulieres contra formam statutorum stantes pro amasia vel concubina. Item contra contrahentes secundum matrimonium primo non soluto. Item contra extorquentes seu quoquo modo recipientes fidelitatem vasalaticum seu instrumenta fidelitatis vel vasalatici ab aliquo etiam si ipsis instrumentis ficticie aliqua causa inferatur seu ipsa fidelitate vel vasalatico seu instrumento utentes et in quolibet alio casu, in quo pena personalis imponi deberet ex forma nostrorum statutorum. Et in quolibet alio casu in quo ex forma alicuius statuti nostri expresse imponitur potestati necessitas inquirendi per se vel aliquem de sua familia, pena ipsi domino potestati in quolibet et pro quolibet casuum predictorum in quo inquirere obmiserit, ut supra, ducentarum librarum bononinorum. Et siquis processus fieret alio tempore⁸⁷³ et in aliquo alio casu, quam de predictis in presenti statuto contentis, nisi per nostra statuta aliud reperiatur esse provisum non valeant ipso iure et condemnatio vel

⁸⁷¹ <qui> segue dicerent cassato per sottolineatura.

⁸⁷² <quaslibet> corregge qualibet per aggiunta della lettera s in interlinea.

⁸⁷³ <alio tempore> in infralinea con segno di inserzione.

bannum, que vel quod inde sequeretur nec peti vel exigi valeant ulla ratione vel causa. Et predicta locum habeant in quolibet officiali comunis Bononie de dictis criminalibus vel aliquibus vel aliquo eorum cognitionem vel iurisdictionem habenti.

[14] **De casibus in quibus dominus potestas possit inquirere. Rubrica.** [cc. 220r-221r]

Ordinamus quod dominus potestas per se ipsum vel aliquem ex iudicibus suis vel militibus assistente semper cuicumque inquisitioni, que fieret uno ex notariis ipsius, qui scribat, possit inquirere de omnibus casibus infrascriptis et quolibet eorum contra infrascripta malleficia comitentes in civitate vel districtu Bononie suo tempore vel ante, nisi annus fuerit elapsus a tempore comissi delicti computandus, dum tamen ex forma alicuius statuti non prohiberetur inquire. Imprimis contra eximentes aliquos bannitos pro malleficio captos vel aliquos alios captos ratione alicuius malleficii, quod comisisse diceretur vel aliqua alia ratione vel causa de manibus vel potestate eorum, qui eos aliquem eorum captos ducerent vel tenerent ut ducerent//

[c. 220v]

in forciam comunis Bononie vel alicuius sui officialis. Et contra facientes vel comitentes aliquod vulnus in civitate vel districtu Bononie in aliquam personam cum aliquo genere armorum vetitorum vel non vetitorum ex quo sanguis exiverit, et contra euntes vel stantes ad⁸⁷⁴ aliquod arremgum vel consilium, quod fieret in aliqua terra comitatus Bononie, per aliquod comune vel massarium alicuius terre comitatus vel districtus Bononie, si non fuerit de ipso consilio vel arremgo vel si non esset notarius, qui conficeret aliquod instrumentum vel esset contrahens cum ipso comuni vel essent testes ad hoc adhibiti vel esset nuncius, qui citaret vel cridaret ipsum comune vel esset aliquis, qui aliquam denunciationem vel protestationem faceret ipsi comuni vel ipsum comune requireret de re aliqua pro qua posset requiri ipsum comune, qui possint esse dum contractus fieret vel instrumentum solummodo vel aliquod de predictis vel alias ubi esset de voluntate ipsius comunis seu universitatis. Et contra admoventem vel admoventes terminos vel terminum de aliquibus agris vel prediis. Et contra comitentes aliquod sacrilegium ubicumque fiat et contrafacientes vel fieri facientes lapides vel cuppos vel gissum vel calcinam non servata forma statutorum de hoc loquentium [VI, 54, 57]. Et contra facientes vel fieri falssum gissum vel falssam calcinam. Item contra depopulatores vel devastatores vinearum vel fructuum vinearum vel camporum. Item contra illos, qui dicuntur falsas vel calumniosas accusationes vel denunciations damnorum datorum per se vel saltuarios facere vel de ceda tagliata, clavaturis, stelonibus vel aliis firmamentis, et contra incidentes vites vel arborem alienam. Item contra omnes et singulos, qui sibi ipsis damnum darent fraudolenter vel dari facerent. Item in omnibus et singulis malleficiis, que comiterentur in exercitibus vel cavalcatis fiendis per comune Bononie. Item contra nuncios comunis Bononie in suo officio delinquentes vel aliquid indebite extorquentes. Et contra dantes seu prebentes ausilium vel favorem ad aliquod homicidium quoquo modo in aliquem faciendum vel eo comisso ad scampanum et malleficiis nocturnis. Malleficia autem nocturna intellegimus commissa post primum sonum campane comunis, que pulsantur de sero pro custodia seu guardia civitatis et ante sonum campane diei, que pulsatur de mane vel infra ipsas horas his diebus et horis, quibus campane predicte non pulsantur seu comode audiri non possunt, et noctis tempus intellegimus in quacumque parte nostrorum statutorum ubi de nocte fiat mentio, ut supra. Et contra eos, qui dicuntur incidisse bursas vel bursellos, scarsellas vel manegotos aut corigiam vel centuram maliciose, et contra facientes aliquid

⁸⁷⁴ <ad> *corregge* ab.

furtum quid non sit domesticus vel familiares⁸⁷⁵, contra omnes et singulos forenses, qui non sint scolares, qui dicerentur aliquod malleficium comisisse. Et contra omnes et singulos, qui comisisse dicerentur aliquod de predictis malleficiis supra specificatis et in quolibet alio casu in quo ex forma alicuius statuti comunis Bononie datur arbitrium eidem inquirendi. Et contra quemcumque comitentem aliquod malleficium intra domum habitationis alicuius, si comitens non est de habitatoribus domus ipsius. Et in quibuscumque malleficiis, que ministrales vel massarii comitatus tenentur denunciare. Et siquis processus fieret alio tempore vel in aliis casibus, quam predictis per inquisitionem non valeat ipso iure et condemnatio vel bannum, que vel quod inde sequerentur, non valeat ipso iure, nec peti vel exigi valeant ulla ratione vel causa. Nichilominus inquirens in aliis casibus quam sibi permissis vel ultra tempus in statutis comprehensum incidat ipso facto penam ducentarum librarum bononinorum et ultra predicta teneatur ad interesse partis lese ex premissis. In ceteris autem casibus quam in presenti et proximo precedenti statuto contentis vel in quibus ex forma alicuius statuti datur arbitrium inquirendi sibi et sue familie et cuilibet de sua familia interdiximus arbitrium inquirendi. Salvo et semper et reservato in omnibus et singulis casibus in hoc et precedenti statuto comprehensis premissis//

[c. 221r CCXIII]

statuto quod loquitur ‘De tondolo et tormento’ [24] et salvo quod nullo ditorum casuum imponantur alique alie⁸⁷⁶ pene, nisi ille, que per statuta nostra fuerint ordinate. Si tamen aliquo casu pena ex nostris statutis non fuerit ordinata eo casu statutum quod est infra sub rubrica ‘De pena delicti nostro statuto specialiter non provisum’ [VI, 65] vendicet sibi locum. Et in omnibus casibus contentis in statuto posito sub rubrica ‘De rogationibus notariorum’ [IV, 15].

[15] **De modo et forma inquisitionum incoandarum et finiendarum. Rubrica.**

[cc. 221r-221v]

Ordinamus quod dum inquisitio sit per dominum potestatem vel aliquem de sua familia per quem inquirere teneatur vel possit vel alium officialem comunis Bononie habentem potestatem inquirendi, ut supra dictum est, inquiretur hoc modo et forma, salvo quod si in aliquo casu per aliquod statutum a nobis conditum sit provisum alio modo et forma inquirendi debere in casu illo modus traditus observetur silicet quod incohetur et compleatur inquisitio infra quindecim dies a die, quo sibi domino potestati vel alteri ex suis iudicibus ad malleficia deputatis denunciatum vel notificatum fuerit vel ad eius noticiam seu scientiam pervenerit et hoc si malleficium dicatur esse commissum in civitate Bononie vel prope civitatem per sex milliaria. Si vero ultra sex milliaria longe a civitate malleficium factum esse dicatur, tunc incoet et perficiat per se vel alium, ut dictum est, inquisitionem infra viginti dies a die denunciationis, notificationis vel noticie vel scientie, ut dictum est. Et potestas et iudex et quilibet alius officialis comunis Bononie inquirens teneatur recipere testes, qui de iure in criminali causa admitantur, quos ad coadiuvationem officii producere voluerit offensus vel eius heredes vel alia persona, cui de dicta offensa accusare liceret vel accusationi adesse secundum formam statuti suprascripti de hoc loquentis vel alia bona persona eorum nomine volens facere supradicta et similiter illos, quos producere voluerit aliquis, ut supra, pro parte eius persone que diceretur offendisse, quos recipere possint in palacio vel domibus palaciorum tantum, nisi iusta causa succedat alibi recipi et ultra dicta tempora vel alibi

⁸⁷⁵ <et contra facientes aliquid furtum quid non sit domesticus vel familiares> *di seguito sul margine laterale destro su 2 righe.*

⁸⁷⁶ <alie> *corregge qualie.*

non possint aliqui testes recipi vel produci ad coadiuvationem officii vel pro alia parte, ut supra, nisi inquisitus vel inquisiti⁸⁷⁷ comparuerint et testes ad eorum defensionem producere voluerint et dilationem super hoc acceperint, quo casu infra dilationes inquisito liceat replicare ea replicatione, que de iure fuerit et ipsam repplicationem probare. Fiat autem inquisitio in loco seu villa vel terra in quo vel qua malleficium diceretur comissum fuisse seu in circumstanciis ipsius loci, terre vel ville si inquirenti videbitur dum tamen si inquisitio fieret in comitatu vel districtu vel in civitate Bononie non possint testes ultra duos dies postquam se dicta de causa iudici presentaverint ratione dicti testimonii retineri et in eundo et redeundo et dictis duobus diebus sint affidati ab omnibus oneribus seu debitis⁸⁷⁸ tam comunis Bononie quam singularium personarum, nec in predictis terminis possint capi et deponeri et si capti fuerint relaxentur sine aliquibus sumptibus vel expensis, pena contrafacienti scienter pro quolibet et qualibet vice centum librarum bononinorum. Hoc tamen declarato et addito quod si inquisitio facta fuerit de vulnere et ex intervallo ex ipso vulnere mors sequatur, quod super morte possint testes de novo recipi et si de morte legitime constiterit iudici, possit procedi contra homicidam de dicto homicidio ex eadem inquisitione super vulnere incoata per dicta testium super inquisitione vulneris receptorum. Semper autem scribatur dum recipietur testis in quacumque inquisitione, nomen et pronomen cuiuslibet testis seu cognomen vel aliud equippolens per quod melius cognoscatur distinte et aperte et non possit contineri in scriptura depositionis testis, quod testis dixerit vel deposuerit vera esse que in inquisitione continentur, set aperte et distincte debeant dicta et depositiones cuiuslibet testis scribi, super qua in//
[c. 221v]

quisitione recipi non possint vel debeant aliqui testes, nisi iurent dicere veritatem de his de quibus inquirentur et in presentia duorum testium ad minus de civitate vel districtu Bononie et etatis ad minus viginti annorum, qui iurati asserant se cognoscere testes super inquisitione vel accusatione vel crimine recipiendos. Et si testes aliter recepti fuerint, ipsorum dicta vel attestaciones non valeant. Et interrogetur quilibet testis de tempore delicti de quo recipitur, de loco et de causa scientie dicti sui et quibus presentibus comissum fuerit delictum vel malleficium, nec sufficiat testi deponere sub hiis verbis videlicet tempore et loco in inquisitione contentis. Et omnia debeant distincte, singulariter, clare et aperte scribi ante quam de loco examinationis ipsorum discedat⁸⁷⁹ in libro inquisitionum et quod semper in inquisitione interesse debeant dominus potestas vel aliquis ex suis iudicibus ad malleficia deputatis vel unus ex sociis suis sive militibus cuius nomen scribatur in ipsa inquisitione. Et predicta ipse dominus potestas vel alius officialis potestatis habens inquirendi potestatem, ut supra, suis expensis facere fieri teneatur. Et quod aliquo vel aliquibus de predictis obmissis vel non servatis ipso iure vicietur inquisitio et salvo quod si circa examinationem alicuius vel aliquorum testium obmitteretur forma predicta data in eorum receptione vel examinatione non vicietur inquisitio, nec dicta aliquorum testium in quorum receptione esset forma predicta servata, set illius tantum vel illorum in cuius vel quorum receptione servata non foret. Item dicimus, quod si accusatio proponatur de eodem delicto de quo inquisitio iniciata vel facta fuerit et contra eundem siquidem nondum completa fuerit inquisitio, compleri possit infra tempora statuta iudici; si autem inquisitione completa infra decem dies superveniat accusator infra tempora statuta ad accusandum in accusatione similiter procedatur. Et neutro predictorum casuum possit inquirens procedere ad publicandum et terminandum processum inquisitionis, set procedatur super

⁸⁷⁷ <vel inquisiti> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁸⁷⁸ <debitis> *corregge debictis.*

⁸⁷⁹ <discedat> *segue in libro depennato.*

accusatione et super ea recipiantur probationes. Et ex probationibus factis, tam super inquisitione, quam super accusatione et ex quibus melius poterit procedatur ad difinitivam sententiam. Et si non receptis probationibus super accusatione accusatore probare volente vel non contumaciter dexistente nec negligente processerit iudex ad difinitivam sententiam absolutionis super inquisitione. Possit eo casu nichilominus suam accusationem prosequi accusator non obstante predicta absolutione. Que accusatio per novam sententiam terminetur non obstante prima. Et si ultra proceserit ad⁸⁸⁰ bannidationem et inquisitus fuerit exemplatus non procedatur ulterius super accusatione predicta. Si vero venerit accusator ante incoatam inquisitionem nichilominus possit inquiri in casibus permissis infra tempora statuta ad inquirendum secundum diversitatem locorum et in ea inquisitione procedi et prosequente accusatore vel non possit feri⁸⁸¹ sententia difinitiva ex probationibus inquisitionis et etiam accusationis si fieret probatio super ea et ex earum altera prout melius poterit et etiam ad bannidationem et ad cetera alia tali accusato vel inquisito non comparente dummodo non nisi semel pro uno malleficio⁸⁸² banniatum vel puniatur. Et ad obviandum malliciis, que in premissis comiti solent et possent, statuimus, quod potestas et capitaneus comunis et populi civitatis Bononie et quilibet ex suis iudicibus procedens per inquisitionem sive ex officio sive ad denunciationem vel notificationem alterius teneatur die formate inquisitionis vel sequenti mittere copiam inquisitionis de verbo ad verbum et totum eius tenorem ad cameram actorum populi Bononie et eam consignare et dimittere uni ex notariis presidentibus ad dictam cameram, sub pena centum librarum bononinorum cuilibet iudici negligenti et pro qualibet vice, de qua missione et consignatione in actis notarii, qui acta inquisitionis scribet, apparere debeat, qui notarius dictam copiam scribere et portare ac assignare teneatur ad cameram predictam, sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet vice qua contrafecerit vel obmiserit. Et notarius camere, cui fuerit facta talis consignatio teneatur ipsam copiam ponere in una filza et salvare in dicta camera et in ipsa scribere annum et diem⁸⁸³ consignationis, sub pena librarum quinquaginta bononinorum pro qualibet vice, qua obmiserit. Et de ipsa copia exemplum dare cuicumque petenti, recepta solutione competenti, et etiam cuicumque videre volenti eam gratis ostendere debeat.

[16] **De modo et forma procedendi contra acusatos vel inquisitos contumaces.**

Rubrica. [cc. 221v-223r]//

[c. 222r f. CCXV]

Statuimus quod quicumque accusatus vel inquisitus fuerit pro aliquo malleficio contra eum procedatur hac forma, videlicet quod primo citetur semel si inventus fuerit per unum nuncium comunis Bononie et una die pro sequenti die iuridica quantum ad malleficia. Et si non fuerit inventus citetur secundo per unum alium nuncium comunis Bononie et alia die pro sequenti die iuridica quod veniat coram iudice ex cuius officio fuerit citatus ad se defendendum ab accusa vel inquisitione de eo facta. Et si non venerit ad mandata, cridetur per unum alium nuncium, alta preconia voce, ita quod publice audiatur et nominet eum, qui fuerit cridatus et dicat quod ipse vel alius quilibet, qui ad eius defensionem possit⁸⁸⁴ et debeat admitti, venire debeat coram dicto iudice, ipsa die cride vel sequenti iuridica ad parendum mandatis ipsius et ad ipsum defendendum a

⁸⁸⁰ <ad> segue bannum cassato per sottolineatura.

⁸⁸¹ <feri> in infralinea con segno di inserzione.

⁸⁸² <malleficio> segue non depennato.

⁸⁸³ <diem> segue in qui depennato.

⁸⁸⁴ <possit> corregge possint.

dicta accusatione, cum accusatus esset, vel inquisitione, cum inquisitus esset, alioquin ponetur in banno et predicta crida fiat coram duobus testibus, qui sint habitatores et vicini per decem perticas vel infra domum habitationis ipsius cridati. Et si non venerit in dicto termino dicte cride cridetur elapso termino per unum ex bannitoribus comunis Bononie de die, magno sono tube premissio, et nomet ipsum cridatum et dicat quod ipse cridatus vel alius quilibet, qui ad eius defensionem possit et debeat admicti, venire debeat coram dicto iudice ipsa die cride vel sequenti die iuridica ad ipsum defendendum ab ipsa accusatione quando esset accusatus vel inquisitione cum inquisitus esset de se facta alioquin ponetur in banno. Quod si non venerit in aliquo dictorum terminorum cridetur in banno per unum ex bannitoribus comunis Bononie, magno sono tube premissio, infra quinque dies ad plus post predictam cridam de mandato domini potestatis vel sui vicarii in solito consilio Octingentorum et populi Bononie, sono campanarum coadunato, et statuatur ei terminus octo dierum ad veniendum infra dictum terminum octo dierum ad veniendum. Et si infra dictum terminum quinque dierum non fuerit in banno cridatus, ut dictum est, non possit ulterius ex precedentibus actis in banno cridari, nisi de novo citetur et cridetur supradicto modo et forma, que omnes et singule citationes et cride preter cridam predictam, que fieri debeat in palacio comunis Bononie fiant et fieri debeant ad domum, ubi solitus erat habitare predictus citatus seu cridatus tempore malleficii, quod dicitur fore comissum et de quo fuerit requisitus si talis habitatio publice sciatur, alioquin fiant ad domum in qua habitabat ante malleficium per sex menses vel infra vel etiam post malleficium si fuerit civis vel incola vel habitator civitatis vel burgorum vel guardie civitatis Bononie. Si vero fuerit forensis scolaris, tunc fiant et fieri debeant ad hospicium ubi habitabat tempore malleficii de quo fuerit requisitus et insuper fiat crida bannitoris comunis Bononie in aliquibus scolis et scolaribus existentibus in eis si die fiende cride doctores seu scolares intrarent silicet in scolis illius facultatis et scientie in qua sit scolaris, si ipse scolaris requisitus solitus sit et erat intrare scolas tempore dicti malleficii alioquin aliter facte sufficiant ante predictum hospicium ipsius scolaris, si tale hospicium publice sciatur alioquin fiant ad hospicium precedentis habitationis ipsius. Si vero fuerit comitatinus vel districtualis comunis Bononie siquidem tempore malleficii de quo fuerit requisitus, fuerit habitator civitatis vel burgorum vel guardie civitatis, tunc citetur et cridetur eodem modo et forma, qua supradictum est de civibus. Si vero civis, comitatinus, districtualis vel forensis fuerit habitator tempore malleficii de quo fuerit requisitus in comitatu vel districtu Bononie citetur et cridetur crida nuncii ut supradictum est de cive. Salvo quod dictum est de testibus⁸⁸⁵ adhibendis cride civis non habeat locum in comitatinis, districtualibus vel forensibus vel civibus habitantibus in guardia comitatu vel districtu Bononie, set sufficiat ipsos testes esse de contrata vel terra habitationis ipsius cridati et etiam fiat una altera crida ante ecclesiam ipsius terre in qua vel cuius curia fuerit habitator tempore predicto si in terra illa vel curia illius terre fuerit ecclesia alias ad ecclesiam proximioris terre seu curie in qua sit campana et primo pulsata campana ecclesie ante quam fiat crida et ad ipsam cridam, que fiet ad ecclesiam adhibeantur duo testes, qui intersint dicte cride, qui sint habitatores dicte terre in qua fiat crida. Si vero non fuerit civis, incola, scolaris, comitatinus vel districtualis nec habitator civitatis vel burgorum guardie civitatis, comitatus vel districtus Bononie cridetur publice per unum ex bannitoribus comunis Bononie ad arengheriam comunis Bononie et super ambabus scalis palacii veteris, sono tube premissio, nominando eum, //

[c. 222v]

⁸⁸⁵ <testibus> segue la lettera d depennata.

qui accusatus vel inquisitus fuerit ex officio, quod veniat ipsa die vel sequenti iuridica quantum ad malleficia coram iudice ex cuius officio fuerit requisitus ad se defendendum ab accusatione vel inquisitione predicta. Et fiat dicta crida in die fori et sic dicta crida fiat tribus vicibus in diebus mercati sive fori et valeat ipsa crida non obstante quod ipsa dies fori, qua fieret crida non esset iuridica et in qualibet dictarum cridarum contineatur in effectu malleficium de quo accusaretur vel inquiriretur prout infra in citatione continetur et elapsis dictis tribus cridis ponatur in banno comunis Bononie in consilio predicto, ut supra dictum est de cive. Et ad hoc ut obvietur fraudibus et maliciis, que in talibus forensibus ut plurimum consuerunt fieri, placet quod eadem die vel sequenti, qua accusatio porecta fuerit vel inquisitio completa, faciat iudex coram quo porecta fuerit accusatio vel qui ex officio suo contra talem silicet forensem inquisiverit scribi saltem nomen et terram accusati vel inquisiti et qualitatem delicti seu malleficii prout in accusatione vel inquisitione continebitur in quadam cedula, quam cedullam apponi faciat dictus iudex super discum domini potestatis ad parietem, ita quod publice videri et legi possit et ibi stet appensa donec fuerit bannitus et comparuerit ad mandata et apparere faciat ipse iudex de ipsa scriptura et appositione per publicum scripturam in actis unius ex notariis prepositis ad dischum domini potestatis vel iudicis Aquile, sub pena iudici⁸⁸⁶ obmittenti predicta centum librarum bononinorum et ex tali obmissione cedule apponende processus non vicietur et contineatur in banno cuiuslibet, qui banniretur nomen verum vel nomen, quo publice denominatur et prenomen verum vel prenomen, quo publice denominatur et contrata seu capela vel terra de qua fuerit banitus ipse et malleficium pro quo fuerit bannitus et nomina et prenomina nunciorum et preconis, qui fecerint citationes et cridas et dies facte cuiuslibet citationis et cride et nomina et prenomina testium, qui fuerint presentes cridis vel equippolencia verba. Et cum exemplabitur bannum dicatur et scribatur per notarium, qui eum exemplabit exemplatum tali die ex actis talis notarii, silicet nominando et scribendo nomen dicti notarii, qui scripserit acta et diem exemplature. Et debeant ipsa banna infra tres dies formari et exemplari infra alios tres dies subsequentes in libris bannitorum comunis Bononie ad dischum bannitorum existentibus ad plus post terminum in consilio datum ponendo etiam in forma banni quantitatem in qua fuisset condemnatus ex forma alicuius statuti vel ordinamenti comunis Bononie vel iuris talis accusatus vel inquisitus si comparuisset ad mandata et confessus fuisset delictum vel fuisset convictus de ipso malleficio pro quo ponetur in banno si malleficium requireret⁸⁸⁷ penam pecuniariam. Ubi autem pena non esset pecuniaria, tunc suo arbitrio quantitatem certam ponat. Dicimus etiam quod ipsa banna exemplari debeant in libris bannitorum comunis Bononie ad dischum bannitorum existentibus per alterum ex notariis officio bannitorum, tunc deputatis et non per aliquem alium. Item dicimus, quod nullus banniri possit, nisi de mandato domini potestatis vel eius vicarii, eo casu quando coram ipso domino potestate vel eius curia procederetur contra ipsum banniendum vel alterius, qui preesset regimini civitatis Bononie vel alterius cui per nostra statuta datum foret arbitrium banniendi. Et si fuerit inquisitus non possit vel debeat requiri, nisi prius fuerit formata et completa inquisitio, possit tamen inquisitio quoadiuvari secundum formam nostrorum statutorum etiam post inquisitionem predictam. Preterea volumus quod inquirens vel qui de accusatione cognoverit teneatur processum contra inquisitum et accusatum contumacem et non comparentem facere et terminare et bannum exemplari facere infra mensem a die prime citationis facte de accusato⁸⁸⁸ vel inquisito, quam citationem

⁸⁸⁶ <iudici> *corregge* iudicis.

⁸⁸⁷ <requireret> *corregge* requireretur.

⁸⁸⁸ <accusato> *corregge* accusa.

comitat et fieri faciat omnino⁸⁸⁹ infra tres dies a die accusationis porette seu inquisitionis complete et causam et omnia alia subsequencia facere et terminare possit et teneatur, ut supra, etiam nullo hoc petente vel instante, sub pena ducentarum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice comuni Bononie applicanda et nichilominus elapso mense predicto procedatur. Et teneat ipse processus, lapsu termini non obstante, dummodo eum finiat infra decem dies postea subsequentes. Et quod liceat cuilibet accusato vel inquisito comparere ad mandata ante exemplationem banni perfectam quandocumque. Nobiles autem comitatus, quantum ad predicta tantum, si fuerint habitatores civitatis Bononie, burgorum vel guardie civitatis, censeantur ut cives, et si habitatores fuerint comitatus habeantur ut comitatini. Decla//
[c. 223r f. CCXVI]

rantes etiam et intelligentes guardiam civitatis quantum ad predicta et omnia alia in quibus de guardia mentio haberetur vel fieret totum territorium quod est extra, infra et circumcirca foveas et muros civitatis Bononie per tria milliaria, exceptis burgis dicte civitatis et excepto territorio quod est infra dictos terminos in curia seu guardia alicuius terre comitatus Bononie, que haberet fumantes numero decem vel ultra. Item dicimus, quod in qualibet citatione et crida fienda de aliquo accusato vel inquisito detur cedula nuncio continens nomen et prenomen citati, secundum quod in accusa vel inquisitione continetur, et causam quare citatur ponendo qualitatem delicti et delictum in accusatione vel inquisitione contentum, que cedula dimittatur ipsi citato si repertus fuerit alias ad eius domum vel locum in quo citabitur vel cridabitur vel alterum eorum secundum modum supradictum, referendo singula singulis, quam cedulam dictus nuncius dimittere teneatur coram duobus testibus ex vicinis contrate vel loci, ubi accusatus vel inquisitus citabitur vel cridabitur. Et si predicta forma non fuerit observata, processus, qui fieret et quicquid sequeretur ex eo, ipso iure non valeant.

[17] De modo et forma procedendi contra acusatos vel inquisitos non contumaces. Rubrica. [cc. 223r-224v]

Statuimus et ordinamus, quod si accusatus vel inquisitus comparuerit ad mandata siquidem super crimine, de quo debeat personaliter dectineri aut comparuerit ad plenam sui defensionem, tunc compelatur personaliter comparere, nec sufficiat per alium comparere etiam si dicatur in comuni Bononie condemnatus vel multatus vel alia allegaretur vel proponeretur exceptio. Salvo quod si allegaretur bannitus comunis Bononie pro malleficio vel debito comunis Bononie vel alterius universitatis vel singularis persone vel multatus vel condanatus affidatus esse inteligatur et sit tam codemnatus vel multatus quam bannitus auctoritate presentis statutis et duret affidatio toto tempore quo detemptus stabit in carceribus comunis Bononie et per unam diem ante diem comparicionis pro adventu et per aliam diem post diem relaxationis pro⁸⁹⁰ redditu et si extra locum in quo detinebitur, reperiretur absque licencia iudicis coram quo agitetur causa eo tempore quo sic reperiretur fidancia sit nulla ipso iure, quam licenciam tunc demum possit dare iudex, quando faceret eam adducere coram se pro expeditione cause. Item in casu predicto, quo predicti deberent personaliter comparere et quo debent personaliter deptineri, deptineantur in carceribus comunis Bononie in quibus debent deptineri. Predicti autem sic comparentes teneantur omni exceptione remota respondere accusationi vel inquisitioni et tunc statim post respensionem factam inteligatur nomen ipsius esse receptum inter reos quantum ad omnia que de cetero inter reos de iure comuni vel municipali disponerentur. Et siquidem in prima respensione vel postea infra

⁸⁸⁹ <omnino> in infralinea con segno di inserzione.

⁸⁹⁰ <pro> segue la lettera d depennata.

tres dies proxime subsequentes confessus fuerit se sponte comisisse in accusatione vel inquisitione contenta in totum vel pro parte ex tali confessione remissa sit et esse intelligatur pro rata eius, quod confessus fuerit, ut supra, quarta pars eius quantitatis pecunie in qua condemnari deberet secundum formam statutorum. Sit autem ei omnis exceptio salva in processu cause, que quoquomodo vel qualitercumque eidem competeret, si tamen talis sit exceptio que factum respiciat, cuius probatio in contrarium adversario incumbat, opponi debeat infra primam dilationem datam ad sui defensionem et si renunciaverit terminis, tunc ante quam publicetur processus quam exceptionem tam per se quam per legitimum personam opponere possit. Et eo casu quando venerit ad sui plenam defensionem, responsione primo facta confitendo vel negando, teneatur iudex coram quo causa agatur statim eidem copiam facere vel suo procuratori vel alteri pro eo legitime venienti, cum petitum fuerit, accusationis vel tituli inquisitionis a qua vel quo se excusaverit et nomen et cognomen testium et responsiones ipsius. Si autem talis, qui deberet personaliter detineri comparuerit nolens se plene defendere, set opponens exceptionem declinatoriam iudicii vel impediens processum, tunc non teneatur se excusare sive accusationi vel inquisitioni respondere, set ante quam ad alia procedatur disputetur de viribus exceptionis per eum propositae. Teneatur tamen personaliter comparere et//

[c. 223v]

post comparitionem per se ipsum vel aliam legitimum personam opponere et interim remaneat detemptus donec super⁸⁹¹ exceptione opposita pronuncietur, super qua pronunciarum debeat omnino infra decem dies a die oppositionis seu exceptionis, ante quam ad alia super crimine procedatur per potestatem vel iudicem, qui de causa cognoverit, sine consilio vel colloquio alicuius alterius sapientis, et si per iudicem pronuntiatum⁸⁹² fuerit et reprobata sive reiecta, tunc teneatur se excusare sive accusationi vel inquisitioni respondere, ita quod contra eum invitum procedatur ut iuris fuerit; si autem fuerit approbata, tunc absolvatur ab observatione iudicii et libere relapsatur, si fuerit detemptus. Si vero accusatus vel inquisitus fuerit de crimine, de quo non deberet personaliter detineri et comparuerit ad mandata sive plene defendens sive opponens, cuiuscumque conditionis sit exceptio, audiatur per se vel legitimum procuratorem predicta facientem vel opponentem. Et eo casu quo procurator admitti debet, ut dictum est, si non admittatur legitime veniens, omnis processus, qui postea fieret contra principalem, non valeat ipso iure et accusatus vel inquisitus pro quo talis comparuerit et non fuerit admissus pro non contumace habeatur. Et si vigore dicti processus fuerit bannitus impune possit de ipso banno cancelari. Salvo quod in casu vulneris illati cum aliquo genere armorum expressorum et nominatim specificatorum in statuto posito sub rubrica 'De pena portantium arma vetita' [87], ex quo sanguis exiverit vel mandati de tali vulnere comitendo et alio quocumque casu, ubi esset maior pena ducentarum librarum bononinorum debeant personaliter comparere sive veniant ad plenam defensionem sive vellint aliquam exceptionem proponere. Et idem in quolibet alio casu, in quo ex forma alicuius nostri statuti caveretur quem debere personaliter comparere. In quibus tribus proximis casibus, si fuerit bannitus vel condemnatus, accusatus vel inquisitus, sit et esse intelligatur affidatus ut supra, dum tamen volens satisfacere solemniter non possit vel debeat personaliter detineri, nisi esset de casibus in quibus alias deberet personaliter detineri⁸⁹³. Et eo casu, quo non deberet personaliter detineri, si vellet stare detentus vel de facto detineretur vel si condemnatus vel bannitus,

⁸⁹¹ <super> *segue* accusatione *depennato*.

⁸⁹² <pronuntiatum> *su rasura*.

⁸⁹³ <nisi esset de casibus in quibus alias deberet personaliter detineri> *aggiunto a margine laterale sinistro su 2 righe con segno di rinvio*.

accusatus vel inquisitus, esset, sit et esse inteligatur affidatus toto tempore, quo fuerit detemptus, ut supra, cum diebus precedenti et sequenti, ut supra. Item in quolibet predictorum casuum, in quibus non deberet personaliter detineri sive per se sive per alium compareat, ut dictum est, et sive ad plenam defensionem veniat sive exceptionem cuiuscumque conditionis apponat non audiatur, nisi primo satisdederit de condemnatione solvenda, si condemnatus fuerit et se presentando quociens requisitus fuerit per dominum potestatem vel eius iudicem vel officialem coram quo causa ageretur et de parendo mandatis ipsius de his, que fierent ad examinationem ipsius cause vel nisi comparens voluerit stare detemptus, et steterit, ut supra. Salvo et repetito circa exceptionem declinatoriam iudicii vel que habeat impedire processum omni eo quod de talibus exceptionibus dictum est super in casibus pro quibus deberet quis personaliter detineri [20]. Item dicimus, quod postquam comparuerit vel presentatus fuerit citatus pro aliquo maleficio ad mandata per se vel alium, ut premissum est, vel quomodocumque ad mandata vel in forciam domini potestatis vel sue curie super accusatione instituta de eo iudex ipsum statim respondere faciat accusationi, coram quo accusatio fuerit instituta, nisi voluerit exceptionem declinatoriam iudicii vel impedientem processum, ut supra, opponere, quo casu audiatur et de eius viribus disputetur et terminetur in omnibus et per omnia, ut supra. Et volente accusatore dilationem ad probandum et petente teneatur iudex, coram quo causa agetur, ordinare dicto accusatori duas dilationes divisim et seperatim unam ab altera, videlicet unam post finem alterius debeat tamen unaquecumque dilatio esse trium dierum ad minus accusatore vero non veniente vel non petente, iudex possit et debeat die, qua comparuerit pars ipsius rei vel fuerit ad mandata vel sequenti proxima iuridica, requiri facere accusatorem^{894//}

[c. 224r f. CCXVII]

si absens fuerit, ut se presentet et eo compareat recepturus dilationem ad probandum ad quam recipiendam si non venerit vel veniens voluntarie non receperit ei absenti vel presenti etiam invito ordinentur dilationes ad probandum due, ut dictum est in volente, nisi accusator vel qui accusationem pro eo prosequitur renunciaverit dilationem habere, quibus elapsis seu facta renunciatione predicta, de cetero non audiatur quomodocumque probare volens. Verum si accusator vel alius, qui pro eo possit de iure admitti, infra dilationes ordinatas aliquos testes vel probationes induxerit, tunc elapsis dilationibus predictis citetur reus existens in forciam comunis Bononie vel non vel qui pro eo comparuerit, ut veniat ad suas dilationes recipiendas. Et siquidem ad terminum citationis talis citatus comparuerit ordinentur ei tres dilationes numero distincte, seperate et successive unam post lapsum alterius, nisi fuerit una vel duabus contentus, quarum unaqueque sit quatuor dierum ad minus et sit palam et horis iuridicis, maxime eo existente in forciam comunis Bononie, ita quod hoc notum sit saltem die statute dilationis advocato vel procuratori vel alteri coniuncto ipsius. Et pateat libere et expedite ipsius facultas per se ipsum vel alium suas defensiones facere et probationes inducere infra ipsas dilationes infra quas et quamlibet earum liceat accusatori et parti ipsius probare et e⁸⁹⁵ contra parti rei infra dilationes accusatoris vel partis ipsius. Si vero reus citatus venerit et dilationem noluerit, tunc possit iudex et debeat procedere ad publicationem processus et difinitionem cause. Preterea dicimus, quod non sufficiat infra dilationes predictas iurare testes, nisi iurati deponant infra seu intra dictas dilationes. Salvo quod si producens insteterit iudici et per binam denunciationem successive factam, diversis tamen diebus, denunciaverit eidem, quod faciat testes iuratos

⁸⁹⁴ *Nel margine inferiore della carta: si absens fuerit.*

⁸⁹⁵ <e> *in infralinea con segno di inserzione.*

deponere de quibus denunciationibus appareat publicum instrumentum, tunc sufficiat testes iuratos esse infra dilationes predictas esto quod non deposuerint et reccipiantur et valeant eorum dicta perinde ac si deposuerint infra seu intra dictas dilationes teneatur tamen iudex ipsos testes reccipere et examinare et eorum dicta in scriptis redigere infra quinque dies, sub pena centum librarum bononinorum, qui testes iurare teneantur quando per accusationem procedatur in presencia duorum civium, ut supra dictum est in statuto posito supra sub rubrica 'De modo et forma inquisitionum incoandarum' [15]. Et eisdem dilationes divisim et separatim, ut dictum est, statuatur etiam eo casu quo procederetur per inquisitionem vel ex officio reo comparente ad mandata per se vel alium et fiat, ut dictum est quando proceditur per accusationem. Et facta responsione accusationi vel inquisitioni statim ante quam ad alia divertatur dari debeat copiam tituli inquisitionis et accusationis si se excusaverit et nomen testium receptorum super ipsa inquisitione cum copia indiciorum quorumcumque. Et hoc locum habeat cum inquisitus post inquisitionem comparuerit ad mandata. Si vero detentus fuerit ante inquisitionem perfectam et incoatam, tunc post tempora inquisitionis incoande et fiende, lapsa saltem aliis quinque diebus ellapsis incontinenti teneatur facere detemptum respondere et dare eidem copiam tituli inquisitionis et nomina testium et indiciorum, ut supra et dare dilationes et facere cetera prout tenetur facere eo comparente ad mandata post omnem inquisitionem. Dicimus etiam quod accusator et notificador tempore porectionis accusationis vel notificationis iurare debeat, quod putet vera esse, que in accusatione vel notificatione continentur. Reus tamen propter evitaanda periuria tempore quo se excusat vel accusationi vel inquisitioni respondeat pro se vel alium, prout supra premissum est, non teneatur iurare vel alicuius generis iuramentum prestare. Item dicimus, quod positiones et intentiones seu capitula intentionum possint fieri in quacumque causa criminali tam ex parte accusatoris vel notificadoris, quam rei et tam super accusatione seu inquisitione, quam super exceptione et replicatione et quibuscumque aliis pertinentibus ad ipsam, quibus positionibus responderi debeat affirmando vel negando non autem per verba credit vel non credit. Item quod si per inquisitionem procedatur posit iudex interrogare partem contra quam inquiritur suo motu vel ad partis adverse seu offensi postulationem, si ipsi iudici videbitur non exigendo sacramentum calumpnie a parte petente interrogationem fieri. In omnibus autem//

[c. 224v]

casibus sive per accusationem sive per inquisitionem procedatur, si per aliquam partium positiones vel capitula intentionum porigantur, teneatur iudex ipsa capitula intentionis et positiones admittere, salvo iure impertinentium et non admittendarum, que veniant disputande in fine cause et probationes super eis recipere. Preterea dicimus, quod si producantur testes in aliqua causa criminali admittantur ad iurandum et deponendum non obstantibus aliquibus exceptionibus contra personas eorum, que tamen sint salve ac veniant disputande et probande in processu ante publicationem ipsius sive de illis protestatio facta fuerit, sive non fuerit. Et habeant effectum perinde ac si tempore legitimo fuissent opposite, probate et terminate et ille, contra quem producentur testes, possit facere interrogatoria, si ei videbitur, que interrogatoria iudex, coram quo erit causa, videat et examinet per se ipsum et de consilio curie, si sibi videbitur et ydonea approbet et reliqua reprobet et secundum approbata debeant testes examinari et testibus interrogatoria fieri, dum tamen fiant saltem interrogatoria, que debent fieri super inquisitione secundum formam statuti positi sub rubrica 'De modo et forma inquisitionum incoandarum' [15], que si examinans et testes recipiens facere obmiserit, incidat in penam quinqueginta librarum bononinorum et dum notarius scribet dictum testis in causa criminali, cum per accusationem proceditur, ea omnia serventur, scribantur et requirantur, que intervenire debent cum dictum testis super inquisitione

recipitur et ea omnia et singula, que continentur supra in statuto posito sub rubrica ‘De modo et forma inquisitionum incoandarum’ [15] observentur. Addicientes huic statuto quod omnes et singule exceptiones et defensiones, que competere accusato vel denunciato si principaliter offensus vel iniuriatus vel eius heres accusarent vel denunciarent competant effectualiter ubi alius quivis de consensu talis faceret aliquod predictorum. Preterea statuimus et firmamus quod quilibet accusatus vel ex officio inquisitus ratione alicuius delicti, pro quo esset pena pecuniaria imponenda ex forma iuris comunis vel municipalis civitatis Bononie si pacem habuerit ab offenso vel eius herede quandocumque ante sententiam condemnetur solum in dimidia eius in quo condemnari deberet si pacem non haberet, de qua pace constare debeat per publicum instrumentum, si tamen renunciatio facta accusationi per accusatorem, factis probationibus, concureret cum pace per ipsum accusatorem facta. Nichilominus fiat condemnatio in dimidia supradicta, ita quod ex his unum solum beneficium consequatur. Mandantes etiam quod dominus potestas et eius familia teneantur omnes questiones seu causas criminales, de quibus cognoscentur, terminare per se ipsos tantum et sine aliquo habendo consilio vel colloquio alicuius sapientis. Et qui contrafecerit penam incidat pro qualibet vice trecentarum librarum bononinorum. Et predicta omnia locum habeant etiam in capitaneo populi et eius familia quatenus possint adaptari.

[18] Quando causa civilis et criminalis possint in eodem libello proponi. Rubrica. [c. 224v]

Ordinamus quod ubicumque ex forma iuris vel statutorum comunis Bononie ex eadem lege duplex insurget silicet via una civilis et alia criminalis vel duplex pena, quarum una esset fisco applicanda vel comuni Bononie et alia foret applicanda parti quod eo casu civilis et criminalis seu predicta duplex pena eciam in eodem libello proponi possit et de utraque possit simul cognosci et terminari et iudex possit eo casu etiam de civili simul et criminali seu de duplici pena simul cognoscere et terminare et eodem modo in dicta civili per omnia procedere teneatur et possit quo teneretur et posset si sola criminalis intentaretur vel procederet in ea reo comparente. Et idem per omnia servetur quando per inquisitionem proceditur.//
[c. 225r f. CCXVIII]

[19] Quando alicuius acusati vel inquisiti absentia allegaretur quomodo procedatur. Rubrica. [c. 225r]

Ordinamus quod si quis fuerit accusatus vel inquisitus et allegaretur absentia ipsius accusati vel inquisiti unius vel plurium per quemcumque potestas vel eius iudex, quam cius poterit, ex officio suo debeat inquirere de absentia allegata per terram seu contratam ubi habitabat vel habitare consueverat tempore malleficii de quo fuerit inculpatus. Et nichilominus allegans absentiam admittatur ad probandum predictam absentiam infra competentem dilationem sibi ordinandam et si invenerit testes deponentes quod ita habeatur vel teneatur comuniter in terra vel contrata in qua inquireretur ipsum absentem esse et se sine fraude absentasse ante accusationem vel notificationem seu inquisitionem incoatam, tunc potestas seu iudex, qui de causa cognoverit, possit difere processum sicut sibi videbitur dum tamen non ultra mensem, nisi iusta causa propter quam verum vel verisimile sit ipsum non posse infra ipsum mensem reverti et si potestati vel iudici predicto modo de absentia non constiterit condemnetur allegans absentiam in viginti quinque libris bononinorum, de qua quantitate pecunie potestas vel iudex predictus accipiat bonam securitatem ab allegante absentiam tempore allegationis. Et nichilominus procedatur contra ipsum accusatum vel

inquisitum non comparentem ad banni dationem et ad alia que fiunt contra contumaces et⁸⁹⁶ non comparentes et interim non curant tempora iudicii ad terminationem processus.

[20] De casibus in quibus quis debet personaliter stare detentus et quanto tempore. Rubrica. [cc. 225r-225v]

Statuimus quod siquis fuerit accusatus vel inquisitus ex officio domini potestatis pro homicidio vel vulnere mortifero, quod constiterit esse mortiferum vel de quo dubitetur an⁸⁹⁷ sit mortiferum vel non, quo casu scire debeat, quam citius poterit, post comparitionem conventi quantum ad hoc ut stare debeat detemptus vel non per dictum duorum vel trium medicorum utrum sit mortale vel non, qui eligi debeant et micti secundum formam statutorum et cogantur ad referendum quid super hoc eis videbitur in termino ordinato in relatione medicorum ex forma statuti positi sub rubrica ‘Quot homines possint inculpari de morte. Rubrica’ [11]. Et si sub sacramento suo iurati referant quod ex ipsa prima visione non bene eis appareat veritas, tunc teneantur reverti sequenti die ad videndum iterum sine aliquo salario. Et iudex ad redeundum et videndum iterum cogat eos quo facto, tunc precise et omnimode respondere teneantur si vulnus videtur eis esse mortale vel non vel de morte dubitaverint. Et interim post comparitionem usque quo medici de vulneris qualitate retulerint debeat stare detemptus et post relationem detemptus maneat sive medici retulerint vulnus esse mortale sive de morte dubitaverint alias relaxetur, prestita satisfatione secundum formam statutorum. Salvo quod si in processu temporis dicatur a detempto vel alio pro eo vulnus dexiisse esse mortale, tunc teneatur iudex expensis petentis alios mittere medicos ad videndum et examinandum si⁸⁹⁸ verum sit quod dicantur. Et si retulerint omnes vulnus tunc non esse mortale vel maior pars ipsorum possit detemptus et debeat relaxari prestita satisfatione, ut supra. Et quocienscumque et in quocumque casu medici fuerint de sacullis extrahendi et mittendi ad videndum ad postulationem alicuius aliqua vulnera, ante quam extrahantur requiratur utraque pars tam offensi quam offendentis, si quos suspectos habeat, et dare voluerit, quos dare possit utraque pars per se vel per procuratorem. Et si quos suspectos dederit mittantur medici extra numerum suspectorum et siqui suspecti extracti fuerint reponantur in sacullis. Item pro falsa moneta, vel falso testimonio, vel pro robaria strate vel stratarum, vel alia robaria quantitatis vel rei extimationis vigintiquinque bononinorum vel ultra, //

[c. 225v]

vel pro famoso latrone, vel pro prodictione, vel pro subreptione seu exemptione captivorum comunis Bononie, vel pro eo quod aliquem vulneraverit precio vel precibus, vel pro eo quod aliquam personam in privato carcere posuerit vel poni fecerit vel tenuerit, vel pro eo quod instrumentum falsum fecerit, vel pro incendiario, vel pace rupta facta pacis osculo interveniente, vel quod cum avere comunis Bononie recederet, vel pro eo quod intraret aliquem locum, castrum vel fortilicium, rocham vel munitionem comunis Bononie contra voluntatem et honorem dicti comunis vel tenuerit contra voluntatem comunis, vel pro falso pondere vel mensura dolose fabricata vel fabricato, vel pro sodomita vel vicio sodomitte, vel lenone sodomitte, vel venefico vel venefica, vel pro eo quod mandaverit aliquem occidi, vel pro heretico, vel pro aliquo⁸⁹⁹ alio casu ex quo deberet personaliter puniri secundum formam statutorum in hoc volumine contentorum vel secundum formam iuris comunis in aliquo casu statuto aliquo non

⁸⁹⁶ <et> *in infralinea.*

⁸⁹⁷ <an> *nel testo am.*

⁸⁹⁸ <si> *in infralinea.*

⁸⁹⁹ <aliquo> *ditto grafato e cassato per sottolineatura.*

compenso, personaliter detineatur nec relaxetur donec certum et liquidum fuerit domino potestati vel eius iudici coram quo causa agatur vel alteri officiali coram quo de predictis vel predictorum aliquo ageretur causa ipsum denunciatum vel inquisitum fore absolvendum vel pecunialiter condemnandum, quo casu relaxetur, prestita ydonea satisfactione secundum formam statutorum, in aliis satisfactione prestita de eo, in quo probato delicto pecunialiter condemnari deberet, libere relaxetur. Et in quolibet casu, in quo quis debeat personaliter stare detemptus, semper debeat detineri in carceribus comunis Bononie, que custodiuntur per custodes cives dicte civitatis. Salvo quod si ex causa aliqua pro veritate alicuius mallefici investiganda videretur domino potestati in aliquo alio loco debere detineri, possit et liceat in casu predicto eum facere detineri in aliqua parte palatii residence ipsius domini potestatis, donec veritatem predictorum investigaverit dummodo ultra tres dies in loco predicto talem detemptum retinere non possit, quibus elapsis teneatur ipsum sic detemptum mittere ad carceres inferiores comunis Bononie, que per custodes dictorum carcerum cives custodiuntur. Et ut obvietur maliciis et calumpniis, que possent comitti per accusatores vel notificatores alicuius mallefici circa tedium personarum accusatorum vel notificarum, volumus quod quilibet accusator vel notificador alicuius de aliquo crimine seu delicto de quo accusatus vel notificatus, si compareret ad mandata, deberet stare detemptus, debeat ipse accusator vel notificador et ille de cuius consensu fieret accusatio vel notificatio predicta personaliter stare detemptus durante accusatione vel notificatione predicta si videatur tamen dominis ancianis et consulibus populi et comunis Bononie et etiam ipse accusatus vel notificatus et accusator vel notificador possit custodiri sub fida custodia in palacio domini potestatis vel domini capitanei alibi quam in carceribus comunis Bononie, electione data ipsis detinendis, an vellint stare detempti in carceribus comunis Bononie inferioribus vel sub custodia domini potestatis vel capitanei in cuius curia de ipso delicto cognosceretur. Qua electione facta, liceat elligenti semel tantum ipsam variare de quorum seu cuius⁹⁰⁰ custodia eo casu, quo starent sub custodia domini potestatis vel capitanei teneantur ipsi domini potestas et capitaneus quamdiu sub eorum custodia fuerint. Et predicta omnia locum habeant in domino capitaneo populi in quantum eis adaptari possit. Que omnia per predictos dominos potestatem et capitaneum volumus observari debere, sub pena ducentarum librarum bononinorum pro quolibet predictorum contrafacto vel obmisso.

[21] **Quod citari debeant hiis de cuius preiudicio ageretur. Rubrica.** [cc. 225v-226r]

Quia multociens consuevit contingere aliquem actum in criminali causa fieri una partium instante seu presente et alia absente et inrequisita per quem aliquo aliter ipsius partis absentis ius ledi poterat, idcirco ad obviandum ne sic⁹⁰¹ procedatur et fiat, statuimus, quod quando reus accusatus vel inquisitus vel alius, qui pro eo in premissis casibus comparuerit ad mandata, quod accusator vel qui notificationem porrexerit si presens non fuerit, citari debeat, ut intersit, si vult comparitioni adesse et demum// [c. 226 f. CCXVIII^o]

relatione nuncii facta et etiam expectato citato tanto quod comode potuerit comparere, recipiatur ipsius rei excusatio et aliter non recipiatur sua excusatio vel alicuius excusationis opposito, ubi vellit se plene defendere et excusare et etiam citatio fiat eodem modo et forma ad iuramenta testium et ad dilationes et ad alias actus iudiciarios, per quos possit parti absenti a iudicio preiudicium generari et aliter ipse

⁹⁰⁰ <cuius> in infralinea con segno di inserzione.

⁹⁰¹ <sic> corregge si.

actus, cui adversarius non interfuerit per se vel alium legitimum, ubi adversarius estitit in causa, si citatus predicto modo non fuerit, non valeat. Et ne fatigentur litigantes sumptibus et expensis et possit in causis procedi comodius dicimus, quod omnis accusans vel palam notificans, qui non esset habitator civitatis vel burgorum vel guardie civitatis Bononie, debeat eligere ad quam domum in civitate Bononie vel burgis positam velit requiri, quando expedit citationem aliquam fieri vel aliquam certam personam pro eo in civitate Bononie comorantem vel burgis et iudex teneatur talem accusantem vel notificantem tempore productionis dicte accusationis vel notificationis amonere et quod eligat locum ipsum vel domum et hoc in actis scribatur per notarium coram quo questio ventiletur. Et hoc idem teneatur facere inquisitus vel accusatus dum comparuerit ad mandata et detemptus non fuerit, qui non fuerit talis habitator, ut dictum est de notificante vel accusante, alias procedatur ut iudici visum fuerit et valeat quod factum fuerit, si aliud non impediatur. In casibus vero, ubi iudex sine accusatore procederet mero officio ad actum aliquem inquisitionis formandum vel testium receptionem super ea suo officio, qui tamen a parte vel ad partis postulationem non inducantur, non teneatur ad hoc partem requiri facere vel citare, ad omnes autem alios actus et processus inquisitionis citetur reus prout de iure fuerit requirendus. Et si compareat aliquis, qui velit adesse cause et possit ad omnes et singulos processus et actus citetur tam⁹⁰² reus, quam qui velit et possit adesse cause, qui presens non esset ad ea de quibus ipsius absentis preiudicio tractaretur.

[22] **De publicatione actorum. Rubrica.** [c. 226r]

Dicimus quod dicta testium ex officio vel alio modo receptorum et omnia acta cause criminalis publicentur infra quinque dies ad plus post dilaciones elapsas, que statute sunt dari debere et testium receptionem, qui recipi debuerint, et fiat⁹⁰³ de his copia partibus et detur terminus competens ad allegandum ante absolutionem vel condemnationem. Et si predicta vel aliquod predictorum non fuerint observata per dominum potestatem vel eius iudicem incidat ipse dominus potestas et iudex coram quo questio vel causa ageretur⁹⁰⁴ et quilibet ipsorum et ipso facto incidisse intellegantur in penam centum librarum bononinorum et nichilominus suppleantur omnia, sub eadem pena si sufficiens tempus supersit de termino statuto ad terminationem ipsius cause et valeat quod supplebitur infra illud tempus. Si autem ferat sententiam non servata forma presentis statuti nichilominus valeat et siquidem fuerit condemnatoria continens pecuniariam penam, teneatur ipsi condemnato restituere quantitatem in qua condemnaverit, si autem corporalem siquidem membri teneatur eidem in quingentis libris bononinorum, sed si ademptionis vite, tunc heredibus in mille libris bononinorum teneatur ad quas quantitates predictis solvendas tempore sindicatus cogantur per officiales, qui ad ipsum sindicandum fuerint deputati.

[23] **Infra quantum tempus criminales cause terminentur. Rubrica.** [cc. 226r-227r]

Ordinamus quod omnes cause criminales quocumque modo⁹⁰⁵ ventilentur et coram quocumque competenti iudice terminentur omnimode infra duos menses a die, quo requisitus comparuerit ad mandata et se excusaverit vel exceptionem opposuerit, ubi non compareret ad plenam defensionem, pena iudici coram quo questio seu causa

⁹⁰² <tam> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁹⁰³ <fiat> *segue de fiat depennato.*

⁹⁰⁴ <ageretur> *segue ip depennato.*

⁹⁰⁵ <modo> *segue fient cassato per sottolineatura.*

ventilabitur et potestati cuius iudex fuerit et eorum cuilibet ducentarum librarum bononinorum si infra dictum tempus causa vel questio non fuerit terminata. Quas penas incidant ipso facto quod locum//

[c. 226v]

habere nolumus in causis quarum terminus predictus duorum mensium caderet in ultimis quindecim diebus sui officii, si ex ipso processu videretur sequi debere sententia absolutoria. Et nichilominus infra decem dies subsequentes proxime teneatur potestas et iudex predictus ex eisdem actis et sub eadem pena causam seu questionem predictam precise et omnimode terminare. Si tamen ex eisdem actis vel aliter proceserint ad sententiam condemnatoriam non obstante quod instancia perierit non valeat quod fieret et nichilominus teneatur condemnato vel ipsius heredibus eodem modo et cogatur ad solutionem et fiat in omnibus et per omnia, ut dictum est supra in proximo statuto quando condemnant ipsius statuti non servata solemnitate. Et potestas et iudex predictus coram quo causa fuerit et quilibet eorum in solidum teneantur parti, que institerit ut terminetur questio in tanta pecunie quantitate in quanta ex forma statuti vel iuris ubi de hoc statutum non esset condemnari debuisset accusatus vel inquisitus, delicto probato. Et si non deberet esse condemnatio pecuniaria, set alia, teneatur tunc in quingentis libris bononinorum et hoc nisi esset in fine regiminis potestarie ante dictum tempus dictorum duorum mensium, ita quod incideret in tempus novi potestatis, quo casu novus potestas et eius iudices deputati ad hoc omni modo infra unum mensem ab introitu sui regiminis, sub predictis penis talem causam seu causas et questiones debeant terminare si mensis vel minus mense supererit de dicto tempore ab exitu precedentis potestatis vel infra tempus quod supererit et sub dictis penis. Si vero tempus decem dierum superius expresum incidit in tempus novi potestatis, tunc novus potestas similiter teneatur infra unum mensem ab introitu sui regiminis omnimode terminare, sub penis predictis et precesor eius excusetur a pena, que superius continetur, si infra dictos decem dies non terminaverit questionem, sed non a pena, quam iam incurerat eo quod infra duos menses non terminaverit questionem predictam. Processus autem alios silicet eos in quibus accusatus vel inquisitus nondum comparuerat ad mandata coram precesore incoatos terminet novus potestas infra unum mensem, si ad mandata non comparebit accusatus vel inquisitus unus vel plures. Si vero comparebit teneatur terminare infra duos menses a die comparitionis, sub penis iam dictis. Et si non terminaverit infra dictum tempus postea infra decem dies ex eisdem actis omnino terminet et terminari debeat sub dictis penis, prout superius dictum est. Dicimus etiam quod si pendente dicta causa, exceptio vel accusatio proponeretur contra aliquos testes in dicta causa criminali ex officio receptos vel productos vel contra producentes eos vel eum, tunc et eo casu non procedatur in ipsa prima causa principali, nec tempora restancia parti curant potestati aut iudici quoad penas iam dictas, nec ad instanciam cause perimendam nec quoad aliquid aliud pendente questione falsitatis predicte, et talis questio falsitatis omnimode terminetur infra unum mensem ad plus a die, qua proposita fuerit, si fuerit⁹⁰⁶ exceptio proposita. Si vero accusatio infra mensem a die accusationis accusati, ita quod ultra probari non possit et ea finita vel etiam non finita, elapso tamen mense predicto, procedatur ad terminationem prime cause infra tempora, que restabunt tempore propositionis falsitatis predicte, sub dictis penis. Et eo casu, quo finita non fuerit infra mensem predictum, incidat potestas et eius iudex coram quo causa agetur penam quingentarum librarum bononinorum et si contingeret accusatum de tali falsitate condemnari pro ipsa falsitate infra mensem predictum, dictum seu attestatio testis de cuius testimonio proposita fuerit accusatio falsi non valeat et pro nullo reputetur et sit in

⁹⁰⁶ <si fuerit> *in infralinea con segno di inserzione.*

preiudicium eius, contra quem testificatus fuisset in causa principali. Si tamen eo casu accusatio vel notificatio non probetur vel ab ea disistatur vel renunciatur eidem incidat accusator vel notificador ipso iure et facto penam centum librarum bononinorum, que ab eo de facto exigatur et de hoc tempore talis accusationis vel notificationis satisfacere teneatur et aliter non admittatur. Ubi vero accusatus non venerit, set fuerit in figura bamni conscriptus pro tali falsitate, dictum eius non vicietur, nisi accusator illud falsum esse probaverit ad quod amittatur ac si accu//

[c. 227r f. CCXX]

satus ad mandata comparuisset, tunc questio falsitatis terminetur infra mensem a die exemplationis bamni et interim non procedatur, nec tempora currant in causa principali et sive accusatus venerit sive non ad ipsam causam falsitatis citari debeat et possit adesse producens seu offensus vel heres eius, etiam si ex officio testis receptus fuisset.

[24] **De tondolo et tormento. Rubrica.** [cc. 227r-227v]

Quoniam plurimorum officialium levitas sic indiscrete, sic absque ullo temperancie freno prolabitur ad tormenta, quod qualitatem et conditionem subiectorum, quos boni viri gravitas semper habet in speculis, minime contemplatur, quodque austeritati et duricie diversi modi generis tormentorum humane nature nequit resistere fortitudo. Ea de re, ut talis officialium levitas fiat gravis, cogaturque deambulare per semittas rationis huius circumspecte legis promulgatione mandamus quod nullus subici possit alicui generi tormentorum per dominum capitaneum populi, potestatem Bononie vel aliquem de ipsorum vel alicuius eorum curia vel familia vel per alium officialem comunis Bononie, nisi in casibus in quibus dominus potestas sive ipsius curia vel officialis alius procedere tenentur per inquisitionem vel possit, si in eis pena esset personalis vel pecuniaria centum librarum bononinorum vel abinde supra, dum tamen eo casu quo potest inquirere per inquisitionem processerit vel accusatio instituta fuerit, nec in illis, nisi prius legitimis indiciis precedentibus et data copia parti, si eam pecierit per se vel alium, ad quam petendam quilibet admittatur, etiam si eius non intersit et termino assignato petenti ad accipiendum copiam dictorum indiciorum et opponendum, qui terminus minor trium dierum esse non possit, et audita ipsius defensione, si quam facere voluerit per se vel procuratorem suum et nisi in presencia duorum civium dandorum et deputandorum per dominos ancianos quocienscumque casus acciderit quos dare et deputare teneantur ipsi domini anciani et ad omnem requisitionem domini capitanei vel potestatis vel alterius eorum officialis si fuerit civis Bononie talis torquendus vel comitatus vel scolaris studens Bononie in aliqua facultate quos duos sibi deputandos ut supra dicti domini capitaneus et potestas cogere possint et debeant interesse tali turture. Tortus autem vel tormentatus, ut superius dictum est, repeti non possit statim vel etiam ex intervallo, nisi precedentibus novis legitimis indiciis. Et si contra predicta vel aliquod predictorum fieret per dominum capitaneum vel dominum potestatem vel aliquem de ipsorum vel alterius eorum familia vel predicta omnia et singula non observaverint et fecerint et per suam familiam fecerint observari, condemnentur tempore sindicatus sui in libris quingentis bononinorum pro qualibet vice qua fuerit contrafactum in obmitendo vel comitendo, cuius pene dimidia pars applicetur comuni Bononie, alia dimidia iniuriam passo, ut supra, si legitime probatum fuerit et quantum ad predicta sufficiat probare tempore sindicatus predictum fuisse tortum per sacramentum ipsius torti vel patris eius vel heredis ipsius mortui, si ipse tortus mortuus esset, cum probatione de publica voce et fama per quatuor testes etatis ad minus treginta annorum omni exceptione maiores, quo casu si sic fiat probatio nichil applicetur parti de dicta condemnatione, non obstante aliquo arbitrio concessio vel concedendo ex forma alicuius

nostri statuti vel alio quocumque modo in quo tali arbitrio semper intelligantur esse exceptum et salvum statutum presens ‘De tondolo et tormento’ et statutum proxime sequens [25] que quidem probatio quod tortus defecerit in tormentis pro plena et legitima probatione habeatur possit tamen probatio in contrarium admitti. Statuimus etiam quod testes aliqui, qui ex officio super inquisitione vel ad coadiuvationem officii vel super accusatione vel contentis in ea recipiuntur non possint pro testimonio ferendo super ipsa inquisitione vel accusatione vel contentis in ea aliquo modo torqueri vel subici alicui generi tormentorum, nisi in casibus in quibus principalis// [c. 227v]

accusatus vel inquisitus posset torqueri nec tunc nisi⁹⁰⁷ servatis solemnitatibus supradictis. Salvo quod pro aliquo testimonio ferendo precedentibus talibus indiciis vel non, nullus miles, vel doctor, vel iurisperitus canonici vel civilis, vel doctor scientie medicine, vel advocatus qui publice et comunitate advocaciones exercent in civitate Bononie, nec aliquis confalonarius vel massarius durante ipsorum officio, vel scholaris forensis studii civitatis Bononie conscriptus in eorum matriculis vel aliquis minor decem et septem annis, vel maior septuaginta annorum, possit subici alicui tondolo vel tormento, vel aliquis alius, qui de iure comuni torqueri prohibetur, non obstante arbitrio supradicto, ut supra.

[25] **De confessionibus reorum in criminalibus. Rubrica.** [cc. 227v-228r]

Quia sepe de confessionibus, que fiunt super criminibus commissis vel delictis, que comissa dicuntur et earum robore dubitatur, ideo ad tolendum dubitationis materiam, statuimus quod si maior vigintiquinque annis sponte et sine tormentis aliquod crimen confiteatur vel delictum coram iudice, qui de crimine vel delicto possit cognoscere, si de eo crimine vel delicto, de quo confessus est, processerit accusatio vel inquisitio, que de iure procedat, stetur confessioni predictae contra confitentem et in eius prejudicium. Idem dicimus si in tormentis legitime adhibitis et secundum formam precedentis statuti ‘De tondolo et tormento’ [24] confiteatur et perseveret in confessione vel confessionibus, ut stetur dicte confessioni seu confessionibus aliter in tormentis, facta confessione vel secuta, sit irrita et inanis. Ubi autem non procedat accusatio vel inquisitio nec etiam poterat tempore confessionis inquiri, facta confessione adhibitis tormentis vel non, decernimus non valere. Si vero fuerit minor vigintiquinque annis si tamen viginti annorum vel maior possit etiam sine curatore confiteri tormentis adhibitis vel non. Et habeant in eo locum omnia que de maiore vigintiquinque annorum sunt dicta confitente. Si vero minor viginti annis fuerit pubes, qui confessus fuerit cum auctoritate curatoris vel pupili doli capax cum auctoritate tutoris, tormentis non adhibitis, eius confessioni stetur quocumque casu, confessioni maiorum staretur tormentis non adhibitis confitenti et quocumque casu esse in maiore⁹⁰⁸ invalida et in tali minore invalida⁹⁰⁹ censeatur. Confessioni vero a tali minore tormentis adhibitis facte si maior fuerit decem et septem annorum stari debeat ut maioris confessioni staretur, ubi tormentis adhibitis confiteretur. Facte autem tormentis adhibitis a minore annorum decem et septem standum non esse disponimus. Addicientes quod nullum indicium cause sive litis criminalis, que agigaretur cum persona minoris possit per sacramentum minoris firmari, nec possit minoris sacramentum defectum curatoris, cuius presencia et auctoritas fuerit adhibenda, supplere, nec possit in predictis curator dari, qui non sit agnatus vel cognatus seu affinis dicti minoris et si talis comode haberi non possit, detur unus ex procuratoribus comunis

⁹⁰⁷ <nisi> *in infralinea*.

⁹⁰⁸ <maiore> *dittografato*.

⁹⁰⁹ <et in tali minore invalida> *in infralinea con segno di inserzione*.

Bononie. Addicientes quod nulla excusatio seu responsio in aliqua criminali recipi possit, nisi ad dischum malleficiorum et hora iuridica et palacio aperto et in presencia saltem duorum civium civitatis Bononie, qui non sint nuncii vel campanarii et in presencia alterius ex notariis forensibus deputatis ad scribendum responsiones reorum ultra notarios potestatis. Et notarius actorum in actis suis de predictis mentionem facere teneatur, sub pena dicto notario predicta obmittenti vigintiquinque librarum bononinorum et si aliter fiat dicta confesio vel responsio sit ipso iure nulla et quod inde sequeretur. Et nichilominus iudex non servans formam predictam puniatur in centum libris bononinorum pro qualibet vice. Item dicimus, quod facta semel responsione per accusatum vel inquisitum accusationi vel inquisitioni non possit ab eo alia responsio contraria prime recipi et si alia reperiatur⁹¹⁰ facta responsio diversa a prima, inteligatur esse facta et extorta per tormenta et metu tormentorum, nisi post primam responsionem supervenerint nova indicia//

[c. 228r f. CCXXI]

vel probationes de quibus constare debeat in actis notarii dicte cause. Et de quibus indiciis vel probationibus ante secundam responsionem debeat dari copia dicto accusato vel inquisito petenti vel alii cuicumque petenti etiam si sua non intersit cum termino competenti ordinando hora iuridica et ad dischum malleficiorum dicto accusato vel inquisito ad purgandum dicta indicia vel reprobandum dictas probationes, qui terminus minor esse non possit trium dierum, alias dicta secunda responsio diversa a prima non valeat ipso iure et ex ea condemnatio sequi non possit. Et nichilominus officialis, qui dictam secundam responsionem contra formam predictam receperit, penam incurrat quingentarum librarum bononinorum pro quolibet predictorum contrafacto vel obmisso et similem penam incurat notarius.

[26] **De condemnationibus et absolutionibus legendis et publicandis. Rubrica.**
[cc. 228r-228v]

Statuimus quod omnes condemnationes personales vel pecuniarie excedentes quantitatem decem librarum bononinorum vel abinde supra comuni Bononie applicande in totum vel pro parte prolatae in causa criminali per quoscumque condemnandi iurisdictionem habentes et quacumque de causa fieri contingeret ipsas condemnationes vel absolutiones in civitate Bononie fiant et fieri debeant et legantur publice in Consilio Octingentorum vel in arengo et ante quam legantur, teneatur notarius, qui debet eas legere, facere duas copias in formam publicam unius, eiusdemque tenoris in membranis, et ante quam legat unam ex illis tradere⁹¹¹ copiam uni ex notariis camere actorum vel dischi Ursii, qui ascultet eam cum notario, qui legat, que copia sic ascultata remaneat et remanere debeat penes illum notarium, qui ascultaverit et deponatur ad dischum Ursii si fuerit ex notariis dicti dischi ille, qui ascultaverit, alia incontinenti ea lecta et sententiata promulgata, tradatur et deponatur ad cameram actorum et penes officiales ipsius camere per notarium, qui eam legerit et e converso si ascultaverit unus ex notariis camere actorum illa, quam ascultaverit, remaneat et remanere debeat ad cameram actorum et penes officiales ipsius camere, alia autem copia, quam legerit ipse notarius, qui condemnationem legerit, tradatur et deponatur incontinenti apud dischum Ursii et penes officiales dicti dischi per ipsum notarium, qui eam legerit, exceptis condemnationibus personalibus, que solum ad cameram actorum comunis et populi Bononie debeant consignari, sub pena ipsi notario, qui eas legerit, centum librarum bononinorum. Et ab his excipimus sententias condemnatorias super sindicatu alicuius officialis ferendas, que

⁹¹⁰ <reperiatur> *corregge* recipiatur.

⁹¹¹ <tradere> *nel testo* tradedere.

etiam valeant non servata solemnitate predicta. Et aliquibus talibus condemnationibus, que sic deposite non reperirentur nulla fides adhibeatur et ex eis nulla possit fieri exactio. Et in qualibet sententia exprimantur et specificentur nomina omnium iudicum domini potestatis de quorum consensu lata fuerit sententia et tali scripture stetur et credatur quod sic nominatim consenserint, admittatur tamen probatio in contrarium, que fieret per publicum instrumentum, que sententia fieri non possit, nisi cum consilio et in presentia omnium iudicum dicti potestatis vel maioris eorum et si aliter facta fuerit siquidem sententia fuerit personalis, incidat potestas penam mille librarum bononinorum; si vero pecuniaria, incidat penam tante quantitatis quanta fuerit quantitas in sententia contenta comuni Bononie applicanda. Item dicimus quod nullus possit appellare vel restitutionem impetrare contra aliquam condemnationem personalem vel pecuniariam que veniat comuni Bononie applicandam faciendam in causa aliqua criminali, quocumque modo fiat per quemcumque condemnandi iurisdictionem habentem vel nullam dicere seu de nullitate opponere si lecte, publicate et deposite reperiantur, ut supra vel saltim deposite, si tales sint, que alibi legi et publicare possint et quod contra fieret non valeat ipso iure. Dicimus etiam quod nulla sententia condemnatoria feri debeat in aliquem, nisi prius assignata competenti vel debita dilatione ad sui defensionem faciendam alias teneatur ad interesse condemnato et ultra penam incidat centum librarum comuni Bononie applicandam, sed ex hoc non vicietur condemnatio, que⁹¹² aliter facta diceretur. Addicientes quod omnes//
[c. 228v]

absolutiones difinitive fiende de aliquibus accusatis vel inquisitis fiant et fieri debeant in Consilio Octingentorum vel in arengo sicut de condemnatione dictum est et in publicam formam dentur et dimittantur officialibus dischi Ursii et penes eos ipsa die, qua fieret absolutio supradicta, sub pena centum librarum bononinorum notario, qui legerit absolutionem, si non fecerit supradicta et nichilominus valeat absolutio predicta. Item volumus quod potestas vel alius officialis comunis Bononie non possit aliquas sententias absolutorias⁹¹³ fere in quindecim diebus ultimis sui officii, sub pena predicta librarum centum bononinorum nec valeat absolutio. Insuper mandamus quod reus condemnatus ex aliquo crimine nullo modo valeat in expensis condemnari, nisi fuerit accusatus, quo casu debeat in expensis condemnari victori sicut fieret in civilibus causis et si condemnaretur ipso iure sit nulla condemnatio in ea parte et in ea non possit fieri exactio.

[27] Quod loco pene pecuniarie non imponatur personalis conditionaliter⁹¹⁴ vel alio modo. Rubrica. [c. 228v]

Ordinamus quod alicui condemnationi vel multe pecuniarie, que fieret vel induceretur occasione alicuius malleficii non adiciatur conditionaliter vel alio modo quod si condemnationem non solverit penam aliquam personaliter paciatur, nisi hoc expresse dicatur in aliquo nostro statuto vel nisi potestas haberet arbitrium ex forma nostrorum statutorum de tali malleficio imponendi penam realem et personalem et quod nullus possit vel debeat depingi pro aliquo malleficio in palacio vel domibus palaciorum comunis Bononie, nisi⁹¹⁵ aliquo nostro statuto aliter caveretur. Possint tamen condemnati de falso mitriari et si gravissima causa potestatem et iudicem ad exasperandum penam moveret etiam depingi.

⁹¹² <que> aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

⁹¹³ <absolutorias> corregge absolutor.

⁹¹⁴ <conditionaliter> nel testo conditionalis.

⁹¹⁵ <nisi> in infralinea con segno di inserzione.

[28] **Quod nulla executio personalis fiat in civitate Bononie. Rubrica.** [c. 228v]

Dicimus quod nulla executio pene personalis, per quam vitam vel membrum sive pars aliqua corporis adhimatur, fiat in civitate Bononie nisi fustigatio, set extra civitatem Bononie in locis consuetis vel aliis ordinandis vel alibi ubi videbitur potestati, nisi causa necessaria appareat vel iusta causa arbitrio dominorum ancianorum et ipsius potestatis, inspecta conditione persone et delicti qualitate. Et teneantur custodes carceris novi et veteris silicet quilibet carceratorum sui carceris facere expensas necessarias circa executiones penarum personalium et universitas vel alia singularis persona possit aggrevari occasione dicte exequutionis, nisi more solito manigoldi marochi dum tamen non sint cives vel comitatini.

[29] **De termino dando condemnatis et eorum fideiuxoribus ad condemnationem fiendam.** [cc. 228v-229r]

Statuimus quod quicumque fuerit condemnatus in comuni Bononie habeat terminum unius mensis ad condemnationem solvendam et eius fideiussores terminum duorum mensium, qui termini curare incipiant a die condemnationis facte. Quibus⁹¹⁶ mensibus ellapsis, silicet uno mense pro principali et duobus mensibus pro fideiussoribus computato in his duobus mensibus dicto uno mense dato principali capiantur et compellantur modis omnibus quibus fieri poterit per dominum potestatem et eius iudices et maxime per iudicem prepositum ad dischum Ursii, nec relaxentur ipsi vel aliquis ipsorum, donec solverint condemnationes predictas et penam quarti et⁹¹⁷ hoc habeat locum in omnibus condemnationibus fiendis, nisi in quibus ex forma alicuius nostri statuti vel arbitrii domini potestatis ubi potestas ex forma presentium statutorum haberet arbitrium specialiter minor terminus assignatus vel datus esset. Salvo quod⁹¹⁸ fideiussores si principalem personam condemnatam representaverint infra terminum ipsi principali vel fideiussoribus supra datum vel si sit in carceribus et⁹¹⁹ fideiussores protestati fuerint domino potestati quod ipsum rectineat pro dicta condemnatione infra dictum terminum, quo casu statim potestas teneatur ipsum facere//

[c. 229r f. CCXXII]

recomendari in carceribus pro dicta condemnatione vel ipse principalis se ipsum infra dicta tempora exhibuerit dicto domino potestati vel iudici Ursii et detemptus stare voluerit in carceribus comunis Bononie pro dicta condemnatione quod iudex Ursii talem condemnatum et presentatum per fideiussorem suum vel se exhibentem recipere teneatur et detinere ipsum nec eum relaxare, nisi soluta condemnatione facta de eo cum pena quarti si eam incurisset vel nisi dederit bonam et ydoneam⁹²⁰ securitatem⁹²¹ de condemnatione et pena precise solvenda ad terminum ipsi vel dicto fideiussori supra datum. Et isto casu presentato vel detempto postea principali is qui secundo fideiusserit non liberetur, nisi facta solutione condemnationis et ab eo exactio fieri possit et per huiusmodi primam representationem, exhibitionem et detemptionem is, qui primo fideiusserit pro condemnato sive unus sive plures sint absoluti⁹²² a condemnatione predicta. Et idem inteligatur ubi principalis esset in carceribus tempore condemnationis

⁹¹⁶ <Quibus> segue duobus cassato per sottolineatura.

⁹¹⁷ <et> in infralinea con segno di inserzione.

⁹¹⁸ <quod> segue si depennato.

⁹¹⁹ <et> segue si depennato.

⁹²⁰ <ydoneam> segue fideiussionem cassato per sottolineatura.

⁹²¹ <securitatem> corregge securitatibus.

⁹²² <absoluti> nel testo absuti.

pro crimine pro quo condemnaretur⁹²³ quo etiam casu retineatur et non relaxetur ut supra. Dicimus etiam quod soluta condemnatione pecuniaria cum pena quarti, si in eam incidisset, omnis alia pena que tacita sequeretur ex ipsa condemnatione aboleatur et tollatur et pro abollita sit et habeatur. Salvo quod quicumque de cetero occasione alicuius falsitatis cuius pena esset personalis vel pecuniaria centum librarum bononinorum vel abinde supra condemnatus, bamnitus seu publicatus erit debeat tolli et cancellari de singulis societatibus comunis Bononie. Item dicimus, quod terminus et termini supradicti dati ad solvendum, minorari seu minui non possint per dominum potestatem vel alium officialem et si minoratus fuerit ipsa minoratio non teneat ipso iure, nisi haberet arbitrium ex forma nostrorum statutorum ut supra.

[30] De compensatione seu detractioe condemnationum fiendarum. Rubrica.
[c. 229r]

Ordinamus quod quicumque fuerit in comuni Bononie condemnatus, quacumque de causa, solvere debeat condemnationem ipse vel eius fideiussores ad terminum seu terminos in statutis contentos et contentum et possit rectinere sic solvendo ad terminum seu terminos de ipsa condemnatione quatuor solidos bononinorum pro qualibet libra et si non solverit ad terminum seu terminos incidat penam quarti. Ita tamen quod si principalis non solverit infra terminum sibi ordinatum fideiussor nichilominus solvendo infra suum terminum habeat beneficium huius statuti et principalis in residuo et pena quarti remaneat comuni Bononie obligatus nec fideiussor habeat regresum contra principalem, nisi ad quantitatem quam solverit et expensas quas fecerit et interesse quod incurerit occasione predicta. Dicimus etiam quod quicumque fuerit condemnatus existens in forciam comunis Bononie et ratione ipsius condemnationis detemptus fuerit in carceribus comunis Bononie vel quicumque alius condemnatus, qui post condemnationem infra mensem se ipsum presentaverit et steterit in ipsis carceribus occasione condemnationis predictae penam quarti non incidat etiam si non solverit ad terminum supradictum.

[31] De contumacia et inhobedientia quomodo et qualiter et quod eius pena exigatur. Rubrica. [cc. 229r-229v]

Cum contingat plurimum aliquos fideiubere in comuni Bononie de aliquo presentando vel aliquid dando, solvendo vel faciendo adiecta certa pena vel non et aliquos se obligare comuni Bononie ad aliquid dandum, solvendum vel faciendum cum pena vel sine et de hoc fideiussores prestare et postmodum contumaces existant non obtemperando potestati vel officiali seu iudici cuius de hoc foret officium et sic non obtemperando delinquant. Idcirco ut ad hoc ut solvatur comuni Bononie quod debetur et fiat sine streppitu et figura iudicii, statuimus, quod potestas vel officialis cuius de hoc esset iurisdictio vel officium seu officialis coram quo facta fuerit promissio possit precipere personaliter vel per nuncium comunis Bononie precipi facere personaliter vel ad domum//

[c. 229v]

habitationis tali debenti principali et fideiussori quod solvant vel faciant quod in promissione deveniat cedente die. Et si contumax sic requisitus existerit possit eius contumacia puniri prout licet ex forma nostri statuti ‘De modo multarum’ [32] loquentis et etiam realiter et personaliter mero ipsius officialis officio ad solvendum et faciendum compelli omni iuris et statutorum solemnitate obmissa. Et si pena fuerit apposta ipso

⁹²³ <condamnetur> segue et cassato per sottolineatura.

iure et facto comitatur et comissa intelligatur et de facto exigi possit et debeat realiter et personaliter quibuscumque remediis opportunis. Item dicimus quod penas et banna impositas et imposita in non obtemperantes per dominum potestatem vel eius vicarium, que centum solidos non exceperint metas possit is, qui imposuerit, ipso facto exigere et solvi facere depositario officio Ursi preposito in totum vel in partem prout iustum sibi videbitur, servata forma, que in talibus requiritur, tradita in statuto nostro ‘De officio et iurisdictione domini potestatis’ [II, 6] et aliis statutis de hoc loquentibus nec alteri nec alibi et si alteri vel alibi solvi fecerit penam incurat dupli eius quod solvi fecerit ipso facto.

[32] **De modo multarum. Rubrica.** [cc. 229v-230r]

Decernimus et firmamus quod nulla multa dari possit deinceps, nisi per dominum potestatem vel eius vicarium, nec etiam per predictos de maiori quantitate quam sit quantitas vel extimatio rei cuius occasione multa huiusmodi processerit. Si vero fuerit occasione alicuius facti faciendi vel alia de causa cuius non possit congrue fieri extimatio quantitatis, tunc non possit dari ultra quantitatem pene, que imponi deberet per formam aliquorum statutorum nostrorum. Si autem pena aliqua dicto modo imposita non inveniretur, tunc multa detur arbitrio domini potestatis vel eius vicarii considerata qualitate facti et inobediencie et personarum conditione arbitrio boni et gravis viri in his que spectant ad⁹²⁴ officium domini potestatis vel eius vicarii, dum tamen non possit excedere sumam viginti quinque librarum boninorum. Dicimus etiam quod multa dari possit per dominum potestatem vel eius vicarium occasione cuiuscumque inobediencie, que fieret alicui officiali palatii comunis Bononie. In exercitibus autem et cavalcatis dominus potestas vel eius vicarius aut alius capitaneus exercitus et cavalcate possit multare suo arbitrio, possit etiam tunc per notarium quemlibet, licet non sit deputatus ad multas, huiusmodi multe scribi, legi et publicari dum tamen ipse notarius, qui legerit, post reditum exercitus et cavalcate, infra octo dies ipsam multam et omnem processum factum super his et eorum occasione dare et consignare teneatur notariis deputatis ad dischum Ursii vel alteri eorum, sub pena dupli eius, quod in multa continebitur ad voluntatem eius, qui dictam multam dederit seu dari fecerit. Dicimus etiam quod nulla multa exempletur vel mittatur aut designetur ad dischum Ursii infra terminum multe, nec etiam post ipsum terminum, nisi de licencia et mandato domini potestatis vel eius vicarii vel eius, qui dictam multam dederit vel promulgaverit et ad petitionem eius, qui dari fecerit si ad alterius petitionem processerit et non aliter, et tabelio, qui predicta non fecerit vel aliter quam dictum est superius multas datas designaret ad dischum Ursii et propterea multatus damnum aliquod pateretur teneatur talem multatum indennem conservare et ad hoc cogi possit summarie et de plano, sine streppitu et figura iudicii. Ipse autem multe date et assignate ad dischum Ursii secundum modum et formam predictam exigantur per potestatem seu eius iudicem exactorem ad dischum Ursii. Preterea dicimus quod omnis multa data vel danda alicui comuni, massario, sindico seu hominibus alicuius terre vel simul comuni, massario et hominibus seu comuni, massario, sindico et hominibus vel comuni, massario vel comuni et hominibus alicuius terre intelligatur una multa tantum et pro una multa tantum exigatur tamquam//
[c. 230r f. CCXXIII]

si uni homini tantum data fuisset. Et idem intelligatur in quibuscumque et de quibuscumque condemnationibus factis vel fiendis de predictis simul vel separatim, ut supra et pro una tantum habeatur et exigatur. Et si contra formam predictam de cetero reperiatu aliqua multa posita ad dischum Ursii vel non servatis solemnitatibus predictis

⁹²⁴ <ad> segue arl cassato per sottolineatura.

ipso iure nulla sit et pro non scripta et posita habeatur et impune cancelari, de qua nullitate cognoscere possit potestas et eius vicarius et iudex exactor ad dischum Ursii et quilibet eroum, qui fuerit requisitus. Possit tamen, qui multaverit ipsam multam revocare in totum vel pro parte prout eidem iustum et equum videbitur quandocumque, antequam exacta fuerit. Prohibentes quod potestas vel aliquis eius officialis vel officialis comunis Bononie non habeat, non teneat, nec esse permittat aliquem cippum, cassam vel aliquid aliud in palacio vel domo sue residence vel alibi in quo poni faciat seu permittat aliquam quantitatem pecunie ratione contumacie vel inobediencie seu delicti, sub pena quingentarum librarum bononinorum. In predictis autem omnibus possit procedi omni tempore, quo ius reddi possit in criminalibus causis ex forma statutorum.

[33] **De comitatibus non detinendis pro factis singularium personarum.** [c. 230r]

Item dicimus quod aliqua singularis persona alicuius terre, comitatus vel districtus Bononie etiam si fuerit massarius vel syndicus, non possit vel debeat capi vel detineri seu sequestrari aut aliter realiter vel personaliter requiri vel molestari occasione alicuius dacia vel gabelle vel alicuius debiti pecuniarii alicuius singularis persone vel universitatis alterius quam comunis Bononie de qua aliqua alia singularis persona de dicto comitatu vel districtu vel de civitate Bononie vel aliunde dicatur esse malpaga, nisi talis persona esset specialiter et expresse obligata et nisi aliud in nostris statutis contineatur et si contrafieret omnino ad petitionem cuiuslibet relaxetur et persona detempta et quecumque ablata restituantur. Et nichilominus, qui contrafecerit vel fieri fecerit seu mandaverit ipso facto cadat ab omni suo iure pro quo fecerit seu fieri fecerit supradicta. Et insuper penam incidat centum librarum bononinorum et damna, expensas et interesse detempto seu aliter gravato resarcire teneatur et ad hoc omni tempore compelli possit sine streppitu et figura iudicii de quibus expensis damnis et interesse credatur sacramento capti vel aliter, ut supra, gravati tassatione premissa ab officiali vel iudice, qui cognoverit de predictis. Teneantur tamen massarii terrarum predictarum obedire in predictis domino potestati et suis iudicibus et officialibus et alteri cuicumque iudici competenti et eius inobediencia puniri possit secundum formam nostrorum statutorum.

[34] **De protestationibus faciendis et modo et forma ipsarum. Rubrica.** [cc. 230r-230v]

Ordinamus quod sit licitum cuilibet per se seu suum procuratorem vel alteri eius coniuncto, usque ad quartum gradum, denunciare seu protestari domino potestati et familiaribus eius et quibuscumque officialibus comunis Bononie forensibus quecumque sibi utilia crediderit pro conservatione iuris sui, ne sibi tortum vel iniusticia fiat vel observet contenta in aliqua lege municipali comunis Bononie et facta denunciatione domino potestati Bononie vel alicui de sua familia vel alicui alteri officiali comunis Bononie, teneatur incontinenti ipse protestans et denuncians copiam ipsius protestationis seu denunciationis dimittere penes ipsum, cui facta fuerit ipsa protestatio seu denunciatio. Item dicimus quod denunciantibus aut notariis instrumentum de denunciationibus facientibus aut testibus ad predicta nulle iniurie⁹²⁵ vel molestie seu quovis alia gravamina realia seu personalia inferantur, detinendo eos vel aliqua precipiendo vel faciendo aliquam aliam iniuriam vel molestiam seu processum ex causa vel occasione protestationis predictae. Dicimus tamen quod quandocumque contingerit aliquem velle facere aliquam denunciationem vel//

[c. 230v]

⁹²⁵ <iniurie> in *infralinea con segno di inserzione*.

protestationem domino potestati vel alicui de sua familia quod liceat illam denunciationem vel protestationem facere per se vel alium, ut supra, coram dominis ancianis presente cancellario vel uno ex notariis dominorum ancianorum et sic facta perinde habeatur ac si foret facta illi officiali cui vellet protestationem vel denunciationem facere. Teneatur tamen dictus cancelarius vel notarius predictus, qui fuerit presens denunciationi vel protestationi ea die qua facta fuerit quam citius poterit facere eam notam domino potestati vel ei ex suis familiaribus cui fienda erat protestatio seu denunciatio. Si vero vellet facere protestationem vel denunciationem alicui alteri officiali comunis Bononie, tunc possit protestatio fieri coram domino potestate vel aliquo ex iudicibus suis, qui teneatur eam facere notam ei cui fienda fuisset denunciatio vel protestatio incontinenti quam citius poterit ea die, qua facta fuerit, sub pena cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice ducentarum librarum bononinorum comuni Bononie applicanda.

[35] Quod liceat ei cui plura delicta impinguntur se super uno tantum nec cogatur se super alio excusare. Rubrica. [c. 230v]

Statuimus et ordinamus quod quocienscumque diversa delicta alicui impinguntur antequam compareat ad mandata sive in uno libelo sive in pluribus, sive ordinarie sive ex officio procedatur, licitum sit ei ratione delicti maioris comparere ad mandata et se excusare, quo casu ratione alterius delicti cuius ratione comparere noluerit, procedatur contra eum perinde ac si ad mandata nullo modo comparuisset, nec possit ad mandata veniens ratione delicti minoris detineri aut detemptus existens retineri occasione alterius delicti minoris, super quo noluerit se excusare, set terminata lite delicti maioris, super quo se excusaverit, libere relaxetur, si terminatio illius litis eum non impediatur relaxari. Si vero estimatione illius litis impediatur eius relaxatio, ita quod detemptus remaneat et ex processu facto contra eum ratione delicti minoris, super quo se non excusaverit, processum fuerit ad banni dationem et exemplationem nullo modo fiat personalis executio banni eo existente detempto et si contingeret eum relaxari habeat unam diem integram et liberam post diem relaxationis immediate pro recessu, qua die in omnibus et per omnia tractetur ac si banitus non foret. Et idem dicimus, si pendente processu cause delicti, super quo se excusaverit, relaxari deberet et interim processus delicti, super quo se non excusaverit, terminatus fuerit banniendo. Et idem dicimus quoad omnia supradicta, si super uno delicto se excusaverit et eo existente ad mandata sibi delictum aliud impingatur, salvo et exceptato si ex percussione seu vulnere dicatur mors subsecuta, quo casu non obstante quod excusatio sit facta super vulnere seu percussione nichilominus cogatur super delicto homicidii se excusare, quo casu predicta non vendicent sibi locum.

[36] De modo citandi universitatem. Rubrica. [c. 230v]

Quia multociens occasione malleficiorum contingit universitatem citari, cridari seu requiri debere, statuimus quod quocienscumque de cetero imineret casus alicuius citationis, cride seu requisitionis occasione malleficiorum fiende de aliqua universitate alicuius terre comitatus Bononie seu districtus fiat citatio, requisitio seu crida hoc modo et forma videlicet in arengho dicte universitatis, sive universitas tota sive pars universitatis ibi foret cum massario congregata, vel ad domum in qua solita est dicta universitas congregari et in quatuor vel quinque ex magis publicis seu comunibus trivis dicte terre, si tot trivis ibi adsint, alioquin in omnibus triviis dicte terre. Et massario dicte universitatis citato personaliter ad domum et pulsata campana ad cuius

pulsationem consuevit dicta universitas congregari et de predictis credatur relationi nunciarum, qui predicta dixerint se fecisse.
[c. 231r f. CCXXIII]

[37] **De modo et forma medicorum elligendorum et ipsorum salario. Rubrica.**
[cc. 231r-231v]

Ordinamus quod dominus potestas singulis sex mensibus in principio sui regiminis mitere teneatur pro uno medico pro quarterio de melioribus et dignioribus scientie cerogie et medicine et sacramento primo⁹²⁶ prestito ab eis medicis, faciat sibi dari omnes medicos civitatis Bononie expertos in arte cerogie et medicine, qui sint treginta annorum cives civitatis Bononie origine propria, paterna et avita vel saltem duabus ex eis et audiverint scientiam medicine et in ea studuerint per tres annos ad minus ac in ea praticaverint per duos annos ad minus et de his talibus, qui sic dabuntur, fiat publicum instrumentum et nomina eorum semel tantum nomine cuiuslibet illorum, qui sic dabuntur, scripti in equalibus brevibus equaliter plicatis in uno saculo⁹²⁷ et iste saculus ponatur apud dominum potestatem Bononie vel eius vicarium. Et si casus evenerit quod oporteat micti medicos ad mortuum vel vulneratum extrahantur per dominum potestatem vel eius vicarium seu iudicem malleficiorum medici mittendi de dicto saculo, ubi sunt nomina et ponantur postea in quodam alio saculo illa nomina extracta et si finirentur nomina ante difinitum tempus regiminis ipsius potestatis, reddeatur ad capud usque finem ipsius regiminis et sic singulis sex mensibus fiat. Et sic extracti ire teneantur ad videndum et examinandum in causis permissis ex forma nostrorum statutorum et maxime statuti positi sub rubrica ‘Quot homines possint inculpare de morte’ [11] et statuti positi sub rubrica ‘De pena percutientis seu vulneratis vel insultantis aliquem et cetera’ [62] quecumque vulnera illata ad petitionem eius, qui dicatur⁹²⁸ offendisse vel offensus fuisse vel quandocumque videbitur domino potestati ex informatione, quam habere poterit, vulnera esse talia, ex quibus merito videri debeat per medicos et aliter non. Et referre teneantur dicti medici sic mittendi conditiones et qualitates vulnerum sic illatorum prout tenentur ex forma dictorum statutorum. Et habere debeant salarium dumtaxat infrascriptum. Et si aliquis medicus mitteretur ad mortuum vel vulneratum contra formam predictam vel⁹²⁹ in casu non⁹³⁰ permissa a nostris statutis, condenetur iudex domini potestatis vel potestas, qui miserit in centum libris bononinorum. Et medicus, qui scienter⁹³¹ iverit contra dictam formam, eandem penam incurat et nullum salarium percipiat et perceptum alio modo restituere teneatur. Et quod in dicto saculo non ponatur aliquis alius nisi illi, qui dati fuerint. Et si contrafactum fuerit condemnetur dictus potestas vel iudex in vigintiquinque libris bononinorum pro quolibet posito contra dictam formam. Fiat autem solutio medicis hoc modo, videlicet pro quolibet eorum quando iverint ad aliquem vulneratum vel mortuum per civitatem vel burgos decem solidorum bononinorum ad plus, set in guardia quindecim solidorum bononinorum ad plus. In comitatu autem habeant pro quolibet eorum et quolibet die, quo iverint et steterint, treginta solidorum bononinorum et non ultra etiam pro expensis cibi vel potus vel victuris equorum⁹³² vel alia quacumque ratione vel causa. Et si duo fuerint vulnerati in eadem villa, quorum vulnera sint

⁹²⁶ <primo> *in infralinea.*

⁹²⁷ <saculo> *corregge seculo.*

⁹²⁸ <dicatur> *corregge dicerentur.*

⁹²⁹ <vel> *segue non depennato.*

⁹³⁰ <non> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁹³¹ <scienter> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁹³² <equorum> *corregge roncinorum di mano diversa.*

videnda, possint habere ad plus XI solidos bononinorum pro quolibet medico et qualibet die ut supra⁹³³. Et solvatur ipsi medico primo de bonis offendentis, vel qui offendisse diceretur, si haberi poterint, alias de bonis ipsius, qui pecierit medicos mitti vel heredis mortui vel vulnerati, si petierit medicos micti et aliter non. Et in subsidium expensis illius terre in cuius curia factum fuerit malleficium, quando non inveniretur de bonis offendentis vel qui diceretur offendisse vel medicos⁹³⁴ micti petentis, ita etiam quod quilibet, qui solvet summarie, semper possit sibi facere satisfieri in bonis dicti offendentis seu qui diceretur offendisse vel medicos micti petentis seu heredis, ut supra successive. Et nichil aliud quam ut supra possint habere quotcumque⁹³⁵ fuerint vulnerati in curia eiusdem terre ad quam irent vel qui solvere dicto modo deberent. Et ultra quam unus medicus mitti non possit//

[c. 231v]

ad videndum predicta, nisi magna et evidenti ardua causa, quo casu duo medici ad plus mitti possint pro morte tamen illata quocumque modo unus tantum medicus micti possit. Adhicientes quod quocienscumque vulneratus possit personaliter venire ad iudicem malleficiorum, nullus medicus mittatus, nisi expensis petentis, sub pena quinqueginta librarum bononinorum iudici qui miserit. Et unus solus nuncius cum eo vel eis mittatur vel vadat ad predicta, qui pro suo salario et labore habere debeat solum tres solidos bononinorum, si iverit in civitate vel guardia, si vero comitatu solidos quinque bononinorum ad plus, de quo sibi satisfiat solum⁹³⁶, ut supra de medicis dictum est. Insuper providere volentes indemnitatibus comitatum comitatus Bononie damus licenciam massario et sindico eius universitatis, castri vel ville in cuius curia comissum foret aliquod malleficium ad quod denunciandum teneretur massarius ex forma alicuius nostri statuti quod comisso tali delicto possit capere tantum de bonis talis malefactoris, quod satisfacere possit medicis et nunciis comunis Bononie si illuc medicos ire contingat occasione talis malleficii. Que bona, si dicto massario vel sindico videbitur, possint sequestrari penes quamcumque personam et⁹³⁷ que bona pro dictis expensis dictus massarius vel sindicus vendere possint quantum expediens fuerit pro solvendis expensis occurrentibus occasione talis malleficii.

[38] Quod scolares universitatum Studii bononiensis cuiuslibet facultatis tamquam cives in maleficiis habentur. Rubrica. [c. 231v]

Quia ex statutis huic retro conditis reperimus quod scolares universitatis scolarium Studii bononiensis, cuiuslibet facultatis, in causis eorum debeant haberi ut cives civitatis Bononie, idcirco nolentes in hac parte statutis antiquis detrahere noviter, statuimus et firmamus quod omnes et singuli scolares forenses, qui sunt vel erunt de dictis universitatibus vel altera earum et in matricula ipsarum universitatum vel alterius earum conscripti, qui comiterent aliquod malleficium vel delictum vel contra quos comitteretur debeant in predictis maleficiis⁹³⁸ censi, haberi et reputari ac etiam iudicari et esse debeant et sint ut alii cives civitatis Bononie et quod in omnibus et per omnia sint tractentur et habeantur comittentes aliquod malleficium vel delictum vel si in eos vel contra eos comitteretur, ut alii cives. Salvo quod presenti privilegio scolarium non gaudeat aliquis, qui extimatus reperiatur in civitate Bononie vel eius assendens vel qui

⁹³³ <XI solidos bononinorum pro quolibet medico et qualibet die supra> *aggiunta da mano diversa*.

⁹³⁴ <medicos> *segue per depennato*.

⁹³⁵ <quotcumque> *segue fuerint vulnerati in eundem illata ubicumque facta et quotcumque depennato*.

⁹³⁶ <solum> *in infralinea con segno di inserzione*.

⁹³⁷ <et> *in infralinea con segno di inserzione*.

⁹³⁸ <maleficiis> *in infralinea con segno di inserzione*.

non sit vere scholaris et publice pro scolari habeatur vel qui esset beneficiatus in civitate Bononie vel districtu.

[39] **Quando et in quibus casibus presencia statuta vendicent sibi locum.**
Rubrica. [c. 231v]

Verum quia tempore publicationis statutorum presentium processus quidam in malleficiis tunc comissis reperientur pendentes, ne ambiguitas aliqua, predictorum de causa, possit contingere vel oriri, statuimus quod post publicationem presentium statutorum in complendis his processibus, qui penderent modus et forma statutorum veterum debeat observari. Pene autem impositio fiat prout et secundum quod in ipsis statutis veteribus vigentibus nostre publicationis tempore declaratur. In malleficiis vero retro comissis, super quibus nondum fuerit incoatus processus, incoari et finiri processus debeat, ut sanciant statuta ista nunc per nos edicta, sed in pena statuta predicta vetera observentur.

Incipit tractatus de penis.

[40] **Et primo de pena blasfemantis dominum Deum nostrum matremque eius vel sanctos. Rubrica.** [cc. 231v-232r]

Ordinamus quod quicumque blasfemaverit dominum Deum nostrum vel eius matrem vir//

[c. 232r f. CCXXV]

ginem gloriosam vel aliquos Sanctos vel Sanctas Dei condemnetur in quinquaginta libris bononinorum pro prima vice. Et si post condemnationem de eo factam reperiatur eundem iterum predictum malleficium comisisse condemnetur in centum libris bononinorum. Et si post secundam condemnationem reperiatur predictum malleficium comisisse condemnetur in centumquingenta libris bononinorum, cuius medietas condemnationis seu banni sit comunis Bononie et alia medietas sit accusantis seu denunciantis; quam penam si non solverit et fuerit in forciam potestatis fustigetur per civitatem Bononie publice et de die et ligetur postea ad catenam et ibi stare debeat per totam diem cum facie discoperta, quam catenam apponi faciat et de novo firmari dictus potestas in muro crucis posite in platea infra quindecim dies statutorum presentium facta publicatione si ibi firmata non reperiretur et hoc expensis comunis Bononie. Si vero non venerit in forciam comunis Bononie ponatur in bamno comunis Bononie pro malleficio predicto de quo bamno perpetuo cancellari non possit, nisi solveret dictas quantitates, ut supra, nec possit similiter modo aliquo cancellari et si cancellatus fuerit pro non cancellato habeatur et potestas teneatur talem cancellatum reponi facere in eodem bamno infra terciam diem postquam fuerit requisitus. Et si talis banitus venerit in forciam comunis Bononie amputetur ei lingua infra terciam diem, nisi solverit dictum bannum seu penam et quilibet possit accusare. Et si quis post condemnationes vel banna predicta quarta vice comiserit aliquid ex predictis malleficiis fustigetur per civitatem et ei lingua debeat amputari.

[41] **De pena disputantis contra fidem catholicam. Rubrica.** [c. 232r]

Providemus quod nullus audeat vel presumat vel debeat in domo vel in via vel alibi contra fidem catholicam disputare vel aliam heresim defendere et si aliquis contra fecerit et venerit ad mandata condemnetur realiter vel personaliter arbitrio domini potestatis, considerata facti qualitate et personarum conditione. Si vero non venerit ad mandata ponatur in bamno et omnia eius bona publicentur si probatum fuerit contra eum, nisi hoc fuerit gratia scientie et doctrine fidei Christiane et non in fraude.

[42] **De pena impediensis officium inquisitoris. Rubrica.** [c. 232r]

Volentes quod hereticorum et fautorum pravitatis heretice oppiniones et selera puniantur et quod ipsorum corectiones et pene sint aliis in exemplum hac provida lege mandamus quod nullus officialis comunis Bononie aut alius singularis cuiuscumque conditionis existat, audeat vel presumat modo aliquo seu causa se opponere officio inquisitoris heretice pravitatis vel domino inquisitori ipsum officium exercenti in civitate Bononie, comitatu vel districtu eiusdem seu alteri vel aliquibus familiaribus vel officialibus inquisitoris predicti aut aliquid dicere, procurare vel allegare per quod dictum officium vel eius iurisditio impediatur vel videatur impedi aliquid vel diferi, nisi ad defenssam allegationes et procuraciones iuris inquisiti vel accusati contra quem procederetur, sub pena cuilibet contrafacienti vel se opponenti predictis centum librarum bononinorum comuni Bononie applicanda. Et quod quilibet potestas et officialis

comunis Bononie teneatur et debeat ipsi domino inquisitori et eius officio ad omnem requisitionem ipsius circa coadunationem cuiuslibet executionis fiende per ipsum dominum inquisitorem vel eius officium prestare suum et comunis Bononie auxilium, consilium et favorem, sub pena quingentarum librarum bononinorum ab omittente et recusante quomodolibet auferenda et comuni Bononie applicanda.

[43] **De pena aliquid comitentis contra honorem et statum comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 232r-232v]

Item statuerunt quod quicumque cuiuscumque conditionis et status existat, masculus vel femina fecerit, comiserit vel attemptaverit contra statum et honorem comunis et populi Bononie vel comitenti vel attemptanti dederit auxilium, consilium vel favorem aut ipsos vel ipsorum alterum receptaverit puniatur realiter et personaliter arbitrio domini potestatis vel capitanei populi considerata facti qualitate et personarum conditione et omnia contenta in statuto loquente ‘De officio domini capitanei et eius arbitrio’ [II, 29] in his que pertinent ad statum habeant locum//

[c. 232v]

in domino potestate in omnibus et per omnia ut ibidem continetur.

[44] **De pena intrantis vel exeuntis civitatem Bononie aliunde quam per portas. Rubrica.** [c. 232v]

Dicimus quod nullus intrare vel exire debeat vel presumat civitatem Bononie aliunde quam per portas civitatis et si quis contra fecerit condemnetur in ducentisquinqueginta libris bononinorum, si fuerit de die, et in quingentis si fuerit de nocte, quam penam quingentarum librarum si non solverit in forciam comunis Bononie constitutus infra mensem a die condemnationis de eo facte numerandum ei pes debeat amputari. Et si quis per contumaciam fuerit bannitus et venerit in forciam et non solverit infra mensem ipsius capture et presentationis computandum eodem modo sibi pes debeat amputari, nisi utroque dictorum casuum miseratio etatis vel alia iusta causa arbitrio potestatis vel capitanei populi ad minorem potestatem vel capitaneum Bononie induxerint, quibus casibus arbitrium habeant penam predictam mitigare.

[45] **De pena periurii. Rubrica.** [c. 232v]

Quoniam deiurantes Deum videntur contemnere infidelitatisque vicium subscitare ad huiusmodi vicium refrenandum, statuimus quod si quis in iudicio, parte vel iudice seu notario actorum deferente, iuraverit seu iurando affirmaverit vel negaverit aliquid esse vel non esse seu fuisse cuius, contrarium probaretur vel ex actis seu productis ab aliqua partium appareret penam ipso facto quinqueginta librarum bononinorum⁹³⁹ incurat comuni Bononie applicandam et ipso facto infamis. Et nichilominus ei contra quem deieraverit ad interesse teneatur et condemnetur per iudicem, qui cognoverit de periurio supradicto dum tamen ad generale sacramentum calumnie quod prestat in causis predicta minime extendantur.

[46] **De pena eius qui domino potestati vel domino capitaneo vel alicui de eorum familia iniuriam fecerit vel dixerit. Rubrica.** [c. 232v]

Dicimus quod aliquis iniuriam, obprobrium vel contumeliam non faciat vel dicat domino potestati vel domino capitaneo vel alicui ex iudicibus vel militibus vel notariis

⁹³⁹ <bononinorum> *dittografato*.

vel domicelis eorum et si quis fecerit vel dixerit et plene probatum fuerit, qui fecerit vel dixerit condemnetur et puniatur arbitrio domini potestatis si fecerit vel dixerit domino capitaneo vel alicui de eius familia, ut supra, vel arbitrio domini capitanei si fecerit vel dixerit domino potestati vel alicui de eius familia, ut supra, inspecta qualitate offense et conditione persone et si alicui vel aliquibus aliis de familia condemnetur faciens vel dicens ea pena, qua condemnaretur faciens privatus vel dicens alteri privato. Et huius rei in qualibet sui parte sit cognitio, iurisditio et difinitio dictorum dominorum potestatis et capitanei ut supra. Et quod non possit potestas de iniuria sibi vel alicui de sua familia illata cognoscere, sub pena trecentarum librarum bononinorum. Et idem per omnia dicimus in domino capitaneo populi ut cognitionem non habeat de delictis commissis in se vel sua familia, set cognitio et punitio devolvatur de uno ad alium, sub pena predicta.

[47] De pena occupantis vel detinentis castra vel fortilicias comunis Bononie vel eis auxilium dantis contra voluntatem comunis Bononie. Rubrica. [cc. 232v-233r]

Statuimus quod si aliquis contra voluntatem comunis et populi Bononie occupaverit vel intraverit vel occupatum tenuerit contra voluntatem dicti comunis et populi vel prodiderit aliquod castrum vel fortilicium vel terram vel rocham comunis Bononie vel detentum vel detentam per comune Bononie vel existens in comitatu diocesi vel districtu Bononie vel talia retinentibus, occupantibus vel intransibus seu prodentibus dederit auxilium, consilium⁹⁴⁰ vel favorem et pervenerit in forciam domini// [c. 233r f. CCXXVI]

potestatis vel domini capitanei populi et comunis Bononie strasinetur et furchis suspendatur vel capite puniatur infra terciam diem postquam liquidum fuerit domino potestati predicto. Et si non venerit ponatur in bamno comunis Bononie pro proditore et rebelle dicti comunis et bona eius seu per ipsum possessa publicentur et publicata intellegantur in comuni Bononie, salvo semper iure cuicumque in ipsis bonis competenti.

[48] De pena occupantis palatium vel domos palatiorum. Rubrica. [c. 233r]

Providemus et statuimus quod quicumque per vim contra voluntatem honorem vel statum comunis et populi Bononie occupaverit palacium vel domos palacii comunis Bononie, pena capitis puniatur. Et si non venerit in forciam vel ad mandata dicti comunis ponatur in perpetuo bamno dicti comunis Bononie et bona eius omnia publicentur. Et si quis occupaverit aliquam domum prope palacium comunis Bononie etiam volente vel contra voluntatem domini domus causa preliandi plateam vel palacia comunis Bononie penam paciatur mille librarum bononinorum. Et eandem penam incurat dominus domus si consenserit.

[49] De pena prohicentis vel sine in platea vel contra⁹⁴¹ palacia comunis Bononie. Rubrica. [c. 233r]

Si quis traxerit cum mangano vel alio hedificio pro expugnando plateam comunis Bononie vel aliquod palacium vel super aliquo palacio comunis Bononie capite puniatur. Et locus de quo proiectum fuerit publicetur. Si autem manutraxerit dolose et iniuriose ad aliquod palacium comunis Bononie condemnetur in centum libris bononinorum pro qualibet vice qua traxerit. Hoc addito quod si tempore alicuius rumoris ubicumque existens traxerit cum manu vel aliquo hedificio preliando ad palacium vel aliter preliando contra honorem comunis et populi Bononie et statum

⁹⁴⁰ <consilium> *dittografato*.

⁹⁴¹ <contra> *segue* plateam comunis Bononie *depennato*.

pacificum capite puniatur. Et si in domum vel super domo alicuius privati dolose et iniuriose traxerit condemnetur talis prohibens arbitrio domini potestatis, considerata qualitate facti et cum dictione personarum cum edificio vel sine. Et si quis de aliqua domo studiose et dolose lapides contra aliquem malo modo traxerit condemnetur pro ipsa proiectione in viginti quinque libris bononinorum et si percuserit eum puniatur ultra penam predictam pena que per statuta imponitur percucienti. Et si proiecerit in aliquem venientem ad plateam⁹⁴² in favorem comunis et populi Bononie occasione alicuius rumoris, quod Deus advertat, condemnetur in ducentis libris bononinorum et plus secundum qualitatem facti, arbitrio domini potestatis vel capitanei populi.

[50] De pena eius qui procuraverit habere aliquam terram comunis Bononie vel eius districtus vel ipsam tenuerit ab alio quam a comuni Bononie. Rubrica. [cc. 233r-233v]

Statuimus quod nullus de civitate Bononie vel districtu vel aliunde audeat vel presumat habere vel tenere per se vel alium terram aliquam, villam vel castrum, rocham vel fortilicium in comitatu, diocesi vel districtu Bononie vel quod vel que per comune Bononie teneatur vel tenebitur in futurum ab aliqua persona, comuni, collegio vel universitate preter quam a comuni Bononie vel dare auxilium, consilium vel favorem alicui volenti facere predicta. Et qui contrafecerit, si venerit ad mandata, puniatur pena capitis. Si vero non venerit ponatur in bamno comunis Bononie pro proditore et rebelle comunis Bononie et eius bona publicentur et publicata veniant in comuni Bononie. Item dicimus quod quelibet terra, castrum seu universitas comitatus Bononie, diocesis vel districtus vel que vel quod per comune Bononie teneatur vel tenebitur in futurum, que vel quod dederit vel dabit operam vel tractatum faciet quod// [c. 233v]

sit sub iurisdictione alicuius alterius preter quam comunis Bononie sit exempta et exemptum de protectione comunis Bononie et homines ipsius terre vel castri carcerentur per dominum potestatem nec relaxentur donec eum vel eam exemerit a iurisdictione alterius et venerit in forciam comunis Bononie. Et singulares persone delinquentes in hoc pena capitis puniantur et omnia eorum bona publicentur. Item dicimus quod si aliquis damnum aliquod vel penam aliquam seu processum incurerit ex eo, quod procuraverit vel operam dederit, quod aliqua terra vel castrum de predictis a iurisdictione predicta exempta vel retempta per alium quam per comune Bononie venerit seu redierit sub iurisdictione predicta, procuretur expensis comunis Bononie quod omne damnum resarciatur eidem de avere comunis Bononie et pena ac processus remittantur seu removeantur.

[51] De pena impetrantis rescriptum contra comune Bononie. Rubrica. [c. 233v]

Dicimus quod nullus cuiuscumque status et conditionis existat, audeat vel presumat impetrare aliquod rescriptum vel literas preter quam a comuni Bononie pro habendo vel tenendo aliquam terram, vilam, castrum, rocham vel fortilicium in comitatu, diocesi vel districtu Bononie vel quod vel que per comune Bononie teneatur vel in futurum tenebitur sub pena amputationis capitis si talis venerit ad mandata. Et si non venerit ponatur in bamno comunis Bononie pro proditore et rebelle dicti comunis et eius bona publicentur et publicata veniat in comuni Bononie. Si vero aliquis de civitate Bononie, diocesi vel districtu vel aliunde per se vel alium impetraverit rescriptum ex alia causa vel ipso rescripto usus fuerit contra comune Bononie propter quod comune Bononie

⁹⁴² <ad plateam> *dittografato e cassato*.

citaretur vel poneretur in aliqua questione que reddundaret contra honorem et statum comunis Bononie seu iurium vel iurisdictionem eiusdem non reddatur ei ius in aliqua causa civili vel criminali et nichilominus condemnetur in trecentis libris bononinorum et impetrata non teneant ipso iure. Et eandem penam trecentarum librarum bononinorum incurant quicumque predictorum impetraverit aliquod rescriptum vel literam contra aliquam singularem personam civitatis vel comitatus Bononie ab alio quam a comuni Bononie.

[52] De pena indebite appellantis⁹⁴³ vel restitutionem petentis aut trahentis aliquem ad iudicium extra districtum Bononie. Rubrica. [cc. 233v-234r]

Refrenare volentes audaciam plurimorum, qui a sentenciis que feruntur in causis criminalibus de quibus cognosci possit et cognoscatur⁹⁴⁴ per potestatem Bononie aut eius officiales⁹⁴⁵ vel per aliquos de causis huiusmodi iurisdictionem seu⁹⁴⁶ cognitionem habentes in civitate Bononie seu districtu aut in aliis causis quibuscumque a quibus sententiis secundum formam nostrorum statutorum non liceat appellare vel contra eas in integrum restitutionem impetrare temere appellationem interponunt vel restitutionem impetrant in contemptum legum predictarum et etiam audaciam eorum qui per viam appellationis aut restitutionis in integrum nullitatis seu supplicationis causas huiusmodi vel illos, qui sententias meruerunt trahere ad iudicium extra civitatem et⁹⁴⁷ districtum Bononie conarentur. Statuimus et ordinamus quod nullus audeat vel possit appellare vel restitutionem impetrare suo nomine vel alieno ab aliquibus sentenciis interlocutoriis vel difinitivis latis vel ferendis ut supra in civitate vel districtu Bononie a quibus non liceat apelare⁹⁴⁸ vel restitutionem impetrare, ut supra, sive simpliciter appellaretur vel restitutio peteretur sive dicendo sententiam nullam et si qua esset appellaretur vel restitutio peteretur. Et si contra fieret appellatio vel restitutionis petitio ac nullitatis propositio non teneat ipso iure et eis non obstantibus possit in causa procedi et executio fieri. Et nichilominus contrafaciens si fuerit principalis condemnetur in centum libris bononinorum. Si vero alius cuiuscumque alterius nomine faciens in quinqueginta libris bononinorum quo etiam casu quo alterius nomine fieret⁹⁴⁹//

[c. 234r f. CCXXVII]

si principalis fieri mandaverit aut factis consenserit vel huiusmodi causam prosequatur penam similem paciatur. Qui vero suo nomine vel alieno aliquem subditum comuni Bononie traheret ad iudicium extra civitatem vel districtum Bononie vel ad aliud forum et iurisdictionem quam comunis Bononie vel in eius favorem hoc fieret directo vel per obliquum et qui illud prosequeretur per se vel alium tacite vel expresse, directe vel per obliquum vel sollicitaret id prosequi vel fieri in aliquibus casibus seu causis ad seculares iudices comunis Bononie aut eorum cognitionem principaliter vel incidenter pertinentibus ex forma iuris vel statutorum comunis Bononie vel que solite seu soliti sint vel fuerint principaliter vel incidenter per eos expediri in civitate Bononie supradicta et foro comunis Bononie per viam appellationis, supplicationis, exceptionis seu restitutionis in integrum seu nullitatis vel alio quocumque modo vel iure, nisi quatenus per leges predictas municipales permetterentur fieri supradictam penam incidat trecentarum librarum bononinorum, cuius pene dimidia applicetur comuni Bononie et

⁹⁴³ <appellantis> *corregge* appellantium.

⁹⁴⁴ <cognoscatur> *corregge* recognoscatur.

⁹⁴⁵ <aut officiales> *di seguito sul margine destro*.

⁹⁴⁶ <iurisdictionem seu> *in infralinea con segno di inserzione*.

⁹⁴⁷ <et> *sostituisce* vel *cassato per sottolineatura*.

⁹⁴⁸ <apelare> *in infralinea con segno di inserzione*.

⁹⁴⁹ *Nel margine inferiore della carta: principalis fieri mandaverit.*

pro alia dimidia parti citate si protestatione facta parti quoquo modo in causa predicta procedatur extra forum comunis Bononie. Et quod factum fuerit contra predicta vel aliquod predictorum non teneat ipso iure. In quibus quidem casibus pertinentibus ad seculares iudices comunis Bononie aut eorum iurisdictionem, ut supra, teneatur talis trahens prosequens vel sollicitans ut supra et quilibet alius respondere in foro comunis Bononie et predictis iudicibus quatenus permittitur ex forma nostrorum statutorum non obstante inhibitione aliqua, que fieret in contrarium vel aliquo processu incoato extra forum comunis Bononie, nisi alibi repertus et conventus ratione contractus ibidem vere celebrati vel domicilli ubi forum sortiretur vel ratione solutionis ibidem specialiter vel generaliter destinate et hoc si non haberet dictus reus conventus in civitate, comitatu vel districtu Bononie bona sufficiencia ad satisfactionem dicti debiti et in quibus comode possit exactio fieri, quo casu ratione solius destinate solutionis non possit illuc trahi sub dicta pena, ut supra; quam penam etiam incurat, qui per alium speciale mandatum habentem ad predicta vel generale si facta sibi denunciatione de gestis per generale mandatum habentem non revocaverit infra terciam diem postquam ei denunciatum fuerit vel aliter ad eius noticiam pervenerit, de qua revocatione constare debeat per publicum instrumentum, quod revocans alteri parti exhibere teneatur. Decernentes quod unicuique partium a qualibet sententia super possessorio lata vel ferenda semel tantum impune liceat appellare. Que quidem appellatio interponi et super ea procedi ac terminari debeat secundum formam nostrorum statutorum iure expensarum victori reservate.

[53] **De pena officialium non habentium puras manus. Rubrica.** [cc. 234r-234v]

Statuerunt insuper et ordinaverunt quod potestas vel capitaneus populi civitatis Bononie nec aliquis eorum vel alterius eorum officialis, familiaris, minister vel quivis alius officialis comunis Bononie quocumque nomine nuncupentur civis vel forensis vel ipsius familiaris vel minister audeat vel presumat aliquid extorquere, exigere, petere vel recipere per se vel alium directe vel per obliquum ab aliqua persona vel universitate etiam a sponte dare volente occasione vel pretestu sui regiminis vel officii vel aliquorum, que fierent vel agittarentur per eum vel coram eo durante suo officio vel regimine ultra salarium sibi ordinatum vel ordinandum et nisi prout ei permissum est vel permitteretur ex forma statutorum comunis Bononie vel per habentem seu habentes potestatem ad hoc. Et si quis contrafecerit, siquidem fuerit potestas vel capitaneus vel alterius eorum familiaris vel minister, penam incidat ipso facto centum librarum bononinorum. Si vero aliquis alius officialis forensis vel eius familiaris vel minister quinquaginta librarum bononinorum. Officialis vero civis si fuerit ancianus in libris ducentis bononinorum. Exceptis exculentis et poculentis dummodo non transeant ad numerum quantitatum. Si vero fuerit alius officialis civis vigintiquinque librarum bononinorum penam incidat ipso facto. Et nichilominus id quod aliquis predictorum ultra perceperit quoquo modo restituere teneatur cum pena tripli ei a quo fuerit//

[c. 234v]

consequutus si revelaverit. Et quod nullus tabernarius vel hospitator vel alia persona in cuius domo vel loco vel habitatione dicti officiales vel familiares comederent, biberent⁹⁵⁰ vel hospitarentur vel alius pro eis occasione expensarum factarum per predictos officiales vel familiares audeat aliquid recipere ab aliquo comuni vel massario alicuius comunis vel alia persona pro eis vel ab aliqua singulari persona sub dicta pena, nisi ut supra dictum est, quorum omnium cognitio et executio sit dominorum ancianorum vel eius cui comiserint durante officio dicti potestatis, capitanei seu officialis. Finito vero officio si non fuerit cognitum de predictis, cognitio et punitio

⁹⁵⁰ <biberent> aggiunto a margine laterale destro corregge habitarent cassato per sottolineatura.

spectet ad syndicos tempore sindicatus. Et quod quilibet etiam cuius non intersit possit denunciare et accusare tales contrafacientes et habeat medietatem pene comuni Bononie applicande. Decernentes quod quicumque dederit seu promiserit per se vel alium aliquid alicui dictorum officialium possit et ei liceat illud revellare et se offere dictis dominis ancianis seu sindicis supradictis nec aliquam penam incurrisse inteligatur occasione predicta si revelaverit. Et quicquid tali officiali dederit vel promiserit cum pena tripli eidem revelanti restituatur per dictum officialem. In predictis autem omnibus presumptiones et indicia pro plena probatione habeantur, quas et que⁹⁵¹ ille et illi, qui de predictis cognoverint, declaraverint sufficere ad predicta. Et eandem penam tripli incurat quicumque procuraverit, tractaverit vel fieri fecerit predicta vel aliquod predictorum et contra eum modo simili procedatur. Non obstantibus in predictis vel aliquo predictorum quacumque consuetudine contraria, decreto vel rescripto generali vel speciali sub quocumque colore emanato vel emanando, que omnia et singula decernimus nullius esse roboris vel momenti et impetrans in contrarium vel impetrans⁹⁵² utens ipso facto⁹⁵³ penam incidat centum librarum bononinorum et plus arbitrio syndicorum.

[54] **De pena tractantis cum inimicis comunis Bononie. Rubrica.** [c. 234v]

Si quis comunicaverit vel tractaverit cum inimicis comunis Bononie, presentibus vel futuris, qui fuerint inimici tempore dicte communicationis seu tractatus vel iverit seu miserit ad tractandum sine licencia dominorum ancianorum, condemnetur in ducentis librarum bononinorum pro qualibet vice et plus et minus in utroque casu arbitrio domini potestatis vel capitanei secundum qualitatem facti et persone conditionem, nisi ille tractans esset explorator vel spia comunis Bononie iuxta consuetum modum spiarum. Et idem inteligatur in quocumque qui ad eos aliquas litteras suspectas mitteret regimini civitatis Bononie vel ab eis tales literas receperit, nisi eas, quas recipere, propalaverit quam citius comode fieri poterit dominis ancianis de qua suspicionem stetur declarationi ipsorum dominorum ancianorum.

[55] **De pena propalantis aliquam credenciam sibi impositam per dominos ancianos vel per aliquos officiales comunis Bononie. Rubrica.** [c. 234v]

Mandamus quod quicumque de cetero propalaverit aliquam credenciam impositam cum sacramento vel sine sibi soli vel cum alio per dominos ancianos vel per dominum potestatem vel capitaneum populi vel sapientes prepositos per comune Bononie, que credencia pertineat ad comune Bononie seu ipsum comune tangeret condenetur in quinqueginta libris bononinorum et minus et plus realiter vel personaliter secundum qualitatem facti arbitrio potestatis vel capitanei populi. Addicientes quod nullam penam incurat propalans credenciam tempore quo cesasset causa credencie.

[56] **De pena eius qui causam dederit propter quam tumultus, rumor vel rissa fecerit in civitate Bononie vel districtu. Rubrica.** [cc. 234v-235r]

Statuimus quod nullus audeat vel presumat causam dare propter quam tumultus vel rumor vel rissa fiat in civitate Bononie vel burgis et qui contra fecerit faciendo dolose ut predicta sequerentur vel eorum aliquod et tota civitas vel maior seu magna pars civitatis ad arma traxerit condemnetur pena capitis. Si vero aliqua contrata

⁹⁵¹ <que> segue et cassato per sottolineatura.

⁹⁵² <impetrans> corregge impetrantes; segue ut supra cassato per depennamento.

⁹⁵³ <utens ipso facto> di seguito sul margine laterale destro.

solummodo vel burgus condemnetur in quingentis libris bononinorum. Si vero culpam comiserit propter quam predicta vel aliquod predictorum evenerint cessante dolo eius quantum ad predicta silicet tumultum, rumorem vel rissam sequutam ex aliquo vel propter aliquod eius factum condemnetur in quingenta libris bononinorum. Dicimus etiam quod in aliqua terra vel loco guardie civitatis vel districtus Bononie nullus audeat dictam causam comitere propter quam dicta rissa, tumultus vel rumor sequeretur et propter quam ipsa terra vel locus in totum vel pro maiori parte ad arma traheret. Et si contrafecerit et dolose sequeretur, ut dictum est, condemndetur in ducentis libris bononinorum. Et si culpam et non dolum comiserit ex qua predicta vel aliquod predictorum subsequeretur et sequuta fuerint, condemnetur in viginti quinque libris bononinorum. Et in quolibet predictorum casuum dominus potestas possit supradictas penas pecuniarias minorare et diminuere suo arbitrio, considerata qualitate facti et conditione personarum.

[57] De homicida et mandantis fieri homicidium et de⁹⁵⁴ eo⁹⁵⁵ cuius dolo factum fuerit homicidium. Rubrica. [cc. 235r-235v]

Providemus et ordinamus quod si quis fecerit homicidium et in forciam comunis Bononie et domini potestatis vel capitanei pervenerit infra terciam diem postquam de homicidio liquidum fuerit et ipsum puniendum esse de dicto homicidio per dominum potestatem vel eius vices gerentem vel capitanei capite puniatur. Ad hec excipimus furiosum, qui in ea mentis alienatione sit, ut non intelingat vel intelexerit quid tunc agat. Item excipimus infantes et infancie proximos. Item excipimus alium minorem quatuordecim annorum, qui homicidium comiserit in quo casu possit potestas etatis et discretionis habita consideratione penam predictam prout viderit mitigare ad aliam penam pecuniariam reducendo. Item excipimus homicidium commissum casu improvise seu fortuito vel ad sui defensionem quibus etiam casibus remaneat arbitrio domini potestatis absolvere vel prout eidem videbitur pecunialiter condemnare ipsius homicidii culpabilem quoquo modo. Item excipimus homicidium commissum in personam bamniti, qui offendi potuerit secundum formam statuti quod loquitur ‘De generalibus penis bamnitorum’ [121]. Preterea dicimus quod eadem pena capitis infra dictum terminum puniatur qui homicidium fieri mandaverit existens presens dum homicidium consumabitur vel vulnus fieri mandaverit existens presens dum fieret, ex quo postea homicidium fuerit subsecutum. Item eadem pena capitis puniatur ille cuius dolo malleficium factum fuerit, ut homicidium committatur, si in eius presentia factum fuerit homicidium vel id ex quo postea homicidium fuerit subsecutum. Si vero mandatum homicidii seu vulneris predicti vel dolus adibitus ut homicidium vel vulnus predictum committeretur alicui absentia a loco homicidii vel vulneris predicti ascribatur sic fuisse probari debeat saltem per duos testes legitimos et omni suspicionem carentes simul concordantes de loco et tempore et forma mandati aliter probatum non valeat plene. Ad torturam autem unus solus testis sufficiat omni suspicionem carens deponens de loco, tempore et forma mandati, ut supra. Et hoc ex eo cum defensiones in talibus quantumcumque vere inveniantur difficiles tamen et sepe calumniose consueverunt in talibus probationes induci. Et tali mandato probato, ut supra, si legitimam defensionem non fecerit mandans pena capitis infra dictum//

[c. 235v]

terminum puniatur. Et ex predictis malleficiis vel aliquo alio non possit gravari quoquomodo aliquis, nisi sit faciens vel fieri faciens malleficium vel mallefactori dans

⁹⁵⁴ <de> *in infralinea*.

⁹⁵⁵ <eo> *corregge* eius.

ausilium, consilium vel favorem vel eum receptans, quibus casibus et aliis procedatur et fiat ut in nostris statutis continetur et non aliter vel alio modo fieri vel procedi possit. Si vero aliquis predictorum, qui homicidium vel vulnus, ex quo homicidium sequatur comisere diceretur vel mandasse fieri vel cuius dolo malo factum diceretur esse, ut homicidium vel vulnus, ex quo homicidium sequeretur, comiteretur ex quibus secundum formam huius statuti capitis pena debeat imponi ad mandata domini potestatis vel in forciam comunis Bononie non venerit et passus fuerit se poni in banno dicti comunis si quidem per inquisitionem processum fuerit ad hoc ut⁹⁵⁶ infrascripta pena applicationis bonorum mallefactorum vel ad ipsum spectantium iure domini vel quasi procedat seu imponi possit et fieri, debeat constare domino potestati vel capitano ante bannum per plenam vel semiplenam probationem vel famam publicam de ipso delicto pro quo bannitus fuerit. Eo vero casu quo⁹⁵⁷ per accusationem processum fuerit sufficiat quod paciatur se banniri etiam si que probationes de ipso malleficio contra ipsum facte non fuerint. Pena autem applicationis predictae sit talis quod domus mallefactoris predicti ad ipsum pertinens iure domini vel quaxi posita in civitate Bononie applicetur heredibus occisi. Et si domum in civitate non habeat cogatur ipso facto solvere heredibus occisi exstimationem domus in qua habitabat mallefactor tempore dicti malleficii commissi. Si vero mallefactor talis non habitaverit, nec domum habuerit in civitate⁹⁵⁸ Bononie, dimidia bonorum pars applicetur heredibus occisi et nulla destrutio bonorum fiat salvo iure omnium habentium iura in dictis domibus salvo quod pretestu talium iurium non possit impediri quominus dicte domus applicentur heredibus predictis si alia bona mallefactoris predicti estabunt in quibus possit integre satisfieri talia iura pretendenti et habenti. Que omnia et singula dictus dominus potestas per se vel vicarium suum precise teneatur et debeat expedire et terminare infra decem dies proximos die comparitionis predicto inquisitio autem dictorum bonorum pertineat ad dominum potestatem vel eius vicarium et officiales predictos. civitate Mandamus etiam quod pro predictis nulla universitas seu comune vel singularis persona, que non delinquerit valeat aggravari, ita tamen quod possit compelli ferre testimonium in predictis. Preterea dicimus quod si aliquis fuerit condemnatus vel in figura banni in aliquo ex libris bannitorum comunis Bononie positus ad dischum bannitorum conscriptus⁹⁵⁹ ex eo quod aliquem occiderit vel occidi mandaverit vel dolum comiserit ut occidatur aliquis, cuius hereditas ad ipsum condemnatum vel conscriptum ex testamento vel ab intestato pertineret directo vel per fideicommissum ab ipsa hereditate re et nomine excludatur et exclusus inteligatur et ad sequentes in gradu vel alios et ad quos alias pertineret devolvatur adeo quod excluso in proprietate vel in usufructu ratione proprietatis nullum ius aliquo tempore acquiratur. Et idem dicimus si talis conscriptus uxorem vel nurum seu pronurum occidisse diceretur vel occidi mandasse vel ut occidatur dolum comisisse ut ex dote vel eius augmento nichil lucretur vel possit retinere vel eidem quoquo modo succedere.

[58] **De pena mandantis aliquod maleficio fieri. Rubrica.** [cc. 235v-236r]

Cum de mandatore homicidii sit provisum, sequitur ut statuamus de aliis, qui mandato delinquent vel delinquent delinquentibus ausilium vel consilium exhibendo, idcirco statuto presenti providemus quod siquis mandaverit fieri aliquod//
[c. 236r f. CCXXVIII^{or}]

⁹⁵⁶ <ut> aggiunto a margine sinistro con segno di rinvio.

⁹⁵⁷ <quo> segue ba cassato per sottolineatura.

⁹⁵⁸ <civitate> nel testo civite.

⁹⁵⁹ <conscriptus> segue fuerit cassato per sottolineatura.

malleficium puniri debeat ea pena, qua puniretur qui ipsum comiteret malleficium. Si vero ad aliquod ex infrascriptis malleficiis auxilium prebuerit vel consilium dederit vel auxilium, consilium et favorem. Si quidem ad homicidium comitendum associando vel alio modo puniatur trecentis libris bononinorum, nisi auxilium fuerit cohoperativum in ipso homicidio, quo casu puniatur ut principalis delinquens. Si vero eo comisso homicidam scampaverit in domo aliqua receptando vel aliter defensaverit ne capi potuerit puniatur in quolibet predictorum duorum casuum in trecentis libris bononinorum, nisi receptans post homicidium vel defendens foret homicide coniunctus in quarto gradu vel infra, quibus duobus casibus puniatur solummodo in centum libris. Si autem consilium vel auxilium et favorem vel alterum ipsorum aliter quam predictis duobus casibus post homicidium commissum prestiterit simpliciter asociando vel dicendo quod evaderet his duobus puniatur quilibet pariter in quinqueginta libris bononinorum si afinis⁹⁶⁰ seu coniunctus fuerit vel extraneus. Quo vero casu quis dederit auxilium, consilium et favorem vel alterum ipsorum ad aliquod vulnus vel ad aliud malleficium cuius pena esset pecuniaria ex forma alicuius legis municipalis sive ad malleficium comitendum sive post condemnetur in dimidia eius, qua puniri deberet qui ipsum vulnus vel malleficium comiserit vel comisisse diceretur. Et si ad aliquod aliud malleficium ex quo ex forma statutorum personalis pena facienti imponi deberet mandans vel auxilium vel consilium prebens puniatur pecunialiter ut mandator homicidii quando mandans fuerit et ut prebens auxilium vel consilium homicidio quando auxilium vel consilium prebuerit. In predictis vero casibus dominus potestas pro eius arbitrio, considerata qualitate delicti et personarum possit dictas penas pecuniarias minorare.

[59] **De pena venenantis. Rubrica.** [c. 236r]

Ordinamus quod quicumque alium venenaverit ex quo veneno mors sequatur puniatur pena capitis tam ipse, qui venenum dederit, quam etiam quilibet, cuius mandato vel dolo venenum datum fuerit. Idem si sine mandato vel dolo alterius quis venenaverit et mors venenato sequatur et in quolibet dictorum casuum bona talis delinquentis pro dimidia comuni Bononie applicentur et pro alia dimidia heredibus venenati et idem si venenatus non muriretur ex ipso veneno, set sit toto tempore sue vite verisimiliter remansurus debilitatus. Si vero mors vel debilitatio predicta non sequatur, condemnetur omnimodo venenans in quingentis libris bononinorum et mandans vel ille cuius dolo venenatio facta fuerit in simili pena condemnetur.

[60] **De pena assassinorum et mandantium per assassinos offendi et eos tenentium et receptantium. Rubrica.** [cc. 236r-237r]

Statuimus quod quicumque tamquam assassinus occiderit vel vulneraverit seu percuserit aliquem cum aliquo genere armorum vetitorum vel non vetitorum, animo occidendi, in civitate vel comitatu vel districtu Bononie vel confessus fuerit predicta vel aliquod predictorum facere voluisse et ad aliquem actum evidentem pervenerit personam iniuriati tangendo cum aliquo genere armorum predictorum et venerit in forciam comunis Bononie strassinetur et decapitetur infra terciam diem postquam de predictis liquidum fuerit officiali vel iudici, qui de predictis cognitionem vel punitionem haberet. Et si non venerit in forciam, bamniatur de assassinatu in dicta pena et eius bona omnia publicentur in comuni Bononie. Et si postea in dictam forciam pervenerit habeatur pro confesso et puniatur, ut supra. Si vero talis assassinus non animo occidendi, set aliter personalem iniuriam inferendi percuserit vel vulneraverit aliquem

⁹⁶⁰ <si afinis> in *infralinea con segno di inserzione*.

cum aliquo genere armorum vetitorum vel non vetitorum vel sine armis et mors vel membri debilitatio vel fractura ossis inde secuta fuerit vel ex tali vulnere evidens cicatrix in facie sit perpetuo remansura, tunc presens puniatur et absens bamniatur ut supra. Set si mors, //

[c. 236v]

debilitatio membri aut fractura ossis inde secuta non fuerit aut ex tali vulnere evidens cicatrix in facie remansura non sit, set aliter ut assasinus percuserit vel vulneraverit aliquem cum aliquo genere armorum vetitorum vel non vetitorum animo tamen non occidendi et venerit in forciam comunis Bononie in libris mille bononinorum condemnetur quam quantitatem si non solverit infra mensem amputetur sibi manus dextera et ea deficiente sinistra. Et si non venerit in forciam tunc bamniatur in mille libris bononinorum et in amputatione manus. Si autem sine armis percuserit vel vulneraverit aliquem animo occidendi, tunc si ex⁹⁶¹ tali vulnere vel percussione sequatur mors vel membri debilitatio aut ossis fractura vel evidens cicatrix in facie sit perpetuo remansura, puniatur presens et absens bamniatur tamquam assasinus vulnerans aliquem cum aliquo genere armorum animo occidendi. Ubi vero ut assasinus animo non occidendi, set aliter iniuriandi vulneraverit aliquem et sine armis et sanguis exiverit condemnetur in libris quingentis bononinorum et minus arbitrio eius officialis vel iudicis, qui de predictis cognoverit. Et ubi animo non occidendi percuserit aliquem sine armis et sanguis non exiverit vel mors vel membri debilitatio aut ossis fractura inde non sequatur, tunc puniatur in libris ducentis bononinorum et minus, considerata qualitate facti et conditione persone. Et intelligatur assasinus et tamquam assasinus fecisse si constiterit de precio vel premio habito vel spe data vel recepta illud delictum fecisse aut si publica vox et comunis fama fuerit ipsum assasinum esse et illud fecisse precio vel primo ab alio ei dato vel promisso. Que probationes vel earum altera etiam sufficiant in mandante vel aliquod malleficium per assasinum vel infamatum de assassinatu fieri faciente vel qui id mandasse vel fecisse diceretur. Item dicimus quod si quis est vel erit in civitate, comitatu vel districtu Bononie forensis vel qui pro forense comuniter habeatur, qui infamatus esset de assassinatu vel de predictis vel aliquo predictorum seu qui ut assasinus solitus sit facere predicta vel aliquod predictorum vel qui aliquem civem, comitatum, districtualem vel habitatorem dicte civitatis ut assasinus voluerit vel vellit percutere vel occidere infra terciam diem postquam denunciatum fuerit domino potestati vel domino capitaneo populi Bononie eidem facta informatione de predictis, que ipsis dominis potestati vel capitaneo sufficere videatur, teneatur potestas vel capitaneus, qui super predictis additus fuerit, personaliter precipere tali sic infamato vel solito predicta vel aliquod predictorum comitere si personaliter haberi poterit, alias facere proclamari per alterum ex bamnitoribus comunis Bononie in locis publicis et consuetis quod infra terciam diem debeat discedere de civitate, comitatu et districtu Bononie, sub pena heris et persone et ibi non redire sub pena predicta. Et si talis infamatus vel solitus comitere predicta non servabit formam precepti sibi facti vel fiendi vel dicte proclamationis et venerit in forciam comunis Bononie, tunc puniatur realiter et personaliter arbitrio eius, qui de predictis cognitionem vel punitionem habuerit. Et si non venerit in forciam et non observaverit formam precepti seu bamni, ut supra, bamniatur realiter et personaliter arbitrio eius, qui de predictis cognoverit. Et eadem pena vel minori reali vel personaliter iudicantis arbitrio puniatur talem prohibitum morari in civitate, comitatu vel districtu Bononie siverit vel verisimiliter scire iudicantis arbitrio. Volumus etiam quod mandans fieri aliquod malleficium per assasinum vel per infamatam personam de assassinatu sive mandatum fuerit factum in civitate Bononie,

⁹⁶¹ <ex> in infralinea con segno di inserzione.

comitatu vel districtu sive extra delicto secuto in civitate, comitatu vel districtu Bononie sive mandatum de assasinatu fuerit factum in civitate Bononie et delictum fuerit sequutum extra civitatem Bononie, comitatum vel districtum in aliquem civem, comitatum, districtualem vel incolam Bononie//

[c. 237r f. CCXXX]

puniatur eisdem penis, ut supra, si haberi poterit singula singulis referendo. Et si haberi non poterit banniat eodem vel simili modo, qua vel quo puniri vel banniri deberet talis assasinus vel infamata persona de assasinatu delinquens, ut supra. Quibus penis teneatur talis delinquens et mandatum suscipiens in civitate, comitatu vel districtu. Etiam si mandatum explicaverit extra civitatem, comitatum vel districtum Bononie. Et eisdem penis puniatur qui depositum promissionem seu premium vel obligationem scienter tamquam mediator receperit vel fecerit pro predictis vel aliquo predictorum vel qui nuncius fuerit vel mediator inter mandatorem et mandatarium vel qui auxilium, consilium vel favorem ad predicta vel aliquod predictorum scienter dederit. Et predicta in aliquo casu locum non habeant, si ille, qui est occisus vel offensus vel quem voluerit talis offendere vel occidere, erat talis persona, que poterat impune offendi vel occidi ex forma statutorum comunis Bononie. Verum si aliquis mandaverit alicui, ut supra, aliquem occidi vel personaliter offendi simpliciter nullo precio seu premio dato, promisso vel convento aut spe aliqua data de eo dando et ille, cui mandaverit et mandatum susceperit et illud non perfecerit, nec ad evidentem actum perficiendi pervenerit, puniatur realiter arbitrio officialis, qui de predictis cognoverit, considerata conditione personarum et criminis qualitate tam ipse mandans quam qui mandatum susceperit vel qui auxilium vel favorem dederit vel prebuerit. In quibus quidem malleficiis et quolibet eorum dominus potestas et dominus capitaneus populi et quilibet ex suis iudicibus ad malleficia deputatis, qui super predictis additus fuerit, inquirere teneatur et procedere possit etiam non servata forma alicuius nostri statuti. Etiam non obstante quod crimen ipsum de quo ageretur commissum diceretur extra civitatem Bononie aut eius territorium vel districtum, dum tamen mandatum in civitate Bononie vel eius territorio vel districtu susceptum fuerit. Salvo tamen semper statuto ‘De tondolo et tormento’ [24] in ea dumtaxat parte ubi quis non poterit torqueri, nisi in presencia certarum personarum. Et salvo statuto ‘De notariis forensibus qui debent esse presentes responsionibus reorum et examinationibus testium’ [II, 23]. Et salvo statuto posito sub rubrica ‘De confessionibus reorum in criminalibus causis’ [25].

[61] De pena offendentis aliquem in vendictam preter offendentem. Rubrica.

[cc. 237r-237v]

Ordinamus quod si quis offenderit vel offendi fecerit in vindictam suam alium vel alios preter quam ipsum offendentem vel offendentes si in forciam comunis Bononie venerit capite puniatur si offensus mortuus fuerit. Si vero vulneratus evadat, fuerit tamen acriter vulneratus, tunc qui fecerit vel fieri fecerit in mille libris bononinorum condemnetur. Si vero vulnus fuerit leve, ex quo vulnere sanguis exiverit in ducentis libris bononinorum condemnetur. Et si quis percussus fuerit aliter sine vulnere, tam percuciens, quam qui percusi fecerit et quilibet eorum condemnetur in centum libris bononinorum. Et offensio in vindictam facta intelligatur esse probata quando constabunt infrascripta, videlicet eum, qui diceretur offendidisse vel offendi fecisse ad vendictam fuisse offensum ab alio quam ab eo, quem offenderat vel offendi fecerat et etiam eum, qui offensus dicitur ad vendictam, esse de agnatione vel cognitione eius, qui offenderat eum, qui dicitur postea offendidisse vel offendi fecisse ad vendictam, nisi proberetur per partem eius, qui dicitur ad vendictam fecisse vel fieri fecisse ipsum fuisse passum

iniuriam in personam per eum vel eius mandato, qui dicitur ad vindictam offensus vel dictam offensam sequutam fuisse ex aliqua nova causa, non animo vindicte, ut supra, de quo si in dubium revocetur, stetur declarationi domini potestatis. Si vero in forciam comunis Bononie non venerit qui ad vindictam alium offendisse vel offendi fecisse dicitur, in perpetuo banno ponatur tamquam pro gravissimo malleficio de quo nullo tempore possit exire etiam pace habita ullo modo vel ingenio, qui dici possit vel excogitari. Et domus banniti vel ad eum pertinentes publicentur et perpetuo remaneant publicate. Et insuper si talis sic offensus fuerit atrociter vulneratus vel mortuus bona ad bannitum pertinencia perveniant//

[c. 237v]

ipso iure et facto quoad proprietatem et possessionem ad ipsum offensum viventem vel ad heredes offensi et eidem per iudicem, qui de crimine cognoverit assignentur de facto, summarie sine strepitu et figura iudicii et etiam omni iure solemnitate obmissa salvo iure omnium. Et predicta locum habeant in civibus, comitatinis et districtualibus civitatis Bononie, incollis vel habitatoribus in dicta civitate per spacium quinque annorum. Forenses vero talia comitentes vel comiti facientes, si mors vel vulnus enorme factum fuerit faciens et fieri faciens capite puniatur et si aliud malleficio sequutum fuerit, tam faciens quam fieri faciens, condemnetur in mille libris bononinorum. Et si non venerit in forciam comunis Bononie banniat in dictis penis.

[62] **De pena vulnerantis seu percucientis vel insultantis aliquem. Rubrica.** [cc. 237v-238v]

Cum penarum levitas sepius homines ad delinquendum induserit et inducat continue et ut malefactores pena debita puniatur et compescantur exemplo, quam utili videant penas delinquentium debite ordinare, statuimus quod si quis percuserit dolose cum aliquo genere armorum figuram omnipotentis Dei vel gloriose virginis Marie matris domini nostri Iesu Christi, si quidem in facie amputetur ei manus. Si vero in alia parte ipsius figure condenetur in centum libris bononinorum solvendis⁹⁶² infra mensem a die condemnationis facte, quas si non solverit infra dictum mensem, fustigetur et in carceribus detrudatur, de quibus exire non possit usque ad sex menses, nisi ante dictum semestre tempus solveret dictam condemnationem. Si vero contra ipsam figuram aliquid aliud faceret in contemptum ipsius puniatur pena quinquaginta librarum solvendarum infra mensem a die condemnationis, sub pena fustigationis. Si quis vero dolose percuserit cum aliquo genere armorum figuram sancti alterius in facie, puniatur in centum libris bononinorum. Si vero in alia parte figure ipsam figuram percuserit vel aliquid aliud aliter contra dictam figuram alicuius sancti in eius contemptum fecerit, puniatur in dimidia pene qua percuciens figuram Dei alibi quam in facie vel aliter faciens contra figuram Dei puniri deberet secundum formam presentis statuti. Habeat tamen in dictis casibus et quolibet eorum potestas et officialis, qui debuerit condemnare vel pronunciare de predictis arbitrium ipsas penas minorandi considerata conditione persone et qualitate facti etiam personalem penam reducendo ad pecuniariam. Si autem aliquis percuserit aliquam personam cum aliquo genere armorum offensibilium vetitorum portari vel supra se haberi ex forma nostri statuti positi sub rubrica 'De pena portantis arma vetita' [87] cum sanguinis efusione. Si quidem in facie et aliquod membrum faciei ex hoc perdatur vel debilitetur vel evidens cicatris remanserit vel verisimiliter sit perpetuo remansura condenetur in libris trecentis bononinorum. Si vero ex vulnere illato in facie membri perditio vel debilitatio non fuerit subsecuta, nec evidens cicatris sit perpetuo remansura, ut supra, fiat condemnatio vulneris eo casu in

⁹⁶² <solvendis> *segue so depennato.*

libris ducentis bononinorum. Et hoc si percusserit cum fero dictorum armorum, alias solum in centum libris bononinorum. Si vero in alia parte corporis cum predictorum armorum genere et sanguinis efusione vulnus illatum fuerit, si quidem ex eo vulnere membrum aliquod perdatur vel inutile fiat seu debilitetur fiat condemnatio eo casu in trecentis libris bononinorum. Si vero membri officium perdatur vel debilitetur condenetur in ducentis libris bononinorum. Que omnia et singula vulnera supradicta atrocia et gravia intellegantur et sint. Si vero ex vulnere alibi quam in facie illato, ut dictum est, non fuerit perditum aut fractum inutile aliquod membrum vel membri officium si quidem certum fuerit vulnus non fore mortale, fiat condemnatio in centum libris bononinorum et hoc si percuserit cum fero dictorum armorum, alias solum in quinqueginta libris bononinorum. Si vero vulnus mortale vel de quo dubitetur an mortale sit in quacumque parte corporis illatum fuerit etiam non expectata morte vel convalesencia seu liberatione ex ipso vulnere fiat condemnatio [c. 238r f. CCXXXI]

eo casu in libris ducentis bononinorum. Salva semper pena mortis si ex tali vulnere sequeretur. Ut autem ipsius vulneris qualitas sit iudici manifesta, statuimus quod tempore fiende condemnationis et antequam fiat mittantur medici ad videndum vulnera seu vulnus et omnia disposita circa missionem dictorum medicorum et eorum relationem in statuto nostro posito sub rubrica ‘De casibus in quibus quis debeat stare detemptus’ [20] et hic locum habeat in quantum his possint adaptari. Et predicta locum habeant quando vulnus illatum fuerit vel unicum membrum factum inutile vel debilitatum. Si autem plura vulnera vel membri officia debilitata, tunc pro unoquoque pena eadem, ut supra, inferatur. Si vero sine sanguinis efusione condemnetur in viginti quinque libris bononinorum. Si autem cum aliquo genere armorum non prohibitorum condemnetur in dimidia eius in quo condemnari deberet si cum armis supra vetitis percussisset, nisi sequatur amissio vel debilitatio membri vel officii membri vel evidens cicatrix sit in facie perpetuo remansura, quo casu puniatur ac si cum armis vetitis⁹⁶³ fecisset. ut supra. Eo vero casu quo percussisset aliquem sine aliquo genere armorum vetitorum vel non vetitorum si quidem cum sanguinis efusione et in facie condemnetur in viginti quinque libris bononinorum. Si vero in alia parte corporis condemnetur in decem libris bononinorum. Si vero sine sanguinis efusione condemnetur in quinque libris bononinorum. Si vero aliquis ceperit aliquem doloxe et eum proiecerit in terram puniatur in decem libris. Et si percusserit nichilominus puniatur de qualibet percussione, ut supra. Et si eum strasinaverit vel decapilaverit vel graffaverit sive traxerit per capilos puniatur pena percucientis sine sanguine et si sanguis exiverit puniatur pena percucientis cum sanguine et sine armis vetitis, nisi in aliquo casuum predictorum sequatur membri vel officii membri amissio vel debilitatio vel evidens cicatrix sit verissimiliter perpetuo remansura, quo casu puniatur ac si cum armis vetitis fecisset ut supra. Pro simplici vero insultu cum armis condemnetur in decem libris bononinorum et si eum fugiverit condemnetur in viginti quinque libris bononinorum si cum armis fecerit et si sine armis predicta fecerit puniatur in dimidia pena proxime dicta. Si vero solum evaginaverit aliquod genus armorum prohibitorum contra aliquem, animo offendendi, condemnetur in libris quinque bononinorum. Si vero adminiaverit contra aliquem cum aliquo genere armorum prohibitorum condemnetur in libris decem bononinorum. Si vero cum genere armorum non vetitorum condemnetur in libris tribus bononinorum. Pro verbis autem iniuriosis pene impositionem relinquimus arbitrio iudicantis considerata qualitate personarum delictorum et loci dummodo pro verbis iniuriosis dictis militi vel doctori non excedant sumam viginti quinque librarum

⁹⁶³ <vetitis> *corregge* etitis.

bononinorum et pro dictis alii honesto viro et honorabili non excedant sumam quindecim librarum bononinorum et pro dictis plebeio et homini inferioris conditionis octo librarum bononinorum. Decernentes quod in quolibet casuum in presenti statuto comprehensorum pene supra specificate duplicentur et duplicate imponantur si ipsa malleficia vel maledicta comitantur in platea comunis Bononie sive in trivio⁹⁶⁴ porte Ravenatis seu in Campo Fori, saligata Fratrum Minorum vel Strate Maioris in diebus fori vel in curtili episcopatus Bononie vel in aliqua ecclesia vel domibus ecclesiarum vel districtus Bononie vel in cimiteriis seu campis ipsarum ecclesiarum seu ad domum seu domos habitationis offensi stationem vel bancham offensi vel sub porticu ipsius domus, stationis seu banche vel in strata publica, ante faciem ipsius domus, stationis seu banche seu de nocte. Si vero aliquis aliquem vulneraverit vel percuserit in aliquo palaciis comunis Bononie seu in domibus ipsorum palaciorum cum aliquo genere armorum offensibilium vetitorum, ut supra, et cum sanguinis effusione in dictis penis duplicatis condemnetur et eadem pene supra specificate duplicate imponantur. Addicientes quod si quis tante fuerit temeritatis et audacie quod aliquod maleficium per quod pena veniret pecuniaria imponenda comiserit in palacio seu cortili dominorum ancianorum puniatur in quatuorplum eius quod alias puniretur, si alibi comiserit, et plus et minus arbitrio potestatis inspecta qualitate facti et conditione personarum. Predictae autem pene duplicentur

[c. 238v]

in forensibus non incolis, quos incolis quoad contenta in presenti statuto intelligimus eos, qui habitaverint per quinquenium in civitate Bononie comitentibus predicta vel aliquod predictorum in aliquem civem vel comitatus vel districtualem civitatis Bononie. Et quia criminis qualitas et personarum conditio et modus delinquendi requirit varietatem penarum et predicta singulariter non possent apredi nec exprimi. Idcirco statuimus quod potestas possit in quolibet casuum predictorum predictas penas minuere considerata personarum conditione et qualitate criminis, arbitrio boni viri et maxime si ex vulnere modicus sanguis exiverit vel parva sit cicatrix remansura vel parvum vulnus illatum fuerit. Et quantum ad contenta in presenti statuto plateam intelligimus quatenus muris circumdatur a palacio habitationis dominorum ancianorum et domibus societatis notariorum et logia stipendiariorum et palacio habitationis dominorum potestatis et capitanei et sub palaciis dicti comunis et etiam in qualibet contrata, que habet capud ad plateam usque ad decem perticas incipiendo a muris circumdantibus dictam plateam et eundo versus quamlibet ipsarum contratarum usque ad dictas decem perticas terreni. Et etiam plateolam, que est iuxta et ante bancham conducte stipendiariorum. Et trivium porte Ravenatis intelligimus circumcirca turres, que sunt in dicta porta ab una parte usque ad ecclesiam Sancti Marci, ab alia parte usque ad capud vie strate Sancti Vitalis et usque ad capud strate Sancti Donati, et ab alia usque ad domos Sancti Bartoli et usque ad capud vie Strate Maioris, ab alia usque ad capud vie que vadit ad Carobium, ab alia usque ad crucem inclusive, ab alia usque ad banchas stracarolorum.

[63] De pena offendentis aliquem trahentem ad ygnem. Rubrica. [c. 238v]

Statuimus quod si quis fecerit offensam in aliquem trahentem ad ignem seu euntem vel⁹⁶⁵ existentem de nocte ad ygnem studiose vulnerando eum graviter vel atrociter, puniatur personaliter vel realiter arbitrio domini potestatis secundum qualitatem delicti et conditionem personarum, dummodo non minoret penas contentas in statuto ‘De pena vulnerantis aliquem et cetera’ [62].

⁹⁶⁴ <in trivio> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁹⁶⁵ <vel> *in infralinea con segno di inserzione.*

[64] De pena potestatum et aliorum officialium comunis Bononie et suorum officialium et familiarium offendentium aliquem civem civitatis Bononie vel comunis subditum. Rubrica. [cc. 238v-239r]

Quia ut plurimum potestates civitatis Bononie possent merito inculpari ex eo quod lapsivos et indiscretos homines ducunt aut tenent seu habent suos stipendiarios, cum sibi concedatur aliquos stipendiarios habere ultra familiam et multociens offendant cives seu incolas civitatis Bononie et etiam districtuales, ad reprimendum ne predicta contingant et delinquentes puniantur⁹⁶⁶ iuridice et de facto non offendantur, statuimus quod si contingat de cetero quod dominus potestas vel aliquis de sua familia personaliter aliquem de predictis offenderet, puniatur eadem pena, qua puniretur privatus privatum offendens ea offensa, qua offenderit potestas vel aliquis de sua familia et eo casu quando aliquis de sua familia offenderet siquidem occiderit condemnetur potestas occasione ipsius homicidii per aliquem de sua familia comissi in centum libris bononinorum. Et si vulneraverit cum sanguinis effusione et mors non sequeretur, tunc condemnetur potestas occasione ipsius vulneris in quinqueginta libris bononinorum et si aliter percuserit cum armis, condemnetur potestas in viginti quinque libris bononinorum. Et nichilominus condemnetur ipse faciens pena sibi debita et statuta. Cognitio autem iurisdictio et executio contentorum in statuto presenti sit domini capitanei populi vel sui vicarii vel alicuius, cui domini anciani comiserint. Et idem in omnibus et per omnia fiat et servetur per dominum potestatem quando dominus capitaneus vel aliquis de sua familia offenderet aliquem de predictis modis aliquem civem, incolam vel districtualem comunis Bononie. Et nichilominus si predicta per predictos facta non fuerint puniatur et puniri possit et debeant tempore sindicatus. Predicta autem pena imponenda domino potestati vel domino capitaneo vel aliis officialibus forensibus ex delicto eorum familie, ita demum vendicent sibi locum si aliquis de familia domini potestatis aliquod de malleficiis supradictis comiserit si fuerit cum ipso domino potestate vel aliquo ex iudicibus vel militibus vel//

[c. 239r f. CCXXXII]

notariis ipsius vel si fuerint duo vel plures ex domicelis vel beroariis⁹⁶⁷ ipsius domini potestatis, tunc presentes ipsi maleficio, absente potestate, si malefactorem non ceperint et non presentaverint vel capi vel presentari fecerint in forciam comunis Bononie. Et sic fiat et observetur cum aliquis de familia domini capitanei vel aliorum officialium forensium comiserit aliquod de maleficiis supradictis et ipsi de familia capere obmittentes cum possent vel capi impedientes puniantur et condemnentur et contra eos procedatur per modum dilicti vel culpe vel arbitrio eius, cui de predictis est cognitio attributa.

[65] De pena adulterium vel sturpum comittentis in feminam vel masculum. Rubrica. [c. 239r]

Ordinamus quod si quis vel si qua adulterium comiserit, condemnetur in ducentis libris bononinorum, dos vero adultere et augmentum dotis perveniat ad filios et desendentes eius, si quos habuerit, servato ordine iuris, alias deveniat in comuni Bononie, deducta dimidia, quam lucretur maritus non estantibus liberis, et quod de dote et eius augmento dicitur, locum habeat sive veniat ad mandata sive paciatur se poni in banno, que dimidia applicanda comuni Bononie exigatur demum soluto matrimonio.

⁹⁶⁶ <puniantur> segue eadem cassato per sottolineatura.

⁹⁶⁷ <beroariis> nel testo berariis.

Salvo quod si per vim comitteretur adulterium, tunc adulter pena capitis puniatur. Et mulier nullum damnum incurat. Et hoc statum non inteligatur in illis, que publice prostituunt et inteligantur se publice prostituere de qua iura comunia habentur pro publica prostituta vel de qua probetur per tres testes licet sint singulares et per publicam vocem et famam quod se publice prostituat. Incestum autem comitens, tam masculus quam femina, consenciens vel strupum in virginem vel monialem vel Deo dedicatam invictam puniatur personaliter, ut supra. Si vero in volentem puniatur pecunialiter, ut supra, tam masculus quam femina. Si vero in monialem consacratam volentem vel invitam capite puniatur. Si vero aliquis monialem vel dicto Deo dedicatam volentem vel invitam aduserit extra monasterium vel eam recedentem de monasterio receperit causa libidinis vel ad eam de monasterio recedentem vel aductam accessum habuerit libidinis causa capite puniatur et talis monialis perpetuo carceri tradatur solum cum pane et aqua suam vitam ducturam. Si vero in viduam honeste inventem si quidem invitam puniatur personaliter, ut supra. Si vero in volentem, puniatur pena centum librarum bononinorum et mulier vidua condemnetur in centum libris similiter. Et si quis in masculum sturpum comiserit comburatur tam agens quam paciens, nisi paciens violenter paciatur, quo casu nullam penam incurat et nisi etas pacientem excuset, quo casu pecunialiter puniri possit in premissis etate⁹⁶⁸ considerata.

[66] De pena tenentium sodomittas. Rubrica. [c. 239r]

Providemus quod quicumque reperietur in domo sua vel quam habitaret aliquos sodomittas recipere ad illud scelus perpetrandum ignis concremationi ad mortem tradatur et domus huiusmodi publicetur in comuni Bononie si sciente domino scelus huiusmodi fuerit perpetratum.

[67] De pena coniugum matrimonium aliud contrahentium de facto. Rubrica. [cc. 239r-239v]

Item ordinamus quod si quis habens usorem vel si qua habens virum a qua vel quo seperata vel seperatus non fuerit in iudicio Ecclesie et cum aliqua vel aliquo scienter contraserit matrimonium de facto, puniatur in quingentis libris bononinorum et plus et minus arbitrio domini potestatis secundum qualitatem facti et conditionem personarum, et si postea illud de facto per copulam carnalem consumaverit, capite puniatur. Et eandem penam incurat quelibet mulier que scienter passa fuerit se desponsari per habentem usorem si sequuta fuerit copula carnalis. Et qui habent uxorem si amaxiam non habentem virum in domo habitationis sue vel alibi publice superinduxerit vel tenuerit, puniatur in centum libris bononinorum. Et que habet virum si amasium superinduxerit vel tenuerit puniatur in centum libris bononinorum//
[c. 239v]

et nichilominus pena adulterii per nostra statuta imposita puniatur. Et idem dicimus, si qua uxor alicuius ab aliquo se passa fuerit desponsari, ut ipsa puniatur dicta pena pecuniaria et aliis maioribus quibus punitur masculus, qui aliam desponsaverit ut supra. Et eadem pena capitis puniatur qui uxorem alterius pro amasia tenuerit ubicumque eam teneret extra domum viri sui et mulier eandem penam paciatur si per decem dies postquam personaliter eisdem fuerit denunciatum pro parte mariti vel alterius persone, de qua denunciatione constet per instrumentum publicum vel cedula missam de mandato iudicis vel officialis comunis Bononie iurisdictionem habentis, de quo constet in actis talis iudicis vel officialis, nisi talis mulier fuerit vel esset publica meretrix seu

⁹⁶⁸ <etate> *nel testo* etatate.

publice se prostituerit, quo casu tam retinens, quam retenta pro amasia penam pecuniariam paciatur iudicantis. Eo vero casu quo aliqua mulier habens maritum publice se prostituerit contra voluntatem viri pena capitis ipsa puniatur primo tamen ipsa amonita per denunciationem sibi fiendam per maritum vel eidem mulieri vel eius marito coniunctum seu per aliquem officialem comunis Bononie iurisdictionem habentem vel eius mandato in qua denunciatione contineatur quod a predicta prostitutione se debeat abstinere et non destiterit ante predictos decem dies postquam eidem denunciatum fuerit, de qua denunciatione constet publicum instrumentum vel ex actis officialis de cuius mandato denunciatio facta fuerit. Et intelligatur amasia, que libidinis causa per decem dies vel ultra temta fuerit et similiter amasius dicatur qui per decem dies vel ultra libidinis causa per uxorem alterius temptus fuerit.

[68] De pena personam aliquam alteri subietam disponantis vel de domo extrahentis sine voluntate eius cui subiecta est. Rubrica. [c. 239v]

Statuimus quod nullus audeat extrahere vel extrahi facere vel subducere mulierem aliquam viduam vel domicelam, in quacumque etate fuerit de domo proprie habitationis vel alicuius sui asendentis, fratris vel patris vel alterius sub cuius potestate vel tutela sive cura esset vel alterius agnati vel cognati mulieris usque ad sextum gradum inclusive sine voluntate predictorum singula singulis referendo quamdiu habitaret cum aliquo ex predictis de cuius domo extraheretur seu subduceretur nec etiam aliunde vel per alium extractam vel subductam, ut supra, scienter retinere. Et qui contrafecerit si quidem per vim, puniatur pena capitali, si vero volentem condemnetur in quingentis libris. Item dicimus quod nullus debeat talem mulierem vel aliam etiam non extractam dispensare vel sibi vel alicui de sua familia in matrimonium coniungere vel coniungi permittere absque voluntate patris vel alterius asendentis per masculum vel agnati, usque ad quartum gradum in cuius domo vel familia habitaret si patrem non haberet et qui contrafecerit si quidem invitam puniatur personaliter ut supra. Si vero volentem condemnetur in ducentis libris bononinorum. Et idem intelligatur de masculo et in masculo sub potestate alterius constituto, qui ad aliam disponendam induceretur sine voluntate patris vel alterius sui asendentis ut supra. Testes vero qui huiusmodi disponationibus seu coniunctionibus prohibitis scienter interfuerint puniantur quilibet eorum in centum libris bononinorum, notarius vero, qui de predictis instrumentum fecerit, pena ducentarum librarum bononinorum puniatur. Salvis semper contentis in proximo sequenti statuto.

[69] De pena privati carceris vel aliquem capientis vel detinentis. Rubrica. [cc. 239v-240r]

Cum multis crasantibus sit opus exemplo pene infrascripte species⁹⁶⁹ criminis assidue comitatur, provida deliberatione statuimus quod nullus cuiuscumque conditionis audeat doloxe aliquam personam capere seu rapere vel furto obducere, ducendo eam et tenendo eam occulte sive clandestine in aliquo loco vel carcere privato et qui contrafecerit pena capitis puniatur et hoc si eum per spacium viginti horarum vel ultra tenuerit. Si vero minori tempore talem detinuerit, tunc puniatur talis detinens realiter et personaliter

[c. 240r f. CCXXXIII]

arbitrio potestatis, dum tamen hoc casu penam mortis imponere non possit, considerata qualitate facti et conditione persone. Si vero non occultando vel occulte vel

⁹⁶⁹ <species> *corregge* speciens.

clamdestine tenendo, set palam et publice aliquam personam ceperit et captam detineat si quidem libidinis causa, puniatur pena capitali, nisi esset meretrix vel aliqua rufiana publica vel mulier male fame quibus casibus rapiens puniatur pena pecuniaria arbitrio potestatis. Si vero alia de causa, pena quingentarum librarum bononinorum si fuerit forensis puniatur. Si vero de civitate vel comitatu, pena trecentarum librarum bononinorum. Salvo quod predictam penam quingentarum librarum bononinorum vel aliam in proximo casu non incurat qui predicta comiteret dilicencia domini potestatis vel alterius officialis cui licitum fuerit demandare. Nec etiam eas incurat qui detinuerit aliquem qui delinquerit vel delinquisset aliquem occidendo vel vulnerando cum aliquo armorum genere vel comitendo aliquod de malleficiis specifficatis in hoc ordinamento huius voluminis contento et maxime statuti quod est sub rubrica de bamnitis qui perpetuo de bamno cancelari non possit [117] causa presentandi domino potestati vel eius familie vel alteri officiali comunis Bononie, nec in presentando moram traserit, set quam cicius poterit presentaverit vel ex iusta causa appareat destulisse ex probationibus vel evidentibus vel rationabilibus coniecturis, que considerentur arbitrio potestatis vel iudicis de crimine cognoscentis, dum tamen a tempore comissi criminis cuius occasione cepisset tempore ipsius capture non sint lapsa tempora infra que de ipso accusatio institui debebat vel inquiri. Et quia crimen predictum variis modis sepe comitur et frequentatur et qualitatatis et circumstancie varie et diverse aggravant et minuunt ipsum crimen, volumus quod dominus potestas possit dictas penas pecuniarias minorare quandocumque sibi videbitur inspecta qualitate facti et criminis predicti et conditione personarum.

[70] De pena eximentis aliquem captum occasione maleficii vel delicti de potestate ducentium. Rubrica. [c. 240r]

Statuimus quod quicumque aliquem captum occasione alicuius maleficii quod diceretur fuisse comissum per vim de manibus vel potestate seu baylia ducencium eum captum in forciam comunis Bononie vel eum captum habentium, ut ducerent in forciam comunis Bononie si quidem detemptus ille bamnitus erat comunis Bononie occasione alicuius malleficii quod sibi fuisset ascriptum, tunc eadem pena puniatur eximens, qua puniri debuisset detemptus si pervenisset in forciam comunis Bononie. Si vero non erat banitus, tunc facta legitima fide de delicto talis detenti iudici, puniatur eximens eadem pena, qua puniendus fuerat detentus si venisset in forciam comunis Bononie et de delicto ligitime constitisset. Fide vero non facta iudici de delicto detenti si quidem captus ille exemptus fuerit de manibus familie potestatis vel alterius officialis ad capiendum bamnitos deputati vel de manibus aliorum, quam supradictum est, tunc puniatur eximens pecunialiter arbitrio potestatis considerata qualitate delicti et conditione personarum de quarum manibus exemtio facta foret. Si vero non eximerit aliquem bamnitum pro debito vel alium, qui potuerit capi pro debito de manibus creditoris seu eorum, qui talem bamnitum cepissent ad petitionem creditoris, tunc puniatur occasione talis exemptionis in vigintiquinque libris bononinorum, nisi debitum pro quo detemptus esset, esset minoris summe vigintiquinque librarum bononinorum, quo casu in tanta quantitate in quanta debitor erat puniatur. Et nichilominus teneatur et compelatur summarie sine streppitu et figura iudicii per iudicem, qui de exemptione cognoverit ad satisfaciendum creditori de debito pro quo foret detemptus, facta fide de debito supradicto, nisi detemptus legitimam defensionem habuisset in quolibet casuum predictorum.

[71] De pena furis et rerum raptoris. Rubrica. [cc. 240r-240v]

Cum in pena furibus et rerum captoribus imponenda multa iudici considerata occurrant tam inspecta conditione persone etateque eius quam sub tractatum rerum quantitate//

[c. 240v]

et qualitate et etiam assiduitate furandi et etiam considerato loco et tempore que omnia et singula esset deficile ymo impossibile seriatim et distinte exprimere. Idcirco penam furibus et rerum raptoribus imponendam comittimus arbitrio domini potestatis, predictis attentis et consideratis arbitrio boni et gravis viri, dum tamen pro primo furto vel rapina quantitatis vel rei extimationis vigintiquinque librarum bononinorum vel abinde infra quis non moriatur nec ei membrum aliquod absindatur. Et dum tamen furta domestica non puniantur, nisi quatenus exigat forma iuris, ita tamen quod personaliter puniri non possit, nisi de voluntate eius cui factum fuerit furtum. Addicientes quod de furto comisso extra iurisdictionem domini potestatis Bononie quis puniri non possit etiam si rem furatam contraxerit in dicta civitate Bononie vel eius districtu, possit tamen et teneatur dominus potestas vel capitaneus populi, qui super predictis aditus fuerit, habita quali quali fide quod quis res furatas habeat vel habuerit in civitate Bononie facere detineri talem furem in carceribus comunis Bononie, qui inde relaxari non debeat, donec restituerit dictas res furatas vel earum extimationem domino rerum aute eius certo nuncio. Pro equis tamen et libris alibi furatis et Bononie contractis possit quis puniri realiter et personaliter arbitrio iudicantis, considerata qualitate facti et conditione persone. Providentes etiam quod contra quamlibet mulierem, que diceretur expilasse aliqua bona de hereditate quondam sui mariti vel concubini seu amasii potestas seu capitaneus populi civitatis Bononie et quilibet eorum et cuiuslibet ipsorum iudices ad malleficia deputati teneantur ex officio inquirere et procedere et indicia et presumptiones, que videantur in predictis sufficiencia potestati vel capitaneo, qui de predictis cognoverit, habeantur pro plena probatione quantum ad restitutionem bonorum predictorum, dummodo extimatio predictorum bonorum non excedat quantitatem quinqueginta librarum bononinorum. Et nichilominus talis mulier expilans bona predicta condemnetur in duplo extimationis bonorum expilatorum, dicta tali expilatione legitime probata. Et idem inteligatur et fiat in quolibet expilatore. Set si talis mulier vel alius expilator pacem produxerit ante sententiam latam factam ab eo ad quem dicta bona pertinebant, iudex, qui de tali delicto cognoverit, pronunciet super tali delicto procedendum non esse. Si autem aliquis in strata vel itinere publico aliquem derobaverit furta suspendatur, nisi domino potestati videatur dicta pena mitiganda attenda qualitate facti et conditione persone, quo casu dominus potestas possit ipsam penam mitigare et eum punire etiam pecunialiter arbitrio suo et boni et gravis viri.

[72] **De pena falsum comitentis in monetam seu circa vel scienter eam expendentis. Rubrica.** [cc. 240v-241r]

Statuimus quod quicumque falsum in moneta seu circha monetam quocumque modo comiserit vel comiti fecerit vel sciens eam falsam expendit igne concremetur, nisi domino potestati videatur dicta pena mitiganda in expendente ratione modicitatis pecunie expense vel alia causa, quo casu dominus potestas possit dictam penam minorare arbitrio suo, inspecta qualitate facti et conditione persone etiam pecunialiter puniendo. Et si quis in domo propria vel fundo sciens passus fuerit⁹⁷⁰ predictorum aliquod per aliquem perpetrari, puniatur personaliter ultra fustigationem tamen arbitrio domini potestatis qualitate criminis et personarum conditione liberata, domus vero vel fundus eius, in quo vel qua eorum aliquod fuerit perpetratum in comuni Bononie

⁹⁷⁰ <passus fuerit> *in infralinea con segno di inserzione.*

publicentur. Si autem fuerit inquilinus vel colonus, qui in domo vel fundo alieno scienter passus fuerit eorum aliquod fieri, tunc non publicentur domus vel fondus, set talis colonus vel inquilinus puniatur personaliter arbitrio domini potestatis, qualitate criminis et personarum conditione pensata. Si autem pupillus fuerit, qui tale aliquod perpetraverit vel perpetrari passus fuerit nullum detrimentum recipiat, quia etas eorum quid videt ignorat. Tutores autem eorum, si scientes et patientes fuerint, hanc su//
[c. 241r f. CCXXXIII^{or}]

beant penam et de rebus eorum tantum inferant comuni Bononie quantum a pupilo esset auferendum, si maior fuisset.

[73] De pena falsorum testium et facientium instrumenta falsa vel eos vel ea producentium. Rubrica. [c. 241r]

Ordinamus quod si quis falsum tulerit testimonium vel falsum testem scienter produxerit in causa criminali in qua accusatus vel denunciatus vel ex officio inquisitus deberet personaliter vel ad mortem vel membri mutilationem condemnari eandem penam debeat pati producens et testes quam pati deberet accusatus, denunciatus vel ex officio inquisitus si confessus vel convictus fuisset. Si vero inventus fuerit falsum testimonium reddidisse vel produxisse scienter falsum testem in aliqua alia causa criminali, condemnatur in tanta quantitate pecunie in quanta debuisset condemnari vel condemnatus fuisset accusatus vel inquisitus et ultra pecunialiter arbitrio potestatis, considerata qualitate facti et conditione persone, dum tamen quantitas arbitrio potestatis reservata non excedat quantitatem quingentarum librarum bononinorum, quas quantitates si non solverit infra mensem potestas teneatur manum desteram si in ea plus possit et ea non careat, alias sinistram ei facere amputari. Et eandem penam silicet amisionis manus et pecuniariam paciatur qui falsum fecerit instrumentum in totum vel pro parte vel fieri fecerit. Item dicimus quod si aliquis scienter produxerit falsos testes vel aliquis falsum tulerit testimonium in aliqua causa civili, cadat ipso iure a causa producens seu produci faciens et condemnatur in trecentis libris bononinorum tam producens quam produci faciens et etiam ipse testis. Item si quis scienter falsum produxerit instrumentum per se vel alium in aliqua causa civili vel criminali vel scienter usus fuerit, ipso iure cadat a causa producens et scienter utens et eadem pena trecentarum librarum puniatur. Et si quis inventus⁹⁷¹ fuerit subornasse vel amagistrasse testes aliquos qui testimonium falsum deponant et falsum deposuisse eos constiterit condemnatur in ducentis libris bononinorum.

[74] De pena portantis vel vendentis falsum grogrum ad civitatem Bononie. Rubrica. [c. 241r]

Ordinamus quod nullus debeat portare vel portari facere ad civitatem vel districtum Bononie falsum grogrum vel vendere falsum grogum et qui contrafecerit condemnatur pro qualibet libra et ad rationem libre assensive et defensive in viginti quinque libris bononinorum et grogus comburatur, et quilibet possit accusare et habeat dimidiam banni seu condemnationis. Et denunciatione facta teneatur potestas inquirere per tres vel quatuor speciariorum de arte speciarie bonos et legales etatis treginta annorum si est falsus vel non et dicto modo vel alio culpabiles repertos supradicta pena punire.

[75] De pena eius qui mutaverit sibi nomen. Rubrica. [c. 241r]

⁹⁷¹ <inventus> *corregge* convictus.

Dicimus quod nemo sibi debeat nomen vel pronomen vel cognomen, quo publice denominatur mutare coram domino potestate vel aliquo alio officiali comunis Bononie vel in aliqua scriptura publica vel privata dolo vel fraude quod semper presumatur, nisi probetur contrarium. Et si interrogatus fuerit dicere debeat suum nomen et pronomen et cognomen verum vel quo publice denominetur et qui contrafecerit puniatur et condemnetur in quinquaginta libris bononinorum et minus arbitrio potestatis prout facti qualitas postularet et condemnetur ei quem legerit ex tali mutatione ad omne ipsius interesse et damnum.

[76] De pena extrahentis aliquas cartas de aliquibus libris vel scripturis pertinentibus ad comune Bononie vel ad aliquam privatam personam. Rubrica. [cc. 241r-241v]

Ordinamus quod aliquis non subtrahat, furetur vel rapiat aliquem librum//
[c. 241v]

comunis Bononie vel extrahat de aliquo volumine statutorum aut reformationum vel provisionum comunis Bononie vel statutorum populi vel de libro condemnationum vel bannitorum vel aliquo alio libro vel quaterno comunis Bononie vel de aliquibus scripturis, que essent in camera actorum comunis et populi Bononie vel alibi ubicumque positi essent ad petitionem comunis Bononie aliquam cartam scriptam vel carte scripte partem vel quaternum vel doloxe debeat vel corumpat vel cancellet vel inducat vel eis adat seu aliquid de novo ponat vel scribat ex quo preiudicium generari posset comuni Bononie vel alicui singulari persone iudiciaria vel consilii comunis Bononie sive maioris partis auctoritate non precedente. Et siquis contrafecerit puniatur in centum libris bononinorum et plus pecunialiter vel personaliter arbitrio potestatis secundum qualitatem delicti et perpetuo privatus sit et esse inteligatur quolibet officio comunis Bononie si venerit ad mandata domini potestatis. Et si non venerit ponatur in perpetuo bamno pro falsario. Et eadem pena puniatur, ut supra, fieri faciens et consenciens ad predicta.

[77] De pena vendentis rem alienam et petentis rem alienatam et aliis diversis capitulis. Rubrica. [cc. 241v-242r]

Providemus et ordinamus quod nulla persona audeat vel presumat vendere vel alienare rem aliquam immobilem, quam non possideat tamquam suam ex aliqua iusta causa, sine voluntate eius cuius est aut eius qui eam possideret iusto titulo tamquam suam vel nisi venderet ex aliqua iuris permissione. Et qui contrafecerit condenetur in centum libris bononinorum nec valeat venditio vel alienatio ipso iure scilicet in preiudicium eius cuius esset vel ad quem pertinet. Et eandem penam paciatur et incurat quicumque molestaverit extra iudicium per se vel alium pro eo generale vel speciale mandatum habentem aliquem possessorem vel quasi alicuius rei, que per ipsum possessorem vel eius predecessorem seu auctorem mediatum vel immediatum legitime quesita esset vel fuisset ab ipso molestante vel aliquo, qui causam habuisset ab ipso molestante vel a quo dictus principalis molestans causam haberet, dum tamen dictus molestans scientiam habuerit predictorum. Que pena ipso facto pro dimidia applicetur comuni et quod alia dimidia possessori predicto sic molestato et ultra hoc ipse molestans teneatur eidem possessori damnum et interesse quodlibet resarcire rato manente omni contractu celebrato super tali re ad cautelam ipsius possessoris prout de iure alias valeret. Item dicimus quod si aliquis rem immobilem⁹⁷² ad alium pertinentem, in

⁹⁷² <imobilem> segue re cassato per sottolineatura.

qua haberet usumfructum, usum vel habitationem vel quam ipse vel sui maiores conduserint ab eodem ad quem pertineret vel ab eo cuius talis ad quem pertineret esset sucesor universalis vel singularis vel quam ipse tenuerit nomine alterius vel tenuerit nomine eius cuius talis ad quem pertinet vel cuius nomine tenebatur esset sucesor, ut dictum est, alienaverit in alium vel tamquam suam vel tamquam habens ius in re suo nomine alii locaverit sine voluntate eius ad quem pertineret vel cuius nomine tenebatur, nisi prout de iure liceret eidem vel restituere vel libere et cum effectu relasare denegaverit vel diferat ipse vel eius sucesor etiam singularis finito tempore conductionis vel ususfructus, usus seu habitationis vel possessionis causam sibi iniuste mutaverit vel prodiderit vel tradiderit vel dolo malo delinquerit vel controversiam fecerit pretendens se ius habere vel pretendens se ius in alium transtulisse et transfere potuisse seu dictam rem denegaverit pertinere ad eum cuius nomine tenebatur et possidebatur nullum quidem preiudicium ex quo de predictis fiat seu generetur ei cuius nomine tenebatur vel possidebatur vel alicui eius sucesori, sed licitum sit ei et cuilibet eius sucesori etiam propria auctoritate aprehendere predictam rem et tenere ac si dicta alienatio, locatio vel aliqua transatio facta non esset vel denegata restitutio eius vel non intervenisset aliquod de predictis et non valeat⁹⁷³ alienatio in preiudicium illius. Salvo in quolibet casuum predictorum iure ei in quem facta fuerit alienatio contra alienantem et nichilominus condemnetur predictus alienator vel denegans vel faciens aliquod de predictis in ducentis libris bononinorum. Salvo quod si aliqua venditio fieret per aliquem comissarium seu executorem alicuius ultime voluntatis in casu sibi de iure permissio et requi

[c. 242r f. CCXXXV]

situs fuerit primo heres seu solvere obligatus quod solvat id pro quo fieret alienatio et per duos menses distulerit solvere valeat alienatio requisitione predicta facta et dicto termino a die requisitionis elapso et non petatur racione minoris etatis vel alia quacumque, nisi fraus intervenisset. Item dicimus quod si aliquis vendiderit vel alienaverit rem eandem duobus vel pluribus in solidum diversis contractibus de quibus appareat instrumentum sine voluntate primi cadat in penam tante quantitatis quanta fuerit extimatio sive precium rei vendite vel alienate, que pena applicetur comuni Bononie.

[78] De pena petentis vel exigentis creditum de quo constet satisfatio vel liberatio. Rubrica. [c. 242r]

Statuimus et ordinamus quod si contingerit aliquem per se vel alium pro eo habentem speciale vel generale mandatum petere vel exigere aliquod creditum pro quo credito ipse vel alius cui sucesisset reperiretur mediate vel immediate fecisset liberationem, absolutionem, quietationem, pactum vel confessionem per efficacem instrumentum siquidem principalis creditor vel habens causam cessionis ab eo fuit petens vel exigens tale creditum ipso facto ipse principalis et cedens, qui absolutionem, liberationem vel quietationem fecit penam incurat dupli crediti petiti vel exacti et nichilominus exactum restituat. Si vero fuerit heres vel⁹⁷⁴ universalis sucesor talis creditoris vel habens causam ab eo vel qui causam habens a cessionario per quocumque manus ambulaverit illud creditum pecierit vel exigerit et non requisiverit primo eum contra quem vel a quo voluerit petere vel exigere creditum, quod diceret sibi deberi ut sibi satisfiat vel instrumentum liberationis, quietationis, confessionis vel pacti ipsius crediti exhibeat et ostendat vel ipsius instrumenti copiam et eum saltem per mensem a die requisitionis non

⁹⁷³ <valeat> in infralinea con segno di inserzione.

⁹⁷⁴ <vel> in infralinea.

expectaverit ad predicta facienda eamdem penam silicet dupli crediti petiti vel exacti paciatur et incurat et exactum restituat. Que pene uno quoque casuum predictorum ipso iure et facto pro dimidia applicentur comuni Bononie et pro reliqua dimidia illi a quo vel contra quem petitum vel exactum foret que de facto auferatur per dominum potestatem vel eius vicarium. Et nichilominus omnes contractus, qui de huiusmodi liberatione, confesione, quietatione vel pacto factus fuisset remaneat in sua eficatia et vigore. Et idem per omnia inteligatur et observetur in liberatione legata.

[79] **De pena incendiarii, sagitarii et prohicentium lapides de nocte. Rubrica.**
[cc. 242r-242v]

Quicumque data opera dolose in civitate Bononie vel burgis vel guardia civitatis vel districtu Bononie in aliqua domo habitationis alicuius incendium fecerit, pena capitis puniatur, si haberi poterit. Et si haberi non poterit in banno perpetuo comunis Bononie ponatur in dicta pena et de bonis eius in utroque casu satisfiat summarie et de plano damnum passo de omni damno, quod occasione dicti incendi incurisset. Residuum vero dictorum bonorum publicetur in comuni Bononie si ad mandata non venerit et in banno positus fuerit. Et si in aliqua re vel aliqua domo que non habitetur tempore incendii submissi in damnum alterius pecunialiter puniatur arbitrio potestatis secundum qualitatem facti et persone conditionem, si venerit ad mandata. Et si non venerit ponatur in banno pecuniario arbitrio predicto. Et quia incendia sepe immituntur et ex eis per tempora damna illata sunt et inferi de facili possent maxime quando imituntur in stuplis vel ligna vel alia que comode secari non possunt et incendia proceduntur et damnificant alios et etiam in talibus fraudes fieri consueverunt quia quidam faciunt imitti per familiares, qui nichil habent in bonis sufficiens satisfacere damnum passo vel per pueros, ut etatis pretestu excusentur et sic damnum passus ex incendio tali culpa immissio remaneat in damno ad obviandum talibus fraudibus et ne quis indebite damnum paciatur quod sibi non resarciatur providemus quod dominus potestas quandocumque sibi videbitur arbitrio boni et gravis viri possit cogere patrem pro filio, dominum pro famulo ad satisfaciendum damnum passo. Et dominus potestas teneatur cuilibet massario tempore, quo comparuerit ad iurandum officium in principio sui officii massarie et alias quandocumque sibi videbitur mandare quod infra octo dies teneantur in arengho sui comunis hoc//

[c. 242v]

notificare personis sue⁹⁷⁵ comunitatis, pena cuilibet massario hoc facere obmitenti vigintiquinque librarum bononinorum. Et nichilominus teneatur dominus potestas predicta facere proclamari per civitatem Bononie infra quindecim dies ab introitu sui officii. Et qui maliciose aliquam personam sagitaverit⁹⁷⁶ cum archu vel balista si quidem cum sagita et non percuserit puniatur in centum libris bononinorum et si percuserit sine sanguinis efusione, in ducentis libris bononinorum. Et si cum sanguine in trecentis libris bononinorum, quam penam si non solverit in quolibet dictorum casuum infra mensem a die sententie mandati si foret in forciam comunis Bononie vel a die quo venerit in forciam, banno decurso, eidem manus debeat amputari. Si vero cum balota, puniatur in dimidia ut supra. Et si quis maliciose proiceret de nocte lapidem super domo vel ad hostium vel fenestram alicuius puniatur in vigintiquinque libris bononinorum et hoc casu ille, qui publicum deduxerit, habeat dimidiam banni sive condemnationis. Item dicimus quod nullus civis vel forensis cuiuscumque conditionis audeat vel presumat in altum sagitare vel proicere polçonos, sagitas, stralas, balotas, lapides vel aliud genus

⁹⁷⁵ <sue> nel testo see.

⁹⁷⁶ <sagittaverit> nel testo satigaverit.

nocendi in aliqua parte civitatis Bononie et qui contrafecerit condemnetur in quinque libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem condemnationis vel bamni et teneatur ad mendationem damni dati et credatur sacramento accusantis vel denunciantis cum uno teste vel aliis verisimilibus indiciis vel presumptionibus et hoc ultra alia in nostris statutis disposita.

[80] **De pena divinatorum et facientium experimenta et his similia. Rubrica.** [c. 242v]

Ordinamus quod divinatores et experimenta facientes, transfigurationes vel incantatores vel ydola facientes et affatturatores et affatturatrices non debeant stare in civitate Bononie vel districtu, set ipso iure pro bamnitis habeantur pro gravissimo malleficio et si veniant in forciam domini potestatis puniatur in persona arbitrio potestatis et eorum bona publicentur, quorum medietas sit comunis alia medietas accusantis.

[81] **Quod nullus inquietet vel molestet aliquem in eius possessione. Rubrica.** [c. 242v]

Statuimus quod nullus cuiuscumque conditionis existat, audeat vel presummat alium possidentem rem aliquam immobilem turbare vel inquietare in possessione ipsius rei vel de ipsa possessione eum expelere vel deicere. Nec etiam audeat aliquis intrare vel occupare possessionem dicte rei animo inquietandi, turbandi vel expelendi sive deiciendi possidentem de ipsa re vel eius possessione faciendo aliquid propter quod videatur facere vel vele predicta facere vel aliquod predictorum, nec etiam audeat mandare vel fieri facere predicta vel aliquod predictorum, pena venienti contra predicta vel aliquid predictorum pro quolibet et qualibet vice, si fuerit civis vel comitatus vel districtualis, centum librarum bononinorum. Et si fuerit forensis in ducentis libris bononinorum. Et dominus potestas teneatur sub pena trecentarum librarum bononinorum remediis oportunitatis statim deiectionem vel quoquo modo turbatum in prestinum statum per omnia reducere. Possit etiam et teneatur dominus potestas per se vel alterum de suis iudicibus vel militibus inquirere de predictis ad petitionem seu notificationem cuiuscumque publice vel occulte faciendam etiam suo mero officio si per dominos ancianos eidem mandatum fuerit et aliter non teneatur inquirere.

[82] **De represaliis. Rubrica.** [cc. 242v-243v]

Quia ex consuetudine ymo potius abusu quarundam provinciarum, civitatum et locorum represalie conceduntur et concesse sunt et fuerunt contra cives seu districtuales civitatis et comunis Bononie et in bonis ipsorum propter debita contracta interdum vel excessus aliquos comunis Bononie vel suorum officialium vel alicuius singularis persone dicte civitatis vel districtus vel factos in ipsa civitate vel districtu seu alibi ubicumque contra Deum et iusticiam alios pro aliis aggravando ad obviandum predictis ne fiant et ut factis vel fiendis adhibeatur remedium, statuimus quod si que tales represalie concesse sunt vel impo//

[c. 243r f. CCXXXVI]

sterum conceduntur ex quibus aliqua persona de civitate vel districtu Bononie de cetero gravaretur vel aliquod damnum substinuerit in persona vel rebus, liceat ipsi gravato vel damnificato et eius heredi et alteri cuicumque eius nomine accedere coram dominis ancianis et consulibus dicte civitatis, qui pro tempore fuerint et suam de predictis petitionem seu querimoniam exponere ad cuius petentis seu conquerentis

petitionem teneantur ipsi domini anciani, qui fuerint requisiti, mittere literas suo nomine seu ex parte comunis Bononie regimini seu regiminibus provincie civitatis vel loci in quo vel qua tales represalie reperirentur esse concesses, ipsaque regimina talis provincie civitatis vel loci requirere⁹⁷⁷ per literas supradictas, quod ipsum gravatum vel damnificatum pristine libertati restituant et relaxent, si detentus fuerit, omneque gravamen illatum detento vel etiam non detento revocent et removeant cum effectu et bona omnia eidem etiam absenti quomodocumque ablata dicta de causa et damna quocumque illata integraliter restituant et resarciant et persolvant infra terminum in ipsis literis continendum, de quarum literarum presentatione credatur et stetur nuncio, qui missus fuerit ex parte dominorum ancianorum dicti comunis cum literis supradictis. Et si qua regimina predicta facere et fieri facere neglexerint seu ea cum effectu non fecerint infra terminum eis datum iterum similes litere mittantur et requisitio fiat de quarum presentatione credatur ut supra. Et si infra terminum dictarum secundarum literarum non fuerint adimpleta predicta, possint dicti domini anciani, si eis videbitur, mittere ambaxiatores unum vel plures semel vel pluries ad regimina predicta super predictis et si regimina neglexerint vel obmiserint adimplere predicta, ut supra, possint et teneantur predicti domini anciani, qui requisiti fuerint, pronunciare et declarare ipsum talem gravatum et eius heredes eo mortuo habere represalias generales contra omnes et singulos cives seu districtuales ipsius provincie civitatis vel loci que vel qui tales represalias concesserit ex quibus tale damnum vel gravamen evenerit. Et bona quecumque ipsorum civium vel districtualium vel ad ipsos pertinetia et possessa per eos et alium quemcumque ipsorum personas et bona predicta capere, apprehendere et retinere semel vel pluries usque quo contenta vel continenda in ipsis libris fuerint adimpleta et de expensis damnis et interesse postea factis et illatis seu occurrentibus fuerit integre satisfactum dum tamen persona detinenda detineatur solum in carceribus comunis Bononie. Que gravamina, damna et expensas ac interesse pro preterito tempore, sacramento prius super hiis prestito, a petente vel conquerente principali vel alio tempore prononciationis ipsius tassentur et declarentur cui tassationi stetur, quibus represaliis talis gravatus vel damnificatus et eius heredes per se vel alium uti valeant elapso demum mense a die prononciationis et declarationis predictae. Salvo quod predicta locum non habeant ubi talis gravatus vel damnificatus esset ille, ex cuius persona vel facto tales represalie procesissent vel eius heres vel sucesor universalis. Et salvo quod dicte represalie in casu predicto, ut supradicitur, concedende non extendantur ad tales cives et districtuales contra quos dicte represalie concederentur vel bona ipsorum, qui essent clerici vel ecclesiastice persone vel scolares vel doctores in aliqua facultate vel in studio civitatis Bononie vel officiales seu stipendiarii comunis Bononie quamdiu scolares, doctores, officiales vel stipendiarii fuerint vel postea infra quindecim dies vel qui essent cives vel incole seu districtuales vel habitatores civitatis vel comitatus Bononie vel qui fidanciam haberet a comuni Bononie. Si vero aliquis civis civitatis Bononie diceret se aliquid debere recipere vel habere ex sua principali persona vel eius cuius fuerit principalis sucesor vel pro parte ab aliqua civitate, comuni vel universitate comuni Bononie non subiecta vel ab aliqua singulari persona, cive, comitatino vel districtuali alicuius comitatus vel civitatis vel aliquam eius rem vel possessionem sibi fore indebite occupatam vel detentam per aliquam civitatem, comitatum vel universitatem comuni Bononie non subiectam vel aliquem civem vel comitatum vel districtualium dicte civitatis, comita//

[c. 243v]

⁹⁷⁷ <requirere> *corregge* require.

tis vel universitatis similes litere mittantur regiminibus dicte civitatis, comunitatis vel universitatis quarum vel cuius civis, comitatus vel districtualis diceretur aliquid debere vel aliquam terram vel possessionem occupatam tenere indebite, quod debeant facere solvi vel relaxari id, quod petitur vel rem detentam vel occupatam referendo singula singulis aut legitime docere et ostendere qualiter solvere et relaxare non debeat vel fieri quod petitur. Quod si facere denegaverit facta summarie fide a cive civitatis Bononie coram dominis ancianis predictis de eo quod petitur represalie concedantur ut supra. Decernentes represalias aliter vel in alio casu quam ut supra dicitur concedendas carere viribus et effectu, nisi leviori modo concederentur represalie in terra vel loco contra quem represalie concederentur, quo casu sufficiat ipsum modum servari. Et quod nullus eis uti possit, sub penis statuto presenti comprehensis et in casibus in quibus fuerit contrafactum, nisi concederentur per predictos vel consilium comunis Bononie in quo fuerint ad minus due partes consiliariorum et maior pars⁹⁷⁸ fuerit in concordia.

[83] De pena facientium guarnimentum vel andatam seu cavalcatam vel in eo seu ea congregantium. Rubrica. [c. 243v]

Statuimus quod nullus audeat vel presumat facere vel fieri facere guarnimentum hominum armatorum in civitate Bononie, burgis vel guardia civitatis Bononie et qui contrafecerit, si fuerit forensis, condemnatur in quingentis libris bononinorum. Si vero civis vel quivis alius condemnatur in trecentis libris et habeant hoc locum si factum fuerit in civitate Bononie, burgis vel guardia civitatis. Si vero in comitatu vel districtu, si contrafaciens fuerit forensis, condemnatur in trecentis libris bononinorum, si alius in ducentis libris bononinorum. Et intelligatur guarnimentum quantum ad omnia statuta, que de guarnimento loquuntur si sit fit saltim congregatio viginti hominum armatorum ab una parte. Item dicimus quod nullus audeat vel presumat ire vel se congregare in guarnimentum vel guarnimento a se vel ab alio facto et qui contrafecerit, si fuerit forensis, condemnatur in trecentis libris bononinorum et alius quivis condemnatur in ducentis libris bononinorum sive sit commissum delictum predictum in civitate, burgis sive guardia civitatis vel in comitatu vel in districtu Bononie et hoc si venerit ad mandata, alias ponatur in banno pro gravi malleficio in quantitibus suprascriptis singula singulis referendo et eadem⁹⁷⁹ pene et simili modo imponantur facientibus andatam vel cavalcatam hominum armatorum decem vel ultra in iniuriam vel damnum alterius per civitatem vel districtum Bononie de uno loco ad alium vel⁹⁸⁰ euntibus in ipsa andata seu cavalcata, habita destinatione locorum et personarum ut supra. Et eadem pena, ut supra, puniatur quicumque extra civitatem, comitatum vel districtum Bononie aliquod predictorum fecerit trahendo vel conducendo per se vel alium directe vel indirecte aliquam personam de civitate, comitatu vel districtu Bononie pro predictis et occasione ipsorum, ut supra, comitendorum etiam extra civitatem, comitatum et districtum Bononie et in omnibus et per omnia, ut supra.

[84] De pena eius qui rumperit pacem osculo pacis interveniente factam. Rubrica. [cc. 243v; 252r]

Statuerunt quod si quis pacem factam vel fiendam in futurum osculo pacis interveniente rumperit homicidium faciendo si venerit in forciam comunis Bononie, capite puniatur. Et si non venerit ponatur perpetuo banno capitis comunis Bononie utroque casuum predictorum bona frangentis pacem publicentur pro dimidia parte

⁹⁷⁸ <pars> *dittografato*.

⁹⁷⁹ <eadem> *nel testo edem*.

⁹⁸⁰ <vel> *in infralinea con segno di inserzione*.

comuni Bononie et alia dimidia parti lexe vel eius heredi ipso iure deveniat et pars comunis debeat vendi per comune infra tres menses vel laborentur per comune et fructus perveniant in comuni. Si vero vulneraverit vel aliter percuserit, quatuorpli puniatur eius in quo condemnari deberet per formam statutorum, si pax non intervenisset. Et pax intelligatur osculo pacis intervenire sive facta fuerit per principales personas sive per procuratorem eorum ad hoc speciale mandatum habentem cuicumque facta sit sive principalibus sive procuratoribus eorum vel tutoribus vel curatoribus sive aliis nomine eorum recipientibus si ratum habuerint hii quorum nomine recepta fuerit. Salvo quod si aliqui pueri quatuordecim annorum vel abinde infra rissentur ad invicem vel se offenderent quod remaneat in arbitrio domini potestatis in minoris pene impositione, salvis semper⁹⁸¹

[c. 252r f. CCXXXVII]

penis conventionalibus apposisis circa pacem predictam in instrumento eiusdem.

[85] (114) **De pena moventium terminos et confines. Rubrica.** [c. 252r]

Mandamus quod nullus audeat terminos vel confines inter predia rustica vel urbana vel inter rustica et urbana posita in civitate, burgis vel comitatu vel districtu Bononie amovere vel tollere vel amoveri vel tali facere vel mandare quod amoveantur et qui contrafecerit condenetur in quinqueginta libris bononinorum. Et intelligatur amovisse vel amoveri fecisse ille cuius comodo cedit amotio dummodo probetur quod anno eodem terminus, qui dicitur amotus fuerit in alio loco, nisi contrarium vel iusta amotionis causa legitime probaretur.

[86] (115) **De pena ludencium ad azardum. Rubrica.** [cc. 252r-252v]

Ordinamus quod nullus in civitate Bononie vel burgis vel in guardia vel in comitatu vel districtu Bononie debeat ludere ad aliquem ludum taxillorum seu ad aliquod genus bescazarie tasilorum et si quis contrafecerit condenetur pro qualibet vice in quinque libris bononinorum. Item quod nullus debeat mutuare ad ludum seu occasione ludi seu bescazarie in sua domo vel aliena vel alio loco et quicumque contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in decem libris bononinorum et perdat pecuniam mutuam et pignora libere restituat. Item dicimus quod si alium contractum fecerit in fraudem mutui dicta occasione sive concipiatur in personam ipsius mutuantis vel alterius pro eo vel preceptum aliquod de aliqua quantitate pecunie recipi fecerit ex quacumque causa non teneat in fraudem mutui facti occasione ludi contractus vel preceptum ipso iure, nec ex eis aliquid peti possit. Et quilibet possit repetere pignora et opponere preceptis et instrumentis et contractibus predictis. Et super hiis absque pena ei imponenda ex eo⁹⁸² quod luxerit vel supradictum ludum fecerit vel inspexerit. Item quod nullus teneat aliquem de predictis ludis in sua domo propria vel conducta curia, porticu⁹⁸³, orto vel broylo sive camera seu quocumque alio loco palam vel secrete. Et qui contrafecerit condemnetur in viginti quinque libris bononinorum in pecunia numerata sine aliqua detractione quando publica foret fama ipsum tenere ludum, nec ad defensionem alicuius ludentis ludum tenentis vel mutuantis admittatur aliquis, sed inculpatus, accusatus ut inquisitus se personaliter defendere debeat. Item quod alicui, qui mutuaret ad ludum vel teneret ludum in domo vel alio loco vel alicui de quo esset publica vox et fama facere aliquod de predictis non reddatur ius in aliqua causa civili usque ad quinque annos. Et quicumque requisitus fuerit legitime occasionibus supradictis vel aliqua earum et non

⁹⁸¹ *Nel margine inferiore della carta: penis conventionalibus.*

⁹⁸² <eo> *in infralinea.*

⁹⁸³ <porticu> *corregge portu.*

venerit habeatur pro confeso et ipso facto sit infamis et condemnari possit et debeat ac si ad mandata comparuisset et confessus fuisset. Item si aliquis inventus fuerit habere sextorium vel tabulerium sive sextorium tantum sive tabulerium tantum in domo seu loco eius proprio vel propria vel quem vel quam habitaverit de quo vel qua sit publica vox et fama ipsum tenere aliquem de ludis predictis condemnetur ac si fuisset inventus retinere ludum. Item dicimus quod potestas singulis mensibus teneatur inquisitionem facere de predictis ludum tenentibus et mutantibus et deludentibus singulis diebus et horis, quibus de armis inquisitionem fieri faceret et possit etiam procedere per presumptiones in his. Et si accideret quod aliquis de familia domini potestatis iret ad aliquam domum causa inquirendi de predictis et de ea domo fugeret aliquis teneatur habitator domus pro unoquoque fugiente solvere penam statutam contra ludentes si habitator fuerit presens et non indicaverit nomina fugientium. Et si in alicuius domo in qua dominus non habitaret tenebitur ludus sciente domino et paciente condemnentur dominus in viginti quinque libris. Et dicimus quod credatur beroariis vel familie domini potestatis et domini capitanei populi et cuiuslibet ipsorum et de inventione ludi et ludentium sicut beroariis et familie existentibus vel euntibus cum aliquo ex militibus domini potestatis vel capitanei vel notariis possit tamen contrarium probari. Cuiuslibet sit autem licitum ludere//

[c. 252v]

posse ad scachos vel tabulas. Salvo quod si fuerit publicus baraterius et consuetus stare in barataria in platea comunis Bononie vel in triviis porte Ravenatis, qui inventus fuerit ludere in aliqua parte civitatis in hoc solum puniatur ut adequari debeat publice in platea comunis Bononie horis iuridicis. Iubentes quod aliquis baraterius publicus vel marochus seu meretrix publica de die vel de nocte non possit morari vel ludere super scalis palatii veteris comunis Bononie vel prope ipsas scalas seu capellas iuxta easdem scalas sitas per tres perticas comunis, sub pena fustigationis contrafacienti inferenda per dominum potestatem vel dominum capitaneum populi, qui adversus contrafacientes ad petitionem cuiuslibet de facto procedere teneantur. Adicientes quod ludentes in casibus predictis, ut supra prohibitis in aliquo ex palaciis comunis Bononie vel in domibus palaciorum predictorum vel sub porticibus alicuius ecclesie civitatis Bononie vel burgorum penam incidat viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Adicientes quod si aliquis fecerit vel fieri fecerit tassilos falsos vel maliciosos aliquo modo vel cum eis luxerit scienter ei manus dextera si in ea plus potest vel sinistra debeat amputari, nisi domino potestati vel capitaneo videatur ex causa, attenda qualitate facti et conditione persone, dicta pena mitiganda et in pecuniariam convertenda, quo casu facere possint ipsorum et cuiuslibet eorum arbitrio.

[87] (116) **De pena portancium arma vetita. Rubrica.** [cc. 252v; 244r-244v]

Statuerunt quod nullus per civitatem Bononie intra muros novos audeat vel presumat portare vel super se habere arma vetita videlicet cultelum, ensem, stochum, spontonem, falzonem de caveça, maçam feratam vel bastonem de fero, manaretam, lançeam feratam, spetum, dardum, lançonem, ronchonem ultra ferrum vel dagam vel quadreletum vel plombarolam. Et qui contrafecerit si fuerit de die et fuerit forensis condenetur pro quolibet dictionum armorum et qualibet vice in decem libris bononinorum. Si autem fuerit alius quilibet condemnetur in quinque libris bononinorum. Si vero fuerit de nocte pene eis duplicentur. Ubi autem contrafieret in palaciis vel domibus palaciorum vel super aliquibus scalis ipsorum palaciorum pena sit duplicata. Si vero fuerit leno vel infamatus de lenocinio, qui contrafecerit, condemnetur in quatuoruplo condemnationum predictarum. Et in quolibet casuum predictorum perdantur arma eis inventa, que

perveniant in comune Bononie. Et credatur de inventione armorum beroariis vel familie domini potestatis et domini capitanei, dum vadunt vel essent cum aliquo ex militibus vel notariis domini potestatis vel capitanei. Possit tamen legitima defensio in contrarium admitti qua facta non fiat condemnatio. Et si quis fugerit ante familiam domini potestatis vel ut supra euntem seu stantem ad inquirendum de armis habeatur pro confeso et possit condemnari ac si cultelus feritorius foret eidem inventus, nisi contrarium legitime probaretur, ut supra, nullum tamen pro predictis fugientem familia persequatur. Et si aliqua arma essent inventa iuxta aliquos et inquireretur per militem vel notarium euntem vel stantem ad inquirendum de armis vetitis, cuius essent et illi seu aliquis eorum iuxta quos huiusmodi arma inventa fuerint non dixerint cuius essent quod omnes condemnentur pro dictis armis sic inventis in tanta quantitate inter omnes in quanta esset condemnatione quando unus solus inventus esset et quilibet eorum in solidum teneatur et solutione ab uno facta ab aliis exigere non possit et quilibet pro sua rata tali solventi teneatur. Salvo quod eundo extra civitatem et redeundo ad civitatem possint portare cives ensem vel cultelum vel spononem vel lanceam habendo pedes capelum publice ipsi vel qui cum eis irent tamquam sui familiares vel eques habendo calcaria vel alio modo habendo secum portando dicta arma ligata vel signata sic quod verisimiliter hostendatur non portari animo offendendi exceptis//

[c. 244r f. CCXXXVIII]

forensibus qui non habitant in civitate Bononie quando venerint ad civitatem Bononie de novo et quando redirent, quibus licitum sit portare arma veniendo et redeundo et non aliter per civitatem sub dicta pena. Et quando aliquis de predictis forensibus venerit Bononiam et fuerit hospitatus, hospes teneatur dicere dicto forensi quod non debeat portare dicta arma per civitatem Bononie postquam fuerit hospitatus, alias teneatur ad omne damnum et interesse quod pateretur talis forensis occasione predicta. Item quod nullus comitatus per comitatum vel guardiam in aliqua parte possit portare aliqua arma offensibilia excepta lancea, roncheta vel cultelo sub pena predicta. Salvo quam tempore guerre quo casu dicta arma possint portare comitatini in hiis partibus et versus eas partes in quibus esset guerra. Nec etiam arma predicta vel aliquod eorum nec etiam aliquod aliud genus armorum supra specificatorum ad aliquam ecclesiam in qua celebretur divinum officium vel ad aliquam tabernam vel domum seu locum in quo vel qua fieret aliqua congregatio hominum numero quindecim vel ultra, nec prope aliquem dictorum locorum per vincti perticas, sub pena quadraginta solidorum pro quolibet dictorum armorum et qualibet vice. Et quilibet possit tales contrafacientes denunciare vel accusare et habeat medietatem condemnationis. Et etiam vicarii terrarum comitatus Bononie teneantur de predictis inquirere et culpabiles punire et condemnare in penis suprascriptis de quibus condemnationibus cum exacte fuerint, debeat⁹⁸⁴ habere duos solidos bononinorum pro qualibet libra cum exacte fuerint. Item quod nullus, qui non sit de civitate Bononie vel districtu, possit portare aliqua arma defensibilia cum licencia vel sine per civitatem Bononie de die vel de nocte et qui contrafecerit puniatur pro qualibet vice in tribus libris bononinorum et perdat arma, nisi esset familiaris alicuius civis⁹⁸⁵ civitatis Bononie et cum eo habitaret, qui, etiam sine licencia, tali habitatione durante, possit ipsa arma portare. Si vero non esset familiaris et habitator, ut supra et velit satisfacere de non offendendo aliquem sub pena arbitrio potestatis ultra penas nostrorum statutorum possit potestas eidem licenciam concedere et ea habita possit arma⁹⁸⁶ predicta portare. Que licencia duret solum durante officio dicto potestatis et aliter licencia dari non possit, sub pena danti licenciam centum librarum bononinorum, nisi

⁹⁸⁴ <debeat> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁹⁸⁵ <civis> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁹⁸⁶ <arma> *corregge ar.*

foret scholaris in studio civitatis Bononie, qui etiam sine licencia portare possit. Licitum sit autem omnibus de civitate et comitatu sine aliqua securitate prestanda vel bolita recipienda posse portare⁹⁸⁷ arma defensibilia⁹⁸⁸ per civitatem Bononie et comitatum sine pena. Arma autem defensibilia intellegimus panzeriam, cassetum, coretum, manicam feratam, colaretum seu gorgeriam, gamberias, coracias, lamas, cerbeleriam seu magliatam et cirotecas feratas omni prohibitione a potestate vel eius familia facta vel facienda cessante. Mandantes quod nullus cuiuscumque conditionis audeat per ipsam civitatem portare tabolatum vel braçarolam, bocolerium, clipeum seu pavesem sine licencia potestatis, que licencia solum duret tempore regiminis eius concedentis, sub pena contrafacienti quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et quolibet genere armorum predictorum, salvo quod talia arma etiam cum licencia non possint portari in palaciis vel domibus palaciorum comunis Bononie, sub pena contrafacienti quinque librarum bononinorum. Et intellegatur civitas quantum ad predicta et infrascripta⁹⁸⁹ et ad omnia alia in nostris statutis contenta, quatenus muro novo cingitur seu cingi debet, burgi vero intellegantur extra et iuxta civitatem infrascripto modo silicet in strata Sancti Stephani, Strata Maioris, strata Sancti Vitalis usque ad rivum Fosse Cavoline, in strata Sancti Donati usque ad pontem a⁹⁹⁰ Realte, in strata Burgi Galerie usque ad ecclesiam Sancte Anne et in strata Burgi Sancti Mame usque ad ecclesiam Sancte Marie Angelorum et ultra eundo directe per viam comuniter usitatam usque ad ecclesiam Sancte Marie in Monte inclusive et ipsam ecclesiam per vigintiquinque perticas ex omni parte. In aliis vero stratis et portis extra muros burgi non intellegantur. Et quod dictus potestas et dominus capitaneus//

[c. 244v]

populi et quilibet ipsorum teneantur⁹⁹¹ quolibet die et qualibet nocte rimari facere per civitatem Bononie de ipsis armis per unum ex militibus vel notariis et unum alium ex notariis suis vel plures cum aliquibus aliis⁹⁹² aiunctis de familia sua ad voluntatem ipsius domini potestatis vel capitanei populi et repertos cum armis per suam familiam, ut dictum est, eundo rimando de armis condemnare ex relatione sue familie, ut dictum est, statutorum etiam solemnitate obmissa, que inquirendo in omnibus aliis est statuta per statutum, quod de inquisitionibus loquitur positum sub rubrica ‘De modo inquisitionum’ [15]. Et omnia arma que inventa fuerint contra formam predictam teneatur tradere et tradi facere officialibus, qui pro tempore fuerint ad officium massaroli ipsa die inventionis vel sequenti cum nominibus eorum, quibus inventa fuerint. Qui officialis massarolus teneatur ipsa arma recipere et custodire et nemini restituere debeat cum mandato vel sine et ea in scriptis redigere in uno libro vel quaterno cum nominibus et die⁹⁹³ traditionis sibi facte. Et facta condemnatione de ipsis inventis cum dictis armis, dicta arma vendantur ad incantum ad utilitatem comunis Bononie per illos per quos et prout venduntur pignora accepta de mandato officialium comunis Bononie et ipsorum precium generali depositario consignetur. Quam condemnationem dictus potestas et dominus capitaneus populi et quilibet eorum per se vel suum vicarium omnino facere teneantur infra octo a die inventionis predicte, sub pena dicto domino potestati vel domino capitaneo pro quolibet pecio armorum invento et non tradito, ut supra, decem librarum bononinorum et pro quolibet non condemnato

⁹⁸⁷ <portare> *nel testo* portare.

⁹⁸⁸ <defensibilia> *nel testo* defensibilia.

⁹⁸⁹ <infrascripta> *scripta in infralinea con segno di inserzione.*

⁹⁹⁰ <a> *in infralinea.*

⁹⁹¹ <teneantur> *segue tenean cassato per sottolineatura.*

⁹⁹² <aliis> *in infralinea con segno di inserzione.*

⁹⁹³ <die> *corregge* dire.

infra dictum terminum quinqueginta librarum bononinorum. A predictis omnibus prohibitis excipimus omnes officiales forenses comunis Bononie et eorum familiares ipsorum durantibus officiis et sindicatu. Et familiares dominorum ancianorum cum eis continuo comorantes. Et familiares domini bononiensis Episcopi cum eo continuo comorantes et familiares domini inquisitoris heretice pravitatis Bononie, qui possint esse numero decem et non ultra et inscriptis dati domino potestati et domino capitaneo populi et stipendiarios forenses, equites et pedites comunis Bononie, quamdiu steterint ad stipendia supradicta. Et quoscumque ambaxiatores eorumque familiares huc accedentes seu moram trahentes. Et salvo privilegio rectorum universitatum scolarium iuris canonici et civilis et medicine circa delationem armorum et salvo quod si arma predicta essent ligata tempore inventionis, ita quod verisimile sit de facili evaginari non possent deferens penam aliquam non incurat.

[88] (85) **De pena euntium de nocte. Rubrica.** [cc. 244v-245r]

Statuimus quod nullus civis forensis, comitatinus vel quivis alius audeat ire, stare vel sedere per civitatem Bononie extra domum sine licencia post tercium sonum campane, que pulsatur de sero pro guardia civitatis et ante pulsationem campane diei et qui contrafecerit condemnetur in viginti solidis bononinorum pro qualibet vice. Si vero lumen aliquod haberet vel illi qui cum eo essent vel aliquis ex illis, ita quod ipsi omnes eodem lumine videre et videri possent vel si in ipso instanti, quo per familiam domini potestatis inventum foret lumen estintum, ita quod fumum vel ygnem demostret vel calidum tunc esset stupinum luminis estincti, non incurat penam predictam. Item quod si inveniatur persona aliqua ignota aut infamata vel que videatur etiam rationabiliter suspecta etiam si cum lumine capi possit per familiam domini potestatis vel domini capitanei populi et ad palacium duci et ibidem detineri usque ad terciam diem ad plus. Salvo quod si maleficium reperiretur contra eum vel inculparetur de aliquo maleficio, tunc fiat et procedatur secundum quod requiritur ex forma alicuius legis municipalis. Item quod aliquis caupo vel vinum vendens in civitate Bononie non audeat tenere canipam sive tabernam in qua vinum vendatur apertam post dictum tercium sonum campane et ante pulsationem campane diei sub pena viginti solidorum bononinorum. Exceptis hospitantibus, qui sunt consueti hospitari sive qui publice hospitantur. Et exceptis quibuscumque, qui essent deputati ad custodiam civitatis Bononie. Item quod nullus presumat ire per civitatem Bononie post tercium sonum campane sonando trombam sive trombetam, cornum sive cornetam, çalamelam vel nacaros vel cornamusam vel tamburum, sub pena decem//
[c. 245r f. CCXXXVIII^{or}]

librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et quilibet accusare possit et denunciare et teneatur in credenciam et habeat medietatem banni. Salvo quod predicta non intelligantur quando predicta instrumenta sonarent occasione custodie civitatis.

[89] (86) **De pena dantis operam quod Studium civitatis Bononie amoveatur de civitate vel turbetur. Rubrica.** [c. 245r]

Quoniam Studium scolarium iuris canonici et civilis et medicine iam fere mille annis decursis decoravit honorem et dittavit civitatem et cives Bononie et sic precipue spectat ad comune Bononie et cives universos et singulos ipsum Studium perpetuo in civitate Bononie ut tesaurum preciosum conservare. Ideo statuimus hoc statuto perpetuo valituro quod nullus audeat publice vel secrete dicere, consulere, arengare vel proponere vel modo aliquo tractare vel operam dare quod ipsum Studium in totum vel partem amoveatur de civitate Bononie vel turbetur sic quod doctores impediuntur legere et

scolares scholas intrare ut consuetum vel facerent si ipsa turbatio Studii non foret inducta nec ipsum Studium interducere perpetuo vel ad tempus vel statum vel coniurationem facere vel alio quoquo modo vel forma firmare vel ordinare quod scolares recedere debeant a Bononie Studio, sub pena capitis imponenda cuilibet contra predicta vel aliquid predictorum dicenti vel facienti vel contravenienti in aliquo casuum predictorum et possit potestas et teneatur inquirere de predictis etiam ad petitionem cuiuscumque.

[90] [87] **De pena euntium ad consilium vel ad arengum alicuius terre, comitatus vel districtus Bononie. Rubrica.** [c. 245r]

Statuimus et ordinamus ut comunia terrarum et ipsorum massarii libere possint ipsorum negocia expedire. Et ne cogantur ad aliquid faciendum vi vel metu vel precibus quod nullus cuiusvis conditionis et status audeat⁹⁹⁴ stare, esse vel morari in aliquo consilio vel arengo vel ad locum accedere ubi esset consilium vel arengum in aliqua terra comitatus vel districtus Bononie, nisi essent de dicta terra in qua esset dictum consilium vel arengum et ibi colectas solveret et alia onera subiret cum comuni et hominibus illius terre, sub pena cuilibet contrafacienti viginti quinque librarum bononinorum. Salvo quod predicta non vendicent sibi locum in notario dum ibi conficeretur aliquod instrumentum nec in⁹⁹⁵ aliquibus contraentibus cum comuni illius terre, nec in nunciis citantibus vel cridantibus ipsum massarium vel comune vel qui ipsi massario vel comuni aliquod preceptum facerent nec in aliquibus, qui aliquam denunciationem vel protestationem facerent massario et comuni, nec in testibus adhibitis ad predicta vel aliquod predictorum, qui possint ibi adesse eo tempore dumtaxat, quo facerent aliquod de predictis, nec in aliquibus aliis, qui de voluntate dicti comunis pro negociis dicti comunis essent in dicto consilio vel arengo.

[91] (88) **De pena facientis vel recipientis fidelitatem vel aliam speciem servitutis vel subiectionis. Rubrica.** [cc. 245r-245v]

Ordinamus quod nullus de civitate Bononie, comitatu vel districtu faciat alicui, undecumque sit et cuiuscumque conditionis existat, fidelitatem vel efficiatur fidelis vel vasalus alicuius cum feudo vel sine feudo vel homo vel manens vel recomendatus vel ascripticius vel alicuius alterius generis per quod posset induci aliqua species servitutis vel subietionis vel in aliquo minui honor comunis Bononie nec dare vel solvere aliquid in quacumque re vel facto vel facere aliquod servicium personale vel reale occasione predictorum vel alicuius eorum, sub pena centum librarum bononinorum contrafacienti pro qualibet vice qua contrafactum fuerit. Et quod nullus undecumque sit audeat seu possit recipere ab aliquo aliquam promisionem seu obligationem de predictis vel aliquo predictorum nec ratione talis promisionis vel obligationis etiam hinc retro facte vel fiende aliquid qualitercumque recipere in quacumque re vel facto. Et si quis contrafecerit pena quingentarum librarum bononinorum puniatur et quod factum fuerit non valeat. Et notarius qui ad hoc confecerit instrumentum puniatur in centum libris bononinorum. Et quilibet qui fuerit testis puniatur in viginti quinque libris bononinorum. Et quilibet possit accusare et habeat me//

[c. 245v]

dietatem condemnationis. Et quod dominus potestas possit, teneatur et debeat singulis duobus mensibus ex officio suo et plures ad petitionem cuiuscumque accusantis, denunciantis vel notificantis inquirere de predictis in civitate et comitatu

⁹⁹⁴ <audeat> *corregge* audeat.

⁹⁹⁵ <in> *in infralinea*.

Bononie et in quocumque loco in quo crediderit melius posse percipere veritatem non obstante quod non inquireretur in loco delicti et etiam iuris et statutorum solemnitatibus non servatis. Salvo in omnibus supradictis quod cuicumque liceat habere et retinere servos et ancilas de partibus Sclavanie et aliis ultramarinis.

[92] (89) **De pena exercentis iurisdictionem in civitate Bononie vel districtu.**
Rubrica. [c. 245v]

Item quod nullus audeat vel presumat per se vel alium in civitate Bononie vel parte aliqua territorii comunis Bononie iurisdictionem aliquam exercere, exceptis regiminibus comunis Bononie et officialibus dicti comunis ceterisque quibus a comuni Bononie vel ab aliis concedendi potestatem habentibus permissum est vel permitteretur nec iurisdictionem aliquam exercere. Et qui contrafecerit condemnetur in trecentis libris bononinorum. Et quilibet contrafacientes possit accusare et denunciare. Et potestas Bononie singulis duobus mensibus de predictis teneatur inquirere ubicumque.

[93] (89) **De pedagio aliquo non exigendo.** [c. 245v]

Statuimus quod nulla persona, comune vel universitas audeat vel presumat coligere vel coligi facere vel percipere per se vel per alium in aliquibus partibus seu locis, aquis vel fluminibus vel ripis civitatis Bononie et comitatus vel districtus eiusdem vel⁹⁹⁶ ab aliquibus personis pro aliquibus mercationibus vel animalibus vel rebus aliis vel aliqua ratione seu occasione aliquod pedagium, naulum, viaticum, omagium, tragetum vel malacoltam preter comune Bononie vel officiales ipsius comunis ad hoc specialiter deputatos vel habentes causam ab ipso comuni. Et si qua persona, comune vel universitas contrafecerit si quidem fuerit persona singularis pena trecentarum librarum bononinorum puniatur. Quarta parte reservata accusatori, denunciatori vel notificatori, qui, si voluerit, teneri debeat in secreto. Et si fuerit universitas vel comune alicuius terre vel ville eamdem penam incurrat. Et teneatur dominus potestas civitatis Bononie singulis duobus mensibus sui regiminis generaliter et ubi voluerit inquirere de predictis et quandocumque etiam ad petitionem cuiuscumque accusatoris, denunciatoris vel notficatoris. Et si non venerit in forciam comunis Bononie, ponatur in perpetuo banno dicti comunis Bononie pro dicta quantitate. Ab his excipimus habentes privilegium coligendi vel concessionem a comuni Bononie vel qui sunt in possessione coligendi.

[94] (91) **De emendatione et corectione propinquorum male se gerentium.**
Rubrica. [cc. 245v-246r]

Quoniam iuvenilis seu laxiva etas ut plurimum verbalem corectionem non recipit neque potest sine periculo ferula castigari et ex crescente malicia se suosque exponunt periculis, cui ex post facto resisti non potest, ad obviandum ne talia possint contingere et ut tanta malicia et laxivia compescatur, statuimus quod si contingat aliquem in malis operibus perseverantem, cuiuscumque conditionis existat a suis parentibus vel agnatis castigari non posse, possit et teneatur dominus potestas ipsum talem facere capi et detineri ac poni in carceribus comunis Bononie et mandare custodibus quod non debeant eum modo aliquo relaxare sine expresso consensu eorum, qui eum pecierunt detineri si estabunt alias duorum proximorum in gradu, etatis vigintiquinque annorum et bone fame et opinionis. Qui custodes ipsum custodire teneantur in dictis carceribus et ipsum relaxare non debeant sine consensu predictorum, de quo appareat publicum instrumentum etiamsi de relaxatione haberent mandatum potestatis vel alterius//

⁹⁹⁶ <vel> *in infralinea con segno di inserzione.*

[c. 246r f. CCXL]

officialis comunis Bononie. Quod mandatum facere non possit sine consensu predicto, sub pena ducentarum librarum bononinorum dicto potestati et officialibus ac custodibus et cuilibet eorum, qui delinquerint in aliquo de predictis. Que omnia facere teneatur et possit ipse dominus potestas ad petitionem dumtaxat patris et cuiuscumque ascendens masculi et per masculum si tales estarent alias fratrum maiorum viginti quinque annorum, quibus non estantibus patruorum etatis predictae, ita tamen quod quicumque venerit ex predictis ad petendum, consensus requiratur duorum proximorum de agnatione, si estant, alias duorum vicinorum etatis legitime, quibus de conditione persone talis detinendi credatur et eorum dicto stetur. Et quod sint tales, qui ad predicta admittantur, ut supra, nec in predictis sit opus requiri eum, qui peteretur detineri. Si autem talis, qui peteretur detineri, esset naturalis tantum vel spurius, tunc pater etiam solus et quilibet ascendens admittatur et fratres ac patruus, patre vel ascendentibus non estantibus. Et teneantur illi, qui petierint detineri facere expensas detento in carceribus quamdiu fuerit carceratus si et prout videbitur domino potestati, dum tamen tassare non possit ultra unum solidum et sex denarios pro quolibet die pro quo⁹⁹⁷ carcerando custodiendo custodes nichil possint percipere vel habere, nec aliquam iniuriam vel tedium dicto custodiendo inferre ultra modum custodie, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro qualibet vice qua contrafecerint dicti custodes.

[95] (92) **De pena custodum carcerum aliquid extorquentium indebite et indebite relapsantium. Rubrica.** [cc. 246r-246v]

Statuimus quod nullus custos alicuius carceris comunis Bononie audeat vel presumat modo aliquo vel ingenio aliquid extorquere vel accipere per se vel alium ab aliquo carcerato vel carcerando vel ab alio pro eo ultra id quod habere et percipere permissum est ei secundum formam nostrorum statutorum. Et qui contrafecerit puniatur ad petitionem cuiuslibet denunciantis pro quolibet custode contrafaciente et qualibet vice in quadruplum eius quod indebite habuerit vel perceperit. Cuius medietas sit comunis et alia sit denunciantis. Et dominus potestas vel eius vicarius summarie, sine streppitu et figura iudicii de hoc inquirat, cognoscat et puniat et nichilominus possit, teneatur et debeat singulis mensibus saltem in mense semel super hoc inquirere et quemlibet, quem culpabilem invenerit in predicta pena punire. Et in predictis habeatur pro plena probatione sacramentum eius, a quo extortum vel acceptum fuisse dicatur cum aliquibus indiciis competens adminiculum prebentibus arbitrio iudicantis. Item dicimus quod si contingat deinceps aliquem carceratum vel carcerandum evadere sive aufugere vel relaxari de aliquo ex predictis carceribus dolo, culpa vel negligencia alicuius vel aliquorum ex dictis custodibus, qui dolus, culpa vel negligencia semper presumatur, nisi probetur contrarium per dictum custodem, si quidem carceratus vel carcerandus bannitus erat comunis Bononie occasione alicuius criminis, quod sibi fuisset ascriptum et deberet pati penam realem vel personalem existens in forciam comunis Bononie huiusmodi pena puniantur custodes, qua puniendus fuerit ipse bannitus. Sed si talis affugiens, evadens seu relaxatus captus fuisset ea occasione quod aliquod crimen sibi fuisset ascriptum, pro quo personalis pena imponi deberet, tunc huiusmodi penam custodem puniri volumus qua obnoxius docebitur fuisse, qui fugerat, evaxerat vel relaxatus fuerat si crimen probatum fuisset, quod pro probato habeatur et sit. Et si talis qui evaxerit, aufugerit vel relaxatus fuerit erat detentus pro debito comunis Bononie vel alicuius singularis persone vel universitatis et fuerit repertus extra carcerem predictum, nisi eo casu quando iudex

⁹⁹⁷ <quo> in *infralinea*.

vel officialis aduci coram se fecerit⁹⁹⁸ aliqua ratione vel causa et tunc cum bona et fida custodia vel alias legitime factum fuerit, teneantur custodes illius carceris restituere seu solvere debitum pro quo detineretur comuni Bononie seu pro eius debito aut alteri pro cuius debito detentus fuisset. Et nichilominus pene nomine tantundem comuni Bononie solvere teneantur, quam incidant ipso iure et facto. Ad que omnia et singula compeli possint et debeant in solidum//

[c. 246v]

per dominum potestatem seu eius vicarium vel vicarium domini capitanei, qui fuerit aditus pro predictis infra quindecim dies a die adictionis seu requisitionis simpliciter de plano, sine strepitu et figura iudicii realiter et personaliter quibuscumque remediis omni exceptione remota, et eodem modo fideiussores custodum compeli possint et debeant ad predicta. Carcerati vero fugientes vel evadentes contra voluntatem ipsorum custodum incidant penam dupli eius, pro quo fuerint detenti, si pro debito pecuniario detinerentur. Et nichilominus ad debitum teneantur et compellantur. Et si custodes vel ipsorum fideiussores solverint ipsos indemnes conservare teneantur. Si vero pro crimine, quod eis ascriptum esset, pro confessis habeantur et sint et de tali crimine condemnentur et in libris bannitorum pro ipso crimine describantur et legitime banniti et descripti intellegantur. Salvo etiam statuto nostro posito sub rubrica 'De officio custodum carcerum comunis Bononie' [III, 23].

[96] (93) **De fortificiis non habendis in aliquo castro comunis Bononie. Rubrica.** [c. 246v]

Item statuimus quod nulus nobilis vel popularis de civitate Bononie vel districtu vel quicumque alius in castris comunis Bononie, que per comune Bononie custodiuntur, audeat vel presumat turrim aliquam vel fortificiam facere construi vel constructam habere et si que sunt constructe vel incoate deveniant et deducantur ad eum modum et statum quod non possint fortificie reputari. Et dominus potestas teneatur tales fortificias destrui et rui facere infra octo dies postquam eidem liquidum fuerit. Item quod nullus audeat vel presumat de cetero facere vel fieri facere aliquod castrum, rocham vel fortificium in aliqua parte districtus Bononie que vel quod publice dici possit castrum, rocham vel fortificia subspecta vel subspectum sub pena mille librarum bononinorum et comuni Bononie applicetur. Item quod quicumque habuerit castrum aliquod, rocham vel fortificium etiam propriam in comitatu vel districtu Bononie precise teneatur et debeat sub pena capitis eam libere tradere, consignare et relaxare comuni Bononie seu ei vel eis, qui ad predicta per comune Bononie deputaretur infra octo dies postquam fuerit requisitus personaliter vel ad domum seu in terra, que sit proximior castro, roche seu fortificio pro eius traditione, restitutione seu cognitione requireretur.

[97] (94) **De pena officialium male iudicantium. Rubrica.** [cc. 246v-247r]

Ad obviandum ne temere aliqui audeat invadere possessionem seu indebite occupare sub pretestu alicuius licencie sibi date vel dande per aliquem officialem competentem et ne officiales facile prorumpant ad tales licencias concedendas et ut contrafacientes pena debita puniantur. Statuimus quod officialis aliquid non audeat aliquem in tenutam vel corporalem, possessionem alicuius rei inducere vel quod inducatur vel imitatur dare licenciam vel alicui rem aliquam insolutum adiudicare non requisito legitime eo, qui possideret vel in possessione esset ex primo decreto vel aliter iudicis auctoritate rem ipsam vel alio in cuius preiudicium seu lesionem ipsa lecentia vel inductio procedere videretur et quod aliquis aliter auctoritate vel licencia iudicis seu officialis intrare non

⁹⁹⁸ <fecerit> aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

audeat vel insolutum mereri et si contrafiat non valeat ipso iure in preiudicium eius, qui non fuerit requisitus. Item tamen quod ad predicta necesse non sit citari vel requiri creditorem cuius nomine vel pro quo debitor de cuius bonis ageretur rem cuius tenuta vel imisio peteretur, constituerit se possidere vel quasi in genere vel specie vel ab eo precario recognoverit aut in eum dicte rei occasione predictam possessionem verbis transtulerit cum pactis de ingrediendo vel sine. Salvo eidem creditore omni suo iure in petendo revocari contrario imperio vel alio modo quam per viam nullitatis vel restitutionis in integrum facta eo absente non citato, dum tamen non possit petere, anulari vel revocari seu rescindi in preiudicium prioris creditoris habentis priorem ypotecam etiam sine talibus qui⁹⁹⁹ verbis tenutam meruerit seu imissionem vel contra ipsum primum creditorem, nec etiam antequam fieret predicta veniens ipse creditor citatus vel non possit impedire predicta, nisi talis creditor rem ipsam vere et¹⁰⁰⁰ per se ipsum naturaliter possideret vel per alium quam per debitorem predictum, quo casu idem servetur¹⁰⁰¹ quod in aliis possessoribus super statutum est. Et si quis aliter ingrediatur puniatur ea pena qua//

[c. 247r f. CCXLI]

puniatur turbans aliquem in sua possessione si sciverit dicto tempore ingressus alium esse possessorem vel detemptorem rei predictae cuius pene medietas sit possessoris, nisi possessor elegerit suum petere interesse, quo casu tota pena applicetur comuni Bononie a qua pena pretestu imisionis nuncii seu relationis facte per nuncium de inductione facta vel alicuius licencie date per iudicem vel officialem non excusetur nec se excusare valeat. Officialis vero cadat in penam quinquaginta librarum bononinorum si aliter licenciam dederit vel induxerit. Declarantes etiam quod si citatio seu requisitio facta fuerit, eo casu quo requiratur citatio, ut supra, sive requisitus fuerit sive non ex tali mandato vel licencia vel ex¹⁰⁰² aliquibus, que sequerentur ex ea vel ex eis, nullum preiudicium fiat alicui, etiam qui citatus fuerit, nisi quatenus alias de iure preiudicare possent vel deberent. Item statuimus quod aliquis non audeat vel presumat per se vel alium cum iudicis vel officialis auctoritate vel sine accedere ad ingrediendum, intrandum seu recipiendum aliquam tenutam seu possessionem aut ad aliquam pignorationem faciendam alicuius rei sociatus ultra numerum duorum hominum armatorum, executore seu secutoribus mandato seu licencia officialis seu officialium accedentibus non computatis nec ultra numerum duorum curium seu brociorum secum¹⁰⁰³ ducere audeat vel presumat. Et si quis contrafecerit ipso iure et facto pro quolibet homine et curru seu brocio quolibet quem secum habuerit seu duxerit ultra duos, ut supra, penam incidat quinquaginta librarum bononinorum comuni Bononie applicandam et quilibet, qui cum eo fuerit tempore dicte tenute seu ingressus aut pignorationis ultra numerum supradictum, ut supra, penam similem quinquaginta librarum bononinorum comuni Bononie applicandam incurat. Dicimus etiam quod nullus ingrediens tenutam alicuius rei immobilis in qua sint fructus pendentes vigore precarii vel pacti de ingrediendo vel vigore¹⁰⁰⁴ edicti divi Adriani vel ad eius similitudinem vel statuti positi sub rubrica ‘Quod nullus occupet possessionem rei hereditarie’ [IV, 83] possit per se vel alium exportare vel exportari facere aliquos fructus dicte rei, nisi prius citato possessore vel detentore ipsius vel illo de cuius preiudicio agi videretur, quo casu si ipse possessor vel detentor satisdederit de ipsis fructibus

⁹⁹⁹ <qui> in *infralinea*.

¹⁰⁰⁰ <et> in *infralinea*.

¹⁰⁰¹ <servetur> in *infralinea con segno di inserzione*.

¹⁰⁰² <ex> in *infralinea con segno di inserzione*.

¹⁰⁰³ <secum> in *infralinea con segno di inserzione*.

¹⁰⁰⁴ <vigore> *segue la lettera d cancellata*.

presentandis ad voluntatem dicti iudicis fructus penes eum remaneant, donec fuerit decisum cuius esse debeant, set si satisfactionem prestiterit, ut supra, vel non appareat possessor vel detemptor possint exportari per ipsum, qui ingressus fuerit, ut supra, vel alium de eius voluntate, prestita prius satisfactione simili, nec possit talis ingressus, possessor vel detentor¹⁰⁰⁵ ullo modo cum licencia iudicis vel sine ulla arbores vel vites incidere vel incidi facere vel domum destruere vel alio quocumque modo rem ipsam dedeteriorare per se vel alium, donec fuerit decisum ad quem res ipsa debeat pertinere sub pena librarum centum bononinorum comuni Bononie applicanda. Et nichilominus teneatur resarcire damnum parti lexe. Statuimus etiam quod si quis tortum fecerit in suo officio, si quidem denunciatum fuerit ei ne faciat et non obstante denunciatione tortum fecerit sive ex ignorancia sive dolo condemnetur comuni Bononie in tanta quantitate in quanta legerit tortum passum et tortum passo condenetur ad damni refectionem. Et de utroque eodem loco et tempore possit accusatio proponi et in ea procedi etiam durante officio talis officialis, nisi foret potestas vel aliquis de sua familia, quo casu reservetur cognitio huiusmodi torti tempore sindicatus et impositio pene predictae vel maioris prout in casu illo fuerit ordinatum, in quo conventus diceretur fuisse delinquens.

[98] (95) **Quod nullus possit detineri de mandato alicuius officialis nisi primo citetur. Rubrica.** [cc. 247r-247v]

Item statuerunt quod potestas vel iudex seu officialis aliquis comunis Bononie vel conductor vel conductores alicuius dacia vel aliquorum dacionum vel gabellarum comunis Bononie seu habens causam ab eo vel eis vel quivis alius iurisdictionem exercens non possit vel debeat personam aliquam capi vel detineri facere vel in carceribus sequestrari seu facere pignori pro exactione alicuius dacia vel gabelle quod seu quam diceretur eum debere comuni Bononie vel conductori aut conductoribus dacionum vel gabellarum comunis Bononie vel habenti causam ab eo vel eis, nisi primo dicta persona fuerit citata semel inventa vel bis non inventa ad domum sue habitationis diversis diebus et assignata dilatione//

[c. 247v]

persone citate vel alii pro ea legitime venienti quinque dierum ad solvendum id quod petitur seu id in quo dicitur obligata vel obnoxia et declarando causam ipsius obligationis et data copia actorum seu scripturarum propter quas dicatur probari personam obligatam esse si dicta copia fuerit petita, nisi infra dictum terminum legitimam facerit defensionem, sub pena cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice quinquaginta librarum bononinorum ei imponenda et exigenda per dominum potestatem vel eius vicarium et quemlibet eorum, qui fuerit de hoc requisitus infra decem dies a die requisitionis predictae et nichilominus persone lese vel damnificate omne damnum et expensas in duplum reficiat. Et ad cogi¹⁰⁰⁶ possint et debeant contrafacientes summarie et omni tempore sine strepitu et figura iudicii et sola veritate inspecta, de qua in actis constare debeat. Et si hec fuerint obmissa tempore sindicatus talis officialis predicta debeant et possint agitari et expediri cum effectu. Ubi vero non venerit vel veniens defensionem legitimam non fecerit infra terminum ad detentionem procedi possit ac prohibitionem non obstante si et quatenus aliter detentio permittatur.

¹⁰⁰⁵ <possint ... detentor> aggiunto a margine laterale destro con segno di richiamo su 5 righe.

¹⁰⁰⁶ <cogi> in infralinea con segno di inserzione.

[99] (96) **Quod officiales non possint impediri per dominum potestatem vel aliquem de sua familia vel per dominum capitaneum vel suam familiam quominus possint eorum officia exercere. Rubrica.** [c. 247v]

Statuimus quod dominus potestas vel aliquis de sua familia vel aliquis alius officialis comunis Bononie non possit prohibere aliquem officialem comunis Bononie ordinarium vel extraordinarium quin facere possit suum officium secundum formam statutorum comunis Bononie, nisi eis arbitrium de hoc per aliquod nostrum statutum tribuatur. Volumus etiam quod si quo casu aliquis officialis comunis deficeret quod dominus potestas facta ei denunciatione teneatur alium facere eligi infra terciam diem in consilio quatuormillium servando in eligendo formam statutorum si dominis ancianis placuerit possint tamen ipsi domini anciani alium subrogare quem voluerint. Salvo quod dictum est de heredibus officialium mortuorum in statuto de forma ellectionis officialium.

[100] (97) **De pena euntium in guardiam, comitatus vel districtum Bononie pro aliqua executione vel pignoratione indebite fienda. Rubrica.** [cc. 247v-248v]

Ad obviandum estorsionibus que quotidie fuerint in guardia, comitatu et districtu maxime pretestu exactionum, que fiende occurrunt in locis predictis, statuimus et ordinamus quod nullus, qui non sit nuncius comunis Bononie vel de beroariis domini potestatis vel domini capitanei audeat vel presumat ire in civitatem vel guardiam comitatu vel districtu Bononie pro aliqua exactione fienda seu pignoratione vel executione pro aliquibus ad comune Bononie pertinentibus vel ad¹⁰⁰⁷ aliquas singulares personas, colegia vel universitates vel ipsorum occasione seu alia quacumque ratione vel causa pro qua vel in qua andata possit vel debeat pignorare vel aliquem aggravare seu salarii nomine vel pro viatico, victu vel expensis, quas faceret vel fecisset seu alio quocumque colore aliquid petere vel estorquere vel recipere etiam a sponte dare volente. Nec etiam victum pro se et sociis vel familiaribus seu bestiis, quos seu quas secum ducerent vel haberent, nisi quatenus mitteretur de mandato iudicis seu officialis ad exactionem deputati vel deputandi de quo mandato apparere debeat publicum instrumentum scriptum manu unius ex notariis iudicis de cuius mandato iret, in quo mandato contineatur causa exactionis seu pignorationis vel gravaminis et a quibus debet fieri exactio, gravamen vel pignoratio et in quo loco et modus exigendi et etiam nomina eorum, qui ire debent pro ipsa exactione, pignoratione vel gravamine et quantum pro suo viatico vel expensis recipere debent et a quibus et quanto tempore stare debeant¹⁰⁰⁸. Cuius mandati terminos non excedant per se vel alios directe vel per oblicum. Et qui contrafecerit si quidem sine mandato predicto iverit et pecierit, extorxerit vel receperit, pignoraverit seu aggravaverit, ut supra, tamquam falsarius in centum libris bononinorum puniatur et perpetuo sit infamis. Si vero iverit cum mandato et fines mandati exce//
[c. 248r f. CCXLII]

serit condemnetur in quinqueginta libris in quolibet capitulo et qualibet vice, quo et qua fuerit contrafactum cuius pene medietas sit comunis Bononie et alterius dimidie medietas¹⁰⁰⁹ sit denunciantis et alia medietas eius contra quem contrafactum fuerit. Et si ille, qui contrafecerit, fuerit de familia domini potestatis vel alterius officialis forensis condemnetur ipse dominus potestas¹⁰¹⁰ vel officialis cuius familiaris fuerit in centum libris bononinorum, que dividatur et applicetur, ut supra, nisi talem familiarem tempore sindicatus sindicis presentaverit, cui tunc quinqueginta librarum bononinorum pena

¹⁰⁰⁷ <ad> *in infralinea*.

¹⁰⁰⁸ <debeant> *corregge* debent.

¹⁰⁰⁹ <medietas> *nel testo* mediatas.

¹⁰¹⁰ <potestas> *nel testo* potestatis.

imponatur. Quilibet autem nuncius comunis Bononie ire possit pro exactione et executione predicta et quacumque pignoratione fienda, habendo prius speciale mandatum a iudice seu officiali, exactore vel alio ad quem exactio, pignoratio vel iurisditio pertineret et etiam citare, requirere, pignorare et mandare seu cridare de mandato cuiuscumque competentis iudicis secularis vel alterius, qui auctoritate comunis Bononie mandare possit, de quo mandato in actis vel per publicum instrumentum seu scripturam debeat apparere. Et iuxta mandatum sibi factum et secundum formam statutorum et non aliter cum quo nuncio uno vel pluribus micti possint aliqui de berorariis domini potestatis vel alterius officialis forensis comunis Bononie iurisdictionem habentis, ita tamen¹⁰¹¹ quod aliqui de dictis beroariis¹⁰¹² vel ipse dominus potestas vel officialis pro predictis nichil possint vel debeant petere, exigere vel recipere etiam a sponte dare volente. Nuncius vero solutiones recipiat pro suo viatico, labore seu ambaxiata solum¹⁰¹³ secundum formam statutorum. Dicti autem beroarii soli vel alter pro aliquibus supradictis ire vel mitti non possint. Et si contrafecerit ipse nuncius penas in nostris statutis contentas incidat ipso facto, beroarii autem penam incidant quilibet eorum viginti quinque librarum bononinorum. Quam penam potestas, cuius beroarii fuerint, solvere teneatur et compelatur. Et quilibet possit accusare seu denunciare vel notificare contrafacientes seu qui contrafecisse dicerentur palam et secrete et in credencia teneatur si teneri voluerit. Et possit et teneatur ipse dominus potestas et quilibet ex suis iudicibus ad malleficia deputatis, qui aditus fuerit, de predictis et super predictis inquirere et procedere eciam non servata forma statutorum loquentium de modo et forma inquirendi et procedendi de maleficiis quibuscumque tam ex mero officio quam ad notificationem cuiuscumque. Et si fuerit potestas vel capitaneus vel aliquis de ipsorum vel alterius ipsorum familia, qui contrafecerit inquisitio, processus terminatio pertineat ad syndicos, qui eos syndicare debuerint et tempore sindicatus reserventur eisdem. Et liceat cuilibet resistere talibus euntibus contra prohibitionem predictam non ostendentibus dicta mandata, nec eis sine mandato euntibus vel cum mandato ultra formam mandati aliquis parere debeat vel teneatur. Ad hoc autem ut de talibus mandatis que fierent per iudices et officiales supradictos omni tempore veritas et copia habeatur, teneantur notarii dictorum officialium seu alter eorum per se in uno libro registrare dicta mandata et de eis dare copiam cuicumque et in fine sui officii ad cameram actorum consignare, sub pena quinqueginta librarum bononinorum pro quolibet eorum si obmiserint facere supradicta. Dicimus etiam quod liceat conductoribus daciurum et gabellarum, tam preteriti quam presentis temporis et futuri, et eorum officialibus et nunciis ire suis propriis expensis et neminem aggravando in guardiam, comitatum et districtum Bononie et per quemlibet ipsorum locorum et ibi stare pro coligendo omne id et recipiendo quicquid eis deberetur pro dictis daciis vel gabellis seu predictorum occasione, etiam sine alicuius licencia vel mandato. Permittimus etiam domino potestati et eius familiaribus et domino capitaneo populi et sue familie et capitaneo montanearum eiusque familie et cuilibet familie alterius officialis ire in locis predictis et per ipsa loca pro executione eorum, que eis vel eorum officiis in ipsis locis specialiter comittuntur vel comitterentur ab eis, qui comitere possent dum tamen propriis expensis ipsius potestatis vel ipsorum familiarium vel domini capitanei populi seu officialis cuiuslibet, qui irent vel mitterentur pro predictis, neminem aggravanda pro executione sive viatico, labore vel expensis vel alio quocumque colore. Et idem dicimus de officialibus officio maleficiorum parvorum et officio aquarum in exequendis sibi co//

¹⁰¹¹ <tamen> *in infralinea*.

¹⁰¹² <beroariis> *corregge* beroriis.

¹⁰¹³ <solum> *in infralinea con segno di inserzione*.

[c. 248v]

missis non obstante aliqua consuetudine vel usu seu observancia, sub penis in nostris statutis contentis. Liceat eis tamen tantum accipere vel habere quantum eis permittitur in statuto de ipsorum officio promulgato. Ne autem in predictis aliquis possit ingnoranciam pretendere, volumus quod potestas Bononie teneatur predicta per civitatem facere proclamari infra octo dies a die publicationis huius statuti, si tamen crida non fieret nichilominus predicta a die publicationis presentium statutorum in antea sorciantur effectum et ab omnibus debeant observari.

[101] (98) Infra quantum tempus iurisditio conductorum datiorum finito eorum officio exerceri possit et non ultra. Rubrica. [c. 248v]

Item statuimus et firmamus quod omnes et singuli conductores aliquorum daciorum vel gabellarum comunis Bononie vel alicuius dacii vel gabelle, tam pro presenti tempore¹⁰¹⁴ quorum conductionis tempus nondum finitum est, quam etiam pro futuro infra sex menses tantum elapso termino sue conductionis exigere possint et debeant exegisse quod occasione dicti dacii vel gabelle deberetur ipsi conductori vel conductoribus predictis vel habentibus causam ab eo vel ab eis et non ultra. Et infra tempora predicta exigere possint per eum modum et formam secundum quod exigere poterant tempore conductionis durante dum tamen nostris statutis in aliquo non derogetur. Et predicta omnia et singula vendicent sibi locum, nisi debitores dictorum daciorum et gabellarum ex instrumento reperiantur obligati vel cum ipsis debitoribus litigatum per petitionis porectionem et contradictionem vel saltim bamni pro debito dationem coram aliquo ex iudicibus vel officialibus comunis Bononie iurisdictionem habentibus vel cum eorum procuratoribus vel aliis legitimis personis infra tempus dicte conductionis vel infra tempora post finem conductionis ad exigendum statuta. Quibus casibus ipsis conductoribus et habentibus causam ab eis omne eorum ius in exigendo coram iudicibus predictis vel altero eorum salvum remaneat secundum formam iuris, pena cuilibet contrafacienti trecentarum librarum bononinorum

[102] (99) De pena capitaneorum custodum castrorum non comorantium ad locum ordinatum. Rubrica. [c. 248v]

Statuimus et ordinamus quod capitaneus et custodes castrorum modo aliquo custodia non recedant ante sucesorum adventum, nisi de licencia dominorum nostrorum dominorum ancianorum sub pena imponenda arbitrio domini potestatis vel domini capitanei populi, qui de predictis cognoverit secundum quod qualitas facti exegerit et conditio personarum. Fiat autem inquisitio de predictis et per dominum potestatem predictum vel dominum capitaneum populi vel aliquem de sua familia vel per provisos castrorum vel alios officiales, qui ad predicta deputaretur per dictos dominos ancianos semel ad minus quolibet mense, etiam statutorum forma in inquisitione tradita non servata.

[103] (100) De pena nuntiorum detinentium aliquem contra formam ordinatam et ipsorum officio. Rubrica. [cc. 248v-249r]

Statuimus et ordinamus quod nullus possit esse nuncius vel nuntiorum officium exercere, nisi electus fuerit secundum formam statuti positi in statuto comunis Bononie sub rubrica 'De electione nuntiorum' [III, 20] et nisi satisdederit et iuraverit prout in dicto statuto continetur. Et si quis exercuerit officium nuntiorum contra vel preter

¹⁰¹⁴ <tempore> *in infralinea con segno di inserzione.*

formam predictam condenetur in vigintiquinque libris bononinorum et perpetuo nuncius esse non possit vel nuncii officium exercere et ab ipso officio tamquam falsarius repellatur. Et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem condemnationis predictae. Dicimus tamen quod citationes et ambaxiate seu precepta per ipsos nunciate seu facte, si publice gerant officium, valeant et teneant perinde ac si veri nuncii essent et servassent que in dicto statuto quod de electione nunciorum loquitur continentur. Dicimus etiam quod nullus nuncius possit detinere aliquem pro debito, nisi habito prius precepto vel mandato de detinendo ipsum, quem detinuerit ab aliquo officiali comunis Bononie, qui de hoc potestatem habeat et nisi dictus nuncius habeat dictum preceptum ante detentionem in forma publica scriptum manu notarii illius officialis, qui de hoc preceptum vel mandatum fecisset quod preceptum legitime factum vel faciendum de detinendo vel sequestrando a die precepti solum sex mensium duret spacio et durare potuerit.//

[c. 249r f. CCXLIII]

Quibus elapsis libere reiterari possit etiam debitore non citato. Et contineatur in quolibet ditorum preceptorum fiendorum de aliquo vel aliquibus detinendo vel detinendis nomen et prenomen vel nomen et cognomen eius qui detineri debuerit et sic qualificate quod bene cognosci possit et quod unus pro alio non possit verisimiliter capi et causam quare detineri debuerit et nomen, cognomen vel prenomen eius ad cuius petitionem detineri debeat. Quod preceptum dare et dimittere teneatur penes custodes carcerum in quibus fuerit consignatus tempore consignationis predictae. Nec possit etiam tali precepto seu mandato habito vel precedente aliquem capere vel detinere pro debito vel bamno debiti seu alio processu alicuius debiti comunis Bononie vel alicuius singularis persone vel universitatis aliquibus diebus Pascalis silicet: Nativitatis Domini, vel tribus imediate precedentibus, vel aliis sequentibus usque ad Pasca Epifanie inclusive, vel rexursionis Domini, vel septem precedentibus et septem sequentibus, vel Assensionis eiusdem, vel Pentecostes, vel duobus sequentibus, vel Corporis et Sanguinis¹⁰¹⁵ domini nostri Iesu Christi, vel diebus dominicis, vel Apostolorum, vel Evangelistarum vel beate Marie silicet Nativitatis, Purificationis, Anunciationis, Assumptionis eiusdem, vel beati Iohannis Batiste, vel sanctorum Dominici vel Francisci, vel sancti Michaelis Arcangeli mensis maii vel septembris, vel sancte Crucis mensium predictorum, vel sancte Caterine, vel sancte Lucie seu sancte Marie Magdalene, et sancti Petronii, et Ambroxii et tribus diebus Carnisprivii. Et si quis de cetero detentus fuerit non servata forma predicta vel aliquibus talibus diebus vel aliquo eorum libere relaxetur. Et postea ad petitionem eiusdem pro eadem causa retineri non possit de mandato eiusdem officialis vel alicuius alterius, nisi primo efectualiter fuerit relapsatus. Et condemnetur nuncius vel qui talem detinuerit in vigintiquinque libris bononinorum pro quolibet summarie infra decem dies post relaxationem ipsius vel ipsorum detentorum, sub pena quinquaginta librarum bononinorum iudici negligenti in predictis. Et nichilominus ipsum nuncium condemnare teneatur postea infra alios decem dies sub simili pena. Et insuper teneatur ipse dominus potestas ipsi detento et quilibet alius officialis ad hoc adhitus summarie refici facere espensas omnes et interesse, quas facerit et incurerit ipsa occasione ab eo, qui talem fecerit detineri seu ad cuius petitionem detentus fuerit credendo de expensis dicto detento seu detentis sacramento de novo prestito et¹⁰¹⁶ tassatione ab ipso domino potestate vel eius vicario seu alio iudice premissa. Capiens autem unum pro alio penam vigintiquinque librarum bononinorum incurat, cuius pene

¹⁰¹⁵ <vel Corporis et Sanguinis> *dittografato*.

¹⁰¹⁶ <et> *in infralinea*.

medietas applicetur comuni Bononie alia medieta tali capto. Et nichilominus etiam ad iniuriam detento condemnetur.

[104] (101) **De pena nuntiorum comunis Bononie exercencium eorum officium indebito modo. Rubrica.** [cc. 249r-249v]

Statuimus et ordinamus quod ad obviandum maliciis nuntiorum comunis Bononie et reprimendum falsitates eorum et compescendum calumnias, quod nuntii predicti teneantur ad petitionem cuiuscumque petentis comparere coram officiali coram quo ipsum nuntium comparere requirens eum voluerit et subscipere ab ipso officiali omnem ambaxiatam, citationem et crida, quam imponere voluerit et impositam legaliter facere et ipsi officiali cum fecerit legaliter refere secundum mandatum dicti officialis et pro salario eis ordinato secundum formam statutorum. Et si in aliquo de premissis non obtemperaverit cadat in penam quilibet nuntius et pro qualibet vice qua non obtemperaverit et quociens in aliquo de predictis obediens non fuerit decem libris bononinorum auferendam eis summarie et de facto per dominum potestatem vel alterum ex suis iudicibus, qui super hoc fuerit requisitus facta eidem denunciatione infra octo dies et habita fide de hoc per unum testem et sacramentum requirentis vel alio modo, sub pena dupli dicto officiali in predictis negligentis. Et nichilominus condemnare ipsum nuntium postea teneatur. Et si inventus fuerit nuntius ipse in predictis falsum comitere sive accusatione instituta sive ex officio de quo inquirere debeat per se vel aliquem ex suis iudicibus, servata vel non servata forma statuti quo de modo inquirendi tractatur. Si quidem in civili talis nuntius//

[c. 249v]

fustigetur per civitatem Bononie et puniatur in quinqueginta libris bononinorum applicandis comuni Bononie. Si in criminali quo tractatur de pena pecuniaria imponenda idem servetur quod in civili si de corporali, nuntio imponatur pena quam pati debuisset ille in cuius preiudicium comiserit si confessus vel convictus fuisset de crimine de quo fuerit accusatus vel inquisitus et ipso iure non valeat quod pretestu vel occasione talis false relationis, citationis vel cride factum fuerit.

[105] (102) **De pena faciencium seu servantium aliquid manupolium.** [c. 249v]

Ordinamus quod nulla universitas vel singularis persona cuiuscumque conditionis audeat aliquo modo vel ingenio in civitate Bononie vel guardia civitatis, comitatu seu districtu Bononie facere aliquam settam, iuram vel conpirationem de aliquo manupolio inducendo nec aliquod manupolium inducere seu facere nec inductum seu factum observare, sub pena cuilibet universitati contrafatienti ducentarum librarum bononinorum et cuilibet singulari persone vigintiquinque librarum bononinorum. Et omnia pacta et obligationes seu alia iura quovis nomine censeantur, que facta seu facte forent occasione alicuius manopolii inducendi seu inducti conservandi vel manutenendi, sint ipso iure cassa et casse et nullius efficacie vel valoris. Et quod nullus ea occasione aliquid audeat petere, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet vice. Super quibus potestas possit inquirere et quilibet denunciare, notificare vel accusare et teneatur in credenciam et habeat quintam partem de omni eo quod de dictis causis pervenerit in comuni et si de illis foret, qui dictam penam incurisset propter delationem et propalationem a dicta pena seu penis totaliter sit absolutus.

[106] (103) **De pena certorum artifficum qui prohibentur habere societates et ministrales et hiis similia. Rubrica.** [c. 249v]

Ordinamus quod pistores seu fornasarii, tabernarii, mondatores, aburatores, brentatores, molendinarii, victurales, naute, prestatores ronçenorum vel equorum vel mullorum ad victuram, ortolani, tessarii pannorum vel baraterii vel tintores vel laboratores lane, tricoli vel tricole erbarum, fructuum vel pullorum, palee, feni vel lignaminis non possint inire vel facere aut contraere aliquam societatem nec possint sibi elligere ministrales, potestates, consules vel rectores aut capitaneum, notarium vel alium qui presit eis quocumque nomine censeatur vel se in aliquibus locis congregare sub nominibus dictarum artium seu ministeriorum nec conventiones seu ordinationes aliquas facere occasione predicta. Et qui contrafecerit puniatur et condemnetur pro qualibet vice in quinqueginta libris bononinorum pro quolibet qui contraverit. Et quilibet sic per eos ellectus, qui se gesserit pro ministrale, potestate vel rectore, consule aut capitaneo, notario vel officiali alicuius dictarum societatum condemnetur pro quolibet in centum libris bononinorum et qualibet vice. Et in quolibet casuum predictorum potestas Bononie per se vel alterum de sua familia possit inquirere et delinquentes in penis predictis punire teneatur. Et quilibet possit denunciare, notificare vel accusare et teneatur ei credencia et habeat quintam partem de omni eo quod dictis de causis pervenerit in comuni. Et si de illis foret, qui dictam penam incurisset, propter beneficium delationis et propalationis a dicta pena seu penis inteligatur et sit ipso iure totaliter absolutus.

[107] (104) **De modo et forma cogendi heredes et alios adimplere voluntates**¹⁰¹⁷
defunctorum. Rubrica. [cc. 249v-250r]

Providere volentes quod ultime voluntates deficientium executioni mandentur que specialiter privilegium habere meruerunt maxime in his que ad pias causas relinquerunt. Statuimus et ordinamus quod heredes et alii quicumque a quibus aliqua fu//
[c. 250r f. CCXLIII^o]

erint relicta in alicuius ultima voluntate legitime fienda seu retro facta et quorum heredes et sucessores ipsa relicta omni modo dare, solvere et tradere vel quaxi teneantur debito modo, loco et tempore his quibus fuerint relicta seu titulum vel causam precedentibus ab eisdem iuxta defunctorum voluntatem. Verum quia ante aditam hereditatem legatum regulariter non debentur et heredes interdum in fraudem relictorum aprendere diferunt hereditatem. Mandamus quod heres quilibet qui post hereditatem aprensam ad predictorum aliqua teneretur teneatur infra duos menses a die quo siverit sibi delatam hereditatem ipsam hereditatem adhire et eidem se imiscere aut ipsam hereditatem repudiare vel ab ea se abstinere, quo termino elapso, si non repudierit vel abstinuerit pro herede et tamquam heres habeatur et teneatur ut supra quantum ad infrascripta denunciante vel denunciari faciente et hereditas in sui preiudicium quo ad hoc tantum adhita inteligatur de qua sciencia probare sufficiat per denunciationem sibi factam per aliquem ex legatariis seu debentibus aliquid recipere de predictis vel alium eius nomine aut per nuncium aliquem publicum mandato alicuius iudicis competentis ad petitionem talis legatarii seu recipere debentis ut supra vel alterius, qui hoc petere posset personaliter vel ad domum si non inveniatur personaliter per duos nuncios secundum formam traditam incitando. Et idem in comissariis et executoribus volentibus exequi eis comissa in ultima voluntate de qua denunciatione in actis vel per publicum instrumentum debeat apparere. Salvo semper beneficio inventarii heredis legitime facti vel fiendi et debite compensationis et alterius cuiuscumque competentis exceptionis. Et quod dictum est de herede habeat locum in fideicomissario universali et singulari et alio quocumque qui gravari potest quantum ad predicta adaptari possint. Ubi

¹⁰¹⁷ <voluntates> *nel testamento* voluntatas.

autem tale debitum sit in rebus que pondere numero vel mensura consistant et non constiterit in pecunia vel aliis rebus in quibus debitum consisterit in hereditate repertis satisfieri posse cuius probatio petenti incombatur teneantur, qui consequi debuerit insolutum accipere ad heredem dare volente iusta extimatione de bonis immobilibus hereditatis defuncti. Quibus non estantibus de nominibus debitorum hereditatis ita quod hoc¹⁰¹⁸ onerosus creditor nec delicatus debitor audiatur iure sibi in debito semper salvo in casu emtionis si et quatenus evitio sequeretur et aliis omnibus in instrumento dationis insolutum quomodolibet inferendis.

[108] (105) **De meretricibus et lenonibus. Rubrica.** [cc. 250r-250v]

Cum propter conversationem meretricum et lenonum ac hominum male conditionis et fame, qui et que assidue in civitatibus maxime in locis honestis et publicis comorantur multa maleficia comitantur et inhonesta et turpia subsequantur exinde ac etiam religiosi et honesti viri per ipsa loca non audeant pertransire ad obviandum predictis decernimus, quod nulla meretrix publica nullusque leno vel lena publicus vel publica de quo vel qua sit publica vox et fama ipsum seu ipsam esse lenonem, lenam vel meretricem audeat vel presumat stare, habitare vel morari quomodolibet perpetuo vel ad tempus de die vel de nocte in civitate Bononie sicut intra seu infra muros civitatis, nisi in locis meretricibus deputatis. Et si qui vel si que inventi vel invente fuerint infra terminos supradictos contra formam predictam si quidem fuerint meretrices, ut supra, capiantur et fustigentur per civitatem et tonsentur de omnibus capillis capitis et sic fustigatas ligentur ad catenas positas ad crucem platee et per unam diem ad minus sic ligate teneantur. Si vero fuerit leno penam incidat centum librarum bononinorum si venerit in forciam comunis Bononie alias in perpetuo banno ponantur de lenocinio et de ipso banno perpetuo cancelari non possit vel contra illud de nullitate opponi, etiam si in banniendo aliqua solemnia vel substancialia dicantur//
[c. 250v]

obmissa. Si vero fuerit lena, ut supra, fustigari debeat et si postea in eodem vicio perseverare reperiretur amputetur ei nasus. Et si iterum habitare vel stare reperiretur ignem concremetur ita quod penitus moriatur. Et si reperiatur aliquem talem lenonem vel lenam seducere aliquam¹⁰¹⁹ puellam virginem et eam inducere ad actum meretricum igne concremetur. Et quod nullus infra terminos supradictos audeat receptare, retinere seu morari permittere in suis domibus vel a se possessis seu detentis vel in quibus ipse habitaret tales meretrices seu lenones. Et si quis contrafecerit penam incidat centum libris bononinorum. Et domus in quibus receptate fuerint publicentur in comuni Bononie et publicate esse inteligantur. Preterea dicimus et mandamus quod nullus cuiuscumque sexus audeat vel presumat lenocinium masculorum comitere in civitate vel districtu Bononie vel aliqua eius parte et qui contrafecerit igne concremetur, ita quod penitus moriatur et domus in qua comiteretur funditus diruatur si ad comitentem pertineat. Et idem si ad alium si eo ad quem pertineret sienter et paciente comiserit, que dirutio fiat sive venerit ad mandata sive non. Et nichilominus talis sciens et paciens puniatur in mille libris bononinorum. Et si non venerit ad mandata puniatur tamquam leno et si postea in forciam venerit pena lenocinii puniatur. Et quod dominus potestas et quilibet de sua familia teneatur toto posse suo mero officio et etiam ad petitionem cuiuscumque et sub pena quingentarum librarum bononinorum tales¹⁰²⁰ personas habitare seu morari prohibitas expellere de locis predictis et non permittere ipsas esse, stare vel morari infra

¹⁰¹⁸ <hoc> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹⁰¹⁹ <aliquam> *corregge aliquem.*

¹⁰²⁰ <tales> *in infralinea con segno di inserzione.*

terminos antedictos et etiam teneatur ipse potestas per alterum ex suis iudicibus, militibus seu notariis inquirere et inquiri facere quolibet mense semel ad minus de talibus personis et contrafacientibus in aliquo casuum predictorum. Et nichilominus ad denunciationem seu notificationem cuiuscumque inquirere de predictis et in eis et super eis procedere possit et executioni mandare sumarie, de plano, sine streppitu et figura iudicii etiam non servatis solemnitatibus statutorum comunis Bononie. Et quod etiam de predictis delinquentibus credatur et stetur ut infra. Item dicimus et mandamus quod quelibet meretrix seu lena publica, ut supra, debeat portare patenter caputeum in capite cum beca lunga et cum sonaglio apenso dicte beche, ita quod ab aliis honestis mulieribus discernatur et guarnachiam, gonelam seu cotarditam exteriorem cum apertura a pedibus usque ad ghironem et si que invente fuerint sine tali caputeo et sonaglio et si cum guarnachia, gonela vel cotardita non aperta, ut premititur, impune possit offendi sine sanguinis efusione vel morte. Salvo tamen quod tales lenones de hiis infamati ut supra non possint vel debeant morari in aliqua parte civitatis vel districtus sub penis predictis. Item dicimus quod nulla meretrix audeat vel presumat ire per civitatem Bononie, nisi diebus sabati post nonas, sub pena quadraginta solidorum bononinorum. Et notarius fanghi contrafacientes de facto cogat ad solvendum dictam penam quadraginta solidorum bononinorum. Et ad hoc ut sciatur que sint publice meretrices et lenones vel lene quantum ad contenta in presenti statuto volumus quod illa vel ille dicatur publica meretrix vel lena seu leno de qua vel quo sit publica vox et fama aliquam esse publicam meretricem vel aliquem esse lenonem vel lenam, que fama probari debeat per quatuor testes bone opinionis et fame. Et siqua meretrix publica vel leno vel lena habitaret in aliis locis quam supra premissis potestas Bononie ad requisitionem saltem quatuor vicinorum teneatur talem meretricem, lenonem vel lenam facere expelli de locis predictis prohibitis et condemnare tales habitare prohibitos in penis¹⁰²¹ suprascriptis, pena ipsi potestati, qui in predictis negligens, fuerit centum librarum bononinorum ab eo de facto auferenda tempore sui sindicatus.

[109] (106) **De pena tenencium leprosos vel hiis similia. Rubrica.** [cc. 250v-251r]

Statuimus quod nullus audeat vel presumat in domo propria vel sue habitationis hospitari vel tenere aliquo modo vel ingenio aliquem leprosum vel leprosam in civitate Bononie vel burgis vel prope civitatem seu burgos per tria miliaria, nisi ad hospitale Sancti Laçari. Et qui contrafecerit puniatur et condemnetur pro qualibet vice in quinqueginta//

[c. 251r f. CCXLV]

libris bononinorum et quilibet possit accusare et denunciare contrafacientes et habet medietatem bamni. Et potestas infra quindecim dies a die ingressus sui regiminis faciat per civitatem Bononie et burgos cridari predicta per bannitores comunis. Si vero quod Deus advertat aliquis de civitate¹⁰²² Bononie vel burgis fieret infectus et fuerit pauper, mittatur omni modo ad hospitale Sancti Laçari. Et eo casu de avere comunis Bononie dentur ei et concedantur eidem per comune Bononie decem libras bononinorum. Si vero fuerit de comitatu, comune illius terre seu ville unde fuerit teneatur eidem dare centum solidos bononinorum et mittatur etiam ad hospitale Sancti Lazari. Item dicimus quod nullus debeat in civitate Bononie vel burgis per quinqueginta perticas in domo sua propria vel habitationis tenere vel hospitari çecos vel orbos vel alios, qui faciunt et se esse fingunt avogullos vel¹⁰²³ qui se tingunt erbis vel qui se faciunt penitenciales

¹⁰²¹ <prohibitis et condemnare tales habitare prohibitos in penis> *di seguito sul margine laterale destro.*

¹⁰²² <civitate> *corregge civita.*

¹⁰²³ <vel> *dittografato.*

deferendo circhios ad brachia vel alibi deferendo matarelos imbolitatos vel qui falso nomine per civitatem Bononie ducunt puelas querendo elemosinas causa maritandi, dicendo eas fore sponsas nec aventatores vel bursarum incisores. Manchos manibus vel pedibus vel alio membro detronatatores, affaturatores, divinatores vel alios consimiles his, qui falso mendicant pena et banno cuilibet, qui hospitaretur aliquem de predictis quinqueginta librarum bononinorum. Et eandem penam paciatur si quis de predictis inventus fuerit hospitari. Et quilibet possit accusare et denunciare et credatur accusatori iuranti et cum uno teste probande cuius banni medietas sit accusantis et alia comunis. Et de his que dicta sunt supra in paragrapho 'Item dicimus' excipimus debilitatos in membris vel membro mutilata et cives habentes propriam domum vel habentes extimum in terra et solventes collettas nisi sint leprosi. Et hoc procuret notarius domini potestatis qui preest stratis et ministrales capellarum teneantur ipsas personas de suis capellis expellere et non sinere morari quodcumque mandatum fuerit eis per dictum notarium. Et predicta denunciare domino potestati vel dicto notario. Et massarii terrarum districtus Bononie teneantur fieri facere in suis terris simile, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice.

[110] (107) **De pena scutiferorum curentium equos. Rubrica.** [c. 251r]

Statuimus quod scutiferi vel ragaciis non audeant currere equum pro Fori Campum¹⁰²⁴ vel per antiquam partem civitatis Bononie sine licencia, voluntate et presencia domini cuius esset equus nec etiam cum licencia predicta vel sine nec etiam aliqua alia persona curere audeat equum aliquem per plateam civitatis Bononie sub pena decem librarum bononinorum quam si non solverit fustigetur scutifer vel ragacius predictus. Et nichilominus tunc, dum cureret a quocumque verberari vel percuti vel de equo deici impune possit, dum tamen non nimis nec cum sanguinis efusione nec etiam possit aliquis stipendiarius vel scutifer vel ragacius ire eques sub porticibus civitatis Bononie vel burgorum quando sunt ibi alique persone et maxime pueri parvi vel puelle, sub penis predictis, ut supra. Et quilibet possit accusare et denunciare. Et potestas per se et etiam notarium suum presidentem stratis inquirere possit et punire dicta pena.

[111] (108) **Quod non introducantur vel teneantur alique bestie in aliquo cimiterio nec hostia vel lignamina teneantur super salegata fratrum Minorum. Rubrica.** [cc. 251r-251v]

Quia cimiteria ecclesiarum tam ex cumsacratione quam ex humani corporis sepultura sacra loca et religiosa dicuntur non decet ea patere incursibus bestiarum et animalium quorum ingressu¹⁰²⁵ sepe violantur sepultura et eximuntur ossa mortuorum et a bestiis coroduntur. Ne igitur talia contingant de cetero dicti domini statuerunt quod nulli liceat intra cimiterium clausum cuiuscumque ecclesie posite inter muros civitatis porcos, anseres, oves vel alias bestias introducere vel tenere. Et si quis statuti presentis transgressor extiterit penam pro qualibet vice subeat decem solidorum bononinorum, nisi sit tale cimiterium per quod publicum iter fiat cum curribus. Item quia quidam ad muros cimiterii fimum, teram, lapides, paleas et multas immondicias apponunt et per hoc inter alia ex talium quoacervatione inducuntur bestie ad in//

[c. 251v]

gressum. Statuerunt quod nulli liceat aliquid de supradictis aut aliquod genus letaminis vel lignaminis in prefatis locis apponere, sub pena decem solidorum

¹⁰²⁴ <campum> *nel testo* campam.

¹⁰²⁵ <ingressu> *nel testo* ingreesu; *segue* in ipsa *depennato*.

bononinorum. Item quod in muro civitatis ex parte saligate fratrum Minorum nulli privato liceat hostium facere aliquod vel aperturam habere vel tenere sub pena decem librarum bononinorum. Et nichilominus hostium et aperturam claudere teneantur de muro grosso. Et hoc nisi ex licita concessione sibi facta hoc faceret. Et quod nulli liceat tenere super dicta salegata vel saligata Strate Maioris aliqua ligna occupancia dictas saligatas nisi in diebus fori sub dicta pena. Et predictorum omnium et singulorum cognitio sit notarii domini potestatis qui preest fango. Terminatio vero domini potestatis vel eius vicarii.

[112] (109) **De pena comitentis questionem aliquam consulendam alicui forensi.**
Rubrica. [c. 251v]

Cum civitas Bononie sit tamquam principale nutrimentum iuris civilis et canonici et in ea doctorum, advocatorum et aliorum iurisperitorum continue maxima copia habeatur, idcirco providemus et mandamus quod nullus iudex seu officialis comunis Bononie vel aliquis iurisdictionem habens possit, audeat vel presummat comitere aliquam questionem consulendam vel referendam vel ad colloquium habendum alicui forensi vel qui non descriptus¹⁰²⁶ sit in colegio et matricula iudicum civitatis Bononie nec etiam alicui tali descripto, nisi ipse descriptus sit et fuerit civis vel comitatinus civitatis Bononie ratione originis proprie et paterne et ante vel duarum ex eis. Et sit habitator continuus civitatis Bononie et subeat in ipsa civitate vel comitatu et subierit continuo ipse vel sui maiores onera realia et personalia spacio triginta annorum ad minus, sub pena ducentarum librarum bononinorum comitenti et consulenti vel colloquium danti verbo vel inscriptis. Et consilium tale vel colloquium ipso iure non valeat nec pronuntiatio, que sequeretur ex eo vel inde vel secundum formam dicti consilii vel colloquii. Et huic statuto per partes renunciari non possit nec ei derogari etiam consensu partium iuramento firmato. Mandantes quod in dicta matricula et colegio non possit vel debeat describi vel descriptus manere vel esse aliquis forensis intellegendo forensem quantum ad presens statutum et omnia alia in nostris statutis contenta, que de forense loquuntur quemlibet qui non sit civis Bononie origine propria et paterna et avita vel duabus ex eis salvis nostris statutis aliter disponentibus, nec aliquis publice exercens officium seu ministerium procurationis vel medici vel aliquam aliam artem mechanicam per se ipsum nec aliquis, qui publice non exercent officium advocationis vel publice se gerat pro iudice et tamquam iudex comuniter maxime in palacio comunis Bononie et inter iudices, advocatos et procuratores ipsius palatii habeatur et reputetur nec aliqua infamata persona. Et si quis contra prohibitionem vel statutum dicti collegii ipsorum iudicum que approbamus et pro statuto comunis Bononie volumus observari, descriptus haberetur in ipsa matricula pro non scripto habeatur et sit. Et nichilominus de ipsa matricula cancelletur. Et rectores sive priores ipsius collegii eum de ipsa matricula cancelari facere teneantur, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Et ipsam matriculam quilibet ditorum priorum, qui pro tempore fuerit quolibet anno examinare et examinari facere teneantur et de ea cancelari facere omnes prohibitos esse de ipso colegio, de qua matricula et statuto dicti collegii fieri debeant due copie, quarum una semper stare debeat in camera actorum et alia apud notarium dicti collegii.

[113] (110) **De collegio iudicum civitatis Bononie et ipsius collegii auctoritate.**
Rubrica. [cc. 251v, 263r-263v, 253r]

¹⁰²⁶ <descriptus> aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

Quia in multis nostris et aliis statutis comunis Bononie et maxime in precedenti statuto fit mentio de iudicibus civitatis Bononie et eorum colegio et non reperiatur provisum aliquid de auctoritate dicti colegii aut de hiis, qui possunt esse vel non esse de dicto colegio//

[c. 263r f. CCXLVI]

idcirco hac nostra lege statuimus et declaramus quod de colegio iudicum civitatis Bononie non sit, nec esse possit vel in ipsius matricula poni vel scribis aliquis nisi vere sit¹⁰²⁷ de civitate vel districtu Bononie, ut supra in proximo statuto, et nisi dicto tempore, quo recipi vellet sit etatis ad minus viginti annorum ad minus et studuerit in iure civili vel canonico spacio quinque annorum ad minus et de hoc fidem fecerit in presentia colegii per aliquem doctorem illius scientie, de qua ageretur palam dicentem et asserentem per sacramentum super animam suam illum tanto tempore studuisse in aliqua de predictis scienciis et eum esse bone et honeste vite ac dignum recipi ad collegium supradictum et nisi talis recipiendus per ipsum collegium fuerit approbatus tamquam dignus recipi ad dictum collegium in cuius colegii congregatione sint ad minus quindecim iudices de dicto colegio ultra numerum prioris ipsius colegii, qui tunc adesset. Et due partes iudicum presentium ad minus sint concordēs. Et nomina iudicum tunc presentium in ipsa approbatione in scriptis redigantur et inter eos scripturum secretum fiat cum fabis albis et nigris more consueto. Et approbandus solvere teneatur colegio id quod solvere deberet ex forma huius statuti. Et quod talis, qui sic approbatus fuerit et solverit, ut supra, possit et debeat poni et scribi in dicta matricula iudicum ac iudex et de colegio iudicum dicte civitatis abinde in antea sit et esse intelligatur. Salvo quod non possit aliquis approbari vel poni seu scribi in ipsa matricula aut esse etiam de dicto colegio vel tamquam iudex seu de colegio iudicum honorem vel aliquid aliud consequi vel ad aliud¹⁰²⁸ admitti, etiam in ipsa matricula scriptus reperiatur, qui sit medicus vel dictam artem exercens, nec aliquis qui publice exerceret in civitate Bononie vel districtu officium et artem notarie vel procuratorium seu procurantium seu aliorum nomine in iudicio causas prosequens, nisi foret tutor vel curator generalis qui necessitate officii faceret supradicta. Volumus autem quod quilibet doctor iuris canonici vel civilis de civitate vel districtu Bononie, qui nunc est vel pro tempore fuerit sit et esse intelligatur ipso facto de dicto colegio et in ipsius matricula scribi possit et debeat etiam si approbatus per collegium non fuerit, ut supra, vel in eo non concuerint alia supradicta et etiam absque eo quod pro predictis dicto colegio aliquid solvere teneatur. Preterea dicimus quod aliquis approbandus, ut supra, qui habet vel habuerit retro patrem vel alium ascendentem suum per masculum vel fratrem coniunctum per patrem vel patruum proximum vel patruum magnum, qui sit vel fuerit de dicto colegio, nichil pro ipsa approbatione aut dicto ingressu dicto colegio solvere teneatur. Alii vero quicumque approbandi solvere teneantur dicto colegio silicet massario ipsius colegii pro dicto colegio recipienti tempore dicte approbationis quinque libras bononinorum pro quolibet eorum notario vero, qui eos in matricula scribere debuerit solum decem solidos bononinorum quicumque fuerit qui recipietur. Ut autem in dicto colegio debitus ordo servetur, mandamus quod dictum collegium habere debeat unum priorem, cuius officium duret per unum annum incohandum in callendis mensis ianuarii cuiuslibet anni et etiam usque ad ellectionem novi prioris, qui prior sit massarius dicti colegii ad cuius manus perveniant omnes introitus dicti colegii. Ellectio autem cuiuslibet prioris et massarii fiat quolibet anno de mense novembris vel decembris pro sequenti anno hoc modo videlicet quod fiat ad brevia in dicto colegio congregando in aliquo ex palaciis comunis Bononie

¹⁰²⁷ <sit> aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

¹⁰²⁸ <aliud> nel testo allud.

vel in arengheria dicti comunis vel alibi ubi melius et comodius posse fieri melius videretur silicet quilibet eorum ad unum breve tantum ponendo in uno brevi electionem prioris et massarii pro quarterio de quo deberet esse massarius, ita quod in electione massarii quarteria coequentur et in quolibet aliorum brevium ponatur elector prioris et qui breve electionis habuerit elligat statim priorem. Nec possit aliquis qui breve habuerit elligere se ipsum vel aliquem qui non esset vel esse posset de dicto colegio vel qui tunc esset prior aut//

[c. 263v]

massarius eiusdem. Quam electionem omnino fieri faciant priores tunc existentes ut supra. Habeat autem quilibet prior pro suo salario totius anni quinque libras bononinorum de introitu dicti collegii eidem persolvendas solum facta electione¹⁰²⁹ priore successore suo et quatenus introitus deficeret gratis servire et servivisse intelligatur. Et si per eos steterit quin infra terminum fiat electio successorum nullum salarium habere debeant, nec eis solvatur quoquomodo etiam si reperiretur unde solvi posset et statim desinat esse prior ipso iure. Si vero dicta electio non fieret in dicto termino, nichilominus postea quodcumque fieri valeat modo predicto. Et eo casu ad petitionem cuiuslibet de colegio possit et teneatur vicarius potestatis collegium congregari facere et ipsam electionem fieri modo predicto. Et si qua tunc proponenda occurrerint, proponi sufficiat per ipsum vicarium vel aliquem de colegio cui ipse comitteret. Elligendus vero statim incipiat esse prior etiam si ante principium anni elligatur cum alterius prioris desierit esse prior, ut supra, et duret tunc eorum officium toto tempore restanti de anno et etiam toto anno pro quo fieret electio supradicta. Ad hoc autem ut de iudicibus dicti collegii veritas et noticia omni tempore habeatur tam mortuorum quam viventium vel qui in futurum erunt de dicto colegio volumus et declaramus quod matricula iudicum dicti collegii, qui mortui sunt et scripti sunt in matricula ipsorum, que scripta esse manu Iohannis Guicardini de Castro Francho notarii et illa, que est scripta manu Thome quondam Francisci de Bataglucii notarii, posita et consignata¹⁰³⁰ ad cameram actorum populi plena fides adhibeatur et detur. Et quod omnes in ea descripti vere de ipso colegio iudicum fuisse intelligantur quoad omnia que de iudicibus dicti collegii disposita quoquo tempore reperiantur. Et idem intelligatur de quocumque doctore iuris canonici et civilis iam defuncto et si in ipsa matricula mortuorum non reperiat. De iudicibus vero presentibus seu viventibus, qui dicuntur esse de dicto colegio fiat diligens inquisitio et examinatio per novos priores dicti collegii proxime elligendos et quatuor alios iudices de dicto colegio per priorem elligendos silicet unum pro quolibet quarterio possint et debeant declarari omnes quos crediderint esse vere et¹⁰³¹ esse posse de dicto colegio et debito approbatos¹⁰³² quorum et maioris partis eorum declarationi stetur omnino et de his qui sic declarabuntur fiat nova matricula per notarium dicti collegii que ad dictam cameram consignetur et cum matricula mortuorum iniungatur. Et tales describendus in matricula inventium de dicto colegio vere sint et esse intelligantur tamquam legitime approbati. Illi vero, qui in futurum approbantur et ad collegium recipientur scribi et poni debeant seu addi¹⁰³³ dicte matricule viventium per notarium dicti collegii sub hiis diebus, quibus fuerint approbati. Et talibus matriculis quantum ad iudices dicti collegii fides adhibeatur et detur ceteris aliis matriculis reprobatis. Sit¹⁰³⁴ autem auctoritas et potestas dicti collegii et

¹⁰²⁹ <electione> segue de ipso depennato.

¹⁰³⁰ <consignata> corregge congnata.

¹⁰³¹ <et> in infralinea con segno di rinvio.

¹⁰³² <approbatos> corregge probatos.

¹⁰³³ <addi> nel testo adi.

¹⁰³⁴ <sit> corregge si.

cuiuslibet prioris et priorum ipsius videlicet quod quilibet prior possit dictum collegium cohadunare et congregare quociens expedire videbitur, pro examinatione alicuius, qui admitti velet ad dictum collegium et pro ellectione officialium dicti collegii et pro aliis expediendis, que dumtaxat ad honorem dicti collegii pertinerent et in ipso etiam collegio proponere omnia, que proponenda occurrerint pro expeditione predictorum et in dicta congregatione fieri facere teneantur examinationem et ellectionem officialium, secundum formam huius statuti et aliorum, que fierent per ipsum collegium. Et sufficiat ad representationem dicti collegii, si in ipsa congregatione sint ad minus quindecim iudices de dicto collegio ultra numerum prioris et duas partes presentium ad minus, computanto priore, in quibuscumque ibidem agendis esse concordēs. Et possint etiam inobedientes et ad congregationem non venientes condemnare pro qualibet vice in quinque solidis bononinorum collegio applicandis et ipsas condemnationes de facto auferre ad utilitatem dicti collegii. Possit etiam dictum collegium per se vel alium examinare iudices, qui pro iudicibus civitatis Bononie haberi debeantur et ipsos approbare vel reprobare. Nondum tamen approbare possint aliquem hoc statuto prohibitum et etiam alios solitos officiales elligere et etiam omnia alia facere, que ad honorem ipsius collegii//

[c. 253r f. CCXLVII]

pertineant et iudicum predictorum dum tamen honori comunis Bononie aut statusus comunis Bononie nulla tenus contradicant. Et quod omnes de dicto collegio iudicum teneantur singulis annis in die festivitatis sancte Crucis de mense maii ire una cum doctoribus iuris civilis civitatis Bononie ad ecclesiam Sancte Crucis de platea et ibi suam oblationem facere secundum quod crediderint convenire sub pena decem solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice de facto auferenda per priorem collegii doctorum et per priorem collegii predicti et ipsis collegiis applicanda.

[114] **Quomodo et qualiter elligi¹⁰³⁵ debeant ministrales capellarum civitatis Bononie et guardie eiusdem et de ipsorum officio. Rubrica.** [c. 253r]

Statuimus quod singulis annis in calendis mensis ianuarii seu infra terciam diem tunc proxime subsequentem ad plus ministrales capellarum civitatis Bononie et eius guardie, qui nunc sunt vel pro tempore erunt deputati ad officium ministrarie teneantur, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet eorum¹⁰³⁶ infrascripta facere obmitenti, congregare seu congregari facere per pulsationem campane suarum capellarum omnes et singulos homines maiores viginti annis stantes et habitantes in eorum et cuiuslibet eorum capelis, in ecclesiis seu capelis supradictis. Quibus omnibus vel maiori parte eorum ibidem congregatis per ministrales seu alterum eorum proponatur de nova ellectione novorum¹⁰³⁷ ministerialium seu unius fienda et iuxta ordinem consuetum. Qui homines supradicti ibidem congregati teneantur infra dictum tempus sub pena vigintiquinque librarum bononinorum de facto exigendarum, elligere unum vel plures ministrales, sicut usitatum est. Qui electi sive electus teneantur infra terciam diem dictum officium acceptare sub pena¹⁰³⁸ decem librarum bononinorum exigenda ut supra et nisi fuerit iusta et legitima causa impeditus declaranda per vicarium domini potestatis. Decernentes quod ad predictum ministrarie officium elligi non possit aliquis minoris viginti annorum et qui non habitet in dicta capela in qua elligeretur ministerialis a cuius ministrarie officio septuagenarii vel ultra se valeant excusare. Volentes quod

¹⁰³⁵ <elligi> segue deb depennato.

¹⁰³⁶ <pro quolibet eorum> aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.

¹⁰³⁷ <novorum> dittografato.

¹⁰³⁸ <pena> segue librarum depennato.

predictorum in ministrales ellectorum et cuiuslibet eorum officium durare debeat per unum annum proxime secuturum. Qui ministrales sic ellecti legitime teneantur¹⁰³⁹ denunciare omnia et singula malleficia ad quorum denunciationem tenentur ex forma nostrorum statutorum infra tempus et sub penis in ipsis statutis contentis. Et teneantur predicti ministrales et quilibet ipsorum coram quibuscumque officialibus comunis Bononie comparere tociens quociens fuerint requisiti personaliter vel ad domum eorum habitationis seu eisdem vel alicui eorum voce preconia vel alio quocumque modo fuerit iniunctum et ipsis officialibus obedire in omnibus licitis et honestis eisdem iniungendis vel imponendis, sub pena viginti solidorum bononinorum pro qualibet vice. Declarantes quod domini ministrales pro eorum laboris remuneratione et salario habere et recipere possint a quolibet in ipsorum capelis habitante secundum modum actenus usitatum per homines dictarum capelarum et ad dictam solutionem compeli possint et debeant solvere denegantes per alterum ex officialibus domini potestatis Bononie. Inhibentes quod ad dictum officium elligi non possit eodem tempore duo in¹⁰⁴⁰ eadem familia habitantes.

[115] **De vigintiquinque facienda et de pena non fatiencium se poni in eis. Rubrica.** [cc. 253r-253v]

Item providerunt, statuerunt et firmaverunt quod singulis annis de mense ianuari fiant et fieri debeant vigintiquinque hominum et incolarum civitatis Bononie silicet habitantium in civitate Bononie vel burgis seu guardia civitatis per ministrales capelarum cum duobus vel quatuor bonis hominibus suarum capelarum secundum magnitudinem capelarum ponendo in ipsis vigintiquinque omnes maiores videlicet unum pro qualibet familia decem et octo annis et minores sexaginta. Et quod omnes predicti ministrales et boni homines, qui cum eis erunt teneantur et debeant vinculo sacramenti ponere seu scribi facere omnes et singulos sue capele ut supra declaratum est¹⁰⁴¹ pena quinque librarum bononinorum pro quolibet quem dimitterent et quilibet de predictis, qui esse deberet de dictis seu in dictis vigintiquinque// [c. 253v]

quenis teneatur et debeat per totum mensem februaryi se poni facere et scribi si per predictos ministrales et bonos homines scribi obmittantur. Et officialis qui preerit ad scribendum vigintiquinquenas possit et teneatur talem obmissum scribere et ponere. Qui ministrales et boni homines in carta membrana cum subscriptione notarii ipsas vigintiquinquenas dare et consignare teneantur domino potestati vel eius vicario infra octo dies mensis februaryi proxime secuturi, sub pena quinque librarum bononinorum. Que omnia et singula procuret et procurare teneatur habere infra dictum terminum octo dierum dominus potestas predictus et eius vicarius, quibus habitis infra quindecim dies proxime subsequentes procuret cum effectu quod dicte vigintiquinquene exemplentur et scribantur in quaternis pecudinis per notarium ad hoc deputatum et deputandum. Et ipsos quaternos penes se habere, salvo repetito et exceptato quod continetur sub alio salvo posito in fine sequentis statuti [116].

[116] **De pena non euntium in exercitibus et chavalcatis. Rubrica.** [c. 253v]

Item statuimus quod omnes et singuli, qui scripti sint vel erunt in vigintiquinque et omnes alii, quibus iniunctum esset ire debere in exercitibus et chavalcatis faciendis de cetero per comune Bononie teneantur et debeant ire, esse et stare continue in dictis exercitibus et chavalcatis et de ipsis non disedere absque insignis comunis Bononie et

¹⁰³⁹ <teneantur> in infralinea con segno di inserzione.

¹⁰⁴⁰ <in> segue la lettera h depennata.

¹⁰⁴¹ <est> segue de depennato.

suorum rectorum vel sine licencia domini potestatis vel capitanei populi vel qui eius vices gereret¹⁰⁴² silicet equites et stipendiarii equites. Et pedites et comitatini sine licencia domini potestatis vel capitanei. Et pedites et cives et alii conscripti in dictis vigintiquinquenis sine licencia eius, qui gereret vices eius in dicto exercitu. Que licencia dari non possit, nisi in casu infirmitatis vel alterius evidentis cause et necessitatis. Et hoc sub pena quinque librarum bononinorum et minus arbitrio domini potestatis. Sufficiat tamen unum pro domo, ubi plures essent de eadem domo scripti in vigintiquinquenis, ire vel mittere in cavalcata faciendam salvo quod nec doctores legum, nec habentes privatam examinationem in iure civili, nec doctores decretorum, nec doctores medicine, nec advocati ad officium advocacionis publice et continue exercentes, nec doctores gramatice vel loyce vel lectores notarie, nec scolares aliqui Bononie in aliqua professione continue scholas intrantes more solito teneantur ad predicta vel aliquod predictorum, nec eos vel aliquem eorum tangant. Et salvo quod patientes podragas seu aliam infirmitatem et sexagenarii vel alii inabiles tempore exercitus et cavalcate ire vel mittere non teneantur ad¹⁰⁴³ predicta.

[117] De casibus in quibus quis prohibetur perpetuo vel ad tempus cancellari de banno. Et de modo et forma pacis habende. Rubrica. [cc. 253v-254v]

Statuimus et ordinamus quod quicumque de cetero fuerit positus in banno comunis Bononie vel in figura banni conscriptus pro aliquo malleficio quod sibi ascriptum fuerit in quo banno vel figura banni contineretur quod pena mortis vel absisionis membri alterius quam lingue vel auricule deberet vel debeat imponi vel exequi, si in forciam comunis Bononie vel domini potestatis Bononie vel domini capitanei populi pervenerit aliquo tempore nullo modo possit de ipso banno vel figura ipsorum eximi, cancelari vel affidari imperpetuum vel ad tempus vel alicuius eorum bannum aliquod subscribi vel abradi vel aliter quoquomodo vel ingenio infringi vel attentari. In aliis autem casibus in quibus pena pecuniaria veniret imponenda possint quandocumque cancelari demum soluta quantitate pecunie in banno cominata et habita pace. Non habita vero pace non possit cancellari de banno infra quinquenium a die banni etiam si solverit quantitatem in banno cominatam, nisi solverit duplum banni vel soluto simplo cum deliberatione dominorum ancianorum. Salvo quod si aliquis de predictis conscriptis in figura banni acusaretur vel inquireretur contra eum de tali maleficio pro quo deberet personaliter comparere et detineri possit¹⁰⁴⁴ ad tempus affidari et affidatus inteligatur stando carceratus secundum formam statuti quod est sub tractatu ‘Quo et qualiter procedatur// [c. 254r f. CCXLVIII]

contra accusatos, denunciatos, notificados vel inquisitos non contumaces’ [17]. Et quod domini seu officiales, qui preerunt officio bannitorum non possint vel debeant aliquam petitionem recipere vel audire in qua vel super aliqua aliquem processum faciant super ipsorum banno vel figura banni nec aliquam facere pronunciationem vel mandatum alicuius cancellationis vel subscriptionis vel alterius exemptionis quoquo modo fiende vel nullitatis, nisi quatenus eis permitteretur ex forma nostrorum statutorum. Et interdiciamus omnibus et singulis officialibus comunis Bononie iurisdictionem cognoscendi vel pronunciandi super aliquo de predictis et omnibus et singulis notariis scribendi aliquid de predictis vel super predictis prohibitis, pena cuilibet officiali presidenti dicto officio vel non presidenti et cuilibet alteri facienti contra predicta vel aliquod predictorum ducentarum librarum bononinorum et cuilibet

¹⁰⁴² <gereret> *corregge* gereretur.

¹⁰⁴³ <ad> *segue la lettera a depennata.*

¹⁰⁴⁴ <possit> *segue la lettera p depennata.*

iudici consulenti super exemptione nullitate vel cancellatione centum librarum bononinorum. Et si quis cancellatus vel subscriptus abrasus vel aliter quomodolibet exemptus vel affidatus reperiretur contra predictam prohibitionem predicta ipso iure non valeant. Et dominus potestas vel eius vicarius denunciatione sibi facta et ad petitionem cuiuscumque petentis teneatur precise talem exemptum infra octo dies etiam feriatos a die denunciationis predictae facere reponi et scribi in libris bannitorum per aliquem ex notariis tunc temporis presidentibus officio bannitorum omni exceptione et allegatione reiectis, pena eis et cuilibet eorum quingentarum librarum bononinorum, quam incidant ipso facto et incidisse inteligantur ipso iure si predicta non fuerint executi et ab eis et quolibet eorum, si inciderint, auferatur per omnes, qui preerunt sindicatui ipsius potestatis, sub eadem pena. Ita tamen quod etiam interim medio tempore scilicet post exemptionem banni et ante repositionem banni seu conscriptionem predictam possit impune offendi et contra eum et in eum executio fieri, perinde ac si cancellatus vel exentus non fuisset et pro bannito tractari, haberi et puniri. Et habeant omnia et singula predicta locum sive malleficium de quo in banno sive exemptione mentio facta fuerit commissum fuerit sive non. Et idem in quolibet alio casu, in quo ex forma alicuius statuti prohibetur aliquis perpetuo cancellari de banno vel disponitur quod ponatur quis vel sit bannitus perpetuo vel in perpetuo banno vel ubi ex aliquo maleficio vel banno bonorum publicatio subsequatur. Quandocumque autem pax vel consensus haberi debet pro predictis vel pro aliqua alia cancellatione fienda vigore alicuius nostri statuti vel alterius statuti comunis Bononie de novo fiendi habeatur pax vel consensus ab offenso vel heredibus offensi vel ab aliis qui facere possent. Qui scilicet offensi vel heredes sint maiores vel eo casu quo minores essent pace vel consensu habita vel habito infrascripto modo videlicet quia si esset etatis decem annorum vel infra offensus vel offensi heredes, tunc et eo casu sufficiat habere pacem vel consensum a tutoribus vel legitimis administratoribus eorum, concurrense etiam et accedente pace vel consensu, qui vel que fient a tutore vel legitimo administratore consensu duorum proximorum agnatorum ipsius infantis legitime etatis et sane mentis et bone conditionis et fame, quibus non exstantibus habeatur consensus duorum cognatorum vel unius agnati et unius cognati, qui sint predictae conditionis et etatis et si duo non estarent unius predictorum consensus sufficiat. Et non exstantibus aliquibus agnatis vel cognatis predictis vel exstantibus quorum copia comode non possit haberi, eo casu sufficiat consensus dominorum ancianorum una cum consensu tutoris seu tutorum predictorum. Salvo quod de offensa filii impuberis pater possit pacem et consensum facere ad cancellationem banni. Si vero maiores decem annorum minores tamen viginti quinque annis, tunc ab ipsis minoribus cum auctoritate tutorum vel curatorum vel aliorum, qui essent legitimi administratores dictorum minorum, salvo semper quod dictum est de patre. Item dicimus quod ubi eiusdem offensi plures heredes existant non sufficiat unius eorum pacem vel consensum intervenire, set requiratur ad hoc ut cancellatio fieri possit, quod habeatur pax vel consensus cuiuslibet eorum secundum formam supradictam. Salvis et exceptatis casibus in quibus reperiretur aliud ordinatum fore ex forma alicui//

[c. 254v]

alterius statuti in hoc volumine contenti. Et salvo quod de offensis principaliter pertinentibus ad comune Bononie vel ad aliquem forensem non scolarem, qui vel cuius heres non esset tunc habitator civitatis Bononie vel districtus vel prope districtum per quinqueginta miliaria vel infra in casibus in quibus pax vel consensus requiratur sufficiat pacem vel consensum habere a collegio dominorum ancianorum civitatis Bononie vel maiore parte ipsorum quorum dominorum ancianorum consentientium nomina in instrumento pacis vel consensus singulariter describantur et scriptum reperiatur instrumentum manu unius ex notariis dictorum dominorum ancianorum.

Declarantes quod antequam fiat talis pax, fiat crida ad arengheriam comunis et super ambabus scalis palacii veteris comunis Bononie et in contrata ubi diceretur in bamno offensus habitasse tempore bamni si fuerit in civitate Bononie vel districtu si aliquis vellit contradicere, ne talis pax fiat et ne offendens cancelletur de bamno infra certum terminum in crida apponendum debeat comparere coram dominis ancianis, quo ellapso, si nullus venerit vel venerit infra dictum terminum iustam causam non allegans ad pacem procedatur, si hoc fiendum videatur etiam de habitatione aliter non probato. Et aliquo infra dictum terminum comparente et iustam causam allegante arbitrio dominorum ancianorum, tunc non procedatur ad pacem fiendam. Et sufficiat quantum ad hoc aliquem dici forensem, si in bamno contineatur ipsum esse de aliqua civitate, terra vel loco extra districtum Bononie. Adicientes quod ubicumque in hoc statuto vel aliquo alio in hoc volumine contento pax vel consensus ad cancellationem requiratur non possit ipsa pax vel consensus probari aliter quam per publicum instrumentum et si fieret in civitate vel districtu Bononie non valeat instrumentum, nisi positum seu registratum fuerit in memorialibus comunis Bononie per alterum ex notariis dicto officio memorialium deputatis.

[118] De pena singularium personarum vel universitatum comitatus Bononie receptancium vel in suis locis morari sinentium vel non expellentium bannitos ut tenentur. Rubrica. [cc. 254v-255r]

Statuimus quod nulla persona cuiuscumque conditionis audeat vel presumat in domo sue habitationis receptare vel pati morari vel stare aliquam personam bannitam vel in libris bamnitorum conscriptam cuiuscumque conditionis et ex quacumque causa dum tamen pro malleficio. Et qui contrafecerit sciens dictam personam bamnitam siquidem bamnita foret ipsa persona recepta vel morari vel stare permissa pro prodicione vel rebellione comunis Bononie puniatur et condemndetur in quingentis librarum bononinorum. Si vero pro alio maleficio de quo prohibita esset perpetuo cancellatio contenta in ordinamento, quod est sub rubrica ‘De casibus in quibus quis perpetuo prohibetur cancellari de bamno’ [117] condemnetur in centum libris bononinorum. Si vero pro alio maleficio condemnetur contrafaciens in quinqueginta libris bononinorum, nisi ille talis esset bamnitus in minori quantitate quinqueginta librarum bononinorum quo casu non possit plus condemnari, quam contineatur in bamno predicto. Item quod scientia predicta receptantis vel patientis morari vel stare in domo sue habitationis dictos bamnitos vel aliquos eorum probari¹⁰⁴⁵ sufficiat ex eo quod viderit eum conscriptum in libris bamnitorum vel ex eo quod eidem denunciatum sit ex parte alicuius iudicis domini potestatis illum esse bamnitum vel per aliquem coniunctum eius pro cuius iniuria esset bamnitus et bannum oblatum ei ad videndum et inspiciendum vel ex eo quod esset publica vox et fama in contrata eius, qui diceretur in predictis vel aliquo predictorum contrafacisse illum esse bannitum quem diceretur receptasse vel in domo sue habitationis stare vel morari permisisse vel passum esse et quod in quolibet predictorum habeatur pro plena probatione scientie non derogando aliis modis probandi scientiam supradictam. Preterea statuimus quod nulla comunitas vel universitas alicuius terre, ville vel loci comitatus vel districtus Bononie vel aliquis massarius sive consul ipsius terre, ville vel castri audeat pati sive permittere, stare vel morari in sua terra, villa vel castro aliquem bamnitum pro malificio de quo sit publica vox et fama in ipsa terra ipsum esse bamnitum pro ipso maleficio vel si denunciatum fuerit, ut supra, massario dicte terre quod sit bamnitus talis et bannum oblatum ei ad videndum et inspi//
[c. 255r f. CCXLVIII^{or}]

¹⁰⁴⁵ <probari> in *infralinea con segno di inserzione*.

ciendum, set omnino si poterit capere et in forciam comunis Bononie presentare debeat vel si non poterit saltem debeat eum prosequi et fugare clamando alta voce post eum et si contrafactum fuerit condemnetur tera, vila vel castrum, que vel quod contrafecerit, si habuerit centum fumantes vel abinde supra pro quolibet bamnito pro prodicione comunis Bononie in quo contrafactum fuerit in ducentis libris bononinorum¹⁰⁴⁶ pro quolibet bamnito pro aliquo alio de casibus in quibus bamnitum prohibitum est perpetuo cancellari contentis in ordinamento posito sub rubrica ‘De casibus in quibus prohibentur qui perpetuo cancellari de bamno’ [117] in centum libris bononinorum. Et pro quolibet bamnito pro alio maleficio in vigintiquinque libris bononinorum. Si vero habuerit pauciores¹⁰⁴⁷ fumantes centum condemnetur in quolibet casuum predictorum in quo contrafecerit in medietate eius, in quo condemnaretur si haberet centum fumantes vel abinde supra, ut dictum est. Massarius vero, qui in sua villa, terra vel castro predicta non fecerit observari, condemnetur in quolibet dictorum casuum in quarta parte eius quod sua terra, vila vel castrum condemnata vel condemnatum fuisset vel debuerit, ut dictum est, condemnari. Salvo quod si propter potenciam bamniti predicta facere vel observare non posset, non teneatur ad dictas penas, si tamen denunciaverit domino potestati vel suo vicario bamnitum talem in sua villa vel castro morari et se non posse expellere vel capere propter bamniti potenciam et si pecierit auxilium ad predicta observanda¹⁰⁴⁸ et effectui demandanda et salvo etiam quod excusetur massarius si pulsato vel proclamato ad arenghum vel consilium sue terre denegaverint homines sue terre congregari vel se non congregaverint vel convocati in hoc noluerint ipsi massario parere et potestati vel eius vicario predicta denunciaverit ipse massarius. Quas penas in quolibet casuum predictorum dominus potestas possit minuere inspecta conditione persone et facti qualitate. Adicientes quod aliqua comunitas, vicinancia vel singularis persona requiri, aggravari, multari seu condemnari non possit per dictum dominum potestatem seu officialem aliquem, ex eo quod malefactorem¹⁰⁴⁹ maleficium aliquod comitentem in eius terra, curia vel vicinancia de nocte seu clandestine non ceperit, fugaverit aut prosequuta non fuerit seu non exclamaverit, ut dictum est, nisi dolus vel notabilis negligencia eis posset imputari. Si vero maleficium aliquod grave commissum fuerit in aliqua terra, guardia seu curia alicuius terre comitatus vel districtus Bononie de die et palam, tunc qui presentes fuerint dicto maleficio teneatur capere ipsum malefactorem si poterint vel saltem exclamare et campana ad sturum¹⁰⁵⁰ pulsare, ita quod audiatur et possint gentes ad clamorem trahere, ad quem clamorem et pulsationem teneantur homines dicte terre seu circumstantes loco maleficii commissi trahere et ipsum malefactorem persequi et fugare et etiam capere si poterint et in forciam comunis Bononie presentare pena predicta non osservanti decem librarum bononinorum cuilibet presenti et quinquaginta librarum bononinorum cuilibet comunitati. Pena etiam domino potestati vel officiali contra predicta molestanti, requirenti, aggravanti, multanti vel condemnanti predictas vicinancias, comunitates aut singulares personas quinquaginta librarum bononinorum pro quolibet auferenda de facto et quod factum fuerit contra predicta non valeat ipso iure. Predicta maxime statuentes, quia predicta maleficia ut plurimum comitentur de nocte clandestine in locis solitariis et ubi non est presencia personarum et in civitate Bononie per forenses et stipendarios armatos et armatis sociatos contra quos periculosum est inermes accedere et proclamare.

¹⁰⁴⁶ <bononinorum> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹⁰⁴⁷ <pauciores> *corregge paciores.*

¹⁰⁴⁸ <observanda> *corregge oservanda.*

¹⁰⁴⁹ <malefactorem> *dittografato.*

¹⁰⁵⁰ <sturum> *nel testo strurum.*

[119] **Constitutio domini bononiensis episcopi.** [cc. 255r-255v]

Hec est quedam constitutio facta contra clericos et ecclesiasticas personas per venerabilem patrem dominum Octavianum bononiensem episcopum tempore nobilium virorum dominorum Thebaldi de Brusatis potestatis Bononie et Coradi de Montemagno capitanei populi Bononie sub anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto indictione quartadecima cuius tenor talis est. In Dei nomine amen. Licet non solum delinquentes et comitentes atrocita, set eorum fautores et con//
[c. 255v]

sencientes eisdem catolica condemnet auctoritas pari decernimus eos pena et animaversione puniri tam de¹⁰⁵¹ civitate et diocesi Bononie, clerici, conversi, religiosi, prelati atque rectores ecclesiarum, hospitalium et religiosorum locorum prefatam condemnationem non timentes, set eam et instituta canonice temere continentes homicidiorum et aliorum criminum enormium et scelerorum comissores et precipue pro his a populo et comuni Bononie fore bamnitos receptant et receptaverunt hactenus atque tenent in ecclesiarum domibus et alibi ut eos in suis delictis manuteneant atque defendant ne penas subeant pro maleficiis comissis, quas merentur, sic opem ferentes eisdem delinquentibus in comissis et favorem etiam comitendis non modicum tribuentes. Et sic contra ipsos clericos et ecclesiarum rectores atque prelatos tantus ascendit clamor in populo civitatis Bononie tantaque creverit infamia pro predictis quod reformationes multum aridas et asperas contra ipsas per quas timeri potest merito ipsas ecclesias inreparabile periculum atque destructionem bonorum, nisi celere apponatur remedium incursum, unde nos Ottavianus miseratione divina bononiensis episcopus volens huic morbo congruam adhibere medelam, ne incurabilis fiat ob inimicorum maliciam et ecclesie nostre sit paratam destructionem incurant, que nobis comisse sunt et fratrum nostrorum Bononie capituli ad hec specialiter convocati expresso consilio et consensu. Statuimus quod nullus¹⁰⁵² de cetero clericus vel conversus vel religiosus seu hospitalis vel religiose domus prelatus vel ecclesie rector civitatis Bononie et diocesis bamnitum aliquem comunis Bononie pro quocumque maleficio recipiat vel teneat in ecclesia sua vel domibus eius vel alibi ubicumque per se vel alium nullumque tali bamnito de certa scientia prebeat auxilium, consilium vel favorem, sed si quem habet vel tenet vel aliquis est vel stat in ecclesia sua vel in domibus eius vel alibi pro eodem ipsum expelat et reiciat cum effectu vel seperet infra terciam diem post huius constitutionis publicationem, nullatenus receptantes¹⁰⁵³ eundem per se vel alium nec ausilium vel consilium impensurus eidem quousque fuerit dicto bamno ligatus. Statuentes etiam quod si quis predictorum huius nostre constitutionis temerarius transgresor existerit, qui bamnitos comunis Bononie pro maleficio presumpserit retinere eisque dare auxilium, consilium vel favorem ipsosque non expelerit vel reiecerit¹⁰⁵⁴ vel receptaverit contra huius constitutionis tenorem officii, beneficii et prelature et dignitatis vel rectorie quem et quam habeat in aliqua ecclesia civitatis vel diocesis Bononie ipso facto sententiam privationis incurat, quam ex nunc ferimus in eundem et ab ipsa ecclesia¹⁰⁵⁵ removemus perpetuo excommunicationis¹⁰⁵⁶ sententiam ipso facto nichilominus incursum si prelaturam, dignitatem, rectoriam vel beneficium

¹⁰⁵¹ <de> *in infralinea.*

¹⁰⁵² <quod nullus> *dittografato e cassato.*

¹⁰⁵³ <receptantes> *corregge* receptans.

¹⁰⁵⁴ <reiecerit> *corregge* reicerit.

¹⁰⁵⁵ <ecclesia> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹⁰⁵⁶ <excommunicationis> *segue ipso cassato per sottolineatura.*

ecclesiasticum sic privatus presumpserit rettinere¹⁰⁵⁷, quam ex nunc promulgamus in his scriptis contra quemlibet sic agentem. Alios vero ex communicationem quam ex nunc ferimus in hiis scriptis incurere volumus ipso facto si ea que nostra continet constitutio non observet nulla tenus defensari delinquentes predictos si postquam huiusmodi penas inciderint et contingerit ipsos trahi et detineri pro his ad iudicem secularem. Ego Iohannus et cetera.

[120] **De pena notariorum officio bamnitorum exemplantium bamnitos alibi quam ad¹⁰⁵⁸ discum bamnitorum. Rubrica.** [cc. 255v-256r]

Statuimus quod nulla bamna exemplari debeant in libris bamnitorum, nisi ad dischum officialium bamnitorum sub pena notario exemplanti quinqueginta librarum bononinorum pro qualibet vice, qua contrafaceret et potestati seu officiali, qui ad predictam exemplationem alibi fiendam, quam ut supradictum est coegerit centum librarum bononinorum. Item dicimus quod infra tempus octo dierum dandum ad comparendum vel postquam aliquis comparuerit ad mandata et steterit vel per eum non steterit quin staret, set per potestatem vel iudicem coram quo comparuerit ante perfectionem exemplationis bamni, nullo possit modo perfici dicta exemplatio. Et notarius, qui scienter dictam exemplationem fecerit, paciatur eandem penam quam pati debuisset talis ad mandata comparens et existens, si bamnitus fuisset et sic bamnitus¹⁰⁵⁹ pervenisset in forciam comunis Bononie. Et nichilominus talis exemplatus infradictum terminum octo dierum vel comparens ad//

[c. 256r f. CCL]

mandata, ut super, si sic comparuerit ad mandata, quod de iure contumax dici non possit, penam bamnitorum nullatenus paciatur et pro non exemplato habeatur et de tali scriptura sic exemplata possit et debeat impune cancellari per aliquem ex notariis presidentibus officio bamnitorum non obstante aliqua prohibitione facta in aliquo statuto in hoc volumine contento vel aliqua alia. Notarii vero officio bamnitorum prepositi vel ipsorum alter teneantur bamna eisdem tradita ad exemplandum, eis de eorum salario facta solutione vel oblato salario et deposito, eo casu in quo aliquis vel aliqui persecuti essent processum seu bamni dactionem vel etiam sine aliquo salario secundum beneplacitum ipsius potestatis vel eius iudicis infra statuta tempora exemplare, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Et nichilominus elapsis dictis temporibus exemplare teneantur sub eadem pena infra terminum eisdem per dominum potestatem vel eius vicarium statuendum et bamnum valeat exemplatum perinde ac si fuisset infra sua tempora exemplatum. Dum tamen infra biennium ad minus a die dati bamni fiat ipsa exemplatio. Et ipso facto possit potestas ipsam penam et penas a predictis exigere etiam aliqua acusatione vel inquisitione non precedente. Preterea dicimus quod dominus potestas vel aliquis de sua familia non possit vel debeat directo vel per oblicum compelere aliquem ex dictis notariis bamnitorum exemplare infra terminum ipsi notario statutum ad exemplandum bamnum ex forma statuti ipsum bamnum.

[121] **De generalibus seu comunibus penis bamnitorum seu in figura bamni conscriptorum in aliquo ex libris bamnitorum comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 256r-257v]

Ordinamus et statuimus quod aliqui, qui reperirentur conscripti in figura bamni in aliquo ex libris bamnitorum comunis Bononie pro maleficio ad dischum bamnitorum

¹⁰⁵⁷ <rettinere> *corregge* rettine.

¹⁰⁵⁸ <ad> *dittografato*.

¹⁰⁵⁹ <bamnitus> *in infralinea con segno di inserzione*.

existentibus non possint stare vel morari in civitate Bononie vel eius districtu. Et quod nullus conscriptus in figura bamni, ut dictum est pro malleficio, possit esse de aliquo consilio comunis Bononie, nec habere aliquod officium in civitate vel districtu Bononie nec elligere per se vel alium aliquem officialem, nec elligi ad aliquod officium in civitate vel districtu Bononie et si ellectionem fecerit vel ellectus fuerit ellectio ipso iure sit nulla. Item quod querimonie alicuius eorum non audiantur in agendo vel accusando vel notificando preterquam in petitione legitima cancellationis, que de iure fieri posset de bamno vel figura bamni et preterquam ut infra dicitur. Sine autem conveniatur civiliter vel criminaliter audiatur et eorum defensiones legitime admittantur bamno non obstante, quas proponere possit per se ipsos, cum debuerint personaliter comparere alias per procuratorem recipiantur nec iniurie alicui eorum illate realiter vel personaliter seu quocumque illate emendentur vel vindicentur, nisi ut infra dicentur. Et ostenso bamno vel figura bamni pro maleficio per quencumque in aliquo ex libris bamnitorum vel per publicam scripturam sumptam de ipso libro per alterum ex notariis dicto disco bamnitorum presidentibus et subscriptam secundum formam nostri statuti positi sub rubrica ‘De officio et iurisdictione iudicis et militis officio bamnitorum’ [III, 31] non debeat nec possit occasione alicuius offense vel iniurie facte in aliquem eorum vel in bonis alicuius eorum inquietari vel molestari, citari vel requiri offendens vel offendi faciens qualiscumque sit offendens et quocumque modo in¹⁰⁶⁰ persona vel rebus offensus fuerit, qui bamnitus pro malleficio fuerit vel in libris bamnitorum Comunis¹⁰⁶¹ conscriptus vel in figura bamni pro malleficio. Ad quam exceptionem opponendam et probandam quilibet libere admictatur. Salvo quod pro iniuria vel offensa vel damno illata vel illato tali conscripto in aliquo ex libris bamnitorum ante conscriptionem bamni talis bamniti possit talis conscriptus per procuratorem legitime vel aliam personam legitimam querimoniam, accusationem seu notificationem proponere vel ante bamni conscriptionem propositam etiam post ipsam¹⁰⁶² conscriptionem prosecui et audiri debeat et ipsius iniuria, offensa vel damnum ante bamni conscriptionem illata vel illatum vindicetur vel emendetur perinde ac si non foret conscriptus et non obstante quod alias de iure ad tale crimen prosequendum procurator non admittatur. Excepto si fuerit¹⁰⁶³ in bamno vel figura bamni conscriptus pro maleficio cuius pena esset minor centum librarum bononinorum quo casu si//
[c. 256v]

fuerit maior pena vigintiquinque librarum bononinorum personaliter offendi non possit excepto etiam bamnito pro danno dato vel non denunciato vel alio levi maleficio cuius pena esset vigintiquinque librarum bononinorum vel minor, qui nullo modo offendi possit. Item quod conscripti in figura bamni in aliquo ex libris bamnitorum comunis Bononie pro maleficio quocumque cuius pena esset maior vigintiquinque librarum bononinorum non possit fere testimonium super aliquo facto durante conscriptione predicta. Item dicimus quod si aliquis in figura bamni conscriptus in aliquo ex libris bamnitorum comunis Bononie pro maleficio inventus fuerit in civitate Bononie, comitatu vel districtu et presentatus vel aliter sic inventus pervenerit in forciam comunis Bononie si fuerit pro homicidio vel pro aliquo maleficio pro quo si venisset ad mandata et confessus vel de eo convictus fuisset deberet mori vel membro mutilari vel alia pena personali puniri ultra fustigationem habeatur pro confesso. Et infra terciam diem fiat executio bamni et imponatur pena, que imponi debuisset eidem si venisset ad mandata et ipsum maleficio confessus vel de eo convictus fuisset vel que

¹⁰⁶⁰ <in> dittografato.

¹⁰⁶¹ <comunis> in infralineam.

¹⁰⁶² <ipsam> in infralineam con segno di inserzione.

¹⁰⁶³ <fuerit> corregge fueri.

in bamno vel conscriptione cominata reperirentur in casu in quo potestas haberet arbitrium ex forma presentium statutorum realiter et personaliter puniendi, nulla defensione vel exceptione audita vel admissa. fuerit Ab his excipimus bamniendos occasionibus supradictis vel aliqua earum contra quos esset processum vigore alicuius accusationis, nec reperiretur servata forma statuti positi sub rubrica ‘De iuramento et satisfactione prestanda’ [8]. Et eo casu quo solum membro mutilaretur statim executione facta relasetur et de ipso bamno possit et debeat cancellari impune et pro cancellato habeatur et sit. Si vero conscriptus esset in bamno vel figura bamni pro maleficio vulneris illati cum cultelo feritorio vel ense vel alio genere armorum offensibilium silicet cum fero ipsorum armorum¹⁰⁶⁴ specialiter et nominatim prohibitorum portari vel supra se haberi ex forma nostrorum statutorum et cum sanguinis effusione vel pro furto, cuius quantitas vel extimatio excedat summam viginti quinque librarum bononinorum vel aliquo alio maleficio cuius pena esset pecuniaria maior centum librarum bononinorum vel in bamno cominata, ubi potestas haberet arbitrium ex forma presentium statutorum maiorem penam imponendi, habeatur pro confeso et solvere teneatur quantitatem, que in tali bamno vel conscriptione cominata seu apposita fuisset infra unum mensem postquam sic pervenerit et presentatus fuerit alias ipso elapso mense infra decem dies imediate subsequentes amputetur ei pes, nisi habuerit pacem quandocumque ab offenso vel eius heredibus vel ab alio ad quem pertineret secundum formam nostrorum statutorum pacem facere de delicto, quo casu pes non amputetur, set in carceribus stet, donec solverit, nec relaxari possit quoquomodo etiam per oblationem, nisi predicta oblatio fieret secundum formam statutorum comunis Bononie, qua quantitate soluta vel pede amputato relasetur et possit et debeat cancelari et pro cancelato habeatur et sit ut supra. Salvo quod si talis bamnitus in forciam existens, qui quantitatem predictam solverit pacem vel consensum cancelationis ipsius bamni non haberet ab offenso vel alio, qui facere possit, relasetur ut supra, set non cançetur nec pro cancelato habeatur vel sit ymo in omnibus et per omnia censeatur, ut prius, nisi iterum solvat tantundem comuni Bononie prout erat in bamno pena cominata vel apposita, quo casu libere et impune possit et debeat de ipso tali bamno et figura bamni cancelari. Die tamen relaxationis et sequenti ab ipso bamno affidatus inteligatur. Si vero habuerit pacem vel consensum existens in forciam vel ante a pena predicta non liberetur in aliquo casuum predictorum propter ipsam pacem vel consensum, nisi solverit ut supra, nec etiam exceptio vel propositio nullitatis bamnito prosit, nisi solverit ut supra. Salvo semper statuto posito sub rubrica ‘De modo et forma procedendi contra accusatos vel inquisitos contumaces’ [16]. Sin autem talis conscriptus debuisset pati fustigationis penam si veni//

[c. 257r f. CCLI]

sset ad mandata et convictus fuisset et confessus de crimine fustigetur infra terciam diem et si quidem ex ipso delicto pro quo conscriptus fustigatus fuerit aliquem lexit vel damnificaverit fustigatus ponatur in carcerem et non relaxetur, donec damnum emendaverit seu eius extimationem contentam in bamno solverit ei, qui passus fuerit, seu de quo continebitur in bamno passum fuisse damnum, qua fustigatione facta et emendatione seu solutione predicta facta ubi fieri debuerit, ut supra, relaxetur et cancellari possit et debeat et pro cancellato habeatur et sit ut supra. Alii vero bamniti vel conscripti pro maleficio cuius pena in bamno cominata vel apposita esset minor centum librarum bononinorum et sponte vel coate pro maleficiis, quam supra in hoc statuto comprehensis inventi fuerint et venerint in forciam comunis Bononie detineantur in carcerem nec relaxentur, donec solverint duplum quantitatis in bamno vel in

¹⁰⁶⁴ <armorum> in infralinea con segno di inserzione.

conscriptioe apposite et cominate si pacem vel consensum ut supra non habuerit. Si vero pacem vel consensum habuerit solvat quantitatem in bamno appositam vel cominatam. Et si quidem fuerit pro damno dato vel illato detineatur¹⁰⁶⁵, etiam donec damnum emendaverit, qua quantitate soluta et dicta emendatione seu satisfactione facta ubi fieri debuerit, ut supra, possit et debeat cancellari et pro cancellato habeatur et sit, ut supra. Que omnia et singula observentur et fiant non obstante quod alia pena esset cominata seu in bamno seu conscriptione apposita. Et non obstantibus in predictis vel aliquo predictorum statutis nostris positus supra sub rubrica ‘De casibus in quibus quis prohibetur perpetuo vel ad tempus cancellari de banno’ [117].¹⁰⁶⁶ Dicimus etiam quod quicumque presentaverit in forciam domini potestatis vel domini capitanei populi et comunis Bononie aliquem de predictis conscriptis in libris bamnitorum si debuerit personaliter puniri, ita quod moriatur, habeat a comuni Bononie, postquam fuerit presentatus quinqueginta libras bononinorum infra decem¹⁰⁶⁷ dies. Si autem fuerit conscriptus pro tali maleficio pro quo debeat aliquo membro mutilari debeat habere a comuni Bononie postquam fuerit presentatus vigintiquinque libras bononinorum infra terminum supradictum, salvo quod si presentans fuerit officialis vel familiaris potestatis vel alterius officialis comunis Bononie nichil a dicto comuni habere debeat pro predictis. Preterea dicimus et declaramus quod in quacumque parte nostrorum statutorum vel ordinamentorum civitatis Bononie fit mentio de bamnito vel bamnitis aut de conscriptis in bamno vel in figura bamni vel de aliquo ex libris bamnitorum, illi tantum sint et esse vel fuisse intellegantur bamniti vel conscripti in bamno vel in¹⁰⁶⁸ figura bamni, qui dumtassat sint descripti in libris bamnitorum positus ad dischum bamnitorum vel ad cameram, que est ante dictum dischum, in qua officiales discho bamnitorum deputati libros bamnitorum recondunt. Et non alibi seu alii. Salvis contentis infra in presenti statuto. Adicientes quod legitime cancellati de aliquo bamno in aliquo ex dictis libris descripto non possit occasione dicti bamni sic cancellati aliquid gravari vel molestari realiter vel personaliter, que cancellatio presumatur legitime facta, nisi contrarium appareat. Cumque vigore cuiusdam provisionis facte in consilio quadringentorum populi et comunis Bononie in millesimo trecentesimo septuagesimo sexto vel alio tempore manu Laygonis domini Laygonis Hostexani contineri reperiantur quod fides adhiberi debeat bamnis et scripturis bamnorum existentibus ad cameram actorum comunis et populi predicti quibus ante reformationem predictam fides aliqua non adhibeatur. Que quidem provisio redundare posset in grave damnum et prejudicium plurimarum singularium personarum quarum nomina in dicta camera descripta reperiantur in figura bamni. Que bamna pro maiori parte attenuis cancellata fuerunt in libris bamnitorum olim existentibus ad dischum seu camarelam bamnitorum positum in palacio veteri comunis Bononie ante novitatem occursam in civitate Bononie in MCCCLXXVI die vigesimo martii, quorum librorum dicte novitatis occasione copia haberi non potest. Volentesque in predictis de salubri rimedio providere. Statuimus et ordinamus quod omnes et singuli bamniti a millesimo trece//

[c. 257v]

ntesimo septuagesimo retro et abinde citra usque ad diem vigesimam mensis martii millesimi trecentisimiseptuagesimisepti sint et esse intellegantur de eorum bamnis cancellati et sint et reputentur perinde ac si numquam fuissent conscripti in aliquo ex libris bamnitorum comunis Bononie, non obstante quod eorum nomina scripta reperiantur in libris bamnitorum ad cameram actorum comunis et populi Bononie

¹⁰⁶⁵ <detineatur> *corregge* deneatur.

¹⁰⁶⁶ *Sul margine laterale sinistro di questo paragrafo è tracciata una manicola.*

¹⁰⁶⁷ <decem> *nel testo* deces.

¹⁰⁶⁸ <in> *in infralinea con segno di inserzione.*

existentibus, quibus libris, nisi in quantum ad infrascripta, nulla fides debeat adhiberi. Salvo quod si aliquis in aliquo ex dictis libris reperitur conscriptus in bamno in dicto millesimo trecentesimo septuagesimo et abinde citra usque ad diem vigesimum mensis martii millesimi trecentesimi septuagesimi sexti pro aliquo homicidio assasinatu vel incendio pro quo pena personalis esset in bamno cominata quod tunc dictis libris ad cameram actorum existentibus quantum ad nomina in eis descripta occasionibus predictis vel aliqua earum plena fides adhibeatur. Nisi tales sic descripti occasionibus predictis vel altera earum in dictis libris pacem habuerint ab offenso vel eiusdem heredibus vel ab alio ad quem spectaret pacem facere de delicto de quo descripti reperirentur occasionibus predictis vel aliqua earum vel habebunt infra tres menses computandos a die proclamationis de predictis fiende de mandato dominorum ancianorum, qui per tempora erunt per bamnitores comunis Bononie. De qua pace facta vel fienda infra tres menses, ut supra, fides fieri debeat per publicum instrumentum dominis ancianis predictis. Qui domini anciani fide de predictis infra tempus predictum habita, ut supra, mandare possint si eis videbitur talia bamna de libris existentibus ad dictam cameram actorum cancellari per alterum ex notariis dicte camere. Qua cancellatione facta dictis libris quantum ad dictos¹⁰⁶⁹ cancellatos nulla fides debeat adhiberi. Ellapso vero termino predicto nomina talium bamnitorum, qui pacem de suprascriptis delictis habuisse non reperirentur et fidem non fecerint de pace, ut supra, et non fuerint cancellati de mandato dominorum ancianorum ut supra exemplentur in uno quaterno de cartis membranis de dictis libris bamnitorum existentibus ad dictam cameram per alterum ex notariis dicte camere presidentibus infra unum mensem a die precepti eis fiendi de hoc per dominos ancianos. Qui quaternus sic exemplatus et subscriptus manu unius alterius ex dictis notariis dicte camere poni debeat et dimitti ad dictum discum seu camerelam bamnitorum et penes notarios dicti dischi de qua depositione apparere debeat publicum instrumentum. Et eisdem scripturis sic superstitis et exemplatis et depositis, ut supra, plenaria fides quam admodum alicui originali ad dischum bamnitorum existenti debeat adhiberi. Et tales sumpti et exemplati in dicto quaterno sint et esse intelignantur vere bamniti comunis Bononie et in figura bamni conscripti et pene bamnitis statute in talibus descriptis in dicto quaterno vendicent sibi locum. Dicta vero exemplatione facta dictis libris bamnitorum existentibus ad dictam cameram actorum cuiuscumque temporis existant nulla fides adhibeatur, set dicti libri omni modo de ipsa camera extrahi debeant et lacerari infra octo dies postquam notarium dicte camere mandatum fuerit per dominos ancianos. Mandantes quod in futurum aliqui libri bamnitorum non ponantur ad cameram actorum, set alibi ubi deliberatum fuerit per dominos ancianos.

¹⁰⁶⁹ <dictos> *in infralinea con segno di inserzione.*

**Incipit tractatus de variis et extraordinariis criminibus pertinentibus ad
notarium super coronis et infrascriptis deputatum.**

[122] **Et primo de¹⁰⁷⁰ pena plorantium seu desbatentium ad exequias mortuorum et mittencium enxenia et de modo servando in exequiis mortuorum. Rubrica.** [cc. 257v-258v]

Statuimus quod nulla persona de civitate Bononie vel burgis ad exequias alicuius persone mortue debeat se desbatere vel plorare clamando vel vocificando nec sibi manus percutere ad domum mortui vel mortue vel eundo vel redeundo ad ecclesiam. Item quod nulla mulier que sit coniuncta vinculo pare//
[c. 258r f. CCLII]

ntele mortuo vel mortue venire debeat extra domum vel ad ecclesiam cum mortuo seu post mortuum vel antequam fuerit sepultus mortuus vel mortua quando portabitur et si qua contrafecerit condemnetur in decem libris bononinorum pro qualibet vice et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem bamni. Item dicimus quod ad funus alicuius non debeant haberi vel portari ultra quatuor dupleria cerea et candeles necessarie et quinque cruces tantum et si contrafactum fuerit heres defunte persone puniatur de facto in viginti quinque libris bononinorum et similem penam incurant gestores heredis in exequiis predictis. Item quod nulla mulier mortua portari debeat ad sepulturam cum facie discuperta et quicumque eam portaverit condemnetur in viginti solidis bononinorum. Item quod postquam sepultum fuerit corpus nulla persona se debeat congregare sedendo ad domum defuncti, set reditu facto ab ecclesia incontinenti se debeant seperare nisi esse pater aut frater aut filius vel alius sibi coniunctus usque ad quartum gradum vel nisi esset de vicinis eius. Et quicumque contrafecerit condemnetur in viginti solidis bononinorum pro qualibet vice. Item dicimus quod nullum funus seu cadaver possit sociari nisi usque ad hostium vel ianuam ecclesie ubi sepeliri debet et cum ibi fuerit incontinenti astantes et sociantes recedant et portantes intrent ecclesiam et ibi stent quousque corpus traditum fuerit sepulture. Et hoc sub pena cuilibet contrafacenti viginti solidorum bononinorum Et si intraverint ecclesiam statim et sine mora per eandem vel aliam portam ecclesie exire debeant. Item dicimus quod postquam defunctus vel defunta traditus vel tradita fuerit sepulture et homines qui affuerint sepulture redierint ad domum in qua morabatur defunctus vel defunta quod omnes mulieres que fuerint ad exequias defuncti vel defunte incontinenti disedere debeant a domo defuncti vel defunte. Ita quod nulle remaneant ibi nisi fuerit mater vel noverca vel soror vel filia vel socrus vel cognata vel filia fratris vel sororis vel coniuncte usque ad quartum gradum defuncti vel defunte vel viduate, sub pena viginti solidorum bononinorum pro qualibet que ultra predictas remanserit de dote sua solvenda. Item quod nullus debeat arengare ad aliquod corpus seu occasione alicuius defuncti comendando defunctum vel aliqua alia exponendo in modum arengandi nisi fuerit miles vel doctor mortuus. Item quod nullus ducat secum ad aliquod corpus defuncti ultra decem homines ad plus per se vel alium modo aliquo vel ingenio computata persona conducentis pena et banno quinque librarum bononinorum ei qui duceret et cuilibet qui duceretur ad corpus ultra dictum numerum viginti solidos bononinorum pro quolibet et qualibet vice exceptis societatibus artium et societatibus fraternitatum. Item quod nullus civis faciat venire comitatinos aliquos seu rusticos pro comuni et singulariter ad aliquod corpus sepeliendum vel plorandum sive ad domum suam pena et banno viginti quinque librarum bononinorum cuilibet comuni et cuilibet venienti quinque librarum

¹⁰⁷⁰ <de> segue terra depennato.

bononinorum et successoribus defuncti vigintiquinque librarum bononinorum. Salvo quod coniuncti vinculo parentele usque ad quartum gradum possint venire. Et super predictis omnibus et singulis dominus potestas possit et teneatur inquirere per se vel per tabelionem vel quem deputaverit ad predicta et per famam et per aspectum per probationes indicia et presumptiones et quolibet alio modo quo melius fieri poterit mittendo tabelionem personaliter publice et secrete ad exequias mortuorum qui notario referat contrafacientes et ipsos puniat potestas predictis penis. Prohibemus etiam quemlibet mortuum indui vel vestiri de scarlato vel de panno francigeno vel alio extimationis ultra treginta solidorum bononinorum pro quolibet brachio sub pena vigintiquinque librarum bononinorum heredi defunte persone de facto auferenda et eius gestori per dominum potestatem Bononie vel alium ex officialibus ipsius domini potestatis. Item quod nullus portet vel mittat aliqua enxenia cruda vel cotta ad domum olim alicuius mortui vel suorum asendentium vel desendentium vel heredum nec ad aliam domum in fraudem recipiat antequam corpus tradatur sepulture vel etiam post per octo dies nec etiam possit esse in prandio vel in cena cum successoribus vel aliquibus assendentibus vel desendentibus persone defunte infra//

[c. 258v]

terminum decem dierum exceptis agnatis vel cognatis defunte persone proximis usque ad sextum gradum inclusive et etiam exceptis vicinis de quibus inter omnes possint esse numero sex et non ultra qualibet vice excepta familia defuncti pena cuilibet mittenti et cuilibet recipienti et cuilibet existenti in prandio vel in cena contra predictam formam quadraginta solidorum bononinorum. Et predicta et quodlibet predictorum faciat dominus potestas publice preconizari infra mensem a die introitus regiminis ipsius potestatis¹⁰⁷¹ et eos quos reperierit contrafacientes punire in penis predictis teneatur sub pena centum librarum bononinorum. Adicientes quod ad exequias alicuius civis vel habitatoris civitatis Bononie vel ad ecclesias pro ipsis exequiis ire non debeat potestas vel capitaneus populi vel alicuius eorum familia vel anciani Bononie durantibus eorum officiis nisi esset episcopus Bononie vel alius episcopus vel maior prelati seu baro vel unus ex ancianis qui mortuus fuerit nec tunc nisi hoc firmatum fuerit per dominos ancianos Bononie sub pena contrafacientibus centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Item quod nulli liceat comodare, locare, concedere vel recipere aliquos pannos vel palia in domo vel extra domum alicuius defuncti pro eius exequiis nisi unum palium tantum sive panum et duo origleria ad plus sub pena trium librarum bononinorum cuilibet danti et recipienti pro quolibet et qualibet vice. Item quod nulla mulier cuiuscumque conditionis existat, audeat vel presumat portare velum aliquod de lino subtile vel trafilatam in capite in domo vel extra domum, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice, voleslam tamen portare possint impune, set de sirico tantum. Item quod nulla mulier possit portare pro aliquo defuncto velum ultra octo dies sub pena predicta salvo quam pro omnibus ascendentibus et desendentibus et colateralibus usque ad terminum predictum inclusive et etiam pro socero seu genero et nuru portare possint usque ad mensem et non ultra a die obitus defuncti sine aliqua pena. Nec possit aliqua mulier portare velum cum capitibus pendentibus supra pectus nisi eundo et redeundo ab exequiis sub pena viginti solidorum bononinorum. Vidue autem portare possint velum cuiuscumque generis quomodocumque voluerint extimationis quinque librarum bononinorum tantum et non ultra sub pena predicta pro qualibet et qualibet vice. Item cum aliquis moritur non possit per heredem vel successorem ipsius dari, concedi vel numerari usori defuncti vel alteri pro ea recipienti pro roba et velis et aliis necessariis ultra quantitatem seu extimationem

¹⁰⁷¹ <potestatis> *corregge* potestas.

quadraginta librarum bononinorum ad plus, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum tam danti quam recipienti etiam si per defunctum relictum fuerit in sua ultima voluntate sub pena predicta. De quibus diligenter inquirere teneatur dominus potestas per se et notarium et officialem suum deputatum ad officium coronarum et stratarum et contrafacientes punire et condemnare in penis predictis, salvo semper in omnibus et singulis predictis statutis.

[123] **De pena faciencium mariam, comitem vel comitissimam. Rubrica.** [c. 258r]

Statuimus quod marie, comitisse vel comites sive ludus ipsarum fieri non debeant in civitate Bononie vel burgis nec tentoria sive curtine ipsius occasione tenere et qui pateretur in domo sua vel sub porticu domus sue vel ante domum suam fieri vel sue habitationis solvat nomine pene et banni quadraginta solidos bononinorum et marie sive contissa vel comes in viginti solidis bononinorum cuius medietas sit comunis et alia accusantis. Et potestas teneatur predicta inibere et banniri facere per civitatem Bononie de mense aprilis et maii ad quam condemnationem solvendam teneatur pater pro filia et ille in cuius potestate est.

[124] **Quod ultra quinqueginta homines non possit aliquis ducere ad sponsandum mulierem et quod ad desponsationem nullus eques accedat. Et propalacio sponsaliorum non fiat nisi in capellis sponsi et sponse et sine congregatione personarum. Rubrica.** [cc. 258v-259r]

Ordinamus quod quicumque dispensare voluerit aliquam in suam sponsam vel usorem vel facere dispensari alicui suo filio, nepoti vel desendenti vel colaterali per dationem seu impositionem anulli vel consensum etiam sine anulli impositione non¹⁰⁷² debeat secum du//

[c. 259r f. CCLIII]

cere vel habere ad dictam dispensationem faciendam ultra quinqueginta homines vel permittere secum venire pena et bamno cuilibet contrafacienti silicet sponso qui secum duxerit vel habuerit ultra dictum numerum seu patri vel avo sponsi vel eius qui fuerit principalis ratione alicuius proximitatis vel vicinancie vel parentele ad dictam dispensationem faciendam vel fieri faciendam viginti solidorum bononinorum pro quolibet quem secum duserit vel venire permiserit vel secum habuerit ultra dictum numerum. Et idem observetur ex parte sponse in omnibus et singulis suprascriptis quatenus melius possit adattari. Prohibemus etiam aliquem accedere ad sponsandum aliquam mulierem eques, set tantum pedes cum tota sua comitiva predicta accedere ad ipsam dispensationem teneatur sub pena vigintiquinque librarum pro quolibet sponso et qualibet vice et cuilibet accedenti eques ad ipsam dispensationem quinque librarum bononinorum que pene de facto auferantur. Adicientes¹⁰⁷³ quod pro parte sponsi vel sponse non possit fieri propalatio aliquorum sponsalium vel sponsum unius vel plurium nisi dumtaxat in capela sponsi et capela sponse in quibus capelis per presbiterum fiat propalatio predicta et ob id nulla fiat congregatio personarum, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum cuilibet sponso et cuilibet sponse de facto auferenda.

[125] **Quod nullus ad desponsationem alicuius vadat nisi fuerit vocatus. Rubrica.** [c. 259r]

¹⁰⁷² <non> *in infralinea.*

¹⁰⁷³ <adicientes> *nel testo adiciententes.*

Statuerunt quod nullus de cetero ire vel accedere debeat vel esse ad aliquam dispensationem faciendam nisi fuerit invitatus per ipsum sponsum vel sponsam vel eius speciales nuncios vel patrem¹⁰⁷⁴ vel alium vel aliam qui sit principalis vel ad quem videatur principaliter pertinere ipsa dispensatio ratione alicuius affinitatis vel parentele vel proximitatis vel vicinitatis sub pena et banno cuilibet contrafacienti viginti solidorum bononinorum.

[126] **De nive et remolo et aliis rebus prohibitis haberi tempore dispensationis et percusionibus prohibitis. Rubrica.** [c. 259r]

Ordinamus quod nullus de cetero qui iverit vel fuerit vel intererit alicui dispensationi fiende debeat prolicere tempore dicte dispensationis vel ante vel post nivem remolum rasuram cartarum vel segaturam ligni vel garnadelos vel pulverem aliquam vel aliquid turpe vel damnosum quacumque de causa vel percutere aliquem cum manibus vel alio modo sub pena et banno cuilibet contrafacienti et qualibet vice quinque librarum bononinorum.

[127] **De pena portantium ornamenta vetita et aliis penis variis. Rubrica.** [cc. 259r-261r]

Volentes obviare vanitatibus mulierem ac etiam sumptuosis et inordinatis expensis statuerunt quod aliqua mulier cuiuscumque conditionis et status existat non possit portare sub figura vel forma alicuius ornamenti ad aliquod vestimentum in dorsu vel in capite aliquas perlas, nacharas, gemas seu aliquos lapides preciosos nec ad ipsum vestimentum vel in capite sub dicta figura vel forma aurum vel argentum deauratum vel non smaltatum vel non ultra pondus ipsorum auri vel argenti prohibiti ut supra deferi duodecim unciarum ad plus pro quibuscumque ornamentis vestium et capitis sub pena trium librarum bononinorum pro qualibet vice qua fuerit contrafactum. Nec liceat alicui mulieri cuiuscumque conditionis et status existat portare et deferre triçerias aliquas auri vel argenti in capite vel infra spatulas modo aliquo liceat tamen cuilibet domine nupte vel non portare et defere in capite unam cordelam seu duplonem de auro vel argento ponderis unius uncie ad plus pena cuilibet contrafacienti trium librarum bononinorum pro qualibet vice.

Item non possint portare vel supra se habere aliquam bursam de auro vel argento// [c. 259v]

seu sirico maioris precii librarum quinque bononinorum sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet et vice qualibet qua fuerit contrafactum.

Item non possint portare in digitis ultra tres anillos quos portare possint cum gemis, perlis et aliis lapidibus preciosis vel sine, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet anullo quem plus haberet seu portaret vice qualibet.

Item non possint portare aliquam centuram de auro vel argento deaurato vel non que sit maioris ponderis viginti unciarum cum smaltis vel sine in qua centura non possint esse affise vel clavate alique gemme, perle vel lapides aliqui preciosi computatis in dicto pondere tessuto smaltis et omnibus unitis et affisis dicte centure sub pena trium librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice.

Item non possint portare aliquas vestes de veluto samitto, tartarino, camucato vel baldachino in quo camuchato vel baldachino sit contestum aurum vel argentum nec de alio quovis panno contesto cum auro vel argento sub pena trium librarum bononinorum pro qualibet deferente et vice qualibet qua fuerit contrafactum.

¹⁰⁷⁴ <vel patrem> *dittografato e cassato.*

Liceat tamen portare vestes non prohibitas deferi foderatas de pano sirici et taffetadi sive de pano sirici cuiuscumque maneriei non prohibite dummodo non sit relevatum vel contestum cum auro vel argento.

Nec liceat alicui mulieri portare caputeum vel capelinam in capite discopertam seu discopertum in totum excepto quam si mulier aliqua habuerit et portaverit vestes in forma mulieris in eius dorsum quod tunc et eo casu liceat¹⁰⁷⁵ sibi portare caputeum absque gaibano. Cui caputeo habere liceat maspilos argenti deauratos ponderis duarum unciarum ad plus computandos in dictis duodecim unciis portari permissis in qua forma sibi placuerit.

Nec liceat sibi aliud aurum vel argentum habere ad dictum caputeum nec talem caputeum modo aliquo portare possit ad gotas sub pena viginti solidorum bononinorum vice qualibet qua fuerit contrafactum nisi fuerit mulier maior quadraginta annorum cui liceat portare ad gotas sine gabano.

Liceat tamen cuilibet mulieri portare vel deferre gabanum de pannis non prohibitis ex forma presentis statuti dummodo non sit perfilatum nec apertum in aliqua sui parte.

Nec liceat alicui mulieri portare vel deferre in dorso aliquem vilanum alicuius forme vel mantelum vel mantelinam ad formam hominis nec centuram aliquam alicuius forme portare cintam supra aliquem gabanum sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro qualibet vice qua fuerit contrafactum.

Item non possint portare aliquam vestem super qua sint alique ymagines vel figure vel alique littere recamate sirici seu maspili recamati de auro vel argento sub pena trium librarum bononinorum vice qualibet qua fuerit contrafactum.

Liceat autem cuilibet mulieri cuiuscumque status et conditiones existat vestes quascumque de pano scarlati et de pano nuvelato habere et etiam de quolibet genere pani lane gentilis vel non dummodo in eo non sint aliqua laboreria sirici vel alia ornamenta prohibita ex forma presentis nostri statuti.

Prohibentes etiam quod aliqua mulier non possit habere aliquod perfilum ad aliquam vestem quod excedat medium pançiam de vario¹⁰⁷⁶ seu varota pena trium librarum bononinorum pro qualibet et vice qualibet qua fuerit contrafactum.

Item non possint portare aliquam vestem ad intaglium de panis diversorum colorum sub pena trium librarum bononinorum vice qualibet qua fuerit contrafactum nisi dicte vestes essent ad medietatem per longum seu ad circulos vel schisiones vel fectas//

[c. 260r f. CCLIII^{or}]

quo casu deferre liceat et non aliter sub pena trium librarum bononinorum pro qualibet et qualibet vice.

Item non possint portare aliquas vestes foderatas seu perfilatas de armelino modo aliquo sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro qualibet deferente et vice qualibet.

Item non possint portare manighotos ad aliquas vestes suas quovis modo latitudinis ultra trium unciarum ad mensuram comunis Bononie. Nec deferre liceat maneghotos retagliatos vel randelatos modo aliquo, liceat tamen tales vestes et maneghotos non prohibitos portare et deferre foderatos et perfilatos de vario vel varota dummodo aliquod perfilum non excedat mediam varotam vel panzam. Et hoc sub pena viginti solidorum bononinorum pro qualibet et vice qualibet.

Declarantes quod liceat cuilibet mulieri cuiuscumque conditionis et status existat portare et deferre in dorsu quascumque vestes non prohibitatas orlatas de una cordela aurea vel argentea dummodo cordele quas apponi contigerit in vestibus noviter fiendis non

¹⁰⁷⁵ <liceat> *corregge* licet.

¹⁰⁷⁶ <vario> *corregge* varo.

excedant pondus quatuor unciarum ad plus pro ornatu ipsius vestis sub pena et ad penam trium librarum bononinorum pro qualibet et vice qualibet qua fuerit contrafactum. Et idem servetur in vestibus veteribus et iam factis sub pena predicta quas aliter deferi prohibemus. Adhicientes et declarantes quod presens statutum non se extendat ad uxores, nurus, filias, neptes non nuptas in eadem familia habitantes aliquorum officialium provisionatorum stipendiariorum forensium vel aliorum forensium qui non sint seu essent habitatores continui civitatis Bononie per spacium unius anni. Et in quolibet casuum predictorum ubi dicte mulieres penas ex facto huiusmodi incurerent teneatur pater pro filia, avus pro nepte in potestate existentibus non nuptis et maritus pro uxore sive socer pro nuru et ipso facto de dote ipsius mulieris deducatur et frater pro sorore in domo sue habitationis existentem et non nupta ad quas penas solvendas predicti et quilibet predictorum per dominum potestatem civitatis Bononie nec non dominum capitaneum populi qui pro tempore fuerint realiter et personaliter compellantur. Quam proclamationem de omnibus et singulis in presenti statuto contentis teneantur fieri facere¹⁰⁷⁷ prefati domini potestas et capitaneus qui per tempora fuerint ab introitu eorum officii infra mensem ut omnibus sepe deveniat ad noticiam et ne contentorum in presenti statuto nullus valeat ingnoranciam pretendere et hoc sub pena centum librarum bononinorum ab eisdem dominis potestate et capitaneo et quolibet eorum tempore eorum sindicatus auferenda per syndicum vel syndicos qui predictos syndicare debuerint. Qui syndicus seu syndici teneantur et debeant tempore dicti sindicatus legitime et solemniter inquirere ex officio suo etiam nullo instante vel petente utrum prefati domini potestas et capitaneus et eorum officiales ad predicta specialiter deputati fuerint negligentes vel remissi in eorum officiis rimando et solemniter inquirendo de facientibus contra formam presentis statuti et contentorum in eo et si reperiretur ipsos vel aliquem eorum fuisse negligentes et remissos puniat et condemnet in centum libris bononinorum applicandis comuni Bononie et de eorum salario retinendis tempore sindicatus per officiales comunis Bononie. Preterea statuerunt quod nullus mercarius vel aurifex, sartor vel subtrix seu aliqua quevis persona cuiuscumque status, sexus et conditionis existat, audeat vel presumat aliquod ex vestimentis predictis incidere, suere aut aliquem pannum ad aliquam ex formis supra prohibitis reducere vel facere sub pena quinque librarum bononinorum cuilibet contrafacienti et vice qualibet. Et quod predicti dominus potestas et capitaneus presentes et qui pro tempore erunt teneantur deputare unum notarium et officialem discretum pro quolibet eorum qui teneantur et debeant de predictis omnibus et singulis diligenter et efficaciter inquirere et inquire facere ac etiam mittere ipsos officiales maxime diebus festivis et solemnibus ad ecclesias et specialiter ad ecclesiam ubi festum singulare vel solemne fieret seu sacerdos aliquis novelus misam primam celebraret pro executione omnium predictorum. Nec non ire teneantur dicti notarii et officiales ad domos cuiuslibet sponsi et sponse tempore nugarum et diligenter inquirere de contrafacientibus contra formam presentis sta//
[c. 260v]

tuti quorum officialium relationi stetur et credatur. Iniungentes ac expresse mandantes universis et singulis sponsis quos et quas contigerit de cetero matrimonio coniungi et copulari quod ante dispensationem per eos faciendam notificare et intimare debeant ministris capellarum in quibus eos vel eas habitare contingerit matrimonium et dispensationem quod et quam facere intendunt per unum diem ante dispensationem vel nugas qua notificatione facta teneatur dictus ministris notificare et intimare tale matrimonium et nugas prefatis domino potestati capitaneo vel eius officialibus ad hec deputatis ut de eis ignoranciam pretendere non valeant et eorum officiales destinare

¹⁰⁷⁷ <facere> *segue* prefati *depennato*.

possint, teneantur et debeant ad domum sponsi et sponse rimandi et inquirendi causa de contrafacientibus contra formam presentis statuti.

Item providere volentes sumptibus ordinatis tenore presentium statuerunt quod nemini civi forensi, incole vel habitatori civitatis Bononie etiam occasione alicuius matrimonii celebrati contracti facti vel fiendi liceat quomodolibet etiam¹⁰⁷⁸ tempore sponsalium nuciarum et matrimonii contrahendi vel in alio quocumque convivio dominarum habere ultra viginti dominas in his dominabus etiam in eadem domo et familia existentibus computatis tam ex parte sponsi quam sponse quibus dominabus in convivio parando more comensali liceat unicuique civi providere in dictis nuciis vel conviviis de duabus impandionibus et non ultra super quibus stetur relationi officialium deputatorum ad hoc vel alterius eorum nisi contrarium probaretur. Inhibentes expresse quod nemini liceat ex parte sponsi vel sponse aliqua ensenia facere de pannis iocalibus et ornamentis vel alia re salvo quod liceat sponso donare sponse res reportandas per eam in domum sponsi. Nec etiam liceat ex parte sponsi vel sponse tempore convivii nupcialis aliqua ensenia comestibilia publice vel occulte mittere cuicumque persone. Contrafacientes autem penam ipso facto incidant et incidisse intellegantur librarum quinque bononinorum pro quolibet et qualibet vice ab eisdem de facto auferenda et comuni Bononie applicanda.

Item providere cupientes vanitatibus mulierem que nedum in vita tempore sponsalium et nuciarum set etiam nitebantur et nituntur tempore mortis et exequiarum in eis habundare non modicum statuerunt quod nulli mulieri, vidue vel viduande de aliquo cive Bononie, incola vel habitatore qui beneficio civilitatis gaudere debeat liceat etiam tempore exequiarum habere vel portare vestes lugubres vel viduales foderatas de vario vel varota, armelino, dossis de vario, squiratulis vel marturelis aut velos in capite et pro ornatu capitis ipsius mulieris vidue habere vel portare maioris precii ad plus decem librarum bononinorum etiam pretestu cuiuscumque relictis facti quod ultra summam predictam occasione predicta volumus non valere sub pena et ad penam vigintiquinque librarum bononinorum cuilibet partium predictarum etiam tam danti quam recipienti ipso facto auferenda et exigenda et comuni Bononie applicanda.

Item providere volentes ut predicta statuta ut perpetuum et plenum sortiri possint effectum providerunt quod nullus civis vel forensis dicere, proponere vel arengare vel consulere possit audeat vel presumat contra contenta in hoc statuto vel aliqua contenta in ipso statuto vel propter quod possit derogari aliquibus contentis in hoc statuto. Et quilibet qui contrafecerit in predictis ipso facto incidat in penam centum librarum bononinorum comuni Bononie applicandam et exigendam per prefatos dominos potestatem et capitaneum vel alterum eorum.

Preterea statuerunt quod quilibet possit accusare, denunciare et notificare quascumque personas delinquentes contra predicta statuta vel aliquod predictorum publice, palam et secrete pro libito ipsorum denunciare volentium domino potestati et eius curie ac domino capitaneo populi et eius curie qui teneantur in secreto per dictos officiales si voluerint et habeant et habere debeant tales denunciatores medietatem pene que exigeretur ex tali denunciatione.

Item statuerunt quod prefati dominus potestas et capitaneus et quilibet eorum possint, teneantur et debeant inquirere eorum mero officio contra omnes et quoscumque delinquentes et facientes contra formam presentis statuti et omnium contentorum in eo ac etiam ad denunciationem cu//

[c. 261r f. CCLV]

¹⁰⁷⁸ <etiam> aggiunto a margine laterale sinistro.

iuscumque denunciare volentis et quocumque modo procedatur et habeant et habere debeant de condemnationibus fiendis per eos exigendis tempore eorum officii solidos duos bononinorum pro qualibet libra. Inhibentes officialibus predictorum dominorum potestatis et capitanei quod in exercendo eorum officium arrestare non possint vel debeant quovis modo, ratione vel causa aliquam mulierem vel cum eis loqui set cauto et honesto modo investigare nomen et prenomen ipsius mulieris demum eius officium exercere possit in¹⁰⁷⁹ puniendo et condemnando secundum formam presentis statuti. Item statuerunt quod omnes et singuli patres familias vel sic et¹⁰⁸⁰ pro talibus habiti in quorum domibus propriis vel conductis de cetero contigerit aliquas nuptias, sponsalia et convivium fieri tempore ipsarum nugarum sponsalium et convivii teneantur officialibus predictis aditum, accessum et ingressum prestare in domo eorum habitationis ratione officii ipsius officialis exercendi de contrafacientibus contra formam presentis statuti sub pena decem librarum bononinorum cuilibet contrafacienti comuni Bononie applicanda ut supra. Decernentes et per presentes declarantes ex nunc prout ex tunc predicta omnia et singula suprascripta vires et robur habere ac observari debere in omnibus et per omnia ut superius continetur.

[128] **De arbitrio domini potestatis et eius vicarii super contentis in statutis predictis. Rubrica.** [c. 261r]

Preterea statuimus quod ministrales capellarum civitatis Bononie et burgorum teneantur in scriptis domino potestati denunciare seu eius vicario omnes et singulos, qui in eorum capellis delinquerunt et fecerint contra precedencia statuta posita sub rubrica generali, que incipit ‘Incipit tractatus de variis et extraordinariis criminibus pertinentibus ad notarium domini potestatis vel aliquem eorum’ [c. 257v] vel aliquibus capitulis in eis contentis infra quinque dies a die qua contrafactum fuerit et ad noticiam pervenerit vel verisimile sit potuisse pervenire prout et sicut tenentur maleficia¹⁰⁸¹ aliqua que necessitate sui officii denunciare tenentur, sub pena centum solidorum bononinorum pro qualibet vice inter ipsos equaliter solvenda et dividenda ut in statutis de denunciationibus ipsorum maleficiorum continentur. Super quibus denunciationibus ipse dominus potestas seu eius vicarius teneatur inquirere etiam non servata forma statutorum de inquisitionibus loquentium tam per se ipsum quam per notarium domini potestatis et etiam de predictis inquirere sine denunciatione vel accusatione omni die per contratas et per capelas prout expedire videbitur. Et eius inventioni et relationi credatur et stetur et pro plena probatione habeatur et contra delinquentes procedatur comparantes vel non etiam non servata forma statutorum de procesibus fiendis in criminalibus et etiam ad denunciationem seu notificationem cuiuscumque. Et teneantur dicti ministrales denunciare dicto domino potestati vel notario vel officiali eius ad hoc deputato vel deputando omnes sponsores et sponsas et diem sponsaliorum et dispensationis antequam dispensentur et etiam defuntas personas antequam fiant exequie, sub pena cuilibet ministrali quinque librarum bononinorum et si plures fuerint ministrales in capella¹⁰⁸² ipsa pena predicta inter omnes ipsos pro rata dividatur.

[129] **De officio saltuariorum comitatus et districtus Bononie. Rubrica.** [cc. 261r-262v]

¹⁰⁷⁹ <in> *in infralinea con segno di rinvio.*

¹⁰⁸⁰ <et> *in infralinea con segno di rinvio.*

¹⁰⁸¹ <maleficia> *aggiunto a margine laterale destro con segno di rinvio.*

¹⁰⁸² <capella> *segue in depennato.*

Dicimus quod omnes et singuli saltuarii comitatus Bononie et districtus et etiam saltuarii singularium personarum quibus licitum est habere saltuarios teneantur accusare seu denunciare omnia et singula damna data vel que dabuntur toto tempore sui officii sue saltuarie dominis seu officialibus maleficiorum novorum sive parvorum et possidenti et possidentibus rem vel res in quibus dicatur damnum datum esse aut possessorum legitimus administratoribus si tales possessores essent qui tales administratores haberent et omnes quos invenerint vel siverint damnum dantes vel damnum dedisse tempore sui officii et omnia animalia que sciverint damna dare vel dedissem//

[c. 261v]

curia seu guardia cuius ad ipsos spectet custodia et quorum essent dicta animalia vel ad quos ipsorum custodia principaliter pertinet et de eo mense quo damnum datum esset vel sequenti etiam finito suo officio et etiam ante finem dictorum duorum mensium infra octo dies postquam fuerint requisiti et extimationem dictam et damnorum, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet saltuario et qualibet vice. Et nichilominus emendet damnum possessori credendo contra saltuarium de extimatione danni et quod damnum datum fuerit et de tempore danni dati possessori, colono, castaldioni, inquilino, factori vel familiari ipsius possessoris sub sacramento de novo prestito coram dominis maleficiorum novorum ipso saltuario presente vel eo absente tamen ad hoc specialiter requisito usque ad quantitatem quadraginta solidorum bononinorum et credatur et quod sit colonus, castaldio, inquilinus, factor vel familiaris ipsius possessoris et de possessione et quod possideat dominis suis et possessori de sua possessione. Salvo quod super hoc probatio legitima admitti possit in contrarium cum effectum. Quo sacramento prestito si legitima defensio facta non fuerit condemnetur saltuarii etiam si non comparuerint vel alii pro eis infra quindecim dies ad plus post sacramentum predictum ad emendationem danni et in penis ordinatis quod sacramentum ab accusatore prestetur presente parte vel legitime citata infra duos menses a die producte accusationis vel denunciationis quibus duobus mensibus elapsis pereat instancia accusationis et denunciationis ipsius. Et etiam credatur cuilibet saltuario contra quoscumque quos denunciaverint de damno dato et damnis datis et cuius fuerint animalia damnum dantia et de tempore predictorum et de extimatione ipsius danni usque ad quantitatem quadraginta solidos bononinorum sacramento sui officii. Et ubi dominus damnum passus iurare voluerit de extimatione danni preferatur eius sacramento sacramento dicti saltuarii usque ad quantitatem ad quam iurare poterit dominus damnum passus quando accusaverit et eodem modo idem credatur. Qua denunciazione facta per saltuarium si denunciatus legitimam defensionem non fecerit condemnetur ut supra etiam alia accusatione non facta de damno dato et etiam parte non comparente ad hoc tamen citata sacramento prius prestito possessori de sua possessione et eodem modo procedatur et credatur si accusatio fiat de damno dato etiam precedente vel non denunciazione saltuariorum predictorum nec excusetur saltuarius denunciando colonum, scutiferum seu familiarem possessoris loci vel possessionis nisi probetur ipsum talem colonum seu scutiferum vel familiarem dedisse damnum. Damnum datum quantum ad predicta intellegimus in fructibus arborum pendentibus vel non pendentibus exportatis vel devastatis in arboribus vel ramis arborum terra cocrentibus vel non incisis vel exportatis et in uvis devastatis seu exportatis. Et in blado quod pendebat in fundo seu area existente seperato a solo exportato vel scalpedato et in portis vinearum vel locorum vel stelonibus vel clavaturis vel cistelis amotis vel devastatis vel exportatis et in amanclis, vinciglis vel salicibus vel perticis salicum incisis, exportatis vel subtractis. Et in lignis vinciglis vel alio legnamine exportatis vel exportato et in cedis et in

plantonibus incisus vel exportatis vel scorçatis seu fractis et in perticis¹⁰⁸³ vinearum vel cannis incisus vel fractis vel exportatis et erba prati que in prato pendebat vel non segata, scalpedata, pasculata vel exportata et in stupla segata vel exportata et in nemoribus seu lignis nemorum in nemore pendentibus incisus, devastatis subrocatis vel pasculatis vel prodda valium corosa vel scalpedata orto vel broylo seu clusura. Et predicta locum habeant sive dicantur damnum datum esse sive furtum comissum modo vel forma predictis. Salvo quod de cultura vel de terra bedusta vel stupla non possint fieri accusationes nisi secundum formam ordinamenti quod [c. 262r f. CCLVI]

infra ponetur. Item dicimus quod si saltuarii invenerint damnum dantes quos cognoverint non possint eos nec debeant pignorare. Si vero non cognoverint possint eos pignorare de quibuscumque rebus vel bestiis quas secum haberent dum damnum darent pro extimatione damni et teneantur dare pignus possessori loci et denunciare domino possessionis in qua damnum datum fuerit infra dictum tempus et qui contrafecerit solvat pro qualibet vice quadraginta solidos bononinorum et emendet damnum. Et quicumque fuerit saltuarius deposito officio non possit accusari nisi infra mensem elapsis duobus mensibus supradictis quod non denunciaverint damna data secundum formam statutorum predictorum. Item dicimus quod omnes et singuli saltuarii qui per se damna dederint vel alicui consenserint damnum dari condemnentur pro qualibet vice in quinque libras bononinorum pro quolibet et emendent damnum. Quam condemnationem si solvere non poterit talis accusatus ponatur in carcere do nec solverit et de tali damno et ipso saltuario damno dante et de tempore extimationis damni et possessori credatur et procedatur ut supra. Item dicimus quod quilibet saltuarius qui non denunciaverit damnum ut supradictum est emendet damnum a se vel ab alio datum damnum passo ut supradictum est¹⁰⁸⁴ quod si non fecerit infra tempus condemnationis solvende tunc comune illius terre unde fuerint dicti saltuarii sive saltuarius teneatur emendare dictum damnum quod debeant emendare saltuarii sive saltuarius. Et eo casu ipsum comune regressum habeat contra saltuarium pro eo quod solverit vel exinde damnum substinuerit. Prohibemus etiam quibuslibet saltuariis alicuius terre ire in aream causa laborandi in eam, sub pena decem librarum bononinorum et quilibet possit accusare nec possit aliquis esse saltuarius alicuius terre qui non sit habitator tempore sue saltuarie illius terre seu vile de qua elligitur saltuarius. Item quod nullus saltuarius vel aliquis alius possit vel debeat in domo sua ante tempus vindimiarum habere uvas acerbas vel maturas vel mustum per se vel familiam suam nec in pertinenciis habitationis sue, sub pena et banno decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et quilibet saltuarius et alius quilibet qui inveniretur cum uvis talibus vel musto extra civitatem inteligatur vineas intrasse et damnum dedisse et puniatur pena predicta nisi probaverit se habere vel habuisse ex vinea quam possideat ut suam vel quam colebat. Dicimus etiam quod si aliquis saltuarius repertus fuerit denunciationem aliquam fecisse fraudulenter vel obmisisse denunciare fraudulenter puniatur pena duplicata. Et habeant et percipiant dicti saltuarii inter omnes quotcumque fuerint in una terra illud et idem salarium quod habere consueverant¹⁰⁸⁵ potestates de sacho seu aliud de quo per massarium et consules ipsius terre ordinatum fuerit dum tamen semper eisdem saltuariis per eosdem et eodem modo et forma quibus solvebatur potestaria predicta persolvantur. Ad quod salarium quilibet habitator terre seu ville qui faciat opera rustigalia in ipsa terra vel vila teneatur solvendo pro rata ipsi habitatores prout solvitur potestatibus de sacho et arbitrio boni viri licet ipsi

¹⁰⁸³ <perticis> segue is depennato.

¹⁰⁸⁴ <emendet damnum a se vel ab alio datum damnum passo ut supradictum est> di seguito sul margine laterale destro, prosegue sul margine laterale destro.

¹⁰⁸⁵ <consueverant> corregge consuerant.

habitatores non sint de dicta terra vel villa. Item dicimus quod quelibet comunitas, comitatus et districtus Bononie que habeat decem fumantes et abinde infra teneatur et debeat habere unum saltuarium; a decem vero supra usque ad quinqueginta duos saltuarios; a quinqueginta supra usque ad centum saltuarios tres; a centum vero supra quibuslibet quinqueginta fumantibus unum saltuarium. Et ad predictos saltuarios constituendos compeli possint et debeant comunitates predictae et singulares persone earum ad petitionem seu requisitionem cuiuscumque per vicarium domini potestatis Bononie realiter et personaliter et¹⁰⁸⁶ etiam ex eius mero officio si eidem¹⁰⁸⁷ videbitur. Et quod quicumque habet vel possidet iure proprio vel conducto ad quodcumque tempus conduserit solus vel cum alio vel aliis pro indiviso centum tornaturias alicuius poderis possessionum seu pecie tere vel plus in curia alicuius terre vel confinibus plurium terrarum contiguarum comitatus vel districtus Bononie vel guardia civitatis possit habere unum saltuarium vel plures et sibi eligere suis expensis qui//

[c. 262v]

custodiat dictum pondere possessionem vel pecias terre. Qui iurare teneatur semel in anno coram iudice potestatis suum officium bene et legaliter exercere. Nec possit aliquis qui fuerit saltuarium esse seu elligi in dicto officio deinde ad duos annos proxime secutores, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum comuni terre que contrafecerit et dicto saltuario qui dictum officium acceptaverit contra formam presentis statuti, et quod in eis a singulari persona electis locum habeant et serventur quantum ad possessiones eis commissas que de aliis saltuariis superius dicta sunt, salvo quod pro eis comunia terrarum damna emendare non teneatur.

[130] **Quomodo et qualiter fieri debeant accusationes et denuntiationes pro damnis datis. Rubrica.** [c. 262v]

Ordinamus quod quelibet persona civitatis, comitatus et districtus Bononie supposita iurisdictioni potestatis Bononie possit accusare et denunciare quamlibet personam damnum dantem in vineis¹⁰⁸⁸, terris, pratis, buschis et aliis quibuscumque possessionibus eorum vel ab ea possessis et de damnis datis a bove, asino vel mulo vel capra vel quolibet alio animali et de quibuscumque damnis datis¹⁰⁸⁹ contentis in superiori statuto in paragrapho in 'Damnum datum' (129) et cetera et credatur possessori, colono, castaldioni, inquilino, factori vel familiari ipsius possessoris, puberi vel maiori de quolibet damno dato a persona vel ab animali et de extimatione ipsius damni et de persona damnum¹⁰⁹⁰ dante et de animalibus damnum dantibus et cuius sint et fuerint ipsa animalia et de tempore predictorum sacramento de novo prestito coram duobus dominis maleficiorum parvorum, presente accusato seu eo cuius animal dicerentur damnum dedisse et etiam absente, tamen ad hoc specialiter requisito, usque ad quantitatem et extimationem quadraginta solidorum bononinorum quando damnum datum dicatur ab aliquo animali et credatur eidem de possessione et quod possideat ipse vel dominus suus et quod sit colonus, castaldio, inquilinus, factor vel familiaris ipsius possessoris. Salvo quod legitima probatio in contrarium admitti possit cum effectu et ad condemnationem procedatur ut in statutis nostris continetur. Declarantes quod omnia et singula statuta loquentia de accusatore vel denunciatore de damno dato intellegantur locum habere et locum habeant dumtaxat si res vel possessio rei in qua dicatur damnum

¹⁰⁸⁶ <et> *in infralinea.*

¹⁰⁸⁷ <eidem> *corregge eisdem.*

¹⁰⁸⁸ <vineis> *corregge vinei.*

¹⁰⁸⁹ <a bove, asino vel mulo vel capra vel quolibet alio animali et de quibuscumque damnis datis> *aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio su 3 righe.*

¹⁰⁹⁰ <damnum> *dittografato.*

datum spectet tempore aserti damni ad aliquem subditum iurisdictioni domini potestatis Bononie. Mandantes quod aliquis civis habitans vel alius habitator Bononie non possit denunciari vel accusari de aliquo damno dato coram aliquo vicario comitatus Bononie vel coram capitaneo montanearum vel aliquo eius officiali.

[131] **Infra quantum tempus fieri debeant accusationes et denuntiationes dannorum datorum. Rubrica.** [c. 262v]

Dicimus quod omnes accusationes et denuntiationes que fierent de aliquo damno quod de cetero daretur vel fieret debeant fieri de illo mense de quo damnum datum fuerit aut sequenti incipiendo mensem a die damni dati vel a die sciencie dummodo non excedat tempus quatuor mensium a die damni dati alias accusatio vel denunciatio non admitatur nec valeat. Credatur autem accusatori seu denunciatori de tempore damni in accusatione vel denuntiatione contenti nisi contrarium probaretur et quod dicte accusationes et denuntiationes debeant expediri infra duos menses a die condemnationis ubi pars accusata seu denunciata comparverit alias infra quindecim dies post sacramentum prestitum ab accusatore parte presente vel ad hoc legitime citata. Quod quidem sacramentum infra mensem a die poretate accusationis vel denuntiationis alias ex dicto sacramento vel alio de novo prestando condemnatio sequi non possit. Elapsis vero duobus mensibus a die poretationis taliter accusationis vel denuntiationis instancia dicte cause preempta et esse inteligatur nec post dictum tempus ex tali accusatione vel denuntiatione aliqua sententia sequi valeat.

[132] (131) **De pena hominis damnum dantis. Rubrica.** [cc. 262v; 264r]

Ordinamus quod siquis in aliqua possessione posita in guardia civitatis vel comitatus¹⁰⁹¹//
[c. 264r f. CCLVII]

Bononie damnum dederit teneatur emendare damnum ei qui possiderit tempore damni dati rem in qua diceretur damnum datum usque ad quantitatem viginti solidorum bononinorum¹⁰⁹² inclusive si per sacramentum solum probetur principalis vel alterius cuius sacramentum sufficiat, ut dictum est supra in statuto¹⁰⁹³ ‘De officio saltuariorum’ [129] et sequenti, condemnetur damnum passo in viginti solidis bononinorum. Si vero dicatur extimatio damni dati excedere sumam viginti solidorum bononinorum, tunc credatur sacramento damnum passi cum dicto unius testis, usque ad quantitatem centum solidorum bononinorum inclusive et in tantundem comuni Bononie condemnetur in quolibet dictorum casuum. Si vero a centum solidis supra dicatur extimatio damni, tunc probetur damnum legitime et si probatum fuerit legitime procedat condemnatio secundum quod probata fuerit extimatio et in tantundem comuni Bononie. Salvo quod ubi statur sacramento possessoris vel alterius, cuius sacramento stari debeat, ut supra pro damno dato non possit fieri condemnatio extimationis damni ultra quantitatem viginti solidorum bononinorum pro eodem damno quotcumque fiant accusationes vel denuntiationes de eodem vel pro eodem damno vel quotcumque fuerint accusati pro eo damno¹⁰⁹⁴. Et si dubitaretur¹⁰⁹⁵ utrum sit idem damnum vel diversa stetur sacramento accusantis. Ubi tamen fuerint plures accusati seu denunciati de eodem damno una vel

¹⁰⁹¹ *Nel margine inferiore della carta: Bononie damnum dederit.*

¹⁰⁹² <solidorum bononinorum> *in infralinea con segno di rinvio.*

¹⁰⁹³ <in statuto> *aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

¹⁰⁹⁴ <vel ... damno> *aggiunto a margine laterale destro con segno di rinvio su 2 righe.*

¹⁰⁹⁵ <dubitaretur> *corregge dubitatur.*

pluribus accusationibus vel denuntiationibus quilibet eorum condemnetur¹⁰⁹⁶ in viginti solidis bononinorum comuni Bononie. Adicientes quod si contingat forensem non habitatorem civitatis vel districtus Bononie damnum dare, ut dictum est, quod sufficiat ipsum citari per duas cridas fiendas in diebus fori super ambabus scalis palatii veteris in qualibet crida dicendo pro ea die vel sequenti iuridica in quantum ad predicta talis forensis comparere debeat ad se defendendum ab accusatione facta tali de causa coram officialibus supradictis et ipso forense non comparente infra tempora sibi assignata postea sacramento prestito ab accusatore, quod vera sunt, que in accusatione continentur, procedi possit ad condemnationem prout procedi posset contra quemlibet non forensem dum tamen infra tempora supradicta terminentur.

[133] **De pena segantis vel scarpentis stuplam alicuius. Rubrica.** [c. 264r]

Ordinamus quod nulla persona debeat segare vel decerpere stuplam, que sit in campo vel in fundo ab altero possesso, sine expressa licencia ipsius possessoris. Et qui contrafecerit puniatur pro qualibet vice in quadraginta solidis bononinorum et quilibet possit accusare et habeat medietatem condemnationis et nichilominus condemnetur possessori ad extimationem damni probati secundum formam superioris statuti proximi.

[134] **De pena ducentis curum vel brocium per terram ab alio tentam vel possessam.** [c. 264r]

Statuimus quod nullus curum vel brocium ducat curum vel brocium per aliquam peciam terre per alium possessam et que non sit bedusta, nisi aliquo iure sibi liceat. Et qui contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in decem libris bononinorum, medietas cuius sit comunis et alia accusantis et stetur sacramento accusatoris cum uno teste. Et nichilominus quilibet saltuarius terre teneatur contrafacientes in predictis denunciare eo modo et forma et tempore quibus damna data denunciare tenentur, sub pena decem libris bononinorum comuni Bononie applicanda et stetur sacramento ipsius saltuarii denunciatoris cum uno teste vel cum sacramento possessoris.

[135] **De pena splanantis rivale seu fossatum alterius. Rubrica.** [cc. 264r-264v]

Ordinamus quod nulla universitas seu singularis persona debeat ex aliqua causa splanare fossatum seu rivale alicuius pecie terre per alterum possesse, sine licencia eius qui possidet, nec vitem aliquam arborem parvam vel magnam in alieno positam ad suum predium vel alienum vel domum ducere et qui contra fecerit solvat nomine banni pro qualibet vice decem libras bononinorum. Et eandem penam paci//
[c. 264v]

atur ille qui repleverit fossatum alterius vel comune. Et nichilominus reducatur in prestinum statum expensis eius, qui splanaverit vel repleverit fossatum sive rivale semper salva pena statuta contra turbantes aliquem in sua possessione, cuius pene medietas sit comunis alia medietas sit possessoris cuius fossatum vel rivale fuerit splanatum. Et saltuarii teneantur predicta denunciare et si non denunciaverint condemnentur pro qualibet vice in viginti solidis bononinorum, cuius pene medietas sit comunis et alia medietas accusantis et stetur denuntiationi et sacramento saltuarii cum uno teste vel sacramento possessoris predicti. Liceat tamen cuilibet habenti fossatum comune cum aliquo totum dictum fossatum facere seu cavare vel cavari facere suis expensis. Et totum terrenum, quod extrahetur de dicto fossato faciendo ipsum cavari secundum modum usitatum deicere in terreno eius, qui cavari fecerit, prius tamen

¹⁰⁹⁶ <condemnetur> nel testo condentur.

requisito eo, qui in dicto fossato comunione haberet per publicum instrumentum vel de mandato alicuius iudicis comunis Bononie iurisdictionem habentis, quod cavare seu cavari facere debeat partem sibi tangentem de dicto fossato et eo expectato per mensem a die dicte protestationis vel ipso expresse renunciante predicta facere velle¹⁰⁹⁷.

[136] **De pena vulnerantis aliquam bestiam. Rubrica.** [c. 264v]

Ordinamus quod si quis vulneraverit vel interfecerit aliquam bestiam vel causam dederit propter quam aliquod predictorum fiat teneatur emendare damnum. Et nichilominus condemnetur pro vulnere seu causa vulneris in quinque libris bononinorum. De interfictione autem seu causa interfectionis condemnetur in decem libris bononinorum et minus arbitrio domini potestatis secundum qualitatem facti et bestie et ad emendationem damni, salvo quod penam predictam aliquis non incurat, qui talem bestiam occiderit vel vulneraverit seu alterum predictorum fecerit quam et quando eam invenerit damnum dare in sua possessione contra formam statutorum si in ipsa possessione occiderit vel vulneraverit et eo casu ad emendationem damni non teneatur.

[137] **De pena damni dati ab animalibus. Rubrica.** [cc. 264v-265r]

Statuimus quod si alicuius bos, asinus vel mulus vel capra, equus vel porcus vel porca vel aliud animal per quod damnum dari posset missus vel missum fuerit in alterius segetem, vineam aut ortum vel campum aut quamlibet aliam possessionem positam vel positum in guardia vel comitatu Bononie quod quem vel quam alius possideat vel quomodocumque inventus vel inventa seu inventum fuerit et damnum dederit condemnetur dominus sive possessor seu detentor vel custos animalis comuni Bononie si fuerit porcus vel porca in centum solidis bononinorum. Si vero fuerit equus, equa, bos, vacha, asinus vel capra seu irchus in tribus libris. Si vero animal aliud quadrupes vel bipes in quinque solidis bononinorum pro quolibet animalium predictorum et qualibet vice et emendet damnum ei, qui possidet in qua damnum datum diceretur de quo damno, possessione et aliis sufficiat et requiratur probatio, ut supra dictum est de damnis datis tam ab homine quam ab animali in statuto ‘De officio saltuariorum’ [129] et sequentibus et in statuto ‘De pena hominis damnum dantis’ [132]. Salvo quod si per solum sacramentum probetur pena non possit excedere sumam quadraginta solidorum bononinorum in suma. Si vero per unum testem cum sacramento, tunc non possit excedere sumam quinque librarum bononinorum. Si vero plene, tunc procedat condemnatio secundum//

[c. 265r f. CCLVIII]

quod probatum fuerit et pene predictae vendicent sibi locum. Si vero damna data fuerint de note duplicentur pene superius scripte et inteligatur animal imissum et damnum dare eo ipso quod inventum fuerit in possessione alterius tempore prohibito sive cum eo fuerit custos sive dominus sive non. Et ubicumque fieri debuerit condemnatio pro predictis semper ille ad quem custodia bestiarum principaliter pertinet seu continuus habitator domus, in qua detineretur vel receptaretur condemnetur. Et liceat cuilibet damnum passo et eius saltuario, colono, inquilino, castaldioni, factori seu familiari capere et abducere bestias sic inventas et eas retinere donec ille, qui condemnandus venerit confesus fuerit et satisdederit de damno reficiendo et condemnatione solvenda et expensis factis et que fierent in retentione ipsarum bestiarum de qua inventionem eius sacramento stetur de extimatione vero damni credatur, ut supra dum tamen infra tres dies inventor bestiarum, qui eas retinuerit hoc publice dixerit

¹⁰⁹⁷ <velle> nel testo vele.

massario vel saltuario vel domino vel custodi ipsorum animalium in presencia unius testis ad minus.

[138] **De pena eius qui intraret vel damnum daret in vinea alterius. Rubrica.** [c. 265r]

Statuimus et ordinamus quod nulla persona intret vel intrare debeat vel presumat vineam per alium possessam. Et qui contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in tribus libris et minus arbitrio domini potestatis et emendet damnum si quod dedisse diceretur et credatur ei de inventione et etiam credatur ei de damno et aliis possessoribus vel eius certo nuncio familiari, colono vel laboratorum vel uni saltuario vel pluribus secundum formam et modum superioris statuti positi sub rubrica ‘De pena damni¹⁰⁹⁸ dati ab animalibus’ [137]. Et habeat arbitrium inquirendi dominus potestas contra infamatas personas, que sunt devastatores vel vadunt per vineas ab aliquo vel aliquibus possessas damnum dando et inquirere et procedere teneatur ad petitionem cuiuslibet. Possit etiam habere pro qualibet contrata duos bonos homines et ipsos compelere sacramento quod ei denuncient huiusmodi infamatos si quos semserint esse in eorum contratis quam inquisitionem facere possit et teneatur per se quemlibet de sua familia etiam non servata solemnitate statutorum.

[139] **De pena imitentis bestias in gualdo. Rubrica.** [c. 265r]

Ordinamus quod nullus paciatur aliquas bestias suas vel sub eius custodia vel cura¹⁰⁹⁹ constitutas ire in gualdo per possessionem alicuius cuiuscumque conditionis existat sine sufficienti custodia qui ne damna dent sciat et valeat prohibere et si alicuius bestie reperte fuerint in possessione alterius sine tali custode, puniatur ille¹¹⁰⁰, qui eas custodiri facere debuerit, ut supra, etiam si damnum non darent vel dedissent, si fuerit equus, equa seu pulus in tribus libris bononinorum. Si vero bos, vacha, porcus, asinus, capra vel ircus in quadraginta solidis bononinorum. Si vero fuerint oves in quinque solidis bononinorum pro qualibet ove parva vel magna et qualibet vice. Et de inventione talium bestiarum et domino vel possessore seu custode bestiarum et de tempore inventionis vel de loco et ipsius loci possessore et quod sine tali custodia inventi fuerint credatur domino, possessori, colono, castaldioni, factori seu familiari possessoris et de conditione ipsarum sacramento de novo prestando et¹¹⁰¹ cum dicto unius testis.¹¹⁰²// [c. 265v]

[140] **[De arbitrio domini potestatis contra facientes falsas accusationes datorum. Rubrica.]** [c. 265v]

Item providerunt quod dominus potestas, qui nunc est vel pro tempore fuerit habeat plenum, merum, liberum et generale arbitrium contra omnes et singulos de civitate, comitatu vel districtu Bononie et alios quoslibet, qui dicerentur facere vel fecisse falsas vel calumniosas accusationes vel denunciationes damnorum datorum vel aliorum quorumlibet positorum supra in titulo ‘De officio saltuariorum’ [129] et huc usque vel aliorum quorumcumque positorum infra, usque ad statutum positum sub rubrica ‘De pena capientium quaglias’ [148] per se vel saltuarios vel alios, quorum sacramento solo

¹⁰⁹⁸ <damni> in *infralinea* con *segno di inserzione*.

¹⁰⁹⁹ <cura> nel testo curia.

¹¹⁰⁰ <ille> in *infralinea* con *segno di inserzione*.

¹¹⁰¹ <et> in *infralinea*.

¹¹⁰² In fondo alla carta e con modulo minore: De arbitrio domini potestatis contra facientes falsas accusationes damnorum datorum. Rubrica.

staretur vel cum dicto unius testis et in predictis dominus potestas teneatur inquirere singulis duobus mensibus semel per massarios terrarum comitatus Bononie et per alios quoslibet ad suam omnimodam voluntatem cognoscendo summarie et sine figura iudicii et puniendo et condemnando in pecunia dummodo quantitatem vigintiquinque librarum bononinorum non excedat et etiam bamniendo et palacia comunis Bononie interdicendo¹¹⁰³ omnibus et singulis hominibus et personis, qui ipsas denunciations, accusationes seu notificationes facerent vel fieri facerent ad suam omnimodam voluntatem et arbitrium salvo ordinamento loquente ‘De tondolo et tormento’ [24]. Et possit dominus potestas seu eius vicarius exposita coram eis vel aliquo eorum querela alicuius calumniose accusationis seu denunciationis interdicere officiali coram quo accusatio vel denunciatio de damno dato facta foret que calumniose diceretur ut supra tali accusatione et denunciatione non procedatur, donec de dicta querela fuerit cognitum et decisum. Et interim tempora instancie accusationum seu denunciationum predictarum non curant quam causam calunie teneatur potestas et eius vicarius coram quo dicta querela fuerit exposita terminare infra duos menses a die dicte querele exposite alias dicto tempore elapso procedatur ad terminationem dicte accusationis seu denunciationis perinde ac si nulla inhibitio facta fuisset et querela exposita non fuisset et amplius super dicta accusatione seu denunciatione inhibitio fieri non possit. Super quibus querelis procedi possit etiam non servatis solemnitatibus positis sub rubrica ‘De iuramento et satisfatione prestanda’ [8].

[141] **De accusationibus certo tempore non faciendis de stupla. Rubrica.** [c. 265v]

Ordinamus quod de cetero nullus possit accusare aliquem vel aliquos, qui intraverint seu miserint a callendis octubris usque ad callendas martii aliqua animalia dummodo non sint porci vel porche, equi seu eque in aliqua stupla seu terra bedusta seu cultura¹¹⁰⁴, dum tamen non sit clusura nec accusare aliquem qui intraverit pratum vel quod imiserit animalia ibi dummodo non sint porci vel porche a callendis octubris ad callendas martii. Salvo quod si in predictis locis essent arbores vel vites, quod de predictis arboribus et vitibus possit acusari si damnum datum esset in eis vel in fructibus earum. Et salvo quod in aliquo casuum predictorum non liceat etiam dictis temporibus splanare vel replere aliquod rivale vel fossatum vel curum seu brocium imittere.

[142] **De cedis, portis et clavaturis non frangendis. Rubrica.** [cc. 265v-266r]

Ordinamus quod nullus audeat frangere cedas, portam, clavaturam, cistelum vel hostium, domus vel domum aut medalem aut aliquam fracturam alicuius vinee, orti vel broyli vel alterius possessionis vel ipsam fracturam aufere vel exportare contra possessoris voluntatem et quicumque contra predicta vel aliquod predictorum fecerint puniantur et condemnentur in decem libris bononinorum et plus et minus ad arbitrium domini potestatis considerata conditione personarum et qualitate facti, si per legitimas probationes constiterit predicta vel aliquod predictorum comissa fuisse. Si vero per unum testem probatio facta fuerit puniatur in quinque libris bononinorum prestito prius sacramento a possessore. Si vero per nullum testem condemnentur in duabus libris bononinorum prestito sacramento predicto et ad emendationem damni in quolibet dictorum casuum teneatur. Et si quis scienter emerit aliquam de predictis rebus simili pena//

¹¹⁰³ <interdicendo> *corregge* interducendo.

¹¹⁰⁴ <cultura> *corregge* ultra.

[c. 266r f. CCLVIII^{or}]

teneatur et intelligatur emisse ille penes quem reperta fuerint.

[143] **De pena eius in cuius domo uve vel mustum reperirentur ante tempus vendimiarum et non tenentis clausam vineam suam. Rubrica.** [c. 266r]

Item dicimus quod si in domo habitationis alicuius non posidentis aliquam vineam ante tempus vendimiarum reperte fuerint uve fraudulententer vel mustum condemnetur decem libris bononinorum qui in domo habitaverit in qua repertum fuerit mustum vel uve ut premitur. Salvo quod si maliciose per aliquem deferatur in domo habitationis alicuius et hoc probatum fuerit, tunc habitator illius domus nullam penam paciatur sive incurat, set eo casu ille, qui detulerit si maliciose hoc fecerit in duplo dicte pene puniatur. Item quilibet habens vineam seu clusuram sic et taliter debeat eam claudere et clausam tenere quod per suam vineam vel clusuram non detur damnum in vinea seu clusura alicuius sui vicini et siquis repertus fuerit negligens condemnetur in centum solidis bononinorum et emendet damnum si quod substinuerit. Et siquis inventus fuerit de die vel de nocte damnum dare in vineis seu clusuris predictis cum armis condemnetur et puniatur in vigintiquinque libris bononinorum¹¹⁰⁵. Que omnes condemnationes, que fierent¹¹⁰⁶ super facto vinearum et damnorum datorum vel aliquorum contentorum in ordinamentis predictis silicet in statuto ‘De officio saltuariorum’ [129] et aliis subsequentibus statutis ab illo statuto citra fiant pecunia numerata, sine aliqua compensatione seu detractone et exigantur per iudicem Ursii, etiam si damnificato applicari deberent quo casu condemnationes [...] parti applicari deberent¹¹⁰⁷, ut supra, ad ipsius partis voluntatem exigantur, eo tamen tempore, quo exactio partis ipsius condemnationis applicande comuni fieri potest et non ante.

[144] **De uvis a vineis non exportandis. Rubrica.** [c. 266r]

Item quod nullus debeat ante tempus vendimiarum deferre de die vel de nocte uvas acerbas vel maturas, sine licencia domini vicarii potestatis scripta manu notarii deputati ad dischum leonis et domini potestatis dum tamen de licencia predicta notarii non accipiant ultra duos denarios et qui contrafecerit puniatur et condemnetur in quinque solidis bononinorum pro quolibet grappo uve et minus arbitrio domini potestatis secundum facti qualitatem et personarum conditionem. Et super his etiam notarius vinearum competat vis inquirendi etiam solemnitate nostrorum statutorum non servata.

[145] **De uvis et amidollis acerbis non vendendis. Rubrica.** [c. 266r]

Item dicimus quod nemo vendat uvas acerbas sive amigdolas acerbas ad minutum et quod dictum est de uvis dicimus, nisi esset tempus vendimiarum vel post et nisi esset pergula vel brumesta et quicumque contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in decem solidis bononinorum et potestas teneatur facere predicta banniri ante festum sancti Iohannis Batiste mensis iunii.

[146] **De vendimiis ante certum tempus non faciendis. Rubrica.** [c. 266r]

Ordinamus quod nullus debeat vendimiare vel vendimiari facere aliquam vineam, que fuerit in guardia civitatis vel comitatus Bononie ante festum sancte Marie mensis

¹¹⁰⁵ <bononinorum> *in infralinea.*

¹¹⁰⁶ <fierent> *nel testo* fierent.

¹¹⁰⁷ <quo casu condemnationes [...] parti applicari deberent> *aggiunto a margine laterale sinistro con segno di inserzione e di rinvio; una macchia di umidità rende illeggibile una parola.*

septembris sine licencia domini potestatis vel sui vicarii de qua licencia apparere debeat mano alterius ex notariis domini potestatis vel sui vicarii ad dischum Leonis deputati, de qua licencia non possint accipere ultra duodecim denarios parvulos bononinorum, nisi fuerit uva sclava, rubea vel moscatela vel luiatica vel tempestata uva vel marcida pena et banno quinque librarum bononinorum et amittat vendimiam et potestas teneatur hoc facere proclamari per civitatem Bononie de mense augusti ante festum sancte Marie dicte mensis videlicet quod nullus debeat vendimiare seu vendimiari facere sine dicta licencia ante predictum festum vel post infra terminum, quem potestas duxerit prorogandum. Et quilibet possit accusare et denunciare contrafacientes et habeat medietatem banni.//

[c. 266v]

[147] **De amaniclis, perticis vel palis non apportandis. Rubrica.** [c. 266v]

Item dicimus quod nulla persona deferat vel deferri faciat amaniclos, perticas, palos vel vinciglias, nisi in curu vel somerio, nisi fuerit possessor illius loci a quo apportarentur vel specialis nuncius et de predictis stetur et credatur sacramento talis possessoris, nisi probetur contrarium. Et qui contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in decem solidis bononinorum et possint huiusmodi ligna auferi per quemcumque impune.

[148] **De pena capientium quaglias, pernices, fasianos vel columbos et de tricullis ementibus ipsas vel alias salvaticinas et de precio ipsorum. Rubrica.** [cc. 266v-267r]

Prohibemus omnibus ne capiant quaglias, pernices¹¹⁰⁸, faxanos vel columbos cum quarlaturu, scalellis, laçolis vel gradiciis vel aliquo alio instrumento ad oselandum vel aliqua alia arte, nisi cum ancipitre, falcone vel astore vel alia ave illius generis vel cum cane a rete seu ipsa rete et cane cum quo possint capere quamlibet predictarum avuum exceptis columbis qui ab aliquo aliqua arte vel modo capi non debeant in civitate Bononie vel districtu nisi essent columbi, qui favarii vocantur pena et banno cuilibet capienti columbos viginti solidorum bononinorum pro quolibet columbo et qualibet vice cuius pene medietas applicetur damnum passo et alia medietas comuni Bononie. Et nichilominus teneatur emendare damnum ei qui inde lesus fuerit. Et sub pena quadraginta solidorum bononinorum cuilibet capienti, nisi ut predicatur aliquo ex predictis aliis avibus pro qualibet vice cuius banni medietas sit comunis et alia medietas accusantis et quilibet possit accusare et denunciare et sufficiat probare per unum testem cum depositione et assertione accusatoris cum iuramento de novo prestando. Et sic accusanti, asserenti et approbanti credatur et stetur de damno columborum usque ad quantitatem centum solidorum bononinorum. Salvo quod sacramento domini seu possessoris columbarie¹¹⁰⁹ credatur de damno columborum usque ad quantitatem quadraginta solidorum bononinorum inclusive sacramento de novo prestando. Et inteligatur etiam esse captor columborum predictorum capi prohibitorum omnis penes quem columbi predicti invenirentur probata inventione saltem per unum testem, nisi fuerint columbi casarengi vel nisi probaverit se ab alio habuisse, quo casu is condemnetur a quo probaverit se habuisse si legitimam defensionem non fecerit de predictis. Et massarii terrarum et saltuarii sive alter ipsorum teneantur singulis annis de predictis inquirere et denunciare domino potestati vel eius vicario quemlibet

¹¹⁰⁸ <pernices> *nel testo* perdices.

¹¹⁰⁹ <columbarie> *corregge* columbare.

contrafacientem in terris eorum, sub pena et banno centum solidorum bononinorum pro quolibet massario et totidem saltuario si per alterum ipsorum in predictis fuerit comissa negligencia et de predictis possit et teneatur potestas per se vel suum vicarium seu notarium inquirere et procedere ad petitionem cuiuscumque etiam non servata¹¹¹⁰ solemnitate statutorum et etiam contenta in presenti statuto facere proclamari per civitatem Bononie in primo mense sui regiminis. Et quod nulli liceat in platea comunis vel super trivio porte Ravenatis seu alibi tenere vel vendere dictos columbos de columbariis exceptis pipionibus, sub pena cuilibet tenenti et vendenti pro quolibet columbo et qualibet vice viginti solidorum bononinorum et de predictis observandis quilibet, qui pro maiori parte temporis staret ad vendendum in dictis locis anno quolibet de mense ianuarii et iulii teneatur prestare securitatem comuni Bononie coram notario officio stratarum domini potestatis de quinqueginta libris bononinorum, qui notarius singulis diebus in dictis locis et alibi, si sibi videbitur, per se ipsum inquirere teneatur de predictis et contrafacientes punire et condemnare in quantitibus predictis et eius inventioni et con//

[c. 267r f. CCLX]

demnationi stetur. Et quod quilibet possit ipsos contrafacientes denunciare et accusare¹¹¹¹ dicto notario etiam in secreto. Et ut salvaticiorum tam terrestrium¹¹¹² quam volatilium copia et fertilitas in civitate Bononie habeatur et ne per aucupatores et venatores aut venditores ipsarum ex his septa vel manupolium vel conspiratio inducatur, decernimus quod nullus tricolus, revenditor ipsorum salvaticiorum¹¹¹³ et volantium audeat vel presumat in civitate Bononie vel prope ipsam civitatem per duo miliaria emere vel emi facere per se vel alium modo aliquo directo vel per indirectum ante horam none aliquas salvaticinas vel volatilia pena cuilibet triculo seu revendenti facienti¹¹¹⁴ contra predicta centum solidorum bononinorum vice qualibet comittenda. Post nonas autem licitum sit cuilibet de predictis emere dictas salvaticinas, volatilia ad suam liberam voluntatem, qui tamen possint ipsas salvaticinias vendere pro pretio infrascripto videlicet: de quolibet lepore magno quinque solidos bononinorum, de qualibet libra caprioli seu capriole, cervi seu cervice silvestrum octo denarios, de lepore parvo tres solidos bononinorum, de libra porci seu porce silvestrum sex denarios bononinorum, de quolibet faxiano seu fasana grossis quatuor solidos, de qualibet pernice seu coturnice duos solidos bononinorum, de qualibet quaglia grossa sex denarios bononinorum, de parva tres denarios bononinorum. Item de qualibet starna grossa octo solidos bononinorum. De grua grossa sex solidos bononinorum, de anserem balotola duos solidos bononinorum, de qualibet cesessa grossa quatuor denarios bononinorum, de parva duos denarios bononinorum, de quolibet tordo et merlo tres denarios bononinorum, de anserem agonaria tres solidos bononinorum, de anadra grossa decem et octo denarios bononinorum, de parva quatuordecim denarios bononinorum, de pinerio, vaneta et fixalo pro quolibet eorum sex denarios bononinorum, de porçana tres denarios bononinorum, de aghirone vel tarabuso duos solidos bononinorum pro quolibet eorum. Mandantes quod ultra predictum pretium ab aliqua persona modo aliquo non possint percipere vel habere, sub pena viginti solidorum bononinorum vice qualibet in singulis capellis comittenda et exigenda per notarium domini potestatis superius memoratum. Et stetur sacramento denunciantis in predictis positus in post nonas hucusque. Salvo quod quilibet persona non prohibita emere possit talia salvaticina et vendere quocumque

¹¹¹⁰ <servata> *dittografato*.

¹¹¹¹ <accusare> *segue* et denunciare et accusare *cassato per sottolineatura*.

¹¹¹² <terrestrium> *nel testo* terrestrium.

¹¹¹³ <salvaticiorum> *corregge* salvaticorum.

¹¹¹⁴ <facienti> *in infralinea con segno di inserzione*.

tempore dum tamen pro pretio antedicto. Insuper prohibemus aliquem aucupare vel venari per se vel alium quoquo modo ad aliqua ex volatilibus predictis de mense martii, aprilis, maii vel iunii, sub pena centum solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et quilibet emens de dictis mensibus vel aliquo eorum aliqua de dictis volatilibus eandem penam incurat.

[149] **De pena non laborantium possessiones ut debent. Rubrica.** [cc. 266r-267v]

Statuentes quod quicumque conduxerit ad laborandum aliquas pecias terre aratorias unam vel plures teneantur arumpere, remenare, retercare et quarta vice cum semine sulcare congruis temporibus, nisi per pactum aliud conveniat et tunc teneatur laborare tociens quociens conventum fuerit et secundum conventionem. Et si non fecerit tanto minus percipiat ex fructibus quanto minus de laborerio fecerit et pro quolibet predictorum obmisso quod ex hoc statuto vel pacto facere teneatur condemnetur ei a quo habet ad laborandum in viginti solidis bononinorum pro qualibet tornatura. Et teneatur vites quaslibet podare, relevare, zappare et remenare congruis temporibus, sub pena trium solidorum bononinorum pro qualibet vite parti applicanda et inde nil recipiat. Si vero fuerit terra vineata teneatur podare, relevare, zappare te remenare congruis temporibus nisi per pactum aliud convenerit. Et ten//
[c. 267v]

eatur laborare et predicta facere vel aliqua ex his vel etiam alia si de aliquo ultra hoc convenerit quod si non fecerit pro quolibet predictorum obmisso quod facere teneatur ex forma huius statuti predicti, ut dictum est, condemnetur ei a quo habet ad laborandum in viginti solidis bononinorum pro qualibet tornatura. Et nichilominus si non fecerit tanto minus accipiat ex fructibus quanto minus ex laborerio fecerit etiam per iudices de civilibus cognoscentes summarie et de plano, sine streppitu et figura iudicii sola veritate inspecta, quas penas locator petere possit infra bienium tantum postquam comisse fuerint. Et inteligatur conductor eo ipso quod super possessione vel pecia terre steterit vel eam laboraverit vel laborari fecerit quoquo modo. Quorum omnium laboreriorum onus probandi colono seu laboratori incumbat. Et idem inteligatur in colono qui minus colit in quantum ad predicta possit adaptari.

[150] **De pena dantis vel recipientis aliquam possessionem ad afflictum. Rubrica.**
[c. 267v]

Cupientes quantum possibile est subiectorum comodis providere et agricollarum maliciis obviare, qui recusantes esse parciarios et colonos ad contractum afflictus prosilire cupiunt quod in damnum non modicum redundare posset dominis prediorum hac lege decernimus quod nullus civis seu habitator civitatis Bononie per se vel alium directo vel per indirectum audeat vel presumat locare ad afflictum seu gratis concedere aliquas possessiones laboratorias vel aliquam eius partem sitas in comitatu Bononie alicui comitatino vel forensi, sub pena viginti quinque librarum bononinorum cuilibet contra formam predictam locanti et quinqueginta librarum bononinorum cuilibet conducenti et qualibet vice, sed tales possessiones seu aliqua earum pars locari possit ad laborandum ad certam partem fructuum percipiendorum non ad minus quam quartam partem, sub pena locanti et conducenti, ut supra et nichilominus tales contractus non valeant ipso iure. Et quod aliquis notarius non audeat nec presumat publicum instrumentum conficere super contractibus per presens statutum prohibitis, sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet vice ab eo de facto auferenda. Et quilibet possit accusare seu notificare et habeat quartam partem condemnationis quando exacta fuerit, nec tales contractus contra formam presentis statuti celebratus probare possint per

testes in favorem ipsius conducentis. Quod quidem statutum exstendi nolumus ad terras laboratorias in civitate Bononie vel eius guardia existentes. Et ne predictorum ingnorancia pretendatur mandamus quod quilibet potestas civitatis Bononie semel ad minus tempore sui regiminis per civitatem Bononie predicta faciat publice proclamari.

[151] De possessionibus que non laborantur per potenciam, gratiam vel amorem alicuius quoquo modo debeant laborari. Rubrica. [cc. 267v-268r]

Ordinamus quod quocienscumque propter potenciam, gratiam vel amorem seu timorem alicuius persone vel universitatis contingerit aliquem non percipere vel percipere posse fructus vel redditus rerum immobilium unius vel plurium, quas seu quam possideat per se vel alium positam in aliqua terra seu curia alicuius terre districtus Bononie vel ipsam vel ipsas non posse laborare vel laborari facere quod comune et homines illius terre seu vile in cuius curia dicte possessiones vel pecie terre seu res fuerint, teneantur et debeant ipsam seu ipsas laborare et facere laborari et fructus percipere et partem eidem assignare et dare secundum consuetudinem loci illius terre vel vile seu contrate et secundum qualitatem ipsius rei immobilis que non potest laborari ut supra. Et massarius quilibet teneatur et debeat//

[c. 268r f. CCLXI]

predicta facere et executioni mandare, pena et banno viginti quinque librarum bononinorum ipsi massario et quinqueginta librarum bononinorum comuni ipsius terre. Et nichilominus dare et prestare teneantur eidem extimationem fructuum qui¹¹¹⁵ ex huiusmodi possessores terra vel re possent percipi vel haberi sumarie et de plano et omni tempore sine streppitu et figura iudicii. Et dictus potestas et sui iudices predicta omnia fieri facere teneantur, facta eis vel alteri eorum denunciatione et facta eis de predictis fide saltem per famam vel indicia et presumptiones que iudici videantur et quod ex eo quod propter dictam causam talis possessor vel ad quem pertinerent per se vel dictum massarium non perciperet fructus ut supra vel laborari non faceret vel facere non posset nullum eidem in possessione talium rerum preiudicium generetur et nichilominus talis impediens laborari vel cuius facto opera non poterat laborari possit condemnari et puniri arbitrio potestatis dummodo pena non excedat quantitatem quinqueginta librarum bononinorum si legitime constiterit, si autem per famam vel alia indicia et per presumptiones ut supra non excedat quantitatem viginti quinque librarum bononinorum.

[152] De emendatione damnorum datorum et a quibus ignoretur. Rubrica. [cc. 268r-268v]

Statuimus quod quilibet terra seu villa vel castrum comitatus vel districtus Bononie teneatur terram et curtem seu guardiam suam custodire et salvare et facere et curare ne ibi robarie vel damna dentur vel alia maleficia comittantur ex quibus damnum aliquod sequeretur, alias teneatur ad extimationem robarie vel damni de qua vel quo dicatur ignorari per quos vel quem factum, commissum seu datum fuerit, si probata fuerit ipsa robaria vel maleficcium vel damnum facta vel factum seu datum esset et etiam de damni extimatione secundum formam infrascriptam ad quam extimationem damni et interesse conferant omnes habitantes tempore maleficcii comissi seu damni seu robarie in dicta terra castro vel vila vel eius guardia, in qua vel quo fuerit damnum datum vel maleficcium vel robaria comissa pro numero personarum. Et quod ad petitionem damnum passi teneatur dominus potestas vel eius vicarius expensis petentis mittere unum ex suis notariis discho ipsius domini potestatis deputatis ad videndum et

¹¹¹⁵ <qui> *in infralinea con segno di inserzione.*

inquerendum de incendiis, robariis, incisionibus arborum, valdis et aliis fructibus exportatis seu devastatis et de omnibus aliis damnis datis in dictis rebus vel locis et habita informatione de predictis referat dicto domino potestati vel eius vicario et ipsius relationi stetur de predictis et de extimatione damni inscriptis fiende per ipsum notarium pro plena probatione et talis relatio habeatur cum sacramento conquerentis de aliquo predictorum alias presumptiones et indicia prout videbitur iudici de causa cognoscenti ita tamen quod extimatio plantonum non excedat pro primo anno, quo plantati fuerint, ultra quantitatem quinque solidorum bononinorum pro quolibet. Et secundo anno pro quolibet plantone decem solidorum bononinorum, in tercio vero anno quindecim solidorum bononinorum, post tercium vero annum pro quolibet plantone viginti solidorum bononinorum Et possit et debeat potestas vel sui iudices facere dicta damna emendari sumarie absque oblatione libeli et alia iuris solemnitate infra duos menses postquam damnum datum fuerit et sibi liquidum fuerit omni appellatione et nullitate cesante. Salvo quod tempore guerre seu congregationis hominum armatorum seu adventus ipsorum in comitatu vel districtu Bononie quibus de facili et presentialiter resisti non possit de quibus per famam saltem constare possit et debeat comunia seu terre, que sunt in confinibus partium in quibus guerra esset vel iuxta seu prope ipsas terras, que sunt in confinibus, ad predicta nullatenus teneatur. Et salvo quod ad collationem predictorum non teneantur valitudinari, septuagenarii, pupili, vidue nec absentes tunc et salvo quod si comune illius terre vile vel castri poterit probare de eo vel eis, qui damnum dederit comune illius terre absolvatur. Et ille contra quem probatum fuerit, pena debita condemnetur per potestatem et emendet damnum ipsi qui¹¹¹⁶// [c. 268v]

passus fuerit salvo iure etiam comunis terre predictae contra malefactorem, si quo tempore reperiretur in faciendo sibi emendari omne damnum, quod passum esset occasione emendationis facte per ipsum comune de damno dato per ipsum malefactorem. Et si locus, ubi damnum esse datum, non reperiat in cuius curia vel guardia sit, tunc terre propinquiores emendent damnum et procedatur et terminetur modo predicto. Et si aliquis fraudulenter sibi ipsi damnum dederit vel fecerit sibi dari et hoc liquidum fuerit potestati puniantur realiter et personaliter arbitrio potestatis. Et quia multociens cautum est de guardia alicuius terre seu curie et non sit cautum qualiter sumatur curia seu guardia. Idcirco ad hoc ut hoc non remaneant indiscussa et ne inter comunia terrarum ratione predicta oriantur scandalla. Statuimus quod ubicumque de guardia alicuius terre quacumque de causa questio fuerit orta seu mentio facta pro curia seu guardia alicuius terre inteligatur et habeatur illa que consueta est custodiri et quatenus est consueta custodiri per ipsum comune seu officiales vel saltuarios comunis illius terre cuius curia vel guardia esse diceretur spacio decem annorum vel maiori vel que tanto tempore est habita et reputata per vicinos et habentes noticiam contrate de qua refferatur questio tamquam curia seu guardia vel de curia seu guardia illius comunis sive terre de qua vel de quo ageretur sive tractaretur. Et quia in nonnullis partibus comitatus seu districtus Bononie extra guardiam civitatis sunt certe contrate, que dicuntur non esse in curia seu de curia vel guardia alicuius terre et hoc absurdum videatur et ad damnum comunis Bononie redundaret et possessiones habentium in eisdem decernimus et mandamus quod vicarius potestatis teneatur requirere massarios et comunia terrarum proximiarum¹¹¹⁷ dictis contratis et inter ipsa comunia dividere ipsas contratas et cuicumque partem eius assignare divisam et terminatam prout convenientius et melius videbitur et ipsis terris et earum curiis seu guardiis adaptari. Ipsaque comunia et eorum

¹¹¹⁶ <qui> segue qui dittografato.

¹¹¹⁷ <proximiarum> corregge proximarum.

massarios compelere ad concordiam de predictis. Et ubi in totum discordes existerint ipsius vicarii arbitrio terminetur cognoscendo, procedendo et terminando sine streppitu et figura iudicii et prout concordaverit¹¹¹⁸ vel ut supra declaratum¹¹¹⁹ fuerit intelligatur esse perpetuo in curia, de curia seu guardia illius terre, cui assignabitur in totum vel pro parte quantum ad predicta et omnia alia in quibus de curia curie seu guardia terrarum mentio haberetur. Si tamen constiterit eidem vicario ipsas contratas vere esse de curia et in curia seu guardia alicuius terre hoc negantis illi tantum assignetur et in eius curia et guardia esse intelligatur. Et de hoc cognoscere, procedere terminare et declarare possit et teneatur, ut supra. Et idem in omnibus et per omnia observetur¹¹²⁰ et fiat ubi de terris et confinibus curiarum vel guardiarum inter aliqua comunia questio oriretur. Que omnia et singula facere possit et teneatur ipse vicarius tam ex suo mero officio quam etiam ad denunciationem officialis officio procuratoris¹¹²¹ comunis Bononie et nichilominus ad petitionem cuiuslibet massarii ipsarum terrarum vel alterius cuiuscumque persone vel universitatis iurantis sua interesse vel eius pro quo peteretur. Teneantur etiam massarii terrarum comitatus et districtus Bononie infra duos menses a die publicationis dictorum statutorum, et postea singulis decem annis renovare terminos curiarum suarum et eos renovatos manutenere, ita quod possint apparere et videri publice et palam quociens opus fuerit et si de curiarum confinibus questio moveretur, sub pena massario, qui tempore fuerit non facienti vel exercenti predicta, vigintiquinque librarum bononinorum.¹¹²²

¹¹¹⁸ <concordaverit> *corregge* concordaverint.

¹¹¹⁹ <declaratum> *nel testo* declatum.

¹¹²⁰ <observetur> *corregge* observentur.

¹¹²¹ <procuratoris> *corregge* procuraris.

¹¹²² *Nel margine inferiore della carta: Incipit liber sextus.*

LIBER SEXTUS

cc. 269r-303r

Incipit liber sextus de hiis que specialiter commituntur notario domini potestatis officio fanghi et stratarum civitatis Bononie.

[1] **Et primo de salegatis faciendis et manutenendis. Rubrica.** [c. 269r]

Ordinamus quod omnes strate et vie publice que sunt vel erunt in civitate Bononie per quas publice et comuniter iri et transisi solet, que sunt salegate vel solite salegari. Et etiam quelibet allia via de qua saliganda maior¹¹²³ pars vicinorum ipsius contrate fuerit in concordia. Excepta via, que est circumcircha ipsam civitatem intra et iuxta muros ipsius civitatis de qua aliter¹¹²⁴ est provisum. Et excepta strata burgi Sancti Mame a Cruçe Coperta extra seralium usque ad circulam. Et strata Saragotie a ripa exteriori fovee veteris civitatis Bononie extra seralium, usque ad viam, que dicitur via di Piçaimorti sint et esse debeant salegate, bene ordinate et composite et quilibet ante testam sue domus vel terreni adherentis tali strate seu vie teneatur facere, fieri refici vel reaptari facere suis expensis saligatam predictam, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet vice. Item dicimus, quod si debuerit fieri aliqua salegata vel reffici ante domos, que sunt super alieno terreno quod debeat reffici seu fieri expensis scilicet domini cuius est terrenum pro dimidia et eius qui habet hedifitium pro alia dimidia. Teneatur tamen superfitiarius totam expensam facere et partem proprietario contingentem retinere possit de annua pensione solvenda, donec de ea sibi fuerit satisfactum. Et dicimus, quod salegate fieri debeant equales et plane, ita quod per eas possit iri eques et pedes sine periculo sub eadem pena, ita quod aque suum solitum et debitum habeant et habere possint decursum et que sunt inequales coequentur ad petitionem cuiuslibet. Item dicimus quod salegate, que sunt in capite viarum debeant manuteneri et reffici quando devastarentur per ipsos, qui possident domus angulares in capite ipsarum viarum. Allie vero salegate, que essent in alio locho per civitatem Bononie, que viderenter esse in publico manuteneantur et refficiantur per illos, qui habent domos circa ipsam salegatam in publico positam quatenus protenditur aliqua domus posita in aspectu ipsius loci publici vel in publico positi vel per vicinos consuetos facere manuteneri huiusmodi salegatam vel per comune Bononie si per ipsum comune Bononie fieri consuevit. Preterea dicimus, quod si aliqua via remanserit ad salegandum vel salegata non sit vel solita salegari in civitate Bononie et placuerit maiori parti vicinorum illius contrate quod debeat salegari, fiat ibi salegata, ut supra, et ad hoc compellantur vicini illius contrate pro rata predicta per notarium domini potestatis prepositum salegatis et aliter non compellantur, nisi ut dictum est. Et ydem intelligatur de stratis burgorum civitatis Bononie videlicet Strate Maioris, strate Sancti Vitalis, strate Sancti Donati et strate burgi Galerie quatenus nostris statutis terminate sunt. Que omnino saligentium saltem de codalis expensis vicinorum, ut supra si fuerit de voluntate ipsorum vicinorum vel maioris partis ipsorum. Item dicimus de hiis qui habent aliquas curias vel trivia comunia, quod si maior pars fuerit in concordia salegandi ipsa vel ipsas, quod alii compellantur ad salegandum et quod ita fiat et procuretur per notarium supradictum. Quilibet tamen in quolibet ex predictis casibus sit excusatus pro eo tempore, quo reperiri comode non possint lapides cocti ubi de talibus lapidibus fieri non deberet omnino. Et predictorum omnium officium sit dicti notarii, qui de predictis singulis octo diebus inquirere per se ipsum et fieri facere supradicta et

¹¹²³ <maior> *corregge* maggior.

¹¹²⁴ <aliter> *corregge* alias.

etiam fieri reaptari et manuteneri clavigas et discussoria per quas et que aque ipsarum stratarum et viarum et ipse vie et strate purgantur et discolantur.

[2] De pena mingentis in pallatiis seu domibus pallatiorum. Rubrica. [c. 269r]

Prohibemus etiam quod nullus, qui esset de familia domini potestatis vel alicuius alterius officialis comunis Bononie vel allia quecumque persona in palatiis seu domibus palatiorum comunis Bononie vel in salis sceu scalis eorundem mingat vel aliam putredine fatiat. Et siquis contrafecerit condapnetur in viginti solidis bononinorum, cuius bamni medietas sit comunis et allia achuxantis. Et teneatur notarius stratarum saltem bis in die inquirere et procedere suo officio et etiam ad petitionem cuiuscumque palam et secrete denuntiantis, sub pena librarum vigintiquinque bononinorum eidem auferenda tempore sindichatus et si talis contrafatiens non solverit condepnationem infra terminum qui competit condempnatis potestas teneatur eum facere poni ad catenam, que est iusta crucem platee. Et de predictis excipimus loca privata comunis Bononie ad predictum uxum deputata.//

[c. 269v]

[3] De modo altitudinis discorum et stangarum pallatii veteris comunis Bononie. Rubrica. [c. 269v]

Ordinamus quod disca et stange palatiorum comunis Bononie semper sint altitudinis ad plus trium pedum comunis. Et si qua sunt maglioris altitudinis deprimantur usque ad predictum modum et notarius domini potestatis, qui preest stratis et salegatis teneatur predicta fieri facere et manuteneri expensis comunis Bononie. Item dicimus, quod ad disca dominorum vicarii domini potestatis et domini capitanei et iudicis Aquile deputata et discum mallefitiorum sint et fiant due stanghe, quarum una distet ab alia per duos pedes intra illam stangam, que est propinquior disco stent avvocati et nullus alius et eis non existentibus possint ibi stare procuratores et intra secundam stangam stent procuratores partes autem vel quivis alius ibi intrare vel morari non possit dum iudex sedet pro iure reddendo, sub pena cuilibet contrafacienti quinque solidorum bononinorum de facto auferendorum quas stangas potestas fieri facere teneatur per masarolum comunis expensis infra mensem a die publicationis horum statutorum, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum.

[4] De cedis et muris comunibus clausis tenendis. Rubrica. [c. 269v]

Statuimus quod cede, sepes et vie et etiam muri et parietes comunes in civitate Bononie et extra per burgos et totam guardiam teneantur clausi et clause expensis comunibus utriusque conferendis pro rata portionis eius quam quilibet haberet in ipsa cedis, sepibus, viis et muris seu parietibus. Et notarius domini potestatis stratis deputatus teneatur predicta fieri facere ad petitionem cuiuslibet, qui talem comunem haberet. Item quod siquis haberet murum proprium super terreno proprio inter se domum, ortum vel curiam vicini sui vel iuxta vicinum predictum infra duos pedes teneatur illum manuteneri clausum et ellevatum modo consueto si hedifitium haberet si vero suum hedifitium derueretur ipsum manuteneri non teneatur, sed vicinus tamen donec hedificaretur de novo et etiam teneatur talis habens murum ut supra et vicinus in casu proxime dicto eum manuteneri sine alliquo hostio vel fenestra vel aliquo alio foramine, nisi haberet pro necessitate luminis in domo sua aliquam fenestram vel foramen, quo casu liceat sibi habere, si aliunde comode haberi non possit, dum ipsam vel ipsum ita altum vel altam tenere debeat, si comode teneri potest, quod non habeat

prospectum in domum vel ortum vicini et illum vel illud habere et tenere debeat feratum seu feratam, ita quod non possit per eam additus haberi in domum vel ortum vel super domum vel ortum vicini expensis propriis, nisi iure servitutis liceret hostium, foramen vel fenestram sibi habere, quo casu iure suo uti possit. Et ubi sepes, ceda vel murus non esset vel solitus esse fieri debeat de novo super comuni terreno expensis utriusque, ut supra. Et predicta dictus notarius fieri facere teneatur et possit. Item dicimus, quod nemini liceat in domo propria vel conducta seu muro proprio vel terreno seu conducto aliquod hedifitium facere vel habere seu tenere iam factum super vel supra domum seu terrenum vicini, nisi iure servitutis liceret ut supra. Et si quis contrafecerit vel habuerit illud remove teneatur, sub pena viginti quinque librarum bononinorum. Et nichilominus ad hoc compellatur per notarium supradictum. Et teneatur etiam dictus notarius inquirere ad petitionem cuiuscumque si quis habeat murum iuxta viam aliquam per quam comuniter transeat qui¹¹²⁵ minaretur ruinam et cumpellere illum ad quem pertineret ipsum refficere vel in terram deicere, ita¹¹²⁶ quod transeuntes verisimiliter ledere non possit.

[5] **De pena eius qui ingomboraverit plateam comunis Bononie vel porticum.** [cc. 269v-270r]

Statuimus¹¹²⁷ quod nulla persona debeat ingomborare vel ingomboratam tenere plateam comunis Bononie discis, banchis, stationibus, lobiis scanis vel fraschis vel alterius cuiuscunque conditionis nec etiam lignamine, palea vel feno vel graditiis, sestoriis, vegetibus vel aliis rebus ibidem firmis tenendis ultra unam diem per quas impediatur vel impediri videretur liber et expeditus accessus et reditus per plateam comunis Bononie, nec in ea predicta vel alliquod predictorum tenere vel habere a porticibus palatii extra ab aliqua parte scilicet a mane vel sero a latere superiori et a terminis platee predicte intra qui sunt circa ipsam plateam. Et quicumque contrafecerit solvat nomine//

[c. 270r f. CCLXIII^o]

banni quadraginta solidos bononinorum pro qualibet vice exceptis tricolis herbarum et pullorum et alliorum victualium dum tamen non possint tenere tendas allicuius generis. Tricole vero fructuum possint tenere tendas de panno levatas a terra circumcirca saltem quatuor pedibus. Que tricule fructuum et herbarum et pullorum, et vendentes pisces vel gambaros non possint morari citra crucem platee comunis versus palatium sive arengeriam comunis dum protenditur tota platea. Et exceptis illis rebus, que venirent vel conducerentur super alliquibus bestiis causa vendendi in illa die qua conducerentur vel sequenti. Et excepto vino vel blado, que conducerentur causa vendendi et aliis victualibus, que possent teneri ad voluntatem¹¹²⁸ eorum quorum fuerit dum tamen sine tendis excepto eo quod supra dictum est. Et excepta logia folixellorum, que possint teneri ubi est consueta et tempore consueto, et exceptis aliis rebus venalibus, que singulis diebus possint portari et teneri ibidem ad vendendum dummodo exportentur de sero et etiam de die quando necessarium videretur. Et ydem quod de platea comunis Bononie dictum est dicimus de trivio porte Ravenatis prout protenduntur platee dicti trivii et crucis. Salvo in predictis omnibus iure comunis Bononie et cuiuslibet singularis persone ab eo ius pretendentis et dicimus, quod potestas et eius vicarius et notarius predictus stratarum teneatur facere et curare cum effectu quod

¹¹²⁵ <qui> in infralinea con segno di inserzione.

¹¹²⁶ <ita> in infralinea con segno di inserzione.

¹¹²⁷ <La prima lettera è una O decorata, ma il resto della parola è tatuimus.

¹¹²⁸ <voluntatem> corregge voluptatem.

marochi seu baraterii vel meretrices publice non debeant morari in scalis pallacii comunis Bononie vel sub porticibus ipsorum palatiorum ab aliqua parte vel prope scalas palacii per tres perticas, nec in trivio porte Ravenatis nec sub portichu ecclesie Sancti Bartholi porte Ravenatis, nec etiam patiantur venire, esse vel stare dictas meretrices in palatiis vel domibus palatiorum comunis Bononie. Et si aliquis¹¹²⁹ vel aliqua repertus vel reperta fuerit ibi morari vel esse teneantur potestas et dictus notarius ipsum et ipsam facere fustigari. Et insuper ipsum et ipsam apponi fatiat ad catenam quandam constructam seu de novo construendam in muro sceu pilastro crucis platee comunis Bononie ad quam stare debeat per totam diem. Item dicimus quod aliqui tricoli vel tricole, pollaroli vel pollarole non audeant stare seu morari iuxta scalas palacii veteris comunis Bononie, nec sub porticibus¹¹³⁰ suis per unam perticam, nec ibi gaibas, panerios vel alia instrumenta ad tenendum fructus, herbas vel pullos et ova tenere nec morari inter deferentes undecumque predicta vel aliquod predictorum, sub pena decem solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice de quibus teneatur vicarius domini potestatis et quilibet alius officialis et dictus notarius singulis diebus inquirere et contrafacientes punire ac etiam ad petitionem cuiuscumque requirentis predictos expellere, sub pena librarum vigintiquinque bononinorum. Plateam autem intelligimus quantum ad predicta extra stilicidia palatiorum dominorum antianorum potestatis et capitanei comunis et populi Bononie et lociam stipendiariorum comunis Bononie et aliarum domorum et existentium circa ipsam plateam.

[6] Quod becharii vel piscatores vel aliqui alii non fatianti immunditias in platea comunis vel in trivio porte Ravenatis. Rubrica. [cc. 270r-270v]

Ordinamus quod nemo proitiat vel proici faciat in platea comunis Bononie vel in trivium porte Ravenatis aliqua animalia fetida vel mortua nec pisces vel gambaros mortuos sceu marcidos nec aliquam turpem vel fetidam rem aut ruscum vel spaçaturam vel letamen vel immonditias carniū vel aliquid putridum. Item quod nullus becharius vel aliquis alius interficiat vel interficere vel scaldumare debeat aliquod animal prope plateam comunis Bononie per quatuor perticas, nec in ipsa platea sanguinem alicuius animalis efundere vel budelas vel ventrem, nec per se vel alium vendere carnes mortuas morbo sceu morte naturali. Et dicimus, quod omnes et singuli vendentes vel aliquam artem fatientes super platea comunis Bononie vel iuxta plateam dicti comunis vel in triviis porte Ravenatis vel iuxta ipsa trivium singulis octo diebus teneatur purgare seu purgari facere plateam comunis Bononie et trivium porte Ravenatis omni immunditia et pro ipsa purgatione recipere possit ille qui breve pro scopanda platea habuerit colligere ad plus a quolibet unum denarium semel tamen in septimana et nichil aliud percipere possit dicta de causa. E qui contra predicta vel aliquod predictorum fecerit vel ea, ut premititur, //

[c. 270v]

non observaverit condampnetur pro qualibet vice in quadraginta solidis bononinorum et quilibet possit accusare et denunciare contrafacientes et non observantes et credatur dicto accusantis vel denuntiantis sacramento de novo prestito et habeat medietatem condempnationis. Et potestas teneatur predicta in predictis locis facere preconiciari singulis mensibus per bannitores comunis Bononie et predicta procuret notarius domini potestatis, qui preest salegatis et stratis civitatis Bononie. Et ad predictam purgationem fatiendam teneantur et compelli possint habentes apotechas iuxta ipsam plateam vel trivium vel stationes circumcirca plateam et trivium supradicta porte Ravenatis.

¹¹²⁹ <aliquis> *corregge* quis

¹¹³⁰ <porticibus> *corregge* portibus

[7] **De pena tenentis aliquod impediens¹¹³¹ iter publicum extra columnas circumquaque plateam comunis Bononie vel trivium porte Ravenatis. Rubrica.** [c. 270v]

Statuimus quod aliquis non habeat vel teneat extra columnas domorum vel muros domorum, que sunt circumcirca plateam comunis aliqua lignamina neque circulos, que vel qui impediunt iter per plateam comunis de die vel de nocte. Et qui contrafecerit condampnetur in centum solidis bononinorum, sive sit dominus domus qui contrafecerit, sive sit habitator, sive inquilinus, sive tabernarius, sive hospitator vel alia persona qui vel que contrafecerit. Item dicimus quod nullus audeat habere vel tenere mercationis causa fenum, paleam vel paveriam in domibus, que sunt prope plateam comunis vel trivium porte Ravenatis vel palatia seu domos canonicè magloris ecclesie Sancti Petri episcopatus Bononie per treginta perticas, sub pena viginti quinque librarum bononinorum. Salvo quod albergatores et tricoli et tabernarii possint tenere fenum in fassis ligatis et paleas scilicet albergatores tantum quantum sufficiat hospitibus pro una sola nocte et tricoli non ultra quatuor fassos. Salvo quod fatientes gaibas ciatorum possint tenere unum fasum de paveriis vel duos ad plus. Et quilibet possit accusare et denunciare contrafacientes et habeat medietatem bamni. Et dicimus, quod nullus tricolus vel tricola vel aliqua alia persona teneat vel tenere possit in platea comunis Bononie fenum vel palleas, nisi in fassis et in ea quantitate ut predicatur. Et quod nullus in dictis fassis habeat fenum vel palleas marcidas vel ruscadium et si quis contrafecerit condampnetur pro quolibet fasso tam feni quam palle in viginti solidis bononinorum. Que omnia ad officium notarium stratarum domini potestatis pertineant. Excipimus a predictis dominum potestatem et dominum capitaneum populi et officiales comunis Bononie habitantes in platea vel iuxta plateam predictam.

[8] **Quod aliquis currus ponderatus lignamine non debeat stare in platea. Rubrica.** [c. 270v]

Ad hoc ut forum victualium in platea comunis et in trivio porte Ravenatis pretestu curuum non impediatur statuimus, quod aliqua persona non audeat vel presumat conducere vel tenere ad vendendum aliquo modo vel ingenio aliquem vel aliquos curus honeratum vel honeratos aliquo genere lignamine vel pallea vel feno, nec subtus pallatia comunis, nec prope plateam comunis vel prope trivium porte Ravenatis per decem perticas, nec ipsos descaregare vendendi causa vel descaregatos tenere in dictis locis pena et banno cuilibet contrafacienti decem solidorum bononinorum pro qualibet vice. Et predicta et in sequenti statuto contenta facere bamnare teneatur potestas infra quindecim dies post publicationem huius statuti et sucesive singulis sex mensibus infra quindecim dies introitu sui regiminis per civitatem Bononie et burgos in locis consuetis. Et predicta pertineant ad officium notarii stratarum domini potestatis.

[9] **De porticibus fiendis et factis manutenendis in civitate Bononie et burgis. Rubrica.** [cc. 270v-271r]

Statuimus quod omnes et singuli habentes in civitate Bononie vel burgis domos que solite sunt seu congruenter habere possunt porticus ipsas porticus si facte non sunt teneantur fieri facere et compellere quilibet suam testam pena decem libris bononinorum. Et nichilominus facere fieri compellatur. Si autem facte sunt manuteneantur perpetuo cum suis grondariis//

¹¹³¹ <impediens> *corregge* impediens.

[c. 271r f. CCLXV]

et stilicidiis versus stratam, ita quod non possint transeuntes offendere expensis eorum quorum predicte domus sunt vel erunt sceu ad quos pertinerent. Si que vero domus de novo fierent debeant habere sufficientes porticus ex latere vie sceu strate et in eis manuteneantur, ut supra, sub pena predicta. Et predicta pertineant ad officium notarii stratarum domini potestatis. Et debeat esse quelibet porticus de novo fienda altitudinis decem pedum ad minus per totum et¹¹³² latitudinis decem pedum, si comode sic fieri potest. Porticus autem iam facte, si fuerint latitudinis septem pedum ad minus sine omni ingomboramento et octo pedum altitudinis ad minus per totum, non removeantur invito possessore. Si vero minus late vel alte essent, tunc ad modum congruum reducantur arbitrio notarii supradicti que porticus libere et expedite teneantur sine aliquo imbrigamento, ita quod per eas libere pedes transiri possit sine impedimento bancarum vel aliorum apponendorum, affisorum vel non affisorum vel laborantium saltem pro duabus partibus ex tribus partibus porticus ad minus si ipsa porticus fuerit latitudinis octo pedum vel abinde supra. Si vero fuerit minoris latitudinis, tunc pro tribus partibus ex quatuor partibus libera et expedita dimittatur pena quadraginta solidorum pro quolibet afiso in viginti solidorum bononinorum pro quolibet non affixo sceu laborante et nichilominus appositum removeatur sceu laborare prohibeatur et quilibet possit accusare et denunciare et habeat condemnationis medietatem.

[10] De domibus non demoliendis in civitate Bononie. Rubrica. [c. 271r]

Obviare volentes ne ex demolitione edificiorum civitatis Bononie ipsius aspectus publicum deformetur statuimus, quod nullum hedifitium domus posite in civitate Bononie possit vel debeat modo alliquo demoliri etiam per illum, ad quem pertineret vel de voluntate seu mandato ipsius, nisi tale hedifitium reffici vel in alium statum congruum reformari deberet vel de solo ipsius, curia sceu curtile fieri iuxta domum, quam iuxta illud hedifitium vel eius solum haberet is ad quem pertinet. Quam refectionem sceu reformationem facere teneatur infra quatuor menses subsequentes demolitionem factam vel infra alium terminum statuendum arbitrio domini potestatis vel eius vicarii, considerata qualitate personarum et operis sceu hedifitii fiendi, sub pena quinqueginta librarum bononinorum. Et nichilominus refficere teneatur. Mandantes etiam quod de mandato vel ex officio alicuius officialis comunis Bononie etiam dicta hedifitia destrui sceu demoliri non possint aliqua ratione vel causa in totum vel pro parte, nisi in casibus permissis ex forma nostrorum statutorum. Et si quis officialis contrafecerit eandem penam incurat applicandam, ut supra.

[11] De possessionibus positis in terris confinium comitatus Bononie non vendendis vel alienandis et de penis contrafatientium. Rubrica. [cc. 271r-271v]

Mandamus quod alique res immobiles posite in alliquibus terris sceu curiis positis in confinibus comitatus Bononie sceu districtus vendi vel allio titulo allienari non possit alicui vicinie civitatis vel comitati vel alicui de ipsis viciniis, civitatibus vel comitatus vel habitatori ipsarum vel alicui alteri, qui non sit civis Bononie vel fumans sceu extimatus comitatus Bononie vel districtus. Nec ius aliquod reale, quod competeret in possessionibus antedictis, alienare vel constituere seu cedere hiis, qui prohibentur ut supra. Et quod contrafieret decernimus non valere et tales res alteri vendite seu allienate de facto ipso iure et facto publicentur et publicate intelligantur in comuni Bononie. Et nichilominus qui contrafecerit penam incidat dupli comunis extimationis ipsarum

¹¹³² <et> *segue* altitudinis *depennato*.

possessionum seu rerum. Et si non venerit ad mandata de hoc requisitus ponatur in perpetuo bamno tanquam proditor et rebelis comunis Bononie et emptori de ipsis vel pro ipsis possessionibus ius aliquod non reddatur. Et si talis contractus fieret in civitate Bononie vel eius teritorio ipse emptor penam similem patiatur nullusque tales possessiones vel res venditas sceu alienatas, ut supra, audeat laborare vel tenere, nisi solum nomine comunis Bononie vel habentium causam ab eodem sub eadem pena. Et teneatur potestas Bononie singulis tribus mensibus preconizari facere predicta per totam civitatem Bononie, sub pena centum librarum bononinorum pro qualibet vice, qua obmiserit dictam proclamationem fieri facere, eidem auferenda tempore sui sindicatus. Mandamus etiam quod potestas Bononie, qui nunc est vel pro tempore fuerit teneatur facere executionem//

[c. 271v]

omnium predictorum et in quolibet casu, sub pena mille librarum bononinorum eidem auferenda tempore sui sindicatus. Et quilibet possit denunciare palam vel secrete omnes contrafacientes dicto domino potestati et denuntians habeat et habere debeat tertiam partem eius quod denunciaverit venditum vel alienatum fore contra formam huius statuti.

[12] De pontibus super vias publicas non fatiendis. Rubrica. [c. 271v]

Statuimus quod nullus deinceps pontem aliquem apponat sceu andavinos super viis et stratis publicis de lapidibus sceu lignamine de una domo ad alliam. Et quicumque aliquem de dictis pontibus vel andavinis deinceps apposuerit teneatur ipsos amovere et potestas teneatur hoc fieri facere et quicumque de novo fecerit et factum deinceps non amoverit cum preceptum eidem fuerit per dominum potestatem vel aliquem de sua familia puniatur et condampnetur in vigintiquinque libris bononinorum et nichilominus teneatur pontem destruere et amovere. Et hoc pertineat ad officium dicti notari officio stratarum. Et hec locum habeant in stratis directis ad portas civitatis vel ad plateam vel ad trivium porte Ravenatis tendentibus. Nec etiam in aliis, nisi obtenta licentia a dominis antianis, quam concedere possint considerata qualitate loci.

[13] De pena tenentium per viam qua itur ab ecclesia Sancti Petri ad plateam aliquod impedimentum transeuntibus. Rubrica. [c. 271v]

Item statuimus, ad hoc ut quilibet possit ire et redire ab ecclesia Sancti Petri ad plateam sine impedimento, quod nulla persona audeat vel presumat a dicta ecclesia recta via usque ad plateam predictam laborare in via sceu porticibus bancas, turlos vel mastelos vel aliquod genus alicuius lignaminis a muris domorum usque ad stratam. Et siquis contrafecerit solvat nomine bamni viginti solidos bononinorum pro qualibet vice. Salvo quod predicta non habent locum tempore confectionis vel reatationis alliquarum domorum et predicta pertineant ad officium notarii domini potestatis deputati ad stratas et immunditias.

[14] De pena dampnum dantis in foveis civitatis. Rubrica. [c. 271v]

Ordinamus quod nullus debeat dampnum dare in foveis civitatis accipiendo terram vel devastando ripas. Et quicumque contrafecerit condampnetur pro qualibet vice in quadraginta solidis bononinorum.

[15] De portis et foveis civitatis et ripis earum et Aposa et eius alveo reparandis et manutenendis. Rubrica. [cc. 271v-272r]

Dicimus quod dominus potestas semel suo tempore infra duos menses ab ingressu sui regiminis teneatur revidere cum duobus sapientibus pro quolibet quarterio elligendis per dominos antianos foveas civitatis et circulas et portas circularum et posterlarum et muros ipsarum circularum et civitatis. Et redigi facere in scriptis in quibus locis necesse fuerit ipsa vel ipsos reaptari et procurare quod reparentur. Dicimus etiam quod dominus potestas teneatur manutenere vias, que sunt a latere interiori murorum novorum et iuxta muros civitatis vel extra foveas civitatis predictae secundum quod in registris comunis Bononie manu Leonardi Fortissonagli notarii et Dragonis notarii continetur vel aliter prout expedire videbitur et recuperare a quolibet, qui occupaverit qui de iure a comuni Bononie non habeat. Et quod per aliquam personam, collegium vel universitatem habentem aliquod hedifitium super publicis comunis Bononie vel viis vel aliter reptinentem vel possidentem de publicis comunis Bononie non possit aliqua prescriptio temporis obici vel opponi, nec ius possidenti aliquo modo acquiri sed ad comune Bononie intelligatur pleno iure spectare. Item dicimus, quod de ripis// [c. 272r f. CCLXVI]

circule vel fovearum nullus debeat occupare vel occupatam modo aliquo habere vel tenere nec de viis, que sunt circa dictas foveas sceu muros civitatis. Et qui contrafecerit condampnetur pro qualibet vice in decem libris bononinorum et restituat occupatum. Dicimus etiam quod vie, que sunt intus et extra foveas circularum disgombrentur, reparentur et reaptentur. Ita quod intus sint latitudinis quadraginta pedum ad minus a muro civitatis. Salvo quod ex opposito muri domorum monasterii Sancte Agnetis. Et si quod hedifitium erit in predictis locis vel infra predicta loca quod non esset comunis, sed esset alicuius private persone extimetur et destruatur et solvatur pretium ei cuius fuerit hedifitium pro comune Bononie. Preterea dicimus, quod porte que sunt super Aposam vel in porta Sancti Proculi et pontes, qui ibi sunt vel fuerint custodiantur tunc et eo tempore quo alie circule custodiuntur et manuteneantur expensis comunis. Dicimus etiam quod per comune Bononie fiant ubi opus fuerit pontes et clavige circumquaque muros et foveas intus et extra, ita quod quilibet possit inde pedes et eques ire cum curru et animalibus. Et potestas teneatur predicta procurare pro posse et effectui demandare, sub pena centum librarum bononinorum. Teneatur etiam facere et procurare quod aqua Apose discurat per locum, sive alveum antiquum¹¹³³, qui locus disgomboretur et ipsum locum et alveum disgomborari faciat ab introitu civitatis, usque ad exitum ita et taliter quod nulla clusa vel aliquod aliud sit in ipso alveo salvo clusa, que est iuxta seralium seu trivium positum iuxta fratres de Carmelo a latere desubtus, que clusa manuteneri debeat, nisi utilius videatur ipsam amoveri. Extra vero civitatem Bononie reducatur cursus aque Apose predictae ad alveum antiquum et solitum expensis habentium possessiones prope alveum predictum quousque durat cursus ipsius aque. Et quod de ceptero nichil fiat contra predicta vel in preiudicium aliquorum ex predictis, sub pena centum librarum bononinorum. Si quis vero letamen, preiudicium vel spaçaturam proiecerit in dicta Aposa condampnetur in solidis viginti pro qualibet vice et potestas et officialis stratarum teneantur facere quodlibet predictorum fieri observari et de predictis contrafacientibus inquirere singulis mensibus ex mero suo officio et ad petitionem cuiuslibet accuxantis sceu denuntiantis, sub pena dicto domino potestati centum librarum bononinorum et notario eius, qui obmiserit vigintiquinque librarum. Et contrafacientes puniantur et condampnentur secundum formam statutorum. Et ad tollendum omne impedimentum compellere suis expensis quibuscumque iuris remediis oportunis. Si vero dubitatur quis proiecisset habens ante fatiem domus habitationis sue

¹¹³³ <antiquum> *nel testo* antquum.

presumatur proiecise et tollere compellatur, nisi ostendent proietorem, sub pena predicta comuni Bononie applicanda, ut supra.

[16] **De guaçatorio porte Sancti Proculi et eius claviga. Rubrica.** [cc. 272r-272v]

Cum hoc sit quod aqua guaçatorii quod est in quarterio porte Sancti Proculi sit utilis et neccesaria pontisie hominibus habitantibus in dicto quarterio Sancti Proculi nec sit decens atque conveniens quod tam¹¹³⁴ antiquum opus et tam salubre publicum comunis Bononie destruat et per singulares personas occupetur et occupatum teneatur in dampnum et preiudicium comunis Bononie et hominum et personarum habitantium in dicto quarterio Sancti Proculi provida deliberatione statuimus et ordinamus quod notarius et officialis stratarum, qui est et pro tempore erit, teneatur et debeat vinculo sacramenti et ad penam librarum centum bononinorum dictum guaçatorium et clavigam ipsius remondari et disgomborari facere et remondatum et disgomboratum manuteneri et conservari facere expensis hominum et personarum dicti quarterii. Nec non inquirere et inquisitionem facere de iuribus dicti guaçatorii et de tereno et in iuris existentibus circumcirca dictum guaçatorium pertinentibus et spectantibus quoquomodo ad ipsum guaçatorium et tolli et ellevari facere quecumque hedifitia sceu arbores existentia sceu existentes super muros sceu terrenum ipsius guaçatorii et spectans ad ipsum guaçatorium. Et quia ut plurimum dictum guaçatorium est repletum terreno predicto et aliis imunditiis per homines et personas habitantes circumcirca dictum guaçatorium possit, teneatur et debeat ipse notarius et officialis claudi et murari facere quascumque fenestras domorum positaram circa dictum guaçatorium per quas proitiantur et proici possint in dictum guaçatorium alique inmunditie. Addicientes quod dictus officialis// [c. 272v]

teneatur et debeat clavigam dicti guaçatorii, que decurrit in flumen Apose taliter reaptari et reffici facere quod aqua descendens de dicto guaçatorio libere et expedite discurre possit in ipsum flumen Apose. Item quod nemo audeat vel presumat de ceptero aliquid proicere sceu proici facere in ipsum guaçatorium sceu clavigam ipsius frangere seu forare vel foramen facere, sub pena viginti quinque librarum bononinorum.

[17] **De pena custodum portarum civitatis non custodientium ut debent. Rubrica.** [c. 272v]

Ordinamus quod custodes deputati sceu deputandi ad custodiam portarum civitatis Bononie sceu alii morantes ad dictas portas custodire debeant bene et dilligenter dictas portas prout et sicut iniunctum eis fuerit pro parte dominorum antianorum comunis Bononie nec audeant vel presumant aliquod accipere ab aliquibus deferentibus in curibus vel extra currus victualia, fructus, ligna vel allia quecumque ad civitatem Bononie a sponte dare volentibus, sub pena in statutis nostris contenta pro qualibet vice eisdem auferenda per dominum potestatem vel per dominum capitaneum populi de facto absque aliqua condempnatione facta eidem fide per quoscumque per sacramentum deferentis et querimoniam fatientis, cuius pene medietas aplicetur comuni et alia medietas deferenti et conquerenti. Et nichilominus dampnum emendat. Et quod capitanei portarum pro sociis delinquentibus teneantur et eandem penam patiantur predicti pro dampnis ab eis datis in possessionibus sitis in civitate vel guardia civitatis Bononie de quibus damnis credatur ut supra.

[18] **De aqua Navigii manutenenda. Rubrica.** [cc. 272v-273r]

¹¹³⁴ < tam > nel testo tan.

¹¹³⁵Statuimus quod aqua Navigii manuteneatur, ita quod ruta vel tagliata non fiat in aliquo loco et quelibet terra per quam sceu per cuius curiam decurrit dicta aqua teneantur hoc providere et si fieri acciderit aliquam ruptam sceu tagliatam infra triduum debeat reaptari per comune illius terre in cuius curia illud evenerit, sub pena quinqueginta librarum bononinorum pro quolibet comuni sceu terra. Et si quis dederit operam quod aliqua ruta vel tagliata fiat puniatur in quinqueginta libris bononinorum. Et saltuarii cuiuslibet terre procurent et custodiant, ne fiant in eorum curiis et si fierent teneantur denunciare potestati sceu notariis ad officium stratarum et quilibet possit denunciare et habeat medietatem pene. Item dicimus, quod aliqua persona, terra vel universitas non debeat trahere sceu trai facere per aliquam duciam vel clavigam vel aliquem aqueductum aliquo modo de aqua Reni comunis Bononie a molendis comunis Bononie supra nec infra durante canali vel Navigio, nisi prout permissum est vel permitteretur per comune Bononie vel alium, qui haberet vel habuisset potestatem conducendi et quicumque contrafecerit condapnetur in quinqueginta libris bononinorum et insuper auferatur aqua illi vel illis, qui de supradicta aqua traherent vel trahi facerent vel accepissent. Et quod dutie, clavige et aqueductus eorum expensis claudantur et destruantur. Salvo semper quod a dictis molendinis supra, hiis temporibus, quibus ipsa molendina haberent penuriam aque et molerent, nuli liceat aliquo modo de ipsa aqua extrahere vel extrahi facere etiam pretestu alicuius concessionis sibi facte, sub pena quantitatis predictae de quibus omnibus et singulis notarius domini potestatis, qui stratis preerit inquirere teneatur et predicta pertineant ad officium notarii predicti. Aditentes¹¹³⁶ quod liceat fratribus de Çertusia conventus Bononie pro usu sui conventus in purgationem domorum ipsius loci de aqua dicti canalisi Reni extrahere et ad domos predictas conducere preterquam temporibus supradictis. Item quod pons Poledranus super canale et pons de Peula reffitiantur et compillentur de lapidibus in loco consueto, ubi solitus erat esse a decem anis retro, si locus est abilis, alias in loco ibi magis propinquo et abili de lapidibus manuteneatur expensis eorum comunium et aliorum, que sceu qui ad ipsos pontes conferre consueverunt. Et hoc fieri facere teneatur officialis officio aquarum et stratarum comitatus ad petitionem cuiuscumque et quod ad constructionem et reparationem dictorum pontium teneantur pro rata suorum exstimorum conferre et honus subire infrascripta comunia: comune Sancte Marie in Donis, comune Peule, comune Castagnoli Minoris, comune Spixi, comune Tiçaneli, comune Castagnoli Magloris, comune Funi, comune Sancti Laurentii in Funi, comune Sancti Georgii de Plano, comune Zinquante, comune Fregaroli, comune Urbiçani et Vilenove//
[c. 273r f. CCLXVII]

comune Ulmi, comune Cenachi et Roarie, comune Gavaseti, comune Altedi, comune Saliceti, comune Sancti Marini, comune Saleti, comune Lovoleti, comune Coloreti, comune Minervii. Et omnia allia comunia usitata conferre ad constructionem et conservationem dictorum pontium vel alterius comunis. Aditentes etiam quod pons terre Coloreti fieri debeat de bono et sufficienti lignamine et sic factum et reparatum manuteneri expensis infrascriptorum comunium videlicet: comunis Coloreti, comunis Spisi, comunis Tiçanelli, comunis Sancti Laurentii in Funi, comunis Funi, comunis Bondaneli, comunis Castagnoli Maioris, comunis Castagnoli Minoris, comunis Sancte Marie in Donis, comunis Saliceti et comunis Sancti Marini. Que omnia cogi et compelli possint ad predicta sumarie et de plano per officiales predictos, qui officiales ipsa comunia ad predicta fatienda cogere teneantur, sub pena qualibet centum librarum bononinorum.

¹¹³⁵ *Sul margine laterale sinistro di questo paragrafo è tracciata una manicola.*

¹¹³⁶ <aditentes> nel testo aditentes.

[19] **De pena immitentis putredinem in aqua canalis Reni vel aliquod turpe deitientis vel habentis. Rubrica.** [cc. 273r-273v]

Statuimus et ordinamus, quod aquam Navigii sceu canalis Reni per quod aqua Reni decurrit ad molendina comunis Bononie nullus audeat deturpare in aliqua eius parte a flumine Reni usque ad burgum Galerie, nec habere vel tenere aliquid propter quod vel ex quo vel eius ocaxione ipsa aqua possit modo alliquo deturpari vel minus nitida esse vel fieri et si quod est tollatur. Et quod sedilia omnia et saguatoria et quecumque alia ex quibus aliquid turpe possit decurere vel cadere vel inmicti in ipsam aquam debeant tolli et perpetuo non possint reffici nec aliquid de novo fieri in alliqua parte ipsius canalis quatenus decurrit per ipsam civitatem Bononie, nec a civitate Bononie supra usque ad clusam lapideam. Et etiam omnes clavige, decursoria et quecumque alia loca ex quibus aliqua putrido vel turpe possit emanare vel decurere ad ipsam vel in ipsam aquam debeant claudi et murari et perpetuo clausa et murata manteneri, nec possit de novo alliquid fieri et adeo bene et de bonis lapidibus et calcina manteneantur expensis vicinorum predictis utentium vel qui sunt soliti uti vel aliquam comoditatem percipere, quod modo aliquo non possit ipsa aqua deturpari vel immunda fieri. Item quod nullus occupet vel aprehandat de loco consueto dicti canalis cum aliquo hedifitio et si quis contrafecerit removeat. Et quod nulla persona ponat vel poni fatiat vel permitat coria vel pelles vel lanam vel linum vel caneavam vel pilum alicuius animalis in ipsam aquam, nec lavet vel lavari fatiat a dicto burgo supra, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Salvo quod equi et alia animalia possint inpune in ipsam aquam ad bibendum more solito duci. Quelibet vero persona, que pannos lavaret in dicto Navigio, puniatur pro qualibet vice per notarium fanghi, usque ad decem solidos bononinorum arbitrio suo et non ultra. Et insuper considerantes quod propter aquam fosati comunis quod est prope muros veteres civitatis in quarterio porte Sterii et supra per quod decurrit et decurrere potest aqua clavige fratrum Minorum de Bononia et canale Reni deturpatur et sit minus nitida. Mandamus quod in loco, qui dicitur punta Morandi, ubi consuevit intrare dicta aqua in dictum canale fiat et fieri debeat quedam claviga sive conductus de lapidibus sub fundo dicti canalis sceu allio modo si melius videbitur, ita quod per dictum fosatum aliqua putredo non deveniat in dictum canale, sed quod dicta aqua per dictum fosatum decurens deveniat et decurat in Flacalcollum vel ubi comodius videbitur. Que omnia fieri facere teneatur notarius fanghi, sub pena trecentarum librarum bononinorum et hoc expensis omnium et singulorum vicinorum et omnium habentium comodum de dicto fosato et eius descursorio prout protenditur ipsum discursorium in civitate Bononie. Et si reperiretur conventus fratrum Minorum de Bononia habere aliquod comodum de discursorio dicti fosati vel habere aliquam clavigam decurentem vel que decurere possit in dictum fossatum, tunc per ipsos fratres Minores fieri debeat medietas expensarum fiendarum occaxione predicta. Quod si per predictos fratres hoc fieri recusaretur tunc libere et impune per quemlibet possit et debeat quelibet claviga decurens ad dictum locum fratrum Minorum et ab ipso loco claudi et impediri in capitibus//
[c. 273v]

salegate, ita et taliter quod non curant que perpetuo non valeat aperiri, nisi prius per ipsos fratres pro medietate illis quorum expensis predicta fierent fuerit satisfactum. Et nichilominus si dicti fratres hoc recusaverint predicta fieri debeant expensis predictorum aliorum, qui dicto notario obedire teneantur, sub pena cuilibet viginti quinque librarum bononinorum. Dicimus etiam quod ad predictam clavigam conferre debeant omnes habentes domos a circula Malpertusii, usque ad stratam Saragotie et a strata Saragotie

usque ad seralium et a seralio supra usque ad monasterium Sancte Agnetis inclusive et a seralio infra recta linea usque ad Navigium. Et quod post publicationem horum statutorum nullus audeat in hoc contrafacere vel venire pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et nichilominus contrafactum tollatur et quod potestas contenta in presenti statuto fatiat infra mensem a die publicationis statutorum publice preconizari per precones in locis consuetis. Et quilibet potestas successive in introitu sui offitii infra mensem sic preconizari fatiat et notarius, qui preest vel preerit officio fangi de predictis omnibus et singulis possit et teneatur inquirere eundo et videndo omnia loca, que sunt supra dictum canale, ita et taliter sic et continue quod aliquod prohibitum ibi esse vel fieri non possit. Et precise teneatur omnia et singula ad requisitionem cuiuslibet executioni mandari facere et observari et adimpleri summarie sine strepitu et figura iudicii et omni iuris ordine pretermissio, sub pena ipsi notario centum librarum bononinorum pro qualibet vice et quod stetur relationi ipsius notarii et cum sacramento ab aliquo alio¹¹³⁷ prestito etiam qui sit de familia dicti domini potestatis. Et quod potestas teneatur secundum relationem predictam contrafacientes condempnare pena predicta. A burgo vero Galerie infra dicta prohibitio non vendicet sibi locum.

[20] **De clusa Sapine de Sancto Rophillo et ramo Sapine et pontibus positis super ipsam aquam. Rubrica.** [cc. 273v-274r]

Ordinamus quod clusa et ramus Sapine de Sancto Rofillo et pontes sub quibus dicta aqua decurrit ad civitatem Bononie manuteneantur et refitiantur per omnes et singulos habentes comodum ex aqua dicti rami cuiuscumque generis, status et conditionis existat et tam in civitate Bononie quam extra a dicta clusa infra secundum declarationem et taxationem fiendam in predictis per quatuor bonos viros elligendos pro predictis per dominos ancianos comunis et populi Bononie elligendo unum pro quolibet quarterio. Quibus quatuor hominibus elligendis ut supra auctoritate huius legis damus et concedimus plenum et liberum arbitrium, potestatem et bayliam declarandi omnes et singulos, qui ad predicta tenentur conferre et taxare quantum quilibet predictorum tenetur pro predictis conferre, quorum declarationi et taxationi stetur omnino. Et predicta per eos taxanda et declaranda executioni mandentur omni exceptioni remota per officiales officio stratarum et fanghi dominorum potestatis et capitanei populi et quemlibet eorum, qui fuerit aditus pro predictis. Et per quemlibet alium officialem comunis Bononie. Permittimus tamen quod fratres Minores et Predicatores possint habere et percipere de dicta aqua, ut soliti sunt, ac etiam sorores Sancte Agnetis de dicta aqua possint percipere et habere prout hactenus habere consueverunt. Et dicimus, quod nulla putredo fieri debeat in aqua vel prope aquam, que decurrit ad locum predictum fratrum Predicatorum vel Minorum vel Sancte Agnetis. Dicimus etiam quod dicta aqua decurrat in civitate Bononie, ita quod dimidia veniat ad quarterium porte Sterii et Sancti Proculi et allia dimidia ad allia duo quarteria. Item quod dicta aqua non debeant labi per civitatem sine voluntate potestatis a medio mense maii usque ad medium mensem septembris, nisi esset occaxione ignis, qui timeretur acendi vel acensus esset et excepto quod possit labi dicta aqua a medio mense septembris usque ad medium mensem maii semel et plures in mense pro contratis lavandis et purgandis ubi necesse fuerit. Item dicimus, quod nullus possit de predicta aqua accipere pro sua vel pro suis andronis purgandis de dictis mensibus et dictis diebus, nisi duobus diebus tantum in mense et quando aliquis acceperit de dicta aqua et usus fuerit ea pro purgatione androne inmitat et purget//

¹¹³⁷ <alio> in *infralineam con segno di inserzione*.

[c. 274r f. CCLXVIII]

de nocte tantum et non de die et hiis diebus quibus discurreret per unam contratam non discurrat per eandem infra quindecim dies proxime subsequentes, nisi per dictam contratam oporteret ad alias contratas dictam aquam decurrere. Salvo quod omni tempore aliqua pars dicte aque debeat decurrere per Stratam Castilionis pro utilitate fatientium artem lane et tinctorie et quod dicta strata aptetur et manuteneatur, ita et taliter quod ibi non remaneat aliqua clusa vel stivardella vel aliquod aliud extra porticus per quod facilius aqua decurrat ad clavigam alicuius. Et si quis habet fatiat illud amoveri, nec de ceptero reffici possit sub pena decem librarum bononinorum et notarius, qui preest stratis predicta procurare teneatur et possit de hoc inquirere, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum ipsi notario predicta non procuranti solícite et cum effectu. Et dicimus, quod diebus dominicis et aliis solemnibus dicta aqua non mitatur vel ducatur per civitatem et quod nullus conducat de dicta aqua propria auctoritate, nisi occasione ignis et qui contra predicta vel aliquod predictorum fecerit aut venerit condampnetur pro quolibet et qualibet vice et quodlibet capitulo contra quod fecerit in tribus libris bononinorum. Mandamus etiam quod nullus debeat extrahere vel extrahi facere de aqua predicta de ramo ipsius a ponte Sancti Rophilli infra usque Sanctam Mariam de Misericordia etiam pretestu alicuius gratie, privilegi sceu concessionis quicumque obtente vel obtempti hactenus, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum nisi prout permitetur per comune Bononie. Item dicimus, quod notarius predictus procuret quod aqua Sapine, que decurrit ad civitatem Bononie ponatur in clavigis civitatis Bononie factis et fatiendis sicut comodius fieri poterit, pro purgatione ipsarum clavigarum et purgatione stratarum ad requixitionem vicinantie vel aliquorum bonorum virorum de vicinancia civitatis Bononie absque aliqua soluptione fienda occasione predicta et quod nullus occupet de ripis vel ramo Sapine et quicumque occupaverit teneatur illud refficere et condampnetur et puniatur in decem libris bononinorum. Et in predictis dominus potestas habeat arbitrium inquirendi et procedendi et cogat vicinos quoslibet¹¹³⁸ reparare et facere etiam de novo vias per quas possit labi aqua pro purgatione andronarum. Salvo quod si aliud provideretur per comune Bononie vel habentes potestatem a dicto comuni de dicta aqua vel parte ipsius.

[21] De claviga per quam labitur aqua ad stratam Sancti Stephani per Stratam Maiorem et Sancti Vitalis. Rubrica. [c. 274r]

Item quod claviga per quam aqua labitur a strata Sancti Stephani ad Stratam Maiorem et per stratam Sancti Vitalis et stratam Sancti Donati in civitate Bononie debeat stare desgomborata et aperta et cavari et salegari de lapidibus intaio usque ad Apoxam et expensis dictorum vicinorum quorumlibet pro sua testata, ita quod aqua et putredo debeat labere et decurrere prout per ea loca aliquo tempore consuevit usque ad Aposam, sub pena quadraginta solidorum bononinorum cuilibet contrafacienti. Et hoc pertineat ad officium notarii fanghi et stratarum domini potestatis et nichilominus predicta fieri facere teneatur.

[22] De claviga posita iuxta seralium strate Castilionis per quam labitur in strata Campi Sancte Lucie. Rubrica. [c. 274r]

Statuimus quod claviga posita iuxta seralium strate Castilionis per quam fluit aqua que vadit in contrata Sancte Lucie et que vadit per domos aliquorum de vicinis capelle Sante Lutie et capelle Sancti Iohannis in Monte et etiam in ortum monasterii Sancti

¹¹³⁸ <quoslibet> *corregge* quolibet.

Iohannis in Monte et per contratam strate Sancti Stephani et Strate Magioris¹¹³⁹ et ipsius aque decursus manuteneatur et aptetur expensis vicinorum, qui de dicta aqua comodum et utilitatem capiunt et nullus ipsam destruat, sub pena decem librarum bononinorum, ita et taliter quod aqua labatur prout et per ea loca alliquo tempore consuevit et notarius qui preest ad hoc teneatur fieri facere supradicta.//
[c. 274v]

[23] **De Aposa que est iuxta domos illorum de Malavoltis. Rubrica.** [c. 274v]

Item dicimus, quod Aposa que decurrit inter domos dominorum de Malavoltis et domos que fuerunt olim domini Barufaldini de Barufaldinis sceu Primaditiis debeat stare disgomborata, ita quod aqua possit decurere prout et per ea locha per que alliquo tempore decurere consuevit et quilibet, qui habitat iuxta dictam Aposam, teneatur testam suam a cantone dicte domus usque ad canale Reni disgomboratam tenere, sub pena viginti solidorum bononinorum pro qualibet vice et notarius, qui preest stratis, teneatur facere fieri supradicta. Et idem intelligatur et fiat a dicta domo supra usque ad pontisellum Sancti Archangeli et expensis eorum qui habent iuxta eam ut supra.

[24] **De puteis positis in civitate vel burgis. Rubrica.** [cc. 274v-275r]

Ordinamus quod quelibet contrata civitatis Bononie vel burgorum habens puteum vicinalem teneatur illum remondari facere bis in anno et facere et habere iuxta ipsum puteum unam tinellam lapideam, que sit ad minus capacitatis septem corbium et si destruta esset reffitiatur et habeat quilibet puteus de predictis expensis vicinorum, qui sit in stratis vel prope vias publicas, mulinellum vel rotam vel furcam cum catena ferea et situlam feratam adiunctam ipsi catene vel calçedrum, ita quod removeri non possit. Et si quo tempore destrueretur expensis dictorum vicinorum reffitiatur et si in aliqua vicinancia tractaretur de puteo fatiendo vel destruendo in ipsa vicinia et maior pars vicinorum fuerit in concordia de puteo fatiendo vel destruendo construatur puteus, destruat ubi et prout placuerit maiori parti vicinorum et expensis vicinorum. Et si quis puteus vel tinela repletus vel devastatus erit reaptetur et reformetur si et prout placuerit maiori parti vicinorum, que expense fieri debeant pro numero domorum ipsius vicinantie. Habitatores vero allienarum domorum teneantur ad expensas eas, que fierent in puteis vicinantie in remondatione et reaptatione sitularum et catenarum, rote, mulinelli et furcarum et ad alias non cogantur. Ita tamen quod habens puteum in domo propria vel conducta vel habitata per eum, nullo modo teneatur conferre in expensis putei veteris vel novi fiendi in vicinancia nec in aliquibus expensis fiendis in puteo vel prope puteum vicinalem novum vel veterem quoquomodo. Salvo quod teneatur ad expensam tantum reparationis et construtionis putei et tinelle pro tertia parte eius quod alius de vicinancia non habens puteum teneretur. Et predicta facere fieri et procurare teneantur ministralis ipsius capelle vel vicinantie, qui ministrales possint elligere duos vel plures homines pro vicinia quando fuerit opportunum pro predictis fieri fatiendis, quos meliores crediderint ad predicta. Et intelligatur de vicinancia putei omnes qui pro maiori parte temporis veniunt per se vel suam familiam ad hauriendum aquam de ipso puteo et omnes de capela, in qua est talis puteus non habentes puteum ut supra. Et si in capela essent plures putei, tunc non conferant illi de capela reparationi, qui essent magis propinqui alteri puteo, qui non eget refectione vel expensa quam illi puteo pro quo requiritur expensa. Dicimus etiam quod prescriptio temporis non preiudicet allieui alii vicinantie si ab aliquo fuerit puteus alliquis detemptus non iuridice vel ocupatus iniuste.

¹¹³⁹ <Maioris> *nel testo* Maglioris.

Preterea dicimus, quod aliqua persona non abluat pannos vel garmenet lanam vel batat pelles vel lanam vel alliam putredinem fatiat vel proitiat sceu imitat iuxta aliquem puteum vel in aliquo puteo vel tinella putei vel habeat sedile sceu clavigam vel aliquod aliud, quod conducere possit aliquam putredinem ad stratam vel ad aliquem locum comunis Bononie prope aliquem puteum vicinalem per viginti pedes et quod nullus barberius vel alius audeat prope aliquem puteum abradere vel tondere vel salassare aliquam personam vel animal aliquod extra domum per viginti pedes prope aliquem puteum. Volumus etiam quod omnes putei//

[c. 275r f. CCLXVIII^{or}]

vicinorum vel contratarum sint ellevati a terra per tres pedes ad minus. Que omnia et singula facere et observare teneantur vicinantie contratarum et singulares persone de quibus superius dictum est in quolibet capitulo superius contento in predicto statuto pena et banno decem librarum bononinorum cuilibet vicinantie et barbitonsori et cuilibet alio, qui contra predicta vel aliquod predictorum fecerit vel venerit vel ea ut premittitur non observaverit quadraginta solidorum bononinorum Salvo capitulo loquente superius de sedili et claviga non habendis prope puteum quo casu predicta pena decem librarum bononinorum sit firma. Et predicta omnia pertineant ad officium notarium stratarum seu fanghi.

[25] Quod potestas et notarius fanghi et stratarum teneantur exequi quedam de quibus aliqua vicinancia concordaverit. Rubrica. [c. 275r]

Statuimus quod si aliqua vicinia civitatis Bononie vel burgorum tota vel maior pars fuerit in concordia de aliqua via vel claviga fatienda vel aptanda vel reparanda in sua vicinancia vel de andronis purgandis vel clavigis aptandis, reparandis vel de novo fatiendis vel salegatis vel alliquo alio opere fatiendo, quod huiusmodi vicinancia possit unum vel plures prout in concordia fuerint elligere de se ipsis vel aliunde ad illud hopus de quo fuerit maior pars vicinantie in concordia fatiendi. Et tunc dominus potestas vel notarius prepositus stratis, aquis et salegatis teneatur ad inquisitionem huius ellecti unius vel plurium compellere omnes vitinos ad conferendum ipsi laborerio prout ei ellecto huiusmodi duxerint exponendum.

[26] De banchis et hedifitiis et aliis non habendis super trivium porte Ravenatis vel in foro medii vel extra muros stratarum. Rubrica. [c. 275r]

Statuimus quod nullus possit habere afixam bancam vel discum in trivium porte Ravenatis parvum vel magnum vel aliud positum vel hedificatum super terminos porte Ravenatis vel quantum ipsi termini protendunt. Item quod nuli stragarolo vel alii liceat habere perticas vel aliud in quo ponatur calige vel alii panni, ita quod capite tangi possint aliquo modo ab aliquo transeunte eques vel pedes. Nec per viam mercati medii ab aliqua parte vie vel habere gradiços vel sestoria vel aliud appositum propter quod currus feni vel vinciliarum vel vincorum possint impediri libere inde transire et si aliquis habeat teneatur remove infra mensem, nisi esset tale quid quod non impediatur ut supra, sub pena centum solidorum bononinorum in quolibet predictorum casuum cuius pene medietas sit comunis et alia acusantis. Et singulis mensibus potestas teneatur inquirere per notarium, qui preest stratis seu fangho de predictis. Item dicimus quod nemo possit ponere vel habere in aliqua parte civitatis Bononie vel burgorum vel prope plateam sestoria de pavariis vel de canis apensa et si quis haberet remove teneatur et si quis contrafecerit puniatur in decem soldis bononinorum pro qualibet vice et nichilominus tollatur apensum et etiam a dicta platea usque ad Carobium. Item dicimus, quod omnes illi qui habent bancas vel murelos extra domos stationum ab ecclesia Sancti Dalmasii

usque ad plateam Communis ultra duos pedes comunis a qualibet parte vie teneantur et debeant solvere comuni Bononie centum solidorum bononinorum quilibet eorum quolibet anno vel dicte banche removeantur mensurando dictos duos pedes extra et iuxta antiquos terminos seu fundamenta antiquorum murorum antiquarum domorum, que solite erant esse ubi sunt stationes aurificum et ne de talibus terminis futuris temporibus questio oriatur. Mandamus quod ipsi termini ex omni parte capitis elleventur usque ad teram planam et super eis ponantur lapides dictos terminos denotantes, ita quod cum planitie strate concurrant et predicta pertineant ad officium notarii supradicti.

[27] De pena portantium vel descaregantium in campo fori preditionum, letamen vel aliam immunditiam. Rubrica. [cc. 275r-275v]

Item ordinaverunt firmaverunt et providerunt quod utilitate hominum civitatis Bononie quod nulla persona portet vel portari fatiat ponendo vel descaregando in campo mercati//

[c. 275v]

vel in saligata fratrum Minorum vel Strate Maioris vel alio loco publico vel in foveis civitatis preditionum, letamen vel teratium vel aliam immunditiam et quicumque contrafecerit solvat nomine pene quadraginta solidos bononinorum pro qualibet vice. Et quilibet possit denunciare et accusare et notarius prepositus stratis et immunditiis teneatur qualibet septimana inquirere et ad loca predicta accedere et videre et contrafacientes puniri facere in dicta pena. Salvo quod possint portare ad implendum foveas que sunt in campo fori seu mercati. Et nullus possit in dicto campo facere aliquam foveam vel cavamentum seu teram fodere, nisi foderet accipiendo terram montium qui ibi sunt.

[28] De pena non fatientium purgari ante fatiem domus habitationis sue. Rubrica. [c. 275v]

Ordinamus quod quilibet debeat exportare vel exportari facere fangum, teratium, calcinatum vel vinatiam, letamen et omnem aliam putredinem de stratis¹¹⁴⁰ ante testatam domus sue habitationis vel stationis et purgari facere ad requisitionem notarii qui preest ad predicta, sub pena decem solidorum bononinorum contrafatienti. Et quod notarius predictus teneatur facere portari de publicis comunis predictum fangum, teratium et calcinatum, vinatiam et omnem aliam putredinem conferendo quilibet ad predicta fatienda, qui ad saligandum illud publice contulit vel conferre debuerit. Et si quis posuerit aliquod de predictis et infra tres dies a die precepti non removerit condampnetur in decem solidis bononinorum. Salvo quod liceat cuicumque ponere et tenere letamen et preditionum seu vinatiam vel fetiam vini ante domum sue habitationis in strata publica per tres dies sine pena.

[29] De saguatoriis super vias publicas non tenendis. Rubrica. [cc. 275v-276r]

Statuimus quod nullus super vias publicas habeat situlam vel sagatorium vel aibum vel tinellam vel aliud de quacumque materia que cadat vel per quam cadat aliquid in publicum quod transeuntibus verissimiliter nocere possit, nec aquam prolicere debeat de balchione in via publica de die vel aliqua alia putrida quorum casus nocere cuicumque possit et quicumque contrafecerit solvat nomine pene viginti solidos bononinorum pro qualibet vice et nichilominus emendet dampnum ei, qui passus esset. Et nullus prohibeat vel effundat in via publica aliquid de solario vel balchione vel aliqua domo et si quid proiectum vel efusum fuerit ille vel illi, qui habitaverint in dicta domo

¹¹⁴⁰ <stratis> segue ante depennato.

de qua proiectum fuerit solvat nomine pene decem solidos bononinorum et si dampnum dederit emendet dampnum ei, qui passus fuerit. Item quod aliquis non deitiat putredinem aliquam vel spaçaturam de domo in qua habitaverit de die vel de nocte in via publica vel in viis publicis et qui contrafecerit puniatur pro qualibet vice pro putredine in decem solidis bononinorum et pro spaçatura in quinque solidis bononinorum et si familia alicuius contrafecerit dominus teneatur ac si fecisset. Et si per aliquam viciniam contrafactum fuerit, illud¹¹⁴¹ totum comunibus expensis tollere compellatur. Item quod ubi sunt sedillia vel saquatoria circa plateas sive stratas vel vias in quibus sunt clavige deducantur sub terra in ipsas clavigas ne exeant per plateas, stratas vel vias et cuilibet sit licitum ducere per viam tamen copertam et sub terra in ipsas clavigas ea que exiverunt de sedilibus vel saquatoriis vel claviga, que sit publica vel sua propria. Item quod licitum sit cuilibet de aquis, que decurrunt per vias publicas civitatis Bononie vel burgorum conducere purgandi causa clavigas domorum vel alias immunditias temporibus competentibus sine incomodo vicinorum. Dicimus etiam quod nullus possit habere saquatorium vel grondarium versus convicium aliquem, nisi habeat ad minus unum pedem de proprio tereno ultra locum unde vel in quem cadit aqua et hoc dicimus de hiis sceuquatoriis et grondariis, que non super vel supra vias¹¹⁴² publicas et si aliquis habeat removeere teneatur facta admonitione per notarium stratarum infra terminum eidem per dictum notarium//

[c. 276r f. CCLXX]

assignandum et si non fecerit condampnetur in quadraginta solidis bononinorum. Et quotiens contrafecerit denuntiatione premissa et removeatur, nisi hoc facere liceret ex pacto vicini vel alio iure servitutis de quo appareat publicum instrumentum, que omnia pertineat ad notarium officio stratarum.

[30] De pena operantis aliquam artem in aliqua parochia alicuius ecclesie in qua celebraretur festum sancti ecclesie illius parochie. Rubrica [c. 276r]

Ad honorem et reverentiam omnipotentis Dei et domini nostri Iesu Christi et omnium sanctorum celestis curie statuimus, quod in die quo celebrabitur festum sancti sub cuius vocabulo aliqua ecclesia esset dedicata, que ecclesia sit in civitate Bononie vel burgis aliqua persona in parochia ipsius ecclesie nec etiam alterius prope ipsam ecclesiam per decem perticas audeat operari aliquam artem extra domum nec etiam in domo ex cuius operatione possit modo aliquo extra domum sonitus vel operatio audiri vel videri, sub pena viginti solidorum bononinorum pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice et quod notarius, qui preest officio stratarum possit et teneatur de predictis inquirere et dicto sacerdotis credere ipsius ecclesie vel prelati vel sui vicarii.

[31] De calcinaciis et aqua tinctorum et aliis aquis putridis in viis [non] proitiendis. Rubrica. [c. 276r]

Statuimus quod aliquod calcinatum sive aqua calcinati cunzatorum pellium et foliselorum laboratorum in civitate vel burgis prohiçi non debeat, nisi prohiçeretur in Aposam in civitate vel extra civitatem, dum tamen dicta aqua foliselorum possit et debeat in civitate Bononie prohiçi in medio viarum publicarum et post primum sonum campane que pulsatur de sero pro custodia civitatis. Item dicimus, quod omnis aqua tintorie vel guadi vel aliquid aliud ad ipsam tinctoriam pertinens, quod in se habeat putredinem vel contineat in multitium¹¹⁴³ pilipariorum vel aqua folie non prohiçatur in

¹¹⁴¹ <illud> nel testo ilud

¹¹⁴² <vias> dittografato e espunto.

¹¹⁴³ <multitium> segue la lettera p cancellata.

civitate vel burgis, nisi prohiceretur in Aposa vel flumine Sapine quando decurrit et tunc de nocte solummodo post tertium sonum campane et non alliter nec alio tempore. Item prohibemus coria scarnarii vel ad moglium in stratis publicis vel porticibus civitatis vel burgorum aliquo tempore poni, nisi in dicto flumine Sapine quando decurrit vel in aqua Apose. Item dicimus, quod aliquis non debeat batere pelles de die in plateis sive porticibus sub pena in quolibet casuum predictorum cuilibet contrafacienti pro quolibet et qualibet vice quadraginta solidorum bononinorum et quilibet possit accusare et denunciare et predicta pertineant ad officium notarii stratarum. Salvo quod predicta non preiudicent hominibus sotietatis calegariorum, curionum et cunçatorum, cordoaneriorum, calçolariorum de vacha, philipariorum ac cartholariorum, qui possint eas artes exercere modis et in locis solitis et usitatis et etiam prout vel eis specialiter permissum fuit hoc statuto vel alio non obstante.

[32] **De pena prohicientium vinatiam, letamen et hii similia. Rubrica.** [cc. 276r-276v]

Providemus quod nulla persona ponat vel poni fatiat seu prohibiat vel prohihi fatiat in civitate Bononie vel aliis locis prohibitis vinatiam vel letamen vel equos vel asinos mortuos vel alias carnes mortuas vel alias inmunditias intra circulas civitatis Bononie, nec in foveis circule vel civitatis vel prope aliquem predictorum locorum per medium milliare. Et quicumque posuerit teneatur illud ellevare sceu ellevari facere et nichilominus puniatur in quadraginta solidis bononinorum pro qualibet vice. Idem dicimus si aliquis fecerit alliquid de predictis a ponte Fosse Cavatine strate Sancti Vitalis in flumine Sapine usque ad locum qui dicitur La Formigella sive Laveça, qui locus est ultra pontem Ralte sceu strate Sancti Donati. Item quod nullus ponat ad macerandum linum vel canipam in foveis civitatis vel in aqua Navigii a Chasalechio de Reno inferius//

[c. 276v]

per totum Navigium Navigatorum usque ad portum Navigii nec a dicto porto inferius usque ad valles nec in aliqua aqua in civitate Bononie. Idem dicimus in ramo Sapine, qui venit ad civitatem Bononie sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et possit auferri linum et canipam inpune et predicta pertineant ad officium notarii stratarum domini potestatis Bononie vel domini capitanei populi.

[33] **De sedilibus super andronis non habendis nisi certo modo. Rubrica.** [cc. 276v-277r]

Item dicimus et ordinamus, quod nullus qui habet super andronam comunem sceu vicinalem aliquod sedile mitat vel saiquatorium habeat vel miti fatiat spaçaturam vel ruscum et qui contrafecerit solvat nomine banni viginti solidos bononinorum totiens quotiens contrafactum fuerit. Item quod in aliqua androna comuni sceu vicinali non liceat sedile habere vel tenere ultra dimidia dicte androne. Si vero esset propria androna quam quis haberet vel facere vellet iuxta vicinum, non liceat in ea habere sedile, nisi ultra illud sedile de suo terreno puro remaneat unus pes ad minus, sub pena predicta. Nulli tamen liceat novam cloacham etiam in proprio terreno facere iuxta vicinum eo invito vel nisi inter andronam sceu cloacham et vicinum suum remaneat de suo proprio tereno ad minus duo pedes. Et androne¹¹⁴⁴ omnes debeant esse clause ab omni capite ad hoc ut putredo non cedat ad iniuriam vel nocumentum alicuius. Que omnia et singula pertineant ad officium notarii stratarum. Ordinamus etiam androna cloacharum

¹¹⁴⁴ <androne> *corregge* andrones.

comunalis, que est in capela Sancti Thome de brayna subtus stratam inter domos positas tenus salegatam Strate Maioris et domos androne Sancti Thome quatenus incipit in domibus et a domibus Bithinotii de Mascaris de Butrio et fratrum ipsius, que sunt ad stratam eundo inferius, usque ad domos heredum Laurentii et Boncompagni de Passarellis et post ipsas domos inclusive usque ad viam publicam teneri debeat disgombrate per omnes circumvicinos scilicet per quemlibet pro sua testata disgombrata et expedita, ita quod aque et imunditie ipsius androne possint et debeant liberum decursum et evacuationem habere ad partes et per partes inferiores prout debent et solite fuerint. Et ad hoc possint et debeant compelli quilibet vicinorum nec in ea aliquid aliud prohiberi vel inmiti debeat, nisi quod usus exigit cloacharum et quod ad petitionem cuiuslibet vicinorum possit et debeat imiti aqua et de aqua Sapine que curit per Stratam Maiorem sceu per dictam andronam Sancti Thome in ipsam andronam sceu cloacham et pro ipsius purgatione secundum quod videbitur expedire inmitendo aquam per lochum solitum videlicet casamentum quod fuit illorum de Angelis et nunc possidentur per heredes vel successores Bartholomei Lardaroli, si per eum comode fieri poterit vel alium locum de quo vicini ipsius androne sceu cloace anteriores sceu superiores ad invicem concordaverint et quod androna predicta ex parte inferiori per possessores dictarum domorum illorum de Passarellis teneatur aperta et clausa prout et quando pro predictis videbitur expedire et si que expense pro predictis fieri contingerit fiat expensis vicinorum pro rata. Salvo quod si aliquis eam indebite replevisset vel repletet vel aliquid in ea indebite immiscisset vel inmitteret suis expensis remove teneatur et nullus possit vel debeat impedire quin fiant supradicta et qui contrafecerit in aliquo casuum predictorum pro qualibet vice incidat penam quadraginta solidorum bononinorum et predicta pertineant ad notarium officio stratarum deputatum. Et ydem dicimus in omnibus et per omnia de androna cloacharum comunali, que est inter domos dicte androne Sancti Thome, que sunt a latere sero et domos et casamentum que sunt heredum domini Iacobi de Schifatis, que sunt a mane eundo inferius usque ad domum que fuit Bithini condam Guidonis Capelli inclusive et postea quatenus decurrit versus mane inter domos androne Sancti Leonardi et casamentum domorum Strate Maioris eundo directe usque ad domos sceu casamentum¹¹⁴⁵ inclusive et postea eundo inferius quatenus//

[c. 277r f. CCLXXI]

curit sceu curere consuevit inter domos et casamenta domorum dicte androne Sancti Leonardi, que sunt a sero et inter domos et casamenta domorum androne de Brochaglindoso usque ad clavigas magistras per quas dicta androna cloacharum evacuari et disgombrari consuevit et poterit et in ea possit et debeat inmiti aqua ut supra per domos heredum domini Nicolay condam domini Iohannis de Magnanis per eam partem per quam inmiti consuevit vel per aliam partem ipsarum domorum de quibus magis contentarentur si et quatenus heredibus eiusdem domini Nicolai placuerit et fieri poterit vel per alium locum de quo vicini anteriores et superiores magis contentarentur sceu ipsorum maior pars ad invicem concordaret et de circumviciniis dicte androne cloacharum in quibus et de quibus et ipsorum occaxione etiam locum habeant et serventur que supra de alia androna et ipsius vicinis et aliis quibuscumque supra statuta sunt in quantum possint presentibus adaptari.

[34] **De clavigis comunibus et andronis purgandis. Rubrica.** [c. 277r]

Item dicimus, quod quilibet possit facere purgari andronam comunem et clavigam super qua et in qua aliquis consors habet sedilia, etiam invito consorte et consortibus, et

¹¹⁴⁵ <casamentum> segue spazio bianco corrispondente a circa 17 lettere.

notarius stratarum teneatur ei qui purgaverit vel purgari fecerit expensas quas fecerit in purgando facere restitui parte sua detrata sumarie et sine libelli oblatione et strepitu iudicii secundum numerum sodalium et domorum positarum super dictam andronam.

[35] De cursu aque non impediendo maxime quod ducitur pro purgatione fienda. Rubrica. [c. 277r]

Item dicimus, quod nullus impediatur cursum aque pluvie vel alterius aque solite curere in clavigam vel andronam vel per alium locum consuetum nec aliquid prohibere vel facere sicut iam factum tenere propter quod dicta claviga, androna vel locus aut decursus possit impleri vel impediri, nec aliquis possit impedire quin androna vel claviga purgetur et qui contrafecerit condempnetur pro qualibet vice in quinque libris bononinorum et nichilominus removeatur et compellatur. Item dicimus, quod omnes androne que habent sedilia super eis que habent caput ad vias que comode possent duci ad clavigas comunales duci debeant expensis illorum qui habent sedilia super dictas andronas et secundum numerum sedilium. Item dicimus, quod cloache que decurrunt per murum in quo est sedile teneantur clausae parietibus et muro ne putredines postquam fuerint in terra videantur et appareant per vias publicas vel plateas et si aperirentur remondandi causa claudantur infra quartum diem ab illis, qui fecerint aperiri. Item dicimus, quod aliquae clavige sicut androne super quibus essent sedilia non aperiantur, nec purgentur de mense maii, iunii, iulii, augusti vel septembris, nisi de expresa licentia notarii officio stratarum. Item dicimus quod ubi plures habent super aliquam andronam sedilia teneantur semel in anno facere purgari vel lavari per aquam Sapine si haberi potest et possit conduci dicta aqua unde melius potest haberi per stratam vel vias. Et hoc idem facere teneatur quilibet habens suam andronam specialem, ita quod vicinos non afficiat imunditia dicte androne et si haberi non potest aqua quilibet ad minus teneatur singulis sex mensibus purgari facere et notarius predictus stratarum teneatur facere fieri quando petitum fuerit, sub pena centum solidorum pro quolibet et qualibet vice. Item quod quilibet dominus alicuius domus, que habet andronam vel sedile vel partem androne et sit aperta in capite ipsius androne vel male murata, ita quod fetor veniat transeuntibus vel ibi prope habitantibus condempnetur in decem libris bononinorum, nisi facta denuntiatione a quocumque, infra tertiam diem clauserit, muraverit taliter et tali modo quod putredo vel fetor non exeat.//

[c. 277v]

[36] De pena non fatientium murari et non tenentium andronas clausas. Rubrica. [c. 277v]

Statuimus quod quilibet persona habens andronam vel sedile teneat eam muratam de lapidibus et bona calcina usque ad sumitatem domus ubi habet eam vel ad minus per decem pedes et hoc habeat locum in andronis que habent domos ex utraque parte et habeant androne clavigas muratas quantum tenet porticus usque ad vias de maignis vel lapidibus, ita quod transeuntes non habeant inde iniuriam, salvo quod tempore purgationis possint et debeant aperiri et purgatione facta claudantur et clausae teneantur ut dictum est. Item dicimus, quod nullus murus vel hedifitium fiat per transversum in aliqua androna comunali vel vicinali ex quo impediatur cursum aque vel putredinis et si appositum vel factum est removeatur et quilibet, qui contrafecerit pro quolibet casuum predictorum solvat centum solidos bononinorum nomine pene et quilibet possit accusare et denunciare predicta et habeat medietatem banni et teneatur in credentia et hoc fieri procuret notarius stratarum et nichilominus amovere teneatur.

[37] De pena non aptantium curamen modo debito et vendentium seu tenentium ad vendendum. Rubrica. [cc. 277v-278r]

Ordinamus quod exercentes et exerceri fatientes artem calegarie vel aliquod membrum ipsius artis teneantur et debeant quodcumque genus curaminis quod laborari contingerit per eosdem vel alios per eis bene dilligenter, suffitienter et legaliter laborare et laborari facere absque fraude. Et curamina spectantia ad suum ministerium debitis modo et tempore et in bonis cunçeriis in suis tinelis reptinere, ita quod bona et suffitientia curamina habeantur pro laboreriis fatiendis et de predictis et pro predictis masarius societatis calegariorum cum duobus bonis viris et industriosis dicte artis elligendis per homines dicte sotietatis teneantur et possint omni modo, loco et tempore inquirere et procedere contra quoscumque et coria sive curamina non bene et legaliter cunçata et ita habenda quod ipsa comprimendo de facibus aqua labatur et insufitientia pro laborando repelare et prohibere vendi et distrai in quocumque loco et nichilominus, qui ipsa coria non bona et sufitientia laborassent vel haberent extra locum in quo laborantur punire et condempnare videlicet quemcumque culpabilem sceu habentem de dicto curamine, ut supra, in decem solidis bononinorum, pro quolibet corio magno defectuoso et pro quolibet corio mediocri sceu parvo et defectuoso in sex solidis bononinorum, que pene pro dimidia applicentur dicto masario et dictis duobus suis sociis et pro alia dimidia societati predicte quam de facto exigi possint a quocumque culpabili sceu habente predicta defectuosa. Item quod exercentes sceu operari fatientes artem pelacanorum et cunçatorum vel aliquod membrum artis ipsius teneantur et debeant quodcumque genus curaminis et pelium quod laborari contingeret per eosdem vel alios pro eis laborari facere bene, sufitienter et legaliter absque fraude et in eis vel super eis vel pro ipsarum et ipsorum laborerio non audeant ponere vel miterere aut inmiti permittere oleum vel merolam olei grassam equi vel aliam grassam inutilem ex qua tale curamen vel pelles infitiantur, ita quod bona, legalia et sufitientia curamina et pelles habeantur pro laboreriis fatiendis, liceat tamen eis dare aliquantulum olei cum digitis dictis pellibus sceu curamini pro redulcendo et resclarando dictas pelles sceu curamen. Et de predictis et pro predictis masarius societatis pellacanorum et cunçatorum cum duobus bonis viris industriosis dicte artis elligendis per homines dicte societatis teneantur et possint omni loco et tempore inquirere et procedere contra quoscumque, ut curamina et pelles non bene et legaliter cunçata et sufitientia pro laborando repellere et prohibere vendi et distrai in quocumque loco. Et nichilominus, qui ipsa curamina et pelles non bona et suficientia laborasent vel haberent extra locum in quo laborantur punire et condempnare videlicet quencunque//

[c. 278r f. CCLXXII]

culpabilem sceu habentem ut supra de dictis curamine et pellibus defectuosis in decem solidis bononinorum pro qualibet pelle defectuosa. Que pene pro dimidia aplicentur dicto masario et dictis duobus suis sociis et pro alia dimidia dicte societati, quas de facto exigere possint a quocumque culpabili seu habente predicta. Cerdones vero sceu cordoanerii et alii qui de tali coramine defectuoso laborarent vel haberent penam incidant pro quolibet curamine sceu pelle defectuosa quod vel quam haberent, laborasent vel vendidissent decem solidis bononinorum et etiam pro quolibet laborerio facto de tali curamine defectuoso sceu pelle in tertia parte valoris extimationis rey laborate, que pena pro dimidia cuicumque denuntianti tale defectum sceu cerdonem culpabilem aplicetur et ad ipsam eidem solvendam de facto compellatur per notarium stratarum sceu coronarium domini potestatis. Et insuper volumus quod masarius cordoanorum cum duobus bonis viris dicte artis elligendis per homines ipsarum societatum teneantur inquirere de predictis et contra quoscumque culpabiles procedere illosque condempnare pro dictis pellibus et coriis defectuosis in quantitibus predictis,

que exigantur et aplicentur, ut supra, si vero reperiatur aliquod genus predictorum curaminum sceu pellium defectuosarum vel minus, bene, suficienter et legaliter cunçatum et laboratum extra artes predictorum calegariorum et pellacanorum cunçatorum et cordoaneriorum condampnetur masarius et eius socii predicti talis artis ad quam spectaret tale genus curaminis pro quolibet curamine sceu pelle defectuosa vel defectuoso contra quos masarios et eius sotios procedatur et procedere teneantur et possint omni modo, loco et tempore dictis de causis ad exactionem predictarum penarum notarii officio stratarum et coronarum domini potestatis sceu alter eorum.

[38] De cordis sepo grassa et guado in civitate Bononie et aliis certis locis non fatiendis et de modo et forma faciendi bonas candelas. Rubrica. [c. 278r]

Providemus quod nullus de ceptero cuiuscumque conditionis existat audeat vel presumat facere vel descolare vel descolari facere sepum vel grassam crudam vel crudum, pexam sceu rasam vel cordas de budelis in civitate Bononie vel burgis nec prope civitatem per unum miliare nec etiam iuxta stratam per quinqueginta perticas vel infra vel facere vel fieri facere in civitate vel burgis collam, sub pena et banno decem librarum bononinorum cuilibet contrafatienti et pro qualibet vice in quolibet casuum predictorum per dominum potestatem Bononie auferenda omni defensione remota. In guado autem dicimus et prohibemus ipsum maçinari et fieri in civitate Bononie vel burgis vel infra sceu intra terminos burgorum vel extra dictos terminos prope aliquam stratam magistram per decem perticas vel infra et sub dicta pena comitenda contra contrafatientes et fieri fatientes contra formam predictam et simili modo procedatur et fiat ut supra dictum est. Item ordinamus, quod fatientes et fieri fatientes candelas de sepo teneantur et debeant dictas candelas facere bonas et legales et de bono sepo et papiro de bona et suficienti bambacine nova sine aliquibus bocolis, bene filata nec dictis candelis miscere oleum, grassam equi, lardellos vel aliquam aliam grassam¹¹⁴⁶ in utilem vel ultra modum debitum, ita quod candeles predictae bonum et clarum lumen fatiant nec ex aliquo defectu liquefiant. Et quod nullus audeat vel presumat aliquas candelas vitiosas vel alliter quam modo predicto factas vendere vel tenere in eorum apotecis et quicumque contrafecerit puniatur in quinque solidis bononinorum pro qualibet candelarum vitiosarum libra et nichilominus dicte candeles dictis fatientibus et vendentibus auferantur et comburantur publice in platea comunis Bononie per notarium officio stratarum et coronarum deputatum. De quibus omnibus et singulis possint et teneantur inquirere et etiam ad petitionem cuiuscumque procedere et per civitatem ire et scrutari de contrafatientibus et ipsos punire et condempnare.

[39] De ossibus non coquendis vel sepelliendis. Rubrica. [cc. 278r-278v]// [c. 278v]

Item quod nullus sepeliat ossa animalium vel dequoquat pro tassilis fatiendo vel alio opere fatiendo in civitate Bononie vel burgis et quicumque contrafecerit puniatur et condampnetur pro qualibet vice in centum solidis bononinorum. Dicimus etiam quod nullus habeat vel teneat aliquam fornacem in qua quoquatur gissum inter sceu intra seralia civitatis Bononie vel vernicem facere vel quoquere rasam audeat in civitate Bononie, sub pena centum solidorum bononinorum in quolibet de predictis casibus civilibus contrafatienti.

[40] Quod porci non sinantur ire per civitatem Bononie. Rubrica. [c. 278v]

¹¹⁴⁶ <grassam> *sul margine laterale destro con segno di rinvio.*

Ordinamus quod aliqua persona non teneat aliquam porcā cum filiis a filiis vel sine filiis in civitate Bononie vel burgis vel iuxta civitatem Bononie ad unum milliāre. Salvo quod in Campo Fori possit ducere et tenere ad vendendum diebus sabati quibus sit forum. Item quod nulla persona, que teneat vel habeat aliquem porcū vel porcā in civitate Bononie vel burgis permittat ire vel exire extra domum in qua tenuerit sub pena amissionis dicti porci vel porce et vendatur ad incantum et pecunia deveniat in comuni Bononie et depositario dicti comunis solvatur et insuper condampnetur pro quolibet porco et porca in viginti solidis bononinorum pro qualibet vice et quilibet possit denunciare vel acusare contrafacientes et credatur acusanti sceu denuntianti cum sacramento cum uno teste ydoneo et habeat medietatem condempnationis, nec reddatur ius alicui contrafacienti de porco vel porca si fuerit mortuus vel vulneratus vel vulnerata sceu mortua. Et etiam quilibet sua auctoritate propria vigore huius statuti possit occupare et occupatis sit, salvo eo casu quo tenerentur ad vendendum in platea comunis vel trivio porte Ravenatis vel in aliqua bechariarum etiam eo casu quo de villa aliqua vel aliena regione ducantur ad civitatem Bononie et etiam quo propter guerā homines comitatus fugerint et venirent ad civitatem Bononie et etiam in eo casu quo ducerentur ad maçellum dummodo ducantur ligati vel cum custodibus quibus casibus exceptatis, pene huius statuti non vendicent sibi locum et etiam salvo quod in civitate et per civitatem possint et in civitate ire stare et morari ad honorem sancti Anthonii et eius reverentiam sexaginta porci maschuli castrati, dum tamen habeant auriculam dextram incisam et campanelam ad collum apensam, que campanela bulata sit quadam bulla ubi sculpita sit arma potestatis, qui pro tempore fuerit, que bulla teneatur et manuteneri debeat penes defensores averis et per eos vel alterum eorum dicta campanela bullari una cum notario stratarum et ultra dictum numerum campanellarum, si aliquis reperiatur, possit capi et occidi a quolibet absque pena et etiam notarius stratarum teneatur de predictis inquirere et quos reperierit sine campanella bullata, ut supra, capi fatiat et vendi ad incantum, sub pena viginti librarum bononinorum eidem notario auferenda si fuerit negligens in predictis, que omnia proclamari fatiat dominus potestas sceu dictus notarius in locis publicis singulis mensibus.

[41] De pena tenentium capras in civitate vel burgis vel prope civitatem Bononie. Rubrica. [cc. 278v-279r]

Ordinamus quod nullus tenere debeat capras vel bichos cum licentia vel sine licentia in civitate Bononie vel prope civitatem per sex milliaria in plano et per tria in montaneis vel aliis locis prohibitis sub pena decem solidorum bononinorum pro qualibet capra vel bico exceptis bechariis, qui possint eas et eos tenere ubicumque in civitate Bononie causa vendendi vel causa interfitiendi. Qui becharii non possint eas mittere ad pasculandum sub dicta pena et possint interfici, si in alterius iniuria vel dampno reperte fuerint et quod licitum sit cuilibet etiam non becario tenere in domo propria vel conducta vel curia sceu area talis domus unam capram dum tamen non exeat domum vel curtem. Et si alibi¹¹⁴⁷//

[c. 279r f. CCLXXIII]

fuerit reperta, si fuerit interfecta vel vulnerata non emendetur, nec dapnum patiatur interfitiens vel vulnerans, nec possit aliquis officialis comunis Bononie dare licentiam tenendi capras contra formam presentis statuti nec bulitam aliquam licentie facere nec fieri facere sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet buleta eidem auferenda tempore sindicatus. Et saltuarii terrarum comitatus Bononie teneantur et debeant denunciare tenentes capras vel bechos contra formam presentis statuti

¹¹⁴⁷ *Nel margine inferiore della carta: fuerit reperta.*

officialibus malefitorum parvorum ad quos iurisditio de predictis omnibus spectet et non ad alios et dicta denuntiatione facta, predicti officiales refferant vicario potestatis, qui tales denuntiatos condemnare debeat ex denuntiatione predicta, nullis aliis probationibus requisitis, in penis supra specificatis omni nostrorum statutorum solenitate obmisa.

[42] **De lino et canipa non aptandis in civitate Bononie vel burgis. Rubrica.** [c. 279r]

Mandamus quod nulla persona in civitate Bononie vel burgis aptare possit vel debeat linum vel canipam cum grama de die vel de nocte vel linum vel stupam, cavechiam seu lanam in civitate Bononie vel burgis de nocte habendo lumen ignis, nec debeat seminare nec seminari facere canipam in civitate Bononie et quod nullus linarolus actet linum de nocte in statione et qui contrafecerit condampnetur in quolibet dictorum casuum in quadraginta solidis bononinorum et medietas cuius condemnationis sit comunis et alia medietas acusantis vel denuntiantis.

[43] **De pena tenentium aliquod stramen sub domibus cupatis seu medalibus comitatus Bononie. Rubrica.** [c. 279r]

Obviare volentes periculis, que accidere cotidie possunt in comitatu Bononie propter gueras et casus inopinatos multotiens occurrentes, statuimus quod nulla persona, cuiuscumque status aut conditionis existat, audeat vel presumat tenere in guardia civitatis vel in aliqua parte comitatus vel districtus Bononie sub tecto alicuius domus cupate vel alicuius medalis seu tegie aliquam quantitatem pallearum, feni vel stipule seu siverne vel alterius straminis, sed ipsas paleas, fenum, stipulam siverniam vel aliud stramen tenere debeat in una fegna vel paleari in uno loco distante a domo seu medali vel capanna in quo vel in qua habitatur per sex perticas ad minus, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et masarii terrarum in arengo sue terre debeant predicta saltim duabus vicibus et diversis mensibus durante suo officio notificare hominibus sue terre, sub pena decem librarum bononinorum. Et vicarii comitatus teneantur toto posse facere quod predicta in eorum vicariatibus servantur et quoscumque reperierint in eorum vicariatibus facere contra presens statutum denunptiare domino potestati, qui potestas, denunptiatione facta, culpabiles puniat pena suprascripta. Et quilibet possit denunciare et acusare et habeat quartam partem dicte condemnationis cui denunciatori cum sacramento et cum dicto unius testis fide digni credatur et stetur et pro plena probatione habeatur. Et potestas infra mensem a die publicationis presentium statutorum predicta proclamari fatiat per civitatem Bononie in locis publicis et consuetis et in die fori et sucesive quilibet potestas saltim bis tempore suis regiminis predicta per civitatem Bononie proclamari fatiat. Quod quidem statutum vires habere volumus infra tres menses post publicationem presentium statutorum et non ante.

[44] **De pena habentis in civitate Bononie vel burgis domum copertam de paleis, chanellis vel melegariis. Rubrica.** [cc. 279r-279v]

Ordinamus quod nullus debeat habere domum copertam de paleis vel chanelis vel clausam de melegariis in civitate Bononie vel burgis et quicumque contrafecerit seu habuerit et non removerit postquam ei denuntiatum fuerit per ministralem sue capelle vel ex parte domini potestatis vel alicuius ex iudicibus suis vel tabellionis deputati offitio//

[c. 279v]

stratarum solvat nomine pene quadraginta solidos bononinorum et destruat et removeatur dicta domus coperta vel clausa, ut dictum est. Item quod nullus possit habere vel tenere aliquam domum coperta de paleis vel chanellis vel clausam de paleis vel melegariis in aliquo castro, rocha vel fortilitio ad penam centum solidorum bononinorum et in remotionem eius quod contra formam predictam factum fuerit, et vicarii comitatus de predictis inquirere debeant et repertos culpabiles condampnent penis predictis et removeri fatiant contra supradicta facta.

[45] **De pena eius qui luserit ad besognum. Rubrica.** [c. 279v]

Nullus ludat vel ludere presumat ad ludum rombolarum vel bixogni in civitate Bononie vel burgis vel intra terminos burgorum et quicquid contrafecerit condampnetur pro qualibet in tribus libris bononinorum. Et potestas teneatur miteri notarium suum, qui preest salegatis, ad predicta loca ad investigandum de predictis quotiens opus fuerit et fuerit requisitus.

[46] **De non careçando in diebus dominicis. Rubrica.** [c. 279v]

Statuimus quod nullus de civitate vel comitatu Bononie vel aliunde audeat vel presumat in civitate modo aliquo cariçare, nec boves suos vel alienos iugo ponere vel poni permittere ad cariçandum die Nativitatis Domini et duobus diebus sequentibus, in Pascate Resurrectionis et duobus diebus sequentibus, nec in festo Asscensionis vel Sanguinis et Corporis Christi et diebus festivitatum Appostolorum, diebus dominicis vel in festivitate beate Marie Virginis vel sancti Iohannis Batiste vel sancti Petroni. Et qui contrafecerit vel venerit puniatur et condampnetur pro quolibet et qualibet vice in quinque solidis bononinorum et quilibet possit accusare et denunciare contrafatientes et habeat medietatem banni et notarius domini potestatis, qui preest stratis sive salegatis, de predictis possit inquirere et debeat. De hiis excipimus tempora vindemiarum, quibus temporibus liceat cariçare pro vindemiis fatiendis et illos, qui dictis diebus prohibitis conducerent victualia seu aliquas mercationes ad civitatem Bononie, que mercationes conducte fuerint de alieno districtu seu de quibuscumque rebus que conducerentur in civitate Bononie vel burgis causa fuge, que fieret de comitatu Bononie propter gueram seu de mandato aliquorum officialium civitatis Bononie et quia sepe contingit careçatorum culpa opprimi pueros cum curibus, ideo statuimus quod nullus possit vel debeat incedere super currum per civitatem Bononie vel burgos, sed continuo per ipsam civitatem vel burgos debeat tenere manum ad timonem currus vel iuxta boves incedere, sub pena quinque solidorum bononinorum pro qualibet vice qua contrafecerit. Et potestas quilibet teneatur predicta facere cridari per civitatem infra mensem ab introitu sui offitii et pertineat cognitio predictorum ad notarium supradictum.

[47] **De tabernariis seu vinum vendentibus. Rubrica.** [cc. 279v-280r]

Precipimus quod nullus tabernarius seu tabernaria vel alius tenens vinum ad vendendum ad minutum possit illud vendere ad minutum in aliquo loco prope aliquas scolas scolarium alicuius facultatis in quibus assidue legatur vel prope aliquem locum ubi congregetur vel solita sit congregari universitas aliquorum scolarium vel prope domum habitationis alicuius doctoris iuris civilis vel canonici civis civitatis Bononie invito tali doctore, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice per decem perticas comunis mesure ad minus vel in aliquo alio loco prohibito per formam statutorum vel ordinamentorum comunis Bononie sub pena predicta aut ad

tabernam tenere pro insigna aliquam arborem fructiferam vel ramum arboris fructifere vel aliquam banderiam vel penellum nec possit aquam vite miscere cum vino nec lumen roge nec aliquid aliud et quicumque contrafecerit in aliquo predictorum casuum puniatur et condampnetur pro qualibet vice in decem//

[c. 280r f. CCLXXIII^{or}]

solidis bononinorum pro insigna et mixturis. Et in centum solidis bononinorum pro aqua vite et lumine rotie vel altero eorum. Et potestas hoc facere teneatur cridari infra mensem a die introitus sui offitii per civitatem et quilibet accusare possit et denunciare contrafatientes et habeat medietatem pene. Et predictorum cognitio spectet ad officium notarii stratarum et fanghi.

[48] De pena vendentis vinum ad minutum aliter quam debeat vel ad aliam mensuram. Rubrica. [c. 280r]

Ordinamus quod vendentes vinum ad minutum teneantur vendere ad veram et iustam quartam vel ad mediam quarte vel ad tertiam quarte vel ad quartam quarte et non ad aliquod aliud sagium vendere et ipsum sagium plenum dare sine cluma vel colarito sclume et suffitiat si mensura sit plena et rasa nec requiratur quod super habundet, sed si sit rasa intelligatur iuste mensurata. Et idem intelligatur et sit si canpio cum quo mensuratur sit rasmus nec requiratur quod canpio suprahabundet et qui contrafecerit puniatur et condampnetur pro qualibet vice in decem solidis bononinorum et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem¹¹⁴⁸ condempnationis et stetur sacramento accusatoris vel denuntiatoris cum uno teste. Et notarius stratarum vel coronarum teneatur inquirere ad minus semel singulis mensibus. Salvo quod vinum vernatie, malvasie vel de Creta vel grecum possit vendi ad hec et allia sagia, dum tamen iuxta ad rationem quarte prout est moris et consuetudinis. Dicimus etiam quod notarius stratarum vel coronarum vel alius officialis, qui habet vel habeant inquirere vel procedere super mensuris et sagiis si assagia vel mesure fuerint date plene vel non et si est iuste mensuratum vel non debeat per se vel alios suos nuntios mensurare vinum in ipsa taberna in qua fuerit vinum venditum vel super hostium ipsius taberne vel per unam perticam prope ostium ipsius taberne et non ultra et hoc ideo quia sepissime contingit quod portantes vinum aliquando ipsum efundunt, aliquando de eo bibunt, aliquando ex impetu aliorum ex eo efunditur, que ut plurimum contingunt cum separati sunt ab ipsis tabernariis¹¹⁴⁹.

[49] De pena operantis artem cere modo prohibito. Rubrica. [c. 280r]

Statuimus quod operantes artem cere et vendentes candelas de cera teneantur et debeant facere et vendere candelas et duplerios, que habent stupinaria de bambace nova et non de stupa vel alio genere pena et banno pro quolibet contrafatiente quinque librarum bononinorum et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem banni. Item statuimus, quod non audeant dictam artem operantes miscere in candelis vel dupleriis vel re aliqua confitienda de cera ceram veterem cum nova, nec veterem coperire exterius de cera nova vel plonibus pexam, rasam, favam infractam vel aliquid aliud imiscere cum ipsa cera nec aliquam ceram sceu laborerium de cera in qua seu quo sit mistum aliquid de predictis tenere, nec tenere vel vendere piperatam balneatam seu in qua mistum sit alliquid aliud quam piper et grocum et qui contrafecerit pro qualibet vice condampnetur in decem libris bononinorum et quilibet possit accusare et denunciare et

¹¹⁴⁸ <medietatem> segue banni cassato per sottolineatura.

¹¹⁴⁹ <tabernariis> corregge taberriis.

habeat medietatem banni et stetur sacramento denuntiatoris cum dicto unius testis, nisi contrarium probaretur et predicta pertineant ad offitium notariorum predictorum.

[50] De pena fatientium vel vendentium sextoria aliter quam debeant. Rubrica.
[cc. 280r-280v]

Decernimus quod illi qui fatiunt sestoria debeant ea facere altitudinis duodecim palmarum et longitudinis quindecim palmarum ad minus, non ponendo in dicta mensura cordulas que habundent in capitibus sextoriarum, nisi sint scortia. Et qui contrafecerit puniatur pro quolibet sextorio in decem solidis bononinorum et eandem penam patiat qui vendiderit aliquod sextorium quod convenerit esse certe mesure ad quam postea//
[c. 280v]

non reperiatur, de qua conventionem credatur sacramento emptoris ostendendo sestorium. Et predicta pertineant ad officium notarii stratarum sive fanghi.

[51] De pena tricolorum et magistrorum lignaminis et paiarolorum et aliorum tricolorum certo tempore et loco emere prohibitorum et aliter vel alio modo fatientium in suis artibus quam debent. Rubrica. [cc. 280v-281r]

Prohibemus tricolos et pagliarolos emere fenum vel paleam infra muros civitatis Bononie vel prope per duo miliaria per se vel alium. Et qui contrafecerit condampnetur pro quolibet et qualibet vice in quadraginta solidis bononinorum. Et eandem penam patiantur magistri lignaminis si emerint per se vel alium aliquod lignamen vel palancas infra muros civitatis Bononie, nisi in diebus fori post nonas tantum. Salvo quod lignamen eis necessarium pro comburendo quod liceat eis emere omni tempore. Et salvo quod lignamen eis necessarium pro rebus artis eorum construendis possit emere diebus fori post tertias, dummodo sit lignamen actum pro constructione domorum vel palanche quod et quas emere non possit nisi in diebus fori post nonas tantum. Et eandem penam incurant quicumque habentes seu deferentes lignamina ad vendendum si illa incaneverint in civitate Bononie vel burgis vel illa extraverint vel conduxerint de locis fori ubi illa habuerint pro vendendo, nisi ipsa lignamina portarent ad petitionem emptoris ipsorum lignaminum, in qua pena quilibet contrafatens puniatur qualibet vice qua fuerit contrafactum. Et eandem penam patiat aburatator et quelibet alia persona, que emeret remolum causa incanevandi pro revendendo nec etiam aliquis sensalis seu prosoneta audeat stare seu morari in locis in quibus sit forum singulis diebus fori usque ad horam none, sub pena viginti solidorum pro quolibet et qualibet vice qua fuerit inventus. Eandem etiam penam incurat quilibet habens lignamen in Campo Fori ad vendendum si illud vel preter illius viciaverit vel vitium ocultaverit et si lambrechias et non ligatas in fassis vel degorentes non tenuerit patenter et comunitur bonos et bonas sine defectu sic quod videantur vel videri possint intus et extra. Erbarolus autem et quilibet alius erbam emens causa vendendi vel qui fassos desligaverit ut appareant magliores in platea comunis Bononie vel porte Ravenatis vel qui falsaverit vel aliter fraudaverit fassos herbe condampnetur in quinque solidis bononinorum pro qualibet vice et quilibet possit contrafatientes accusare et denunciare et habeat medietatem banni. Et potestas teneatur hec et quod infra dicitur preconizari facere bis suo tempore in platea comunis Bononie et in trivio porte Ravenatis et in Campo Fori die quo ibi sit forum. Dicimus etiam quod de mense ianuarii, february, martii et aprilis vel aliquo dictorum mensium nullus debeat emere in civitate vel burgis perticas vel vincos, palos seu perticones de castaneo causa revendendi vel comburendi in civitate vel burgis, sub dicta pena et banno. Item dicimus, quod nullus tricolus vel tricola emat seu emi fatiat herbas et olera, caseum, pullos vel ova vel fructus arborum vel aliquas alias res ad tricoloriam

pertinentes aliquibus diebus, nisi post nonam nec exeant civitatem causa emendi prope ipsam civitatem per unum milliare infra dictas horas, sub pena viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Item tamen quod panem, carnes salitas vel aliam rem seu speciem quam monetam non possint vel debeant ab aliquo emptore seu altero accipiente dictas erbas ollera vel aliquos fructus seu aliud quod ad artem tricolorie spectet per se vel alium accipere seu habere, sub pena predictis venditoribus emptoribus seu aliter dantibus et recipientibus pro quolibet et qualibet vice qua contrafactum fuerit in quadraginta solidis bononinorum. Et quilibet possit contrafatientes denunciare et accusare et credatur dicto denuntiantis cum sacramento et dicto unius testis et notarius predictus offitio stratarum possit et¹¹⁵⁰ teneatur de predictis inquirere et investigare tam per testes quam per inditia et culpabiles punire et condempnare quolibet tempore etiam feriato. Item quod nulla tricola herbarum teneat mastelum vel aquam iuxta herbas vel ipsas herbas adquare debeat nec herbas vel fructus passos seu non recentes cum recentibus miscere, sub pena decem solidorum bononinorum pro qualibet vice. Item quod nulla tricola filet supra vel iuxta tricoloriam suam nec stet inter ortolanos vel ortolanas//

[c. 281r f. CCLXXV]

vel alias mulieres comitatus fructus aliquos vendentes in platea comunis vel in trivio porte Ravenatis per unam perticam, pena decem solidorum bononinorum pro qualibet vice. Et possint predicti tricoli vel tricole acusari vel denunciari palam et in secreto et non credatur dicto denuntiantis, nisi probaverit per suum sacramentum et dictum unius testis fidedigni et hoc propter multas fraudulentas extorsiones, que fiebant, evitandas. Item dicimus quod nullus audeat aliqua ligna combustibilia ducere in stanghis vel fassis de busco super curibus seu brotiis seu tregiis ad vendendum, que non sit ad minus longitudinis sex pedum comunis, si fuerint stanghe de busco, et si fuerint in fassis, que non sint ad minus longitudinis quinque pedum, sub pena viginti solidorum pro quolibet plaustro et pro quolibet brotio solidorum decem, salvo statuto infra proxime sequenti [52] et qualibet vice. Et preconigetur, ut supra, et in aliquo die fori aliquis, qui sit solitus vel de quo sit comunis oppinio in contrata habitationis sue quod solitus sit incanipare ligna combustibilia causa revendendi non audeat ligna emere in civitate Bononie vel prope tria milliaria, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro qualibet vice et quolibet. Dicimus etiam quod nulli persone, comuni, collegio et universitati vel societati liceat quoquo modo incanipare carbones in magna vel parva quantitate in civitate Bononie vel burgis vel guardia civitatis, salvo quod cuilibet de societate fabrorum sit licitum incanipare et tenere id tantum quantum videbitur sufficere pro arte eius exercenda et non plus de carbone de castaneo vel de faxina tantum. Et quod tales conducentes carbonem ipsa die¹¹⁵¹ qua venit ad civitatem Bononie vel sequenti vel eorum bestie non possint aggregari, capi vel prenda pro aliquibus debitis vel honeribus condempnationibus vel multis suo comunitatis vel universitatis de quibus ipsa comunitas vel universitas malpaga seu comuni Bononie obligata diceretur. Et si contrafecerit in suum statum pristinum reponatur et contrafatientes puniantur in viginti quinque libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice et ipsi detempto seu gravato expensas dampna et interesse resarcire teneantur. Et predicta pertineant ad officium notarii stratarum vel coronarum et quilibet possit contrafatientes accusare et denunciare et credatur eius sacramento cum uno teste fidedigno et habeat medietatem condempnationis.

¹¹⁵⁰ <et> *dittografato*.

¹¹⁵¹ <ipsa die> *dittografato*.

[52] **De pena vendentis ligna falsa vel defectuosa paleas vel fenum. Rubrica.** [cc. 281r-281v]

Mandamus quod quicumque conduxerit super curru, brotio vel treçia aliqua ligna, pertichas, paleas vel fenum in civitate Bononie causa vendendi teneantur conducere bona, bonum et bonas et legales et iuste measure et sine aliqua falsitate vel fraude in eis facta videlicet stangas ad minus measure sex pedum comunis, fassos lignorum quinque pedum comunis ad minus et lambrechias duodecim pedum ad minus et apertas ut supra in proximo statuto et predicta omnia ita bona comuniter interius sic extra et non possit eas vel ea vendere seu conducere ad vendendum, nisi in campo mercati et in salicata fratrum Minorum vel in salicata que est intra Stratam Maiorem et stratam Sancti Vitalis et non alibi in civitate predicta, nec etiam in dictis locis prope aliquam stratam per duas perticas nec in ipsis locis tenere ante fatiem anteriorem vel a latere posteriori alicuius currus lignorum, fenum, paleam seu erbam. Et cum predicta delata fuerint super curribus inter civitatem ipsam seu burgos causa vendendi non possit predicta descaregari vel de curribus eici, nisi cum vendite fuerint nisi essent ligna grossa vel a laborerio alicuius hedifitii vel nisi essent lambrechie vel degorentes aut pertice, que possint descaregari et disolvi in locis in quibus vendi possunt ut de ipsarum et ipsorum fraude aparere possit et siquis reperiretur alibi predicta vel aliquod predictorum vendere vel descaregare et in aliquo predictorum contrafacere condampnetur ipso facto vice qualibet in viginti solidis bononinorum. Si autem reperiretur aliquem causa vendendi habere currus lignorum vel aliorum predictorum cum aliqua fraude vel defectu intrinseco condampnetur quilibet sic repertus vice qualibet in quadraginta solidis bononinorum et perdat omne id quod sic repertum fuerit super curru habere et vendatur ad incantum et si vendite fuerint eius medietas aplicetur comuni et alia medietas emptori de//

[c. 281v]

hoc dampnum passo. Si autem reperiatur aliquem causa vendendi habere stangas vel fassos lignorum minoris measure quam ut dictum est condampnetur pro vice qualibet in viginti solidis bononinorum pro quolibet curru et pro quolibet brocio solidis decem bononinorum, nisi docuerit illum a quo emerit et in qua terra seu curia emerit, quo casu predictus solum in dicta dimidia condampnetur. Et qui vendiderit condempnetur in duplo pene supradicte, nisi se non vendidisse probaverit, qua probatione facta, tunc predictus penes quem predicta ligna reperta fuerint condampnetur in centum solidis bononinorum. Item dicimus, quod ligna stelata seu stele de quercu, que ducuntur ad vendendum supra curru vel asinis seu someriis debeant esse ad minus longitudinis duorum pedum cum dimidio ad mensuram comunis Bononie et currus dictorum lignorum, qui sit de tribus morellis et hoc pena cuilibet contrafacienti pro quolibet curru super quo erunt dicta ligna viginti solidorum bononinorum et pro qualibet salma lignorum super qua erunt predicta ligna solidorum decem bononinorum. Et de predictis possit inquiri et debeat per notarium stratarum, que omnia dominus potestas in dictis locis teneatur facere proclamari.

[53] **De pena magistrorum muri et lignaminis accipientium maius salarium quam debeant. Rubrica.** [cc. 281v-282r]

Prohibemus quod magistri muri vel lignaminis non possint vel debeant accipere pro mercede qualibet die qua laboraverint, a festo omnium Sanctorum usque ad Carnisprivum ultra sex solidos bononinorum et victum. Et si noluerit ille qui eos conduxerit vel conducere voluerit prestare vel eis dare victum, possit accipere in recompensationem victus, ultra mercedem, decem et octo denarios parvos pro qualibet vice et non possit aliquis magister vel manualis ire ad comedendum ad domum suam,

sed cibum et potum fatiat portari ad domum eius cui laboraverit. Aliis vero temporibus cum victu octo solidos bononinorum ad plus et sine victu non ultra septem solidos bononinorum. Ingigneriis vero statuimus solum pro quolibet die a festo omnium Sanctorum usque ad festum Resurrectionis septem solidos bononinorum, alio vero tempore novem solidos bononinorum pro qualibet die et predicta mercede teneantur cuilibet petenti operas suas locare et dare. Medietatem vero dicti pretii et mercedis volumus posse percipere quemlibet manualet et non ultra et qui contrafecerit plus accipiendoe etiam a sponte dantibus vel denegando laborare et prestare solvat nomine pene qualibet vice quadraginta solidos bononinorum cuius medietas sit comunis et alia acusantis vel denuntiantis et hec locum habeant in civitate, comitatu et districtu Bononie et in qualibet singulari persona et universitate et credatur sacramento denuntiatoris cum sacramento unius testis, que quidem salaria possint augeri, minui et limitari prout de dominorum antianorum et collegiorum processerit volumptate, sed temporum varietates. Item dicimus, quod massarii societatis magistrorum lignaminis et murorum singulis sex mensibus seu in yntroitu regiminis cuiuslibet potestatis infra decem dies teneantur dare in scriptis omnes et singulos operantes comuniter et publice dictas artes circa construtionem, reformationem et reparationem murorum et domorum et aliorum necessariorum pro predictis notario deputato officio stratarum domini potestatis cum nominibus et prenominiibus omnium et singulorum, sub pena centum solidorum bononinorum. Et similem denuntiationem fatiat et facere debeant et teneantur massarii terarum de dictis magistris, qui habitant in suis terris sub eadem pena. Et quod dictus notarius sub [dicta pigna] ad instantiam cuiuslibet petentis aliquem magistrum vel manualet lignaminis vel murorum consuetum laborare sibi dari pro aliquo laborerio fatiendoe possit et debeat cogere realiter et personaliter tales petitos et requisitos ad petitionem cuiuslibet volentis facere laborari cogere¹¹⁵² ad laborandum pro dictis salariis nisi fuerit impeditus iusta vel rationabili causa videlicet infirmitatis vel eo quod alteri laboraret vel in laborerio alicuius esset, sub pena centum solidorum bononinorum cuilibet magistro et manuali recusanti servire dicto tali petenti et credatur denuntiatori, qui conduxerit seu conducere voluerit operis magistri sacramento ab eo prestito cum dicto unius testis. Et de predictis possit et debeat inquiri per notarium stratarum vel coronarum, nisi plene probaverit se ab alio conductum pro illo die//

[c. 282r f. CCLXXVI]

vel se alibi laborare vel aliquo iusto impedimento se fore impeditum.

[54] **De fornasariis fatientibus cupos et lapides. Rubrica.** [c. 282r]

Statuimus quod fornaxarii fatientes seu fieri fatientes lapides vel cuppos teneantur facere vel fieri facere cuppos et lapides grossos et longes ad modum designatum in muris pallatorum comunis Bononie, ita quod lapides sint equales et plani et non cavati. Item dicimus, quod quilibet fornaxarius teneantur fieri facere omni anno octo coctas lapidum vel cupporum ad minus. Mandamus etiam, quod nullus fornaxarius possit facere vel fieri facere aliquam electam de lapidibus, sed dictos lapides vendere debeat prout extrahuntur de fornace, nulla ex dictis lapidibus facta ellectione, ad penam decem librarum pro qualibet cocta lapidum de quibus facta fuerit ellectio ab eo, qui preest fornaci de facto auferenda per notarium fanghi et comuni Bononie aplicanda et possint et debeant dicti fornaxarii vendere cuilibet petenti de dictis lapidibus et cupis, si penes se reperiantur habere miliare lapidum librarum tres bononinorum et non plus miliare vero cuporum librarum tres et solidorum quindecim bononinorum et non plus et siquis contrafecerit condampnetur in duabus libris pro qualibet vice et pro quolibet miliari et

¹¹⁵² <cogere> *dittografato e cassato per sottolineatura.*

ad rationem miliaris cuius condempnationis medietas sit comunis et alia medietas acusantis. Et quod fornasarii predicti teneantur quolibet anno de mense martii, sub pena centum solidorum bononinorum cuilibet eorum dare in scriptis notario fanghi, stratarum domini potestatis seu notario deputato officio coronarum ipsius domini potestatis nomina et prenomina quorumcumque laborantium et fatientium cupos et lapides et manualium, qui consueverunt servire ad predicta fatienda et in quibus locis habitant, qui fatientes cupos et lapides, et eorum manuales teneantur anno quolibet sub pena librarum duarum bononinorum qualibet vice eorum operas prestare fornasariis predictis ad predicta fatienda et quod aliquis ipsorum non possit accipere pro sua mercede pro die ultra decem solidos bononinorum et manuales ultra sex solidos bononinorum et ad predictas operas prestandas compelli possint et debeant ad petitionem cuiuscumque volentes eos conducere per dictos notarios domini potestatis vel alterum eorum summarie et de facto et absque strepitu. Et predicta pertineant ad officium notarii fanghi et stratarum vel coronarum et ad quemlibet alium officialem comunis Bononie, qui super hoc fuerit additus.

[55] **De vasis vitreis fatiendis. Rubrica.** [cc. 282r-282v]

Quia vasa vitrea sunt multo solito cariora et debiliora quod contingit ex eo quod est penuria magistrorum et solummodo certis liceat ipsa facere volentes talibus obviare et ut de talibus copia habeatur merito diximus statuendum quod quilibet civis vel forensis possit libere et inpune facere et fieri facere intus et extra civitatem Bononie fornaces aptas et abiles ad fatiendum migliolos, inghistarias, bocalitos et alia vasa vitrea de bono vitreo, bene cocto et bene temperato et sine aliqua imistione ex quibus faciliter rompanantur vel a se ipsis sclopentur seu frangantur, sub pena aliter fatienti seu fieri fatienti et magistro fornacis quinque solidorum bononinorum pro quolibet vase et cuilibet ipsa vendenti duorum solidorum bononinorum pro quolibet vase de quibus notarius fanghi et¹¹⁵³ stratarum cognoscere et inquirere possit et teneatur et culpabiles punire et quilibet possit accusare et denunciare. Et ipsos migliolos, ingistarias, bocalitos et alia vasa vitrea facere et fabricare et fieri et fabricari facere et etiam conducere et conduci facere ad civitatem Bononie undecumque et illa vendere possint et teneantur cuilibet emere volenti dummodo non possint ipsa vasa vitrea integra seu fracta nec etiam tasum conducere extra districtum Bononie per aliquem pena conducenti pro qualibet vice vigintiquinque librarum bononinorum et amisionis rerum et quilibet possit accusare et habeat medietatem condempnationis. Et quilibet venientes ad fatiendum de migliolis et aliis vasis vitreis et eos fatiat in civitate vel comitatu Bononie sit et esse intelligatur immunis ab omnibus honeribus realibus vel personalibus vel mistis que imponerentur per comune Bononie vel per aliquam aliam universitatem comuni Bononie subietam. Et predicta teneatur//

[c. 282v]

facere preconizari predicta infra quindecim dies a die publicationis presentium statutorum.

[56] **Quod nulli liceat emere cuppos vel lapides causa revendendi. Rubrica.** [c. 282v]

Ordinamus quod nullus emat lapides vel cuppos in civitate vel comitatu Bononie causa revendendi et qui contrafecerit perdat cuppos et lapides et insuper condampnetur in

¹¹⁵³ <pro quolibet vase de quibus notarius fanghi et> *di seguito sul margine laterale destro.*

extimatione ipsorum cuius medietas sit comunis et alia acusantis et medietas cuporum et lapidum.

[57] **De fornasariis fatientibus gissum et calcinam et illa vendentibus. Rubrica.**
[cc. 282v-284v]

Ad obviandum fraudibus fornasariorum fatientium gissum et calcinam et ipsa vendentibus statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli fornasarii et quicumque alii coquentes seu vendentes et quicumque vendent vel coquent seu coqui et vendi fatient gissum vel calcem in civitate, burgis, guardia vel comitatu Bononie teneantur et debeant dictas eorum artes bene, fideliter et legaliter exercere et dictum gissum et calcem suffitienter et modo debito coquere et de bonis et suficientibus petiis gissi et prede et quod nullus ex predictis audeat vel presumat in dicto gisso vel calce inmiscere terram vel pulverem vel aliquod aliud, nisi solum predam vel gissum suficiens nec etiam aliam scaiam gissi vel prede que superit a fractura petiorum gissi vel prede quando ipsum calcem coquere volunt. Quam scaiam primo proicere vel proici facere ad unum bonum et suficiens graditium ad predicta¹¹⁵⁴ quod graditium quilibet ex predictis continue¹¹⁵⁵ habere et tenere debeant in sua statione in loco ubi venditur dictum gissum seu calces patenter, ita quod ab hominibus possit videri. Et scaiam que remanserit et dictum graditium non penetraverit coquere possint et inmiscere cum calce vel gisso predictis. Et reliquam scaiam vel pulverem, que dictum graditium penetraverit abicere et ad alium locum exportari facere teneantur et debeant, sub pena cuilibet contrafatienti et in dicto gisso vel calce aliquid aliud inmiscenti et cum dicto gisso vel calce coquenti seu coqui fatienti decem librarum bononinorum pro qualibet cocta et qualibet vice et cuilibet dictum graditium ad suam stationem non tenenti, ut supra et scaiam vel pulverem dictum graditium penetrantem non abitienti et exportari, ut supra, viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice.

Item quod nullus ex predictis audeat vel presumat aportare, conducere seu aportari vel conduci facere vel ad eorum fornaces positas in civitate Bononie vel guardia aliunde aliquam quantitatem scaie, gissi vel prede vel grapam coctam vel crudam nec ad eorum fornaces tenere et habere, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet curru et qualibet vice cuilibet contrafatienti et eandem penam patiantur quicumque dictam scaiam vel grapam portaverit ad fornaces predictas. Et intelligantur quilibet ex predictis fornasariis condusse aliud grapam predictam eo ipso quod reperta fuerit ad eorum fornaces et stationes vel alio modo apareret.

Item quod nullus ex predictis nec etiam aliquis alius audeat vel presumat conducere seu conduci facere ad eorum fornaces positas in civitate Bononie vel guardia aliquam quantitatem gissi cocti in capitale et non pisti de extra civitatem, sub pena cuilibet contrafatienti centum solidorum bononinorum pro quolibet curru et intelligatur condusse seu conduci fecisse eo ipso quod dictum gissum conduci prohibitum repertum fuerit ad eorum fornaces seu stationes vel alibi ad ipsorum fornasariorum petitionem vel alio modo apareat.

Item quod nullus ex predictis fornasariis nec aliquis alius audeat vel presumat emere aliquam quantitatem gissi cocti, pisti vel non pisti vel calcis cocti ab aliquo de guardia vel comitatu Bononie causa incanevandi vel revendendi in civitate Bononie, guardia vel

¹¹⁵⁴ <predicta> segue debeant depennato.

¹¹⁵⁵ <continue> segue et depennato.

comitatu eiusdem nec permittere descaregari ad eorum fornaces et domos, nisi pro suo laborerio sibi necessarium, qui tamen non fuerit fornasarius nec etiam aliquis portare vel deferre cum curru vel bestiis dictum gissum vel calcem ad dictas fornaces vel ad alia loca ad petitionem dictorum fornasariorum. Et si//

[c. 283r f. CCLXXVII]

fuerit fornasarius qui contrafecerit in predictis intelligatur causa incanevandi et revendendi emisse eo ipso quod repertum fuerit ad eorum fornaces vel alibi ad eorum petitionem vel alio modo apareat, ut supra, sub pena cuilibet contrafatienti pro quolibet curru gissi non pisti et qualibet vice centum solidorum bononinorum et pro quolibet corbe gissi pena quinque solidorum et amisionis dicti gissi non pisti vel pisti.

Item quod nullus ex predictis audeat vel presumat vendere vel alio modo alienare aliquam quantitatem gissi crivilati et sine grapa nec crivelos ad dictas fornaces seu in domibus eisdem fornacibus coniunctis habere vel tenere, sub pena cuilibet contrafatienti et tale gissum crivilatum vendenti decem solidorum bononinorum pro quolibet corbe et pro dicto crivelo invento decem solidorum bononinorum et amisionis dicti criveli.

Item quod quilibet fornasarius coquens et vendens gissum ut supra, teneatur et debeat continue habere et tenere ad eorum fornaces iuxta masam gissi vendendi unum starium iustum, bonum et suficiens bulatum bula comunis Bononie et etiam bula sotietatis muratorum feratum in bucha duobus feriis in cruce, cum quo sestario mensurare debeat gissum vendendum cum grapa, ut supra, ad iustam et rasam mensuram. Fornasarii vero calcis teneantur et debeant habere et tenere sestarium non feratum iustum ut supra et bulatum iuxta masam calcis vendendi, quod sestarium debeat esse tantum in latitudine quantum est in longitudine seu concavitate a parte inferiori et lignum ipsius sestarii sit et esse debeat grosium in buca sicut est in fundo, cum quo sestario vendere debeant calcem ad sestarium culmen ad bonam et rettam mensuram. Que etiam sestaria debeant parangonari cum sestariis gissi et calcis sotietatis muratorum quotiens videbitur massario et ministrilibus muratorum etiam ad petitionem cuiuscumque que parangonatio etiam fieri debeat per notarium officio fanghi et stratarum vel coronarum quolibet mense, que sestaria masarius et ministralis dicte societatis pro parangonibus tenere teneantur in domibus eorum societatis, sub pena cuilibet contrafatienti et predicta non observanti in quolibet casuum predictorum pro quolibet et qualibet vice in quadraginta solidis bononinorum et amisionis sestarii non sic iusti vel non bulati in dictis locis non reperti.

Item si videbitur magistro seu magistris, qui operari debuerint dictum gissum vel calcem seu emptori vel emptoribus dicti gissi vel calcis quod aliquis defectus esset circa mensuram dicti gissi vel calcis liceat eis miteri pro uno ex sestariis dicte sotietatis¹¹⁵⁶ et in presentia fornasarii a cuius fornace dictum gissum vel cals portatum vel portata fuerit, si adesse voluerit eo ad predicta requisito ipsum gissum vel calcem mensurare seu mensurari facere cum campione dicte sotietatis suficiat tamen mensurare unum currum vel unam salmam tantum quando plures currus seu salme venderentur et secundum quod dictus currus vel salma mensuratus vel mensurata repertus vel reperta fuerit in defectu vel defectibus alii etiam curus et salme non mensurate in eisdem defectibus fuisse intelligantur in quibus reperti fuerint currus et salme mensurati et mensurate et talis mensuratio pro plena probatione habeatur quod de defectus dictus emptor una cum magistro predicto seu alter ipsorum possit, teneatur et debeat referre et denunciare cum sacramento notario seu notariis domini potestatis offitio fanghi sceu coronarum

¹¹⁵⁶ <societatis> *corregge* sotietietatis.

deputatis, quorum sacramento et mensurationi stetur et credatur ut supra, sub pena cuilibet contrafatienti pro quolibet corbe gissi vel calcis quod minus repertum vel repertus fuerit decem solidorum bononinorum et refectionis emptori dicti gissi vel calcis minus reperti.

Item quod dicti fornasarii teneantur et debeant tenere et uti bonis et sufficientibus sacis et non fractis nec foratis vel excusitis, ita quod ex ipsis non possit exire gissum vel calcs qui cum eis portaretur et siquis contrafecerit condampnetur pro quolibet foramine seu excusitura in dictis sacis reperto et reperta et qualibet vice in uno solido bononinorum.// [c. 283v]

Item quod masarius societatis muratorum una cum uno vel duobus ex ministrilibus dicte societatis, qui masarii et ministrales non sint de fornasariis predictis vendentibus gissum vel calcem nec alicuius ipsorum sotius vel particeps in dicta arte nec alicuius ipsorum frater vel alter ei coniunctus usque ad quartum agnationis, cognationis vel afinitatis gradum inclusive possit, teneatur et debeat quolibet mense semel ad minus et ultra quotiens ei videbitur inquirere et investigare de omnibus et singulis defectibus in suprascriptis et infrascriptis capitulis contentis contra omnes et singulos fornasarios seu vendentes et coquentes gissum et calcem in civitate Bononie et eius guardia et etiam extra guardiam si eis videbitur predicta in suprascriptis capitulis contenta non observantes vel contrafatientes, eundo ad omnes et singulas fornaces gissi vel calcis positas in dicta civitate vel burgis vel guardia et etiam si eis videbitur extra guardiam et civitatem positas. Et omnes deffectus quos invenerint teneantur scribi facere per notarium dicte sotietatis vel alium notarium quem ellegerint et dictos deffectus et personas, que in dictis defectibus per ipsos reperte fuerint in scriptis dare predictis notario dicti domini potestatis vel alteri ipsorum infra tertiam diem, sub pena viginti solidorum bononinorum predicto masario et totidem cuilibet ministrali predicta facere negligenti et pro quolibet defectu cui scripture et denuntiationi cum sacramento dicti masarii et ministralis seu ministraliu credatur et stetur et pro plena probatione habeatur. Si vero masarius fuerit de personis supra prohibitis, tunc et eo casu predicta explicentur et fiant per alios ministrales¹¹⁵⁷ dicte societatis, de quibus defectibus puniantur et condampnentur ipsi reperti culpabiles per dominum potestatem et eius curiam in penis supradictis et infrascriptis capitulis contentis sumarie et de plano absque alio processu vel inquisitione infra decem dies a die denuntiationis predicte, sub pena domino potestati quinqueginta librarum bononinorum pro qualibet vice qua contra predicta fecerit vel predicta non observaret.

Item quod predicti fornasarii seu coquentes gissum vel calcem et quilibet alii qui soliti sunt coquere et vendere gissum vel calcem tam in civitate quam eius guardia teneantur et debeant gissum et calcem coquere et coqui facere ad eorum fornaces in sufficienti quantitate, ita quod copia gissi et calcis habeatur in civitate vel guardia. Et ad hoc cogi possint et debeant realiter et personaliter quibuscumque remediis oportunis per dominum potestatem vel per alterum ex dictis suis notariis et dictum gissum et calcem predictum dare, tradere, vendere et mensurare teneantur cuicumque petenti pro pretio inter ipsos fornasarios et emere volentes convento, nec alicui denegare dummodo pretium corbis gissi non excedat duos solidos et sex denarios bononinorum. Et pretium corbis calcis non excedat solidos sex bononinorum non obstante aliquo pacto quod fieret de maiori pretio pro predictis solvendo et ipsum gissum vel calcem deferre ad laboreria

¹¹⁵⁷ <ministrales> segue dicte sotietatis cassato per sottolineatura.

in quibus dictum gissum vel calcs operari vel distribui debuerint in civitate vel burgis et non alibi pro pretio predicto, nullo alio pretio vel mercede recepta pro portatura dicti gissi vel calcis, sub pena cuilibet deneganti vel aliquid extorquenti vel exigenti pro portatura ultra pretium predictum duorum solidorum bononinorum pro quolibet corbe vel vendenti ultra quantitatem predictam gissum solidorum quinque bononinorum pro quolibet corbe et vendenti calcinam ultra pretium predictum solidorum decem bononinorum pro quolibet corbe. Et de predictis stetur sacramento emptoris si officiali videatur denunptiatorem talem esse cuius sacramento stari possit alias stetur dicto denuntiatoris cum uno teste. Statuentes quod nullus ex predictis fornasariis audeat vel presumat inter se septam vel conpirationem vel monopolium super certo pretio statuendo quod vendi debeat dictum gissum vel calcs ultra pretia suprascripta vel quo minus copia gissi vel calcis cocti habeatur in civitate vel guardia predictis vel quo minus omnia et singula in suprascriptis et infrascriptis capitulis contenta per ipsos fornasarios fiant et observentur, sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice.//

[c. 284r f. CCLXXVIII]

Item quod dicti fornasarii teneantur et debeant omnia et singula in predictis capitulis contenta observare et observari facere tam per se quam per suos famulos, familiares, discipulos et eorum laboratores et operantes artes predictas ad eorum fornaces pro quibus teneantur et contra ipsos procedi possit et debeat ad exactionem dictarum penarum perinde ac si ipsi fornasarii predicta comisissent una tamen pena soluta pro quolibet defectu ceteri liberentur.

Item quod notarii domini potestatis officio fanghi seu stratarum vel coronarum deputati seu alter ipsorum teneantur et debeant bis in mense ad minus et ultra quociens eidem placuerit inquirere et investigare contra dictos fornasarios et vendentes gissum et calcem de et pro omnibus et singulis defectibus seu commissis vel obmissis per ipsos fornasarios vel familiares et operarios ut supra contra formam supradictorum capitulorum eundo per civitatem et burgos ad eorum fornaces et rimando de defectibus predictis et ipsos defectus in scriptis deducere et domino potestati et sue curie referre, cuius inventioni et relationi stetur et credatur et pro plena probatione habeatur, nisi contrarium probaretur pro quibus defectibus delinquentem puniri et condempnari debeant per dominum potestatem summarie absque alia inquisitione vel processu procedere penis in dictis capitulis contentis et apositis infra decem dies post inventionem de eis factam, sub pena dicto domino potestati quinqueginta librarum bononinorum, ut supra.

Item quilibet ydoneus et fide dignus arbitrio domini potestatis possit dictos fornasarios seu coquentes et vendentes gissum predictum et calcem predictam vel eorum familiares et operarios denunciare et accusare dictis notariis domini potestatis vel domini capitanei populi vel alteri eorum de omnibus et singulis per ipsos obmissis et commissis cuius denuntiatoris sacramento credatur et stetur si pena veniret imponenda usque ad quantitatem inclusive quadraginta solidorum bononinorum abinde vero supra usque ad quantitatem decem librarum bononinorum inclusive cum uno teste fide digno iurato.

Item quod pene predictae in supradictis capitulis contentae imponantur per dictum dominum potestatem et aplicentur et dividantur infrascriptis modo et forma videlicet quod si pro defectibus repertis per dictos suos notarios vel alterum eorum condempnatio sequeretur eo casu applicetur comuni Bononie de qua quantitate pene dominus potestas

habere et recipere possit et debeat quatuor solidos bononinorum pro qualibet libra. Si vero ex denunptiatione masarii et ministrorum ut supradictum est, eo casu medietas dicte condemnationis applicetur comuni Bononie et alia medietas societati muratorum. Si autem ex denunptiatione alicuius alterius denunptiatoris ydonei ut supra sequeretur condemnatio, tunc medietas dicte condemnationis applicetur comuni Bononie et alia medietas denunptiatori predicto, quas quantitates pecuniarum applicandas dicto domino potestati vel alicui ex denunptiatoribus predictis aut societati predictae. Depositarius prepositus officio Ursii incontinenti, facta ipsarum exactione, possit, teneatur et debeat eisdem dare et solvere integre secundum detractionem alicuius quantitatis pecunie absque alicuius licentia vel apodisa buleta vel mandato.

Item si aliquo casu vel causa contingat copiam gissi vel calcis non haberi vel pretium predictorum gissi vel calcis superius taxata minus excessive esse quod interveniente deliberatione et ascensu dominorum antianorum comunis et populi Bononie, qui pro tempore erunt vocatis defensoribus averis dicti comunis, et quatuor maturis moralibus civibus ad minus totiens quotiens ipsis vel maiori parti eorum placuerit et videbitur oportunitate fatiant et fieri fatiant calmerium de valore et pretio predictorum gissi et calcis vel alterius eorum ac provideant et deliberent et deliberare possint omnem modum habilem ad habendum et pro habendo copiam predictorum gissi et calcis pro competenti pretio ultra aliam superius ordinatam et ex tunc secundum calmerium fatiendum et modum habendum copiam de predictis gissum et calcem vendantur et vendi debeant per dictos fornarios et quemlibet eorum, ita quod pretium ipsorum dictum calmerium non excedant, donec aliud calmerium fiet quod fiat et fieri possit, ut dictum est, quotiens fuerit oportunitate. Et nichilominus quilibet predictorum fornariorum contrafatians vel obmitens predicta vel aliquod predictorum penam incidat pro quolibet corbe gissi vel calcis//

[c. 284v]

plus vendito pretio limitato quadraginta solidorum bononinorum aplicandam ut supra. Et pro aliis supradictis provisus et ordinatis in quibus contrafierent vel obmitterent duplicatas penas incidant, que in capitulis predictis continentur pro quolibet capitulo et qualibet vice.

[58] De salario laboratorum et certorum artificum et aliis diversis capitulis. Rubrica. [cc. 284v-286r]

Statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli laboratores, cuiuscumque conditionis et status, qui de cetero laborabunt ad culturam vel pro cultura terarum seu oportunitatibus et refectionibus vinearum in civitate vel comitatu Bononie habere et recipere possint pro eorum feudo et salario et eorum expensis tantum quolibet die infrascriptam pecunie quantitatem scilicet pro podadura vel relevatura tres solidos bononinorum, pro çapatura quatuor solidos bononinorum, et pro remenatura tres solidos bononinorum, et pro segatura prati pro qualibet tornatura III^{or} solidos bononinorum ante vendimias et post vendimias quinque solidos bononinorum. Et pro segatura stuple sive stipule ac bedusti pro qualibet tornatura solidos tres bononinorum Et pro metendo qualibet die quinque solidos bononinorum. Et pro triturando quatuor solidos bononinorum qualibet die. Et pro vendimiando homini duos solidos bononinorum in die. Et mulieri vel puero decem et octo denarios parvos bononinorum in die, et pro corbelatura quatuor solidos bononinorum in die. Et pro evacuando castelatam et portando unum solidum bononinorum pro qualibet castelata. Et pro torculando qualibet castelatam uvarum tres solidos bononinorum. Et pro roncadura bladi tres solidos

bononinorum in die homini et mulieri vel puero duos solidos bononinorum in die. Et stelatoribus lignorum tres solidos bononinorum in die in estate et duos solidos bononinorum in yeme et nichil ultra possint accipere nomine expensarum vel victus vel aliqua ratione vel causa. Et pro arompitura cuiuslibet tornaturie terre octo solidos bononinorum. Et pro remenatura vel reterçatura vel seminatura et aliis laboreriis boum sucesive sex solidos bononinorum pro tornatura et non plus. Et pro careçatura a viginti miliaribus infra usque ad quindecim inclusive duodecim solidos bononinorum, et a decem miliaribus infra usque ad sex inclusive octo solidos bononinorum, et a sex miliaribus infra usque ad tria inclusive quinque solidos bononinorum, et a tribus miliaribus infra pro quolibet miliari decem et octo denarios bononinorum. Et tempore vendemiarum possint pro careçatura tertiam partem plus dictarum quantitatum superius declaratarum acipere. Strengentes vero vegetes et alia vasa possint accipere sex solidos bononinorum pro quolibet et qualibet die, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro qualibet vice et quolibet recipiente etiam a sponte dantibus et eandem penam incurat qui ultra dederit, nisi ipsum acipientem denunciaverit vel accusaverit infra quinque dies. Et nichilominus ad restitutionem eius quod ultra acceperit teneatur et cogatur, que quidem salaria possit augeri et minui et limitari secundum varietates temporum per dominos antianos et colegia. Et quod quilibet dictorum laboratorum teneantur et debeant bene et legaliter laborare omni die prout laborabant ante presens statutum ad petitionem cuiuslibet ipsum requirentis sub pena predicta. Et quod nulli liceat locare operas suas vel stare in aliquo loco pro locando ipsas operas ultra mediam tertiam sub dicta pena et quilibet possit acusare et denunciare omnes et singulos contrafatientes palam vel oculte coram vicario domini potestatis aut iudice presidente ad discum Ursii, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint. Et coram quocumque officiali domini potestatis et teneantur in credentia et habeant medietatem condempnationis et alia medietas deveniat in comuni Bononie. Que condempnationes statim ponantur ad discum Ursii et per ipsum iudicem Ursii exigantur et solvatur condempnatio ipsa ut superius est expressum et semiplena probatio fienda in predictis et pro predictis vel sacramentum dantis pro plena probatione habeatur et sit.

Item providerunt et firmaverunt quod aliquis fornarius vel fornaria non audeat vel presumat quoquomodo vel causa accipere per se vel alium pro pane quoquendo ab aliquo maiore septenio masculo vel femina, tam cive quam forense in anno quolibet nisi¹¹⁵⁸ sex solidos bononinorum et pro minore septenio usque ad trienium inclusive quatuor solidos bononinorum et nichil percipere debeat ab aliquo minore trienio. Et de qualibet artocrea magna comunali percipere debeat solum sex denarios//

[c. 285r f. CCLXXVIII^o]

bononinorum et artocrea parva cornutulo vel cosone recipere non debeat nisi unum denarium bononinorum, sub pena quinque solidorum bononinorum pro qualibet vice et qualibet re in qua contrafecerit eis de facto auferenda et comuni Bononie aplicanda. Et de teglia magna sive padella in qua sunt carnes vel pulli, anseres, anedre, pipiones vel alia animalia percipere possint ad plus videlicet pro quolibet polastro sive pipione denarium unum, pro quolibet ansere denarios sex, et pro capreto solidum unum, et pro qualibet longia ad rationem longie integre solidum unum, predicta bene coquendo et staxonando sub dicta pena, que quidem salaria possint augeri et minui et taxari prout placuerit dominis antianis et colegiis. Teneantur etiam dicti fornarii coquere panem cuilibet volenti et bene stasonare et nichil de ipso admovere vel simul ad invicem panem astringere, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro qualibet fornata et ad

¹¹⁵⁸ <nisi> *corregge ni.*

emendationem dampni duplicati ei qui passus fuerit et de predictis sacramento domini vel domine vel familiaris domus in qua factus fuerit panis vel aliquod predictorum. Et quod ipsi fornarii non audeant vel presumant habere aliquam societatem vel membrum alicuius societatis inter eos, sub pena quingentarum librarum bononinorum nec se¹¹⁵⁹ invicem coadunare nec aliquam sectam facere. Et quilibet fornarius et fornaria teneantur operari et operari facere artem et consuetudinem sue fornarie prout operabatur et fatiebat ante presens statutum, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et quod quilibet possit accusare et denunciare omnes et singulos contrafatientes in predictis et quolibet predictorum secrete vel palam et habeat medietatem condemnationis et teneantur in credentia alia medietas deveniat in comuni Bononie.

Item statuimus et ordinamus quod aburatatores non possint accipere in civitate et comitatu Bononie pro eorum labore nisi sex denarios bononinorum pro aburatatura alicuius corbis farine sive sit mensura sive non si¹¹⁶⁰ fuerit buratum spissum et si sit clarum seu rarum quatuor denarios parvos bononinorum sub pena quinque solidorum bononinorum pro quolibet corbe et qualibet vice eidem de facto auferenda.

Item quod mondatores non possint accipere in civitate vel comitatu Bononie, nisi tres denarios parvos bononinorum pro mondatura alicuius corbis bladi cuiuscumque conditionis existat, sub pena quinque solidorum bononinorum pro quolibet corbe et qualibet vice eidem auferenda ut supra.

Item quod brentatores non possint accipere nisi tres denarios bononinorum pro venditura alicuius corbis vini sub pena quinque solidorum bononinorum pro quolibet corbe et qualibet vice. Et idem intelligatur in quolibet alio fatiente vendere aliquod vinum, sub pena predicta eidem auferenda ut supra et in predictis omnibus et singulis credatur ut supra in capitulo de fornariis dictum est.

Item quod cimatores pannorum non possint accipere pro cimatura alicuius brachii panni semel cimati nisi tres denarios bononinorum et si bis cimatum fuerit non possint accipere nisi sex denarios bononinorum, sub pena quinque solidorum bononinorum pro quolibet brachio et credatur de contrafatientibus ut supra in simili dictum est.

Item quod omnes et singuli predicti et quilibet eorum incipiendo a dicta provisione, que loquitur de aburatoreibus ab inde infra teneantur et debeant bene et legaliter predicta eorum ministeria de quibus supra sit mentio facere et exercere prout laborabant et eorum ministeria exercebant ante confectionem presentis provixionis non accipiendo nisi mercedes superius declaratas, sub penis predictis superius impositis et quilibet possit accusare et denunciare omnes et singulos contrafatientes in predictis. Que quidem salaria possint augeri et minui et taxari prout placuerit dominis antianis una cum collegiis oportunis.

Item statuimus, quod sartores et calçaglioli debeant acipere pro eorum salario pretia infrascripta videlicet imprimis de induto ad usum hominis ad taglium magnum bononiensem cum duobus paribus manicarum sex solidos bononinorum.

Item de guarnachia foderata de pellibus ad dictum taglium et uxum hominis sex solidos bononinorum.//

¹¹⁵⁹ <se> in infralinea con segno di inserzione.

¹¹⁶⁰ <si> in infralinea con segno di inserzione.

[c. 285v]

Item si fuerit foderata de sindone vel alio panno de seta inter suturam foderis in totum octo solidos bononinorum.

Item de mantelo ad dictum taglium et usum foderatum de sindone vel panno sirico sex solidos bononinorum.

Et si fuerit de duplici panno octo solidos bononinorum.

Et de simplici mantelo magno cum ghironibus quinque solidos bononinorum. Et non magno vel sine gadis tres solidos bononinorum.

Et de mantelo foderato increspato decem solidos bononinorum.

Item de cotardita non increspata ad uxum hominis et sine intaglio foderata de pignolato vel alia tela quinque solidos bononinorum.

Si vero fuerit increspata octo solidos bononinorum.

Si vero cum intaglis decem solidos bononinorum.

Item de tabardo ad dictum taglium quinque solidos bononinorum.

Si vero fuerit foderatum de sindone vel alia tela octo solidos bononinorum.

Si vero dicti panni vel alter eorum fuerint ad taglium seu modum artum seu aynaldum, tunc pro quolibet accipiat tantum plus vel tantum minus ut partes simul convenerint.

Item de cotardida puelle parve minoris duodecim annorum et minus secundum qualitatem persone quinque solidos bononinorum.

Et si fuerit domicella vel maritata maioris etatis ad plus octo solidos bononinorum.

Item de gonela pro muliere ad taglium bononiensem decem solidos bononinorum.

Et si esset increspata duodecim solidos bononinorum.

Item de guarnachia ad uxum mulieris ad dictum taglium bononiensem decem solidos bononinorum.

Et si fuerit increspata duodecim solidos bononinorum.

Et si fuerit foderata de sindone vel alia tela quindecim solidos bononinorum.

Si vero dicte vestes fierent ad modum francigenum tertia pars detrahatur quam superius sit tasatum.

Item de mantelo ad uxum mulieris foderato de sindone vel alia tela quindecim solidos bononinorum.

Item de camisa sindonis vel panni sete foderata de baldinella quindecim solidos bononinorum.

Item de guarnelo ad uxum pueri tres solidos bononinorum.

Et ad uxum iuvenis vel alterius hominis quatuor solidos bononinorum.

Et si fuerint increspati quinque solidos bononinorum.

Item de setano ad uxum mulieris quinque solidos bononinorum.

Et si fuerit pro puela tres solidos bononinorum.

Et si fuerint increspati sex solidos bononinorum.

Item de mutatione bustorum et manicarum ad uxum mulieris sex solidos bononinorum.

Item de induto pueri tres solidos bononinorum.

Item de mantelo pueri tres solidos bononinorum.

Item de pari caligarum unum solidum bononinorum et sex denarios parvos.

Item de caputeo magno cum mendaturis duos solidos bononinorum.

Et sine mendaturis unum solidum bononinorum.

Item de zubeto de pano sirici ad modum antiquum bononiensem cum cusituris seu costis menutis viginti solidos bononinorum.

Et si ad intaglium vigintiquinque solidos bononinorum.

Et si de buchirano vel alio panno duodecim solidos bononinorum.

Que quidem salaria possint augeri, minui et tasari prout placuerit dominis antianis una cum colegiis et in predictis omnia per ipsos taxanda habeant plenum robur et effectum ac si in presenti statuto forent descripta et taxata.

Statuimus quod in quolibet casuum in supradictis capitulis contentorum, ubi non reperiretur aliqua pena abiecta quilibet contrafatians incidat ipso iure et facto penam dupli pro//

[c. 286r f. CCLXXX]

qualibet vice qua contrafecerit eius quod ultra quam supra statutum sit acceperit eidem contrafatiensi per quemcumque officialem comunis Bononie qui aditus fuerit pro predictis de facto auferenda, aplicanda ei cui ultra quam dictum sit fuerit acceptum. Adhicientes in omnibus suprascriptis quod si aliquis sartor vel çubonerius aut calcagliolus, qui fecerit aliqua indumenta vel aliquas diploides aut caligas vel caputeos sive aliquod ex predictis illa¹¹⁶¹ vel illos¹¹⁶² destruxerint vel malefecerint tam incidendo quam suendo vel aliquod subtrahendo vel aliquod obmitendo de quibus destructione et malefactura stetur et stari debeat arbitrio duorum bonorum virorum, qui non sint sartores vel zubonerii sive calçaglioli per iudicem, qui aditus fuerit pro predictis asumendorum teneantur ei vel hiis cui vel quibus predicta destruxerint vel male fecerint ad omne interesse suum predictorum bonorum arbitrio virorum tassandum et extimandum. De quibus omnibus quilibet officialis civitatis Bononie, qui pro predictis aditus fuerit cognoscere possit et teneatur sumarie et de plano, sine strepitu et figura iuditii, etiam tempore feriato.

[59] **Que teneantur facere becarii vel servare in arte sua. Rubrica.** [cc. 286r-286v]

Ordinamus quod becarii porcas non castratas vinie unius anni vel infra quas interfitiunt vel interfici fatiunt causa vendendi teneantur facere illas curari cum igne porcos autem masculos et porcas castratas seu vinas predictas pelare seu pelari facere. Item quod nulle bestie vendende debeant reptinere seu dimictere pilos pro insignis, nisi fuerint castrones vel edi nec debeant unam bestiam pro alia vendere. Et quod non debeat aliquis bestiam ore inflare vel inflari facere. Item quod dicti becharii teneant separatas dictas carnes scilicet una ab alia, ita quod discerni, videri atque cognosci possit nec carnes putridas, coruptas vel morticinas vendere nec tenere super banchis suis vel alibi. Et qui contrafecerit condampnetur pro quolibet dictorum casuum pro qualibet vice in quadraginta solidis bononinorum, ita quod pro eodem deffectu non possit condempnari quotcumque fuerint socii ad unam bancam nisi unus. Dicimus tamen quod pro inflatura edi vel agni pene nomine solvantur solum decem solidi bononinorum. Et notarius stratarum vel notarius coronarum teneatur inquirere et procedere de predictis sub eadem pena. Et quilibet possit acusare et denunptiare et credatur dicto acusatoris de novo iurando cum uno teste et habeat medietatem banni. Item dicimus quod nullus becarius vel alia persona pro eo vel eis possit facere septam in mercato forii vel alibi contra aliquem vel aliquos volentes vendere aliquam bestiam seu animal vel aliquem angariare occaxione venditionis talis bestie sub dicta pena et credatur ut supra. Prohibemus etiam quod nullus becarius audeat vel presumat appensas tenere aliquas bestias mortuas vel excoriatas vel frustra carniam ad aliquod rastelum vel hedifitium ad quod apendi possint predicta extra bancas ipsorum viis publicis propter quod transeuntes dampnum vel

¹¹⁶¹ <illa> *nel testo* ila.

¹¹⁶² <illos> *nel testo* ilos.

impedimentum recipiant vel sanguis cadens a dictis bestiis cadere possit super aliquos transeuntes, sub pena solidorum viginti pro qualibet bestia sic apensa. Et pro quolibet frusto quinque solidorum bononinorum. Item ordinamus, quod becarii vendentes in civitate Bononie teneantur et debeant vendere carnes quibuscumque emere volentibus pro eo pretio quod ordinatum fuerit per potestatem Bononie qui erit pro tempore. Qui quotiescumque opus fuerit vel ad requixitionem dominorum antianorum teneantur et debeant sub vinculo sacramenti fieri facere gualmedrum sive asagium de carnibus cuiuscumque maneriei et cuiuscumque generis et, facto gualmedro seu asagio, notarius stratarum dictum gualmedrum sive asagium observare fatiat per omnes becarios vendentes in civitate Bononie, sub pena quinqueginta librarum bononinorum eidem notario auferenda. Et si aliquem becarium reperierit vendere pro maiori pretio quam superius fuerit ordinatum ipsum condampnet in duobus solidis bononinorum pro qualibet libra talium carnium maiori pretio venditarum et pro qualibet vice. Et stetur sacramento eius qui emerit dictas carnes seu penes quem reperirentur dicte carnes.//
[c. 286v]

Teneantur etiam dicti becarii dare quibuscumque ementibus iustum pondus, sub pena unius solidis pro qualibet unta quam minus dederit. Prohibentes etiam ne dicti becharii pedes vel gambas bestiarum ad pondus vendere audeant neque adiungere ad pondus aliquod os quod non sit cum carnibus adiunctum sub pena predicta. Item quod dicti becarii non audeant interficere vel decoriare aliquod animal vel proicere aliqua visera, putredinem seu carnes marcidas aliquorum animalium in aliquibus domibus vel extra sive in aliquo loco per quod fetor vel tedium inferatur aliquibus vicinis vel aliis transeuntibus nec facere septam, conspirationem vel monopolium inter se de vendendo carnes certo modo vel ordine vel pretio sive certis oris, sub pena quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice qua reperiretur predicta fecisse vel comisisse aplicanda ut supra, et teneatur dictus notarius et notarius coronarum diligenter et solícite inquirere et repertos culpabiles punire et condempnare sub dicta pena. Et de eis condempnationes facere et consignare ad discum Ursii. Et nichilominus quilibet officialis comunis Bononie, qui pro predictis fuerit aditus, possit et debeat de predictis omnibus et singulis cognoscere et contrafatientes punire ut supra dictum est. Item dicimus, quod becarii et alii non debeant forum aliquarum bestiarum in multitudine facere vel ipsas tenere in viis vel itineribus publicis civitatis Bononie propter que iter publicum impediatur vel periculo seu tedio sit transeuntibus, sub pena cuilibet contrafatienti quinque librarum bononinorum de facto per dictum notarium auferenda. Salvo quod predicta non habeant locum in via per quam itur a becaris porte Ravenatis ad pelatorium bechariorum versus hospitale de Guarinis. Et in via qua itur a becaris Porte Nove usque ad Voltas de Tebaldis vel in campo fori. Item quod nullus becarius seu quelibet alia persona dictam artem exercens audeat vel presumat per se vel alium interficere, excoriare, exviserare vel pelare aliqua animalia seu aliquas bestias quadrupedes in capelis et in capela Sancti Arcangeli vel in capela Sancti Antholini de Porta Nova vel in aliqua parte dictarum capelarum, salvo quod dicti becarii per se vel alios quoscumque voluerint, possint exercere predicta et quodlibet predictorum in scorticatorio posito in dicta capela Sancti Antholini supra Aposelam iuxta becaris Porte Nove a parte inferiori becariarum. Et hoc tantum modo a chalendis menssis octubris usque ad chalendas menssis iunii singulis annis et nullo alio tempore. Dum tamen tempore quo in dicto scorticatorio licitum est becaris excoriare, teneantur dicti becarii dictum scorticatorium ita clausum et purgatum manutenere quod fetor ex aliquibus imunditiis in ipso congregatis insurgere non possit, sub pena centum solidorum bononinorum pro qualibet et pro quolibet contrafaciente. Et quilibet acusare et denunptiare possit palam et in secreto contrafatientes vel predicta non observantes cuius

condempnatoris dicto cum sacramento ipsius et uno teste credatur et stetur et habeat medietatem condempnationis et medietatem teneantur in credentia. Et nichilominus notarius officio fanghi et stratarum deputatus vel deputandus teneatur de predictis inquirere et rimari contrafatientes contra predicta vel aliquod predictorum et contra non observantes contenta in presenti statuto cuius inventioni credatur et stetur quos contrafatientes vel predicta non observantes punire possit penis suprascriptis. Prohibentes aliquem ex dictis becariis vendere carnes buvalinas sub pena quinque librarum bononinorum pro qualibet vice¹¹⁶³.

[60] **De piscatoribus seu venditoribus piscium seu gambarorum. Rubrica.** [cc. 286v-287v]

Statuimus quod aliquis piscator seu aliqua persona non debeat emere gambaros vel cavidanos causa revendendi, nisi emeret ad portus vel alia loca ubi caperentur, sed illi qui conducunt vel aportant gambaros seu cavedanos vendant eos ad minutum et gambari debeant vendi in platea comunis Bononie iuxta crucem dicte platee et non alibi, sub pena quadraginta solidorum bononinorum et amisionis gambarorum. Item quod nullus debeat se asociare cum aliquo vel aliquibus, qui portant gambaros seu cavedanos ad¹¹⁶⁴ dictos pisces seu gambaros vendendos. Item quod nullus vendens gambaros debeat elligere grossos a minutis, sed ipsos comuniter vendere debeat et dare gambaros// [c. 287r f. CCLXXXII]

comunes pro duodecim denaris parvis et non ultra. Et dare grossos gambaros pro duobus solidis et non ultra scilicet pro quolibet centenario et ad rationem centonarii. Dicimus etiam quod nullus debeat tenere in vivario vel mitere gambaros et tales gambaros vendere in grosso vel ad minutum in civitate Bononie vel burgis nec audeat gambaros vendere post oram none, sub pena solidorum quinque pro centenario. Preterea dicimus, quod nullus debeat deponere vel descaregare pisces vel gambaros in civitate Bononie, nisi in piscariis solitis vel aliis de novo fiendis in civitate predicta. Et prout supra ordinatum est in civitate predicta, sub pena decem librarum bononinorum et perdat pisses et gambaros. Item quod nullus in sua domo debeat recipere pisses vel gambaros nec aliter ocultare et quicumque contra predicta vel aliquod predictorum fecerit vel venerit condampnetur pro qualibet vice quadraginta solidos bononinorum. Et quilibet possit acusare et denunptiare contrafatientes. Quorum omnium contemptorum in dicto statuto sit cognitor notario, qui preerit officio fanghi et stratarum seu coronarum qui teneatur quolibet die veneris et sabati et omnibus aliis diebus quibus venduntur pisces et gambari inquirere de predictis in pescariis et alibi ad suam voluptatem et teneantur procurare quod condampnetur contrafatiens in supradictis penis. Prohibemus etiam quod nullus piscator vel alia persona vendens pisces teneat secum¹¹⁶⁵ tenere possit aliquas bancas, discos seu cestas vel aliquid aliud extra terminos piscariarum in strata publica vel sub porticu versus ipsam stratam propter quod iter impediatur, ad penam solidorum viginti pro quolibet et qualibet vice. Item dicimus, quod piscatores teneantur et debeant singulis diebus sabati scopari et purgari facere stratam publicam, que est inter ipsas pescarias et etiam in Quadragesima saltem bis in edomoda ne fetor et putredo noceat transeuntibus ad penam quinque librarum bononinorum pro quolibet piscatore sive pro qualibet banca piscariarum. Item dicimus, quod nullus debeat vendere per se vel

¹¹⁶³ <Prohibentes aliquem ex dictis becariis vendere carnes buvalinas sub pena quinque librarum bononinorum pro qualibet vice> *aggiunta con scrittura di modulo minore*; <sub pena quinque librarum bononinorum pro qualibet vice> *scritto nella riga sottostante nello spazio vuoto rimasto alla fine del titolo della rubrica successiva.*

¹¹⁶⁴ <ad> *dittografato.*

¹¹⁶⁵ <secum> *nel testo secu.*

alium seu alios in civitate Bononie vel burgis libram sturionis ultra duos solidos et sex denarios bononinorum et pro tanto pretio cuilibet petenti vendere teneantur quando penes se habuerit. Et quilibet qui contrafecerit condampnetur pro qualibet vice in viginti solidis bononinorum. Et quilibet possit acusare et denunptiare et habeat medietatem banni et credatur dicto acusantis cum sacramento de novo prestando cum uno teste. Item dicimus quod vendentes pisces crudos vendere debeant tantum in piscariis solitis vel alibi ubi essent vel fierent piscarie vel pars earum et in locis superius ordinatis et omnes pisces crudos, quos vendere voluerint venire et conducere fatiant ad aliquem de predictis locis et ibi deponere seu deponi facere publice. Et quod nullus vituralis debeat exonerare in civitate Bononie aliquos pisces venales nisi in locis predictis et qui contra predicta vel aliquod predictorum fecerit condampnetur in centum solidis bononinorum pro qualibet vice. Dicimus etiam quod piscatores vendentes pisces eo tempore vel aliis oris quo vel quibus debebunt vendere pisces quos fecerint aportari vel habuerint, debeant in publice tenere ad pescarias in locis ubi venduntur pisces et non absconse, nec habere seu tenere possint bancam clausam, casonem, casam seu stationem vel aliquod aliud in quo possint celari pisces, sub pena et banno pro quolibet qui contrafecerit et qualibet vice quinque librarum bononinorum. Item dicimus, quod nullus vendens pisces seu gambaros vendat seu teneat ad vendendum pisces vel gambaros marcidos seu corruptos, sub pena solidorum quinque pro quolibet pisce marcido seu corrupto si fuerit ponderis unius libre vel ab inde supra pro quolibet vero alio pisce minoris ponderis solidos duos bononinorum¹¹⁶⁶ et quinque solidorum bononinorum pro quolibet centenario gambarorum marcidorum seu corruptorum et tales pisces vel gambari corrupti debeant abici per notarium fanghi. Et quod pisces vel gambari sint marcidi vel corrupti stetur declarationi notarii fanghi seu coronarum cum dicto duorum bonorum virorum artificum civitatis Bononie etatis ad minus pro quolibet elligendo treginta annorum per ipsum notarium elligendorum cum massario seu uno ex ministrilibus societatis piscatorum vel maioris partis eorum.¹¹⁶⁷ Item quod dicti vendentes pisces, ipsos pisces vendant et vendere debeant a kalendis mensis novembris usque ad kalendas aprilis ante oram completorii et aliis temporibus ante oram none et omnibus piscibus, qui remanserint a dictis oris in antea teneantur et debeant caudas incidere ut comprehendant partem de vivo seu pleno piscis ultra penas caude, ita quod cognosci possint pisces recentes ab eis, et si reperiantur aliqui pisces post dictas oras non habentes caudas totas incisas puniantur tenentes ipsos pisces in solidis quinque bononinorum pro quolibet pisce et// [c. 287v]

perdant pisces. De quibus omnibus notarius fanghi et stratarum teneatur diligenter inquirere, salvo quod predicta non vendicent sibi lochum in cavedanis et truitis et in piscibus qui sint minores una spanna et in piscibus qui conducuntur a kalendis mensis novembris usque ad kalendas mensis aprilis ad civitatem Bononie post oram vigesimam secundam quibus ea die qua conducentur Bononie incidi non debeant. Et quilibet possit contrafatientes denunciare et acusare et credatur acusatori cum sacramento de novo prestito cum uno teste et habeat medietatem banni. De hiis excipimus pisces siccos vel qui salarentur in civitate Bononie in magna quantitate et carpiones. Item dicimus quod nullus audeat emere vel vendere ad aliquem portum comunis Bononie aliquos pisces in

¹¹⁶⁶ <si fuerit ponderis unius libre vel ab inde supra pro quolibet vero alio pisce minoris ponderis solidos duos bononinorum> *aggiunto a margine laterale destro con segno di rinvio su 3 righe.*

¹¹⁶⁷ <Et quod pisces vel gambari sint marcidi vel corrupti stetur declarationi notarii fanghi seu coronarum cum dicto duorum bonorum virorum artificum civitatis Bononie etatis ad minus pro quolibet elligendo treginta annorum per ipsum notarium elligendorum cum massario seu uno ex ministrilibus societatis piscatorum vel maioris partis eorum.> *aggiunto nel margine inferiore della carta su 3 righe con segno di rinvio.*

grosso. Dicimus etiam quod nullus audeat tenere anguillas de Comachio mistas cum aliis piscibus vel anguillis, sed ipsas anguillas de Comachio tenere debeat super bancas separatas ab aliis piscibus vel anguillis per unum pedem et qui contrafecerit penam decem librarum bononinorum incurat pro qualibet vice, et eodem modo possit acusari et denunciari ut superius est espressum. Concedimus etiam auctoritate presentis statuti quod quilibet possit pisces et gambaros conducere de districtu Bononie vel alio ad civitatem Bononie et illos vendere in locis ordinatis ad suam liberam voluptatem, sine alicuius condicione, dummodo non vendat ultra pretium superius tasatum. Salvo quod carpiones et quoslibet pisces siccos vel marinos seu salitos quilibet possit libere conducere et vendere ubi voluerit. Et de predictis omnibus possit inquiri per dictum notarium etiam solempnitate aliqua non servata. Aditentes quod nullus, cuiuscumque conditionis existat, audeat vel presumat tempore Quadragesime aliquos pisces crudos extrahere vel extrahi facere de districtu Bononie cum bolita vel sine bolita etiam si solvere vellet datium ordinatum vel ordinandum et qui contrafecerit condampnetur in centum libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice et perdat pisces et bestias super quibus portarentur, que veniant in comuni Bononie et quilibet possit acusare et denunciare seu notificare et habeat pisces vel eorum extimationem. In quibus omnibus notarius fanghi et stratarum et notarius coronarum habeant potestatem inquirendi, puniendi et condempnandi omnes et singulos contrafatientes et condempnationes de eis facere et ipsas ad discum Ursii ponere et habeat et habere debeat dominus potestas solidos quatuor bononinorum pro qualibet libra condempnationis exacte, non obstante aliquo statuto prohibente dictum potestatem vel eius familiam aliquid percipere ultra salarium ordinatum.

[61] **De quibusdam prohibitis armarolis feraceriis et magnanis. Rubrica.** [c. 287v]

Volentes dispendiosis casibus et periculis personarum quarum gratia iura statuta sunt habens dumtaxat a quibus potest comode precaveri oportuno remedio providere, decernimus quod nullus armarolus, faber, feraçerius vel magnanus civitatis Bononie audeat de ceptero vel presumat eicere, spaçare, habere vel tenere in vias publicas in terram extra stationes ipsorum vel bancas ipsarum stationum aliquod retaglium de ferro, clavos, bolitas vel ferrum calidum vel aliquod aliud per quod nocere possit transeuntibus vel ipsorum equis vel ronçenis vel aliis animalibus, pena et banno cuilibet contrafatienti et pro qualibet vice quadraginta solidorum bononinorum comuni Bononie aplicandorum. Et nichilominus leso et damnificato ex predictis teneatur ad omne suum interesse. Et de predictis et super predictis notarius fanghi et stratarum teneatur inquirere et scrutari et contrafatientes punire et condempnare. Intelligentes illum contra predicta fecisse ante cuius stationem vel banchum aliquod ex predictis repertum fuerit prout protenditur testa sue stationis sive banchi.

[62] **De feratoribus equorum. Rubrica.** [cc. 287v-288r]

Placet quod feratores equorum fatiant bona feramenta et clavos de fero bonos et legales et accipiant pro feratura de ferro novo mitendo quindecim denarios bononinorum pro quolibet ferro a ronçeno et pro quolibet ferro ab equo armigero comunis statuere decem et//

[c. 288r f. CCLXXXII]

octo denarios parvos. Et pro fero a deferato duos solidos bononinorum pro quolibet ferro et non ultra pro desferando autem et referando scilicet destrario denarios octo pro equo armigero, denarios sex pro ronçeno, denarios quatuor pro quolibet ferro. In

exercitu vero vel cavalcata ultra dictas quantitates in quolibet dictorum casuum accipere possint duos denarios parvos pro quolibet ferro novo et feratura. Et pro extrahendo et remitendo ferro quatuor denarios bononinorum et non ultra in quolibet dictorum casuum. Pro ferando autem quolibet bove volumus quod solvantur solidi octo videlicet pro qualibet plana solidum unum et quolibet asino denarios duodecim pro quolibet mulo denarios quindecim nec possint aliquid accipere ultra dictas quantitates etiam a sponte dare volentibus. Que quidem salaria possint augeri, minui et taxari prout placuerit dominis antianis et colegiis. Et teneantur cum feraverint aliquem equum de novo restituere ei cui equum feraverint saltem dimidiam ferrorum quos extraserit equo et dare debeat cuilibet emere volenti tres clavos pro uno bononino parvo. Et possint sine aliquo banno vel sine aliqua pena ygnem in formam facere pro omnibus oportunis pro ferandis equis et ferrum aperire et quotienscumque et quocumque fuerit oportunum. Et debeat omni die ferare cuilibet volenti et petenti omni exceptione remota. Et qui contrafecerit puniatur et condempnetur pro qualibet vice in viginti solidis bononinorum et credatur sacramento eius qui voluerit ferari facere. Item dicimus, quod fabri teneantur et debeant taliter facere et curare quod sintille feree non exeant domos in quibus laborant ferrum ut non offendant transeuntes tenendo pannum sive asidem ante ostium sive fenestram fusine, sub pena quinque solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice qua non tenuerint dictum pannum sive assidem dum laborant. Prohibemus etiam ne aliquis ferator vel alia persona extra districtum Bononie mitat vel conducat ferra vel clavos ad vendendum pena et banno solidorum centum pro quolibet et qualibet vice. Et hoc statutum sit precisum de quibus spectet iurisditio et cognitio ad notarium fanghi et stratarum, qui de predictis possit, teneatur et debeat inquirere et punire contrafacientes. Aditientes quod feratores et marescalci non debeant in stratis magistris seu notabilibus civitatis Bononie vel earum porticibus medicare seu medicari facere, tenere seu teneri permittere aliquos equos, boves, asinos vel alias bestias curandi causa vel ferandi, nisi prout infra dicitur, sub pena quadraginta solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice de facto auferenda per dictum notarium fanghi et stratarum et notarium coronarum, liceat tamen dictis feratoribus pro eorum ministerio exercendo tenere bestias predictas sub dictis porticibus non tenendo ultra duos ad plus. Et dummodo dictas bestias non teneant per transversum porticus, sed per longum, ita quod capita dictarum bestiarum stent iuxta columpnas domus et caudam teneant iuxta alias columpnas, ita quod porticus stet vacua per duas partes fatiendo unam sprangatam infra porticum ne dicte bestie possint offendere transeuntes. Et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem condempnationis et teneatur in secreto si voluerit ipse denunptians. Et quod ministrales capelarum denunciare teneantur predicto notario contrafacientes in eorum capelis, sub pena solidorum viginti bononinorum pro quolibet et qualibet vice auferenda ut supra.

[63] **De arte campsorum et aurificum. Rubrica.** [cc. 288r-288v]

Statuimus et ordinamus, quod omnes campsores et aurifices vel artem campsorum seu aurificum exercentes, tam cives quam forenses, teneantur et debeant dictas artes bene et legaliter exercere et exerceri facere et quod nulla persona, civis vel forensis, cuiuscumque conditionis et status existat, audeat vel presumat laborare vel facere laborari aliquid laborerium argenti in civitate, comitatu vel districtu Bononie, nisi de argento ad ligam bononini grossi antiqui, haud laborati in dicta civitate, comitatu vel districtu Bononie vel alibi ad aliam ligam quam predictam habere vel tenere in eorum apotecis vel stationibus quacumque de causa vel alibi tenere vel per civitatem portare

vel portari facere vendendi causa vel dictum argentum ad aliam ligam laboratum vendere in civitate, comitatu vel districtu//

[c. 288v]

predictis, nisi fractum et conquassatum, ita quod aliquis eo uti non possit ad eum usum ad quem factum fuerat, sub pena viginti solidorum bononinorum pro qualibet untia et ad rationem untie pro quolibet et qualibet vice. Et quod rector societatis aurificum possit, teneatur et debeat singulis septimanis saltem semel pro qualibet septimana et plus si ei videbitur sotiatum cum duobus bonis viris sue artis eligendis per ipsum rectorem et etiam cum notario fanghi et stratarum seu coronarum si eidem rectori videbitur inquirere rimari, parangonare et omnem experimentum de dicto argento facere per stationes et apotecas et etiam per alia loca contra portantes et portari fatientes dicta de causa prout eisdem videbitur pro defectu inveniando. Et quod quilibet cuiuscumque conditionis fuerit, etiam non subditus dicte societati aurificum, patiatur fieri predicta per dictum rectorem et socios, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum et nichilominus per dominum potestatem vel eius familiam remediis oportunitatis compellatur quorum inventioni et relationi seu dicto cum sacramento per ipsos dicto notario prestando dictus notarius stare teneatur. Et ipsos culpabiles repertos, qui non fuerint de dicta societate, dominus potestas condemnare teneatur pena predicta comuni Bononie aplicanda, de qua condemnatione per ipsum facta et ad discum Ursii posita et per iudicem Ursii exacta dominus potestas habere debeat duos solidos bononinorum pro libra et ad rationem libre. Alios vero culpabiles repertos, qui sint de dicta societate aurificum dictus rector condemnare teneatur in dictis penis aplicandis secundum formam statuti dicte sue societatis.

[64] **De locantibus equos ad victuram. Rubrica.** [c. 288v]

Statuimus quod quicumque dederit equos ad victuram licitum sit accipere pro victura, dampno et interesse dicti equi pro prima die quinque solidos bononinorum tantum et singulis aliis diebus quatuor solidos bononinorum, quibus tenuerit conductor dictum equum et non plus, sub pena et banno viginti solidorum bononinorum pro quolibet contrafatiente et qualibet vice, cuius banni medietas sit comunis et alia acusantis vel denuntiantis non obstante aliquo pacto fiendo per locatores predictos vel aliquo alio iure per quod possit fieri fraus huic statuto et credatur dicto conductoris sacramento de novo prestito cum uno teste fide digno.

[65] **De pena delictorum nostro statuto specialiter non provisiva. Rubrica.** [c. 288v]

Item cum hoc sit quod hominum memoria fragilis non possit cuncta reptinere et per hoc contingere possit non esse singulis causis vel factis illicitis penam vel penas apositas singulariter et expressum. Statuimus, quod si contingat aliquod de iure comuni vel municipali prohibitum per aliquem fieri vel comitti vel mandari sive dispositum quod fiat obmitti quod de iure comuni vel municipali in speciem vel genus delicti caderi possit si specialis pena ex aliquo statuto in hoc contento volumine reperiatur imposita eam imponat iudex, qui de delicto cognoscit et debuerit iudicare si vero aliqua non reperiatur imposita specialiter ex aliquo statuto in hoc contento volumine si inveniatur de iure comuni pena ex eo delicto statuta eandem imponat iudex predictus. Si vero pena non fuerit specialis ex aliquo predictorum stautorum vel iure comuni imposita vel esse talis de iure comuni, que hodie non haberetur in usu, tunc potestas et capitaneus populi si de delicto cognoverint quod ad sui cognitionem pertineant cum de ipso delicto cognoscent quod ad sui cognitionem et iurisdictionem spectarent, suo arbitrio, penam vel

penas statuunt et imponant secundum qualitatem personarum, criminis et delicti, dummodo penam personalem imponere non possint. Salvo tamen quod si contingat aliquod fieri vel obmisi contra vel preter statuta spectantia ad civiles causas vel aliquod civile negotium ex quo facto vel obmisso esset pena ipsius statuti imposita ipsam incurat contrafacientes vel obmitentes. Et intelligantur ipse pene imposita in statuto presenti et in singulis suis causis inovate.

[66] **De arte lane gentilis et tutalanorum et meçalanorum. Rubrica.**¹¹⁶⁸ [cc. 288v-289r]//

[c. 289r f. CCLXXXIII]

Ordinamus quod ars lane gentilis et pannorum tutalanorum et meçalanorum per dominos antianos et dominum potestatem Bononie manuteneantur in civitate Bononie et burgis et quilibet, qui facit vel in futurum fatiet artem lane in civitate Bononie vel districtu in quocumque opere seu ministerio, debeat bene et legaliter exercere et operare dictam artem et ministerium in quo operatus fuerit seu operari fatiet, secundum formam statutorum et ordinationum ipsius artis et comunis Bononie. Nec aliquis debeat facere vel fieri facere falsum pannum vel telam vel lanam et qui contrafecerit condampnetur in decem libris bononinorum et auferatur a quolibet et possit auferi per rectorem et castaldiones dicte artis lane et eorum nunptios pannus falsus et lana falsa et falsa tela¹¹⁶⁹ et nichilominus ipsa lana falsa, tela vel pannus falsus comburantur in platea comunis Bononie. Item quod hii, qui fatiunt artem lane predictam in civitate Bononie vel burgis habeant et habere possint castaldiones et rectorem, dum tamen sint cives civitatis Bononie, quos elligant prout inter ipsos providerit, sub quibus castaldionibus et rectore subsint omnes qui exercent artem lane in civitate Bononie vel burgis tam tinctorum, batarii, condictiones, cimatores, tessarii, delapolatores, pectenatores et pectinatrices, vergelatores, filatrices, filatores et lavatores lane quam etiam quicumque alii et cuiuscumque conditionis tam de civitate Bononie quam de comitatu vel aliunde, qui dictam artem vel de dicta arte aliquid operantur vel fatiunt in hiis, que spectant ad dictam artem et ministerium dicte artis¹¹⁷⁰. Item quod predicti omnes et singuli operari dicte artis in quocumque ministerio teneantur iurare sub hiis castaldionibus et rectore et servare statuta ipsius societatis et artis lane dum tamen sint tales, que non inducant septam vel conspiracyem vel aliquod illicitum. Item quod nullus civis vel forensis audeat vel presumat emere vel aliquo titulo alienationis vel pignoris acquirere seu accipere vel habere petias panni sive lanam filatam sive desfilatam, tinctam vel non tinctam vel aliquid aliud quod operentur in arte lane in pannis fatiendis postquam incepta fuerit laborari, nisi a magistris stationum artis lane vel a magistris qui fatiunt dictam artem. Et qui contrafecerit rem acceptam restituere teneatur sine aliquo pretio vel dato ab eo cuius est non obstante aliquo statuto vel pacto feneratorum. Et nichilominus qui contrafecerit puniatur pro qualibet vice qua contrafecerit, cum acsatore vel sine acsatore, in quinquaginta libris bononinorum et minus arbitrio domini potestatis cum probationibus plenis vel aliis quibuscumque inditiis et liceat castaldionibus et rectori inquirere de predictis et a quibuscumque eorum auctoritate accipere vel auferre res predictas quas penes eos invenerint contra dictam formam et nulli liceat eis contradicere vel se opponere in predictis, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Salvo quod predicta non habeant locum in hiis mercatoribus, qui cotidie vendunt vel vendere consueverunt lanam vel telam vel alia fatientia ad dictam artem.

¹¹⁶⁸ *Nel margine inferiore della carta entro cornice: Ordinamus quod ars lane gentilis.*

¹¹⁶⁹ <tela> nel testo tella.

¹¹⁷⁰ <ministerium dicte artis> di seguito sul margine laterale destro.

Item quod omnia banna, que imponerentur per castaldiones vel rectorem vel maiorem partem eorum seu alium, qui preerit in futurum arti lane inter predictos, qui debent subesse dictis castaldionibus in hiis et super hiis tantum que ad dictam artem pertinerent valeant et teneant ac si esset conscripti in libris bannitorum et ad requisitionem castaldionum sive rectoris teneantur notarii presidentes officio bannitorum dicta banna ponere in¹¹⁷¹ libris bannitorum de quibus bannis exire non possint sine volumptate dictorum castaldionum et rectoris. Et condempnationes quas fecerint teneantur facere exigere castaldiones predicti et rector omni apelationis et nulitatis remedio obmisso et dominus potestas Bononie et quilibet ex suis iudicibus teneantur dare ausilium et consilium cum effectu ipsis castaldionibus et rectori vel sindico dicte artis in suprascriptis vel infrascriptis executioni mandandis. Item quod clusa Sapine expensis comunis manuteneatur ne defectu aque dicta ars defitiat. Item quod liceat castaldionibus et rectori dicte artis si invenerint aliquem subtrahere vel subtrahisse furtive panum vel lanam vel aliquid aliud pertinens dicte arti sua auctoritate capere et¹¹⁷² potestati Bononie presentare. Et omnes et singulos quos invenerint falsam lanam vel falsos pannos facere vel habere et ab habentibus auferre sua auctoritate et comuni Bononie dare et pannos et lanam comburi facere in platea comunis Bononie. Item quod nullus forensis, qui facit vel fatiet//

[c. 289v]

artem lane predictam in civitate Bononie in casu sibi premissa possit vel debeat deponeri vel capi pro aliquo debito quod fecisset extra civitatem vel contraxisset cum aliquo forense antequam veniret ad faciendum dictam artem in civitate Bononie. Et de predictis possint inquirere castaldiones et rectores predicti. Item quod nullus civis vel forensis, qui ut magister operatur vel solitus sit operari dictam artem in civitate Bononie vel burgis audeat vel presumat recedere de dicta civitate Bononie ad alibi operandum vel operari faciendum dictam artem [sine licentia] dominorum antianorum. Et qui contrafecerit, si venerit ad mandata comunis Bononie, condampnetur in ducentis libris bononinorum, si vero non venerit ponatur ipse et eius familia in perpetuo banno comunis Bononie de quo exire non possit aliquo modo vel ingenio. Et predicta teneantur facere preconizari dominus potestas quotiens placuerit dictis castaldionibus et rectori per civitatem et burgos. Item dicimus, quod operariis dicte artis lane liceat tenere corrigos sub porticibus stationum eorum ac etiam domorum quibus operantur dictam artem et etiam discos pro aptandis pannis, dum tamen ibi de latitudine porticorum trium pedum spatium ad minus super sit et ita quod unus homo eques inde possit comode pertransire et quod dicta disca non sint afixa sub porticibus predictis. Concedimus autem conventui dominarum Sancte Agnetis de Bononia et sororibus et ministris ipsarum intra domos ipsarum habitantibus laborare et laborari facere intra domos predictas pannos de lana quacumque usque ad quantitatem quadraginta pannorum pro usu earum secundum modum alias per eas usitatum nec in predictis vel aliquibus que pro predictis necessaria viderentur aliquo modo possit impediri nec molestari per aliquos officiales comunis Bononie vel societatis predicte vel aliquem alium. Item dicimus, quod quilibet forensis qui venerit de novo ad civitatem Bononie et exercere voluerit artem lane in ipsa civitate vel burgis tamquam magister in ipsa arte et ipsam artem exercuerit sit immunis ab omnibus honoribus realibus et personalibus comunis Bononie spatio quinque annorum a die qua se presentaverit et se scribi fecerit ut infra qui forensis teneatur comparere coram domino potestate vel eius vicario presente vel qui pro tempore fuerit vel coram officiali buletarum et ad significare quod vult exercere artem predictam in civitate

¹¹⁷¹ <in> segue libris cassato per sottolineatura.

¹¹⁷² <et> dittografato.

Bononie et gaudere predicta immunitate qui dominus potestas vel eius vicarius seu officialis buletarum quemlibet talem sic venientem scribi facere teneatur per unum ex notariis ad discum domini potestatis deputatum ad camaram actorum populi Bononie in quodam quaterno cum eius vero nomine, prenomine et loco unde sit et cum die sue presentationis et ab ipso promisionem recipere cum satisdatione ydonea de dicta arte exercenda bene et legaliter secundum formam statutorum comunis Bononie et dicte artis lane, quam artem continue exercere possit et teneatur in dicta civitate si dictam immunitatem gaudere vult et intendit. Predicta autem dominus potestas teneatur preconizari facere in civitate Bononie et locis consuetis infra decem dies post publicationem presentium statutorum. Et postea sucesive quilibet potestas similiter preconizari fatiat infra decem dies ab yntroitu sui offitii. Approbantes provisiones factas in consilio III^C civitatis Bononie de mensse maii proxime preteriti scriptas manu Bithini Iacobi Bithini Açcolini notarii et omnes alias occaxione dicte artis factas.¹¹⁷³

[67] **De arte lane biselle. Rubrica.** [cc. 289v-290r]

Statuimus quod omnes operantes et qui in futurum operabuntur artem lane biselle in civitate Bononie vel districtu teneantur dictam artem biselle bene et legaliter facere et in pannos aliquos falsas lanas non ponere et specialiter pilum bovis, capritii, lanam marcidam vel aliquam aliam lanam falsam vel facere petias strictas vel curtas minus debito, sed ipsam artem debeant facere et operari secundum statuta civitatis Bononie et statuta ipsius artis aprobata per consilium III^C populi vel per habentes potestatem in dicto consilio et subsint operantes dictam artem ministrabilibus dicte artis in hiis que spectant ad dictam artem. Et possint ministrales cognoscere de questionibus spectantibus ad dictam artem inter homines dicte artis et difinire questiones predictas. Et possit etiam inquirere dicta sotietas de hiis qui contrafacere et condempnare et dictas condempnationes facere et exigere secundum formam statutorum dicte societatis et qualitatem facti. Et nichilominus falsos pannos comburi//

[c. 290r f. CCLXXXIV]

facere in platea comunis Bononie et qui in predicta arte protegenda fiat et servetur in omnibus et per omnia ut servari debeat in arte lane gentilis, tutalane et meçalane per supra proximum statutum. Et teneatur potestas manutenere dictam artem et societatem in omnibus et per omnia et ipsius iurisdictionem et hominibus dicte artis lane biselle liceat operari et tenere corigos et discos ad operandum ut licet operariis artis lane gentilis.

[68] **De arte bambutinis. Rubrica.** [cc. 290r-290v]

Item cum hoc sit quod quatuormillia personarum in civitate et districtu Bononie artem bambucinis seu ipsius artis membrum aliquod operentur et vivant de laboreriis ad dictam artem spectantibus et prout comuniter accidit in aliis artibus multi sint, qui legaliter ipsam artem non fatiunt et fraudulenter componunt laboreria dicte artis in magnum dampnum civium civitatis Bononie, qui vivunt de laboreriis dicte artis et qui emunt de laboreriis artis predicte. Et hoc accidit quia non possunt corrigi et puniri ut foret necesse ad voluptatem omnium predictorum. Ea propter firmaverunt et statuerunt et ordinaverunt quod quilibet qui facit vel in futurum fatiet vel fieri fatiet artem bambucinis in civitate vel districtu Bononie, in quocumque opere seu ministerio dicte artis, debeat bene et legaliter operari et operari facere ipsam artem et ministerium in quo

¹¹⁷³ <et omnes alias occaxione dicte artis factas> *aggiunto a margine laterale sinistro con segno di richiamo.*

fuerit operatus seu operari fecerit secundum formam statutorum et ordinamentorum ipsius artis, nec aliquis debeat facere vel fieri facere falsum pignolatum, telam, palliotam, fillidentem vel aliquid aliud spectans ad dictam artem. Et qui contrafecerit condampnetur secundum formam statutorum dicte artis et etiam secundum formam quarumdam provisionum seu reformationum factarum per consilium populi dicte societatis seu artis scriptarum manu domini Thomacis de Pretis et Bithini Lambordini, quas provisiones et reformationes ex nunc ad volumptatem hominum predictorum emologamus et firmamus et etiam pene exigantur et auferantur per rectorem seu conductorem dicte artis. Et nichilominus ipsa pignolata et alie res false comburantur in platea comunis Bononie. Item quod hii qui fatiunt vel in fucturum fatient vel fieri fatient artem bambucinis predictam in civitate vel districtu Bononie vel burgis habeant et habere possint rectorem, conductorem sceu ministralem, dum tamen sit civis civitatis Bononie, quos elligant secundum modum consuetum vel alio modo quo inter ipsos providerent, sub quibus rectore et conductore sint omnes, qui exercent vel in fucturum exercent artem predictam vel aliquod membrum dicte artis in civitate vel burgis et districtu Bononie tam tinctores, batarii, tessarii, tessarie, filarie, gargatores, sfregatores, coronatores, lanatores, naspatrices, tortrices et ordentes telas quam alii quicumque cuiuscumque conditionis tam de civitate Bononie quam de comitatu vel aliunde, qui dictam artem vel aliquid de dicta arte operantur vel fatiunt vel fatient vel fieri fatient in fucturum in hiis que spectant ad dictam artem et ministerium artis predicte. Item quod nullus civis vel forensis audeat vel presumat emere aliquo alienationis seu pignoris titulo accipere vel habere aliquam petiam pignolati, fillidentis vel palliotis vel partem aliquam ipsorum vel alicuius earum sive bambacem filatam vel disfilatam, tinctam vel non tinctam, telas vel partem alicuius earum vel aliquod aliud quod operetur in arte bambucinis, nisi a magistris stationum artis bambucinis et magistris, qui fatiunt dictam artem tamquam homines, qui sunt vere de dicta arte. Et qui contrafecerit rem acceptam restituere teneatur sine aliquo pretio vel dato ab eo cuius est et nichilominus qui contrafecerit puniatur pro qualibet vice qua contrafecerit cum accusatore vel sine in viginti quinque libris bononinorum cum probationibus plenis vel aliis quibuscumque iuditiis et liceat rectori et conductoribus et cuilibet eorum inquirere de predictis et punire quemlibet contrafatientem et eorum auctoritate exigere a predictis ipsis penas quas imposuerint ipsis contrafatientibus vel alicui contra dictam formam. Et nulli liceat ei contradicere vel opponere, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et plus arbitrio rectoris et conductoris dicte artis seu maglioris partis earum que pene//

[c. 290v]

possint exigi ut supra dictum est. Et quod ad predicta omnia et singula fatienda et exequenda dominus potestas Bononie teneatur et debeat dictis rectori et conductori et cuilibet eorum prestare auxilium, consilium et favorem et de familia sua quotienscumque eis vel alteri eorum expedierit vel ab eo requisiverit. Item quod omnia banna, que imponerentur per rectorem, conductorem seu ministrales vel maiorem partem eorum seu alteri, qui preesset in fucturum arti bambucinis inter predictos, qui debeant subesse dictis rectori, conductori seu ministrilibus valeant et teneant¹¹⁷⁴ ac si essent conscripta in libris bannitorum et ad requisitionem rectoris, conductoris seu ministrantium teneatur notarius presidens officio bannitorum dicta banna ponere in libris bannitorum, de quibus bannis exire non possint sine volumptate rectoris et conductoris et condempnationem facere possint et exigere rector et conductor predicti, omni apelationis et nullitatis remedio obmisso. Et dominus potestas Bononie et quilibet ex

¹¹⁷⁴ <teneant> *corregge* teneantur.

suis iudicibus teneantur dare auxilium et consilium cum effectu ipsis rectori, conductori et ministris vel sindicis dicte artis in suprascriptis et infrascriptis executioni mandandis, dum tamen in comuni Bononie nomen vel officium societatis alicuius per se non assumat nec pro societate habeatur nec ministrales, consiliatores vel alios officiales habere valeat in comuni.

[69] **De arte sete. Rubrica.** [cc. 290v-291r]

Considerantes magnum honorem et utilitatem que provenit comuni et populo Bononie et hominibus artium et maxime pauperibus, qui suis manibus et laboreris vitam trahunt et sustentant de arte sete et sindonum que a certo tempore citra multiplicata est in dicta civitate et maior haberi spectatur verisimiliter in futurum si dicta ars manuteneatur et defendatur ad ipsius conservationem, statuimus et firmamus quod dominus potestas et eius familia teneatur toto posse defendere et manutenere artem predictam et magistros dictam artem operantes in eis et in quibuscumque ad ipsam artem pertinentibus dare omne ausilium, consilium, favorem, ius sumarium et mercadandiscum eis et cuilibet ipsorum reddi possit et debeat per dominum potestatem et quemlibet de suis iudicibus, qui fuerit additus in eorum causis et questionibus tam inter ipsos magistros ad invicem scilicet inter magistros dicte artis seu ad invicem quam inter ipsos omnes magistros seu eorum alterum ex una parte et eorum seu alterius eorum socios, factores, discipulos vel operarios in quocumque membro seu ministerio dicte artis ex alia pro quibuscumque ad ipsam artem principaliter pertinentibus quoquomodo in quibus omnibus probationes suficiat, que inter mercatores et alias supranominatas personas comuniter seu more artificum amictuntur videlicet aliquorum bonorum mercatorum per ipsum officialem assumendorum quibus plena fides adhibeatur, aliquo statuto comunis Bononie non obstante et etiam non obstanti patria potestatis vel minori etate, nisi fuerit minor quatuordecim annorum et omni appellatione et in integrum restitutione et nullitate cessante et quocumque pro tempore etiam feriato ob necessitatem hominum introducto. Et si quis mercator alegaverit aliquem magistrum vel magistram sete vel laborerii sete cui aliqua pars seu laborerium sete fuerit data vel datum ad laborandum se velle absentare a civitate Bononie, tunc predicti officiales vel alter eorum ad petitionem talis mercatoris teneantur talem se absentare volentem facere detineri, donec fideiussorem idoneum prestiterit de iudicio sisti et iudicato solvendo prestito sacramento per dictum mercatorem quod predicta non petit animo calumpnie, nisi talis qui dicitur se absentare velle possideat immobilia in civitate vel comitatu Bononie. Concedimus etiam magistris dicte artis, qui sunt vel pro tempore fuerint quod possint pro predictis et pro ipsa arte ordinanda, limitanda vel regulanda se simul ubi et quando voluerint convenire et correctorem seu rectorem ipsorum et dicte artis sibi eligere et habere prout due partes ex eis ad invicem concordarent et sic concordantes suas ordinationes facere, quas quilibet talis magister et quilibet eorum socius ac factor, discipulus vel operarius ut supra servare teneatur, sub penis que apponentur in eisdem dummodo talis corrector seu rector sit vere civis civitatis Bononie et de arte predicta et ipse ordinationes septam vel conspiracyonem non inducant nostrisque statutis vel aliquibus//

[c. 291r f. CCLXXXV]

statutis comunis Bononie minime contradicant. Quibus correctori vel rectori seu dictis ordinationibus nulli alii subesse vel subiecti esse intelligatur vel quomodolibet obligati quam persone predictae nec etiam ipse persone, nisi in hiis tantum que ad ipsam artem pertinent ut supra. Possit etiam dictus rector seu corrector de predictis cognoscere, procedere, terminare et executioni mandare summarie et de plano, sine strepitu et figura

iudicii, usque ad quantitatem centum solidorum bononinorum. Mandantes quod nullus debeat emere vel pignori accipere aliquam setam inceptam laborari in quocumque ministerio vel aliquod opus sete non perfectum ab aliis quam a magistris dicte artis seu ab aliquibus publicis mercatoribus sete sindonis vel laborerii sete seu qui se pro publicis mercatoribus gesserit, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice ipso facto ab ipso tali per dominum potestatem seu eius iudicem auferenda et comuni Bononie aplicanda. Et nichilominus talis seta taleque opus ab eodem sine aliquo pretio vel alio dato manu militari auferatur et reddatur ei cuius fuisse diceretur, de quibus omnibus credatur et stetur dicto talis correctoris cum dicto et sacramento dominorum magistrorum dicte artis. Salvo quod nullus possit prohiberi dictam artem in quolibet suo membro exercere fatiando et exercendo secundum formam dictarum ordinationum et consuetudinis dicte artis et salvo etiam quod predicta in nullo preiudicent societatibus artium populi vel hominibus ipsarum, qui eorum artes possint libere facere et exercere sicut solent¹¹⁷⁵ in¹¹⁷⁶ quocumque membro et ministerio quod ad ipsas sotietates de quibus essent pertineret etiam si ad ipsam artem sete spetaret, nec in hiis predictis ordinationibus vel corectori seu rectori subesse intelligatur. Et quia sub domo seu papillione sub quo venduntur foliseli inulte fraudes comituntur. Statuimus et ordinamus, quod de cetero nullus audeat vel presumat aliquid accipere vel exigere ab aliqua persona vendente seu alienante aliquos foliselos vel folia mororum etiam a sponte dare volentibus aliquod premium sub quocumque colore pro captiis vel ponderando foliselos vel folia mororum nec aliquid contra vel ultra formam pactorum datii foliselorum, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice qua conrafecerit. Item quod aliqui prosonete seu sensales non audeant vel presumant stare sub dicta domo seu papilione nec se intromittere de aliqua emptione, venditione seu alienatione foliselorum, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et de predictis teneatur dominus potestas facere fieri diligenter inquisitionem et custodiam singulis diebus tempore quo venduntur seu alienantur dicti foliseli et repertos culpabiles punire penam predictam et quilibet possit accusare et denunptiare dictos prosonetas seu sensales et contrafatientes ad predicta et stetur sacramento acusantis seu denunptiantis cum uno teste fide digno, cuius pene medietas sit acusatoris et alia medietas sit comunis Bononie.

[70] **De immunitate filaturiorum et exercentium ea. Rubrica.** [cc. 291r-291v]

Cum propter artem sete que ad utilitatem et comodum civium civitatis Bononie frequentavitur in civitate predicta utile sit et necessariam esse haberi filatoria sive artificia ad torquendum setam et qui dictum ministerium exercent in civitate Bononie id circho ut ipsorum fatilior copia habeatur et exestat, statuimus et ordinamus, quod nullus undecumque et cuiuscumque conditionis existat qui ad presens habet, tenet et exercet per se vel alium quocumque modo et nomine vel in futurum habeat, tenebit et exercebit ut supra in civitate Bononie vel burgis aliquod filatorium seu artificium ad torquendum setam cogi possit vel compelli aliquo modo vel ingenio pro presenti anno nec deinceps aliquo tempore per comune Bononie vel aliquem ipsius officialem vel alium quencumque ad solvendum ipsi comuni vel alicui alteri pro eo aliquod datum vel gabelam vel aliquid aliud quovis nomine censeantur pro dictis filatoriis et artificitiis sive pro aliquo mulinelo, bachello vel rochelorum sive posta bachelo rochellorum sive pro aliqua alia parte vel membro dictorum filaturiorum vel artificiorum vel predictorum sive alicuius predictorum occaxione nec ad se obligandum vel ad aliquam securitatem

¹¹⁷⁵ <solent> *corregge* solemp.

¹¹⁷⁶ <in> *in infralinea con segno di rinvio.*

prestandam dicto comuni vel alicui ipsius officiali vel alteri pro eo recipienti de aliquo datio vel gabella vel alio quovis gravamine solvendo dicto comuni vel suo officiali vel alteri cuicumque. Et si se obligaverit¹¹⁷⁷//

[c. 291v]

vel obligati sunt vel securitatem aliquam prestiterint vel prestiterunt sive dederint ipso iure et ipsi et ipsorum securitates absoluti et liberati intelligantur et sint et ipsorum vigore et modo aliquo per aliquem molestari vel gravari non possint, sed dicta filatoria et artificia in totum et qualibet eorum parte et membro possint per se vel alios libere et impune sine alicuius molestia et contradictione et absque alio gravamine cuius vis, conditionis et generis operari, exerceri in civitate Bononie et burgis ipsius civitatis. Et quod predicti qui habent et exercent filatoria predicta et artificia non audeant vel presumant pro tortura sete ultra pretium consuetum aliquid ab aliquo recipere, pena cuilibet contrafacienti pro qualibet libra et qualibet vice viginti solidorum bononinorum. Salvo quod ex predictis in aliquo non derogetur alicui nostro statuto.

[71] De hiis qui possunt esse de sotietatibus artium civitatis Bononie. Rubrica.
[c. 291v]

Ordinamus quod nullus esse possit de sotietatibus artium civitatis Bononie, nisi sit vel fuerit ipse vel¹¹⁷⁸ sui ascendentes masculi et per masculum verus vel veri et originales civis vel cives vel pro civibus habitanti ipsius civitatis, salvo quod quilibet alius qui operari voluerit aliquam artem in civitate Bononie hoc facere possit ipsam artem exercendo bene, sufficienter et legaliter dum tamen obedire teneantur rectoribus, massariis sive ministrilibus et aliis officialibus societatis ipsius artis quam operari voluerint in ministerio talis artis quam exercebit vel exercere voluerit bene, sufficienter et legaliter exercendo et in aliis licitis et honestis prout fatiunt et facere tenentur alii de dicta societate et arte ex tali tamen obedientia non possint cogi ad aliquod solvendum ipsis rectoribus vel ministrilibus vel societati, nisi prout continetur in statutis ipsarum societatum legitime aprobatis et etiam nisi pro expensis oblationum vel festivitatum, que fierent pro honore comunis Bononie. Declarantes quod omnes et singuli operarii alicuius artis sint et esse intelligantur subditi societatis et iurisdictioni societatis et officialis eius artis quam exercuerint. Salvo statuto quod loquitur ‘De tabelionibus qui possint conficere instrumenta’ (IV, 53) et salvo statuto quod loquitur ‘De pena comitentis’¹¹⁷⁹ questionem alicui forensi consulendam’(V, 112) et omnibus aliis statutis de predicta materia loquentibus.

[72] De iurisdictione et arbitrio officialium et hominum societatis populi Bononie et statutorum ipsarum sotietatum. Rubrica. [cc. 291v-292r]

Propterea dicimus, quod massarii, defensores et ministrales, consules, rectores et curatores seu castaldiones societatum populi Bononie et alii quilibet, qui solent auctoritatem habere congregandi societatem et homines ipsarum societatum quibus posset congregare et coadunare, possint pro elligendis suis officialibus et pro expediendis hiis que utillia et necessaria videbuntur ad conservationem et bonum statum sue sotietatis et artis si sotietas artis fuerit et hominum eiusdem et possint dicte sotietates et officiales et homines ipsarum sotietatum et eis liceat uti statutis earum legitime aprobatis et etiam nova statuta condere et habere in hiis et super hiis que

¹¹⁷⁷ <verit> scritto in soprilinea sotto obliqua.

¹¹⁷⁸ <ipse vel> in infralinea con segno di rinvio.

¹¹⁷⁹ <conficere instrumenta et salvo statuto quod loquitur de pena comitentis> di seguito sul margine laterale destro prosegue poi sul margine laterale sinistro in corrispondenza della riga successiva.

spectant seu pertinent ad ordinationem, conservationem, defensionem et bonum statum ipsarum societatum et hominum et averis earundem et que spectarent et pertinerent ad artem et membrum artis illius societatis si societas artis fuerit et ad ipsam artem et homines eiusdem conservandum, regulandum et limitandum et in hiis solum in subditos dicte societatis et artis si societas artis fuerit. Et in eis, qui pro subditis haberi debent et etiam inter ipsos ad invicem officiales ipsarum societatum habeant cognitionem, decisionem et iurisdictionem secundum formam ipsorum statutorum dummodo ipsa statuta facta vel fienda non inducant conspiracyem, septam vel monopolium vel nostris statutis non contradicant vel facta non sint vel fuerint contra comune Bononie vel contra officium domini potestatis vel sue familie vel contra officium domini capitanei populi Bononie vel statutorum aut officium dominorum confaloneriorum comunis Bononie. Et dummodo approbentur ipsa statuta tam facta quam fienda quibus uti vellent per comune Bononie vel per habentem auctoritatem ab eo et ad camaram actorum comunis et populi Bononie deponantur et consignentur et consignata dimittantur. Declarantes quod statuta artium approbata per statu//

[c. 292r f. CCLXXXVI]

tarios ellectos super corectionem presentium stautorum valeant et debeant observari prout in approbatione in eis facta continetur ac si per comune Bononie fuissent approbata. Et ipsa statuta approbata et approbanda, officiales et homines ipsarum societatum et alii quicumque, qui ipsas artes vel membra aliqua ipsarum artium operarentur, teneantur observari facere et observare, sub penis appositis et apponendis in ipsis statutis comitendis et exigendis ut in eis continetur, que applicentur prout in ipsis statutis continetur. Salvo quod statutum aliquod facere vel habere non possit quod aliquis qui artem non fatiat possit esse assummi vel elligi officialis dicte societatis. Et si fuerit societas artis non possit elligi officialis ipsius societatis aliquis, qui non sit conscriptus in matricula ipsius societatis in camara actorum comunis et populi Bononie registrata vel aliquis alius prohibitus ex forma nostrorum statutorum vel dicte societatis nec aliter vel alio tempore fieri possit ipsa ellectio de dictis officialibus, nisi prout in ipsis statutis continetur vel continebitur, nisi fuerit notarius qui pro officiali seu notario dicte societatis vel sindico eius ad causas vel negotia ordinando nisi aliud per nostra statuta specialiter provisum esse reperiatur. Et quilibet alius etiam non notarius pro nunptio dicte societatis elligi possit secundum formam ipsorum stautorum etiam si non exerceat ipsam artem vel membrum artis et licet non sit conscriptus in ipsa societate. Item quod ad congregationem et universitatem cuiuslibet artis seu societatis representandam suffitiant tot numero prout in statutis dictarum societatum continetur vel continebitur alias suffitiant due partes hominum cuiuslibet societatis vel ipsam artem vel membrum artis operantium si societas artis fuerit. Et quilibet officialis comunis Bononie, qui fuerit requisitus pro parte talis societatis vel suorum officialium debeat¹¹⁸⁰ servare et servari facere predicta. Et contrafatientes vel non servantes punire pecunialiter suo arbitrio et condempnationes tam a se quam a dictis officialibus fiendas in casibus sibi permissis exigere iusta posse. Et in predictis omnibus ipsis societatibus et eorum officialibus et hominibus dare ausilium, consilium et favorem. Adhitientes quod per aliqua contenta in statutis artium predictarum vel alicuius societatis civitatis Bononie non sit nec esse intelligatur adempta vel diminuta iurisditio alicuius officialis comunis Bononie. Statuentes quod si inter aliquas societates artium vel inter officiales dictarum societatum aliqua questio oriretur, quacumque de causa ipsius cognitio et decisio spectet ad dominos ancianos vel ad eos quibus dicti domini antiani comiserint.

¹¹⁸⁰ <debeat> *dittografato e cassato per sottolineatura.*

[73] **Quod aliqua societas de novo fieri non possit. Rubrica.** [c. 292r]

Statuimus quod aliqua societas non possit fieri de novo in civitate Bononie, sub pena societati que de novo fieret quingentarum librarum bononinorum et cuilibet qui foret in dicta societate seu eius matricula quingentarum librarum bononinorum. Et dominus potestas Bononie possit de predictis inquirere et procedere teneatur ad denunptiationem cuiuscumque.

[74] **In quibus locis et qualiter fumantes et extimati et habitatores comitatus et districtus Bononie teneantur et compellantur coletas et onera subire comunis Bononie et comunis sue terre. Rubrica.** [cc. 292r-295r]

Statuimus et firmamus quod omnes et singuli fumantes et etiam omnes et singuli extimati comitatus Bononie seu districtus conscripti in aliquibus libris dicti comunis dictorum fumantum vel extimatorum positis in camara actorum comunis et populi Bononie vel in libris dictorum fumantum positis in domibus ecclesie Sancti Francisci fratrum Minorum de Bononia scriptis manu ser Thome Carnelvarii notarii vel in aliquibus aliis libris dicti comunis dictorum fumantum et exstimatorum quibus fides debeat adhiberi et cuiuslibet predictorum descendentes per masculum tam legiptimi et naturales quam naturales tantum etiam si sint spurii vel incestuosi quamvis non sint heredes parentum seu ascendentium suorum predictorum teneantur solvere et subire colectas et alia quecumque onera realia et personalia et mista comunis Bononie et comunis sue terre//

[c. 292v]

solum in illis terris in quibus sunt extimati seu extimum¹¹⁸¹ habere debebant vel extimum suum particulare porigere secundum formam provisionum factarum in milleximo trecentesimo trigesimo primo die secundo mensis ianuarii vel aliarum postea factarum circa presentia extima et personas in comitatu extimandas et distribuendas ubicumque hodie habitent quamdiu durabunt presentia extima summaria facta comunibus terrarum vel quamdiu ad ipsa extima dictas colectas et onera imponi contingerit non obstantibus aliquibus sententiis latis inter aliqua comunia ad invicem in predictis etiam si in ipsis provisionibus probate viderentur, quas sententias latas in contradictorio iudicio in eis approbatas locum habere volumus et declaramus solum in causis, que late fuissent contra comunia in favorem singularium personarum ne¹¹⁸² in comitatu onera subire teneantur. Ad illas autem que late fuissent ratione loci inter comunia ad invicem vel etiam singulares personas ne¹¹⁸³ in certis locis, sed aliis solvere teneantur minime extendantur que tantum in estimis veteribus et pro eorum tempore optineant vires suas. Et quod dominus potestas civitatis Bononie et eius vicarius ac iudex Aquille et quilibet eorum qui fuerit requisitus possit et teneatur summarie, sine strepitu et figura iudicii, realiter et personaliter et quibuscumque remediis etiam tempore feriato et etiam ipsos personaliter capiendo et in carceribus comunis Bononie deptinendo ad petitionem massarii seu sindici illius terre compellere ipsos tales fumantes extimatos et descendentes ad solutionem predictam pro rata extimi sibi facti vel fiendi per comune dicte terre et ad solvendum expensas factas et fiendas occasione predicta et cum penis pechuniariis quas inciderint quia ad terminum non solverint si pene petite fuerint facta fide dicto potestati seu vicario vel iudici per ipsum masarium vel sindichum quod sit¹¹⁸⁴ talis fumans vel extimatus seu descendens et de ipso debito et

¹¹⁸¹ <extimum> *corregge* extimationem.

¹¹⁸² <ne> *corregge* nec.

¹¹⁸³ <ne> *corregge* nec.

¹¹⁸⁴ <sit> *corregge* si.

penis predictis si comparuerit legitimus conditor. Que fides fieri possit sine strepitu et figura iudicii etiam tempore supradicto non obstantibus in predictis vel aliquo predictorum aliquibus sententiis latis a tempore dictarum provisionum citra vel aliquibus precis, stipulationibus, obligationibus, promisionibus vel penis factis vel fiendis inter predictos et comunia ipsarum terrarum, que omnia cassamus et annullamus nec eis aliquis uti possit. Et si nemo apareat legitimus contradictor, tunc eo ipso quod petatur fiat compulsio supradicta etiam si aliud non probetur et si postea venerit non audiatur, nisi expensas refecerit et depositum fecerit tante quantitatis quanta fuerit quantitas que peteretur. Si vero extima comitatus de novo fieret per comune Bononie, tunc ad ipsa extima pro rata teneantur et compelli possint et debeant ut supra in illis scilicet terris et locis in quibus tunc caveretur ipsos debere extimari vel extimum porigere seu habere. Et idem intelligatur et servetur in uxoribus talium personarum durante dicto matrimonio pro hiis bonis que possiderent et comuni illius terre extimati fuissent ad extima de quibus ageretur vel quesitis per eas post ipsum matrimonium contractum ex allia causa quam ex alterius sucessionem qui esset de personis exentis ab oneribus comitatus et in viduatis ex eis durante viduitate si tales uxores vel vidue non essent nate ex patre cive civitatis Bononie. Si autem filia vel aliqua alia femina descendens per masculum ex tali fumante extimato vel descendente esset vel erit usor alicuius civis civitatis Bononie vel nobilis comitatus durante matrimonio ad predicta non teneatur nec compellatur nisi fuerit heres talis fumantis extimati vel descendentis, quo casu tamquam heres et pro portione hereditaria teneatur et compellatur ad onera realia tantum seu que ratione rerum imponerentur dumtaxat pro extimo quod ille talis cuius esset heres haberet in dicta terra tempore mortis sue et donec duraverint extima que dicto tempore vigeant seu vigerent in dicta terra. Ceteri autem qui pro tempore fuerint heredes talium fumantium, extimatorum vel descendentium predicta solvere teneantur et compellantur ut supra quamdiu duraverint extima comitatus tunc vigentia, nisi talis heres esset civis civitatis Bononie vel nobilis comitatus, quo casu ad onera realia tantum seu que rationes rerum imponerentur, teneantur et ad illa solum pro rata hereditariorum bonorum et prout extimabuntur alia bona hominum illius terre in qua extimatus erat ille cuius est heres quamdiu duraverint extima supradicta sumaria. Hereditas vero iacens teneatur et//

[c. 293r f. CCLXXXVII]

compellatur ad ipsa onera realia tantum seu que rationes rerum imponerentur pro extimo quod habebat definitus tempore mortis sue. Habitatores vero comitatus vel districtus Bononie seu extimati vel descendentes ut supra vel qui descripti pro fumantibus non reperirentur vel qui¹¹⁸⁵ describi pro fumantibus non debuerint ut supra et infra vel qui extimari vel extimum porigere seu habere in civitate et cum civibus Bononie non debent vel debuerint aliquo tempore teneantur et compellantur ad solutionem predictam ut supra in hiis terris in quibus habitaverint pro rata temporis quo habitaverint ibidem et pro extimo quod ibi haberent. Et qui a tempore publicationis presentium statutorum in antea venient de alieno districtu ad habitandum in comitatu Bononie et laboreria ruralia fatient ad agriculturam pertinentia habeant immunitatem onerum realium et personalium usque ad quinquenium. Que immunitates sibi locum vendicent si predicti venientes¹¹⁸⁶ presentaverint se coram domino potestate civitatis Bononie vel eius vicario vel offitiali buletarum vel alio offitiali ad hoc deputato vel deputando et fecerint se scribi per alterum ex notariis dominorum antianorum vel aliquem ex notariis officio domini potestatis vel Leonis deputatis vel per notarium dicti

¹¹⁸⁵ <qui> *corregge* aliqui.

¹¹⁸⁶ <venientes> *corregge* venientes.

officialis ut supra infra sex menses a die quo ad habitandum venerint. Salvo quod si fuerit talis habitator, qui tempore dictorum extimorum comitatus tenebatur extimum porigere seu habere in ea terra tantum solvere teneatur et compellatur in qua eo tempore habitabat etiam si habitationem mutaverit durantibus extimis predictis. Si autem talis fumans extimatus descendens vel habitator simul cum filiis suis habitaret vel cum aliis descendentibus sive fuerint emancipati sive non omnes pro uno fumante extimato descendente seu habitante habeantur et sint. Et idem dicimus in pluribus fratribus et fratrum filiis simul habitantibus ut pro uno reputentur quamdiu sic habitaverint et eo casu quo pater cum filiis vel descendentibus habitaret solus pater vel alius ascendens quam diu vixerit ad predicta teneatur et compellatur, ut supra, nisi talis filius vel descendens possideret vel haberet bona immobilia ex quibus fructus vel redditus perciperet, quo casu pro rata ipsorum teneatur et compellatur ut supra. Propterea dicimus, quod bona nunc pertinentia et que in futurum pertinebunt ad tales fumantes extimatos descendentes vel habitatores sint et esse intelligantur perpetuo obligata comuni Bononie et comuni illius terre in qua dictas collectas et onera solvere et subire tenentur ut supra et pro hiis solum colectis et oneribus, que ad ipsa extima imponerentur etiam si in alios vel alium alienata vel translata reperiantur. Que bona et fructus eorum dicti massarii et sindici et quilibet eorum possint capere, retinere¹¹⁸⁷, vendere et alienare usque ad integram satisfactionem predictorum habita prius licentia de predictis a domino potestate vel eius vicario vel iudice Aquile. Si autem aliquis alius quam talis malpagus ipsa bona possideret talis licentia dari non possit, nisi prius possessore citato legitime et ipso malpago non reperto solvendo, nec etiam licentia de vendendo vel alienando dari possit, nisi prius legitime citato ipso malpago et possit excussio fieri de bonis talis malpago omni tempore sine strepitu et figura iudicii demum citato malpago et possessore predicto et non aliter, ita tamen quod si post talem alienationem vel translationem in alium extima comitatus de novo fierent vel facta confirmarentur ipsa bona alienata vel translata desinant esse obligata pro colectis et oneribus postea imponendis.¹¹⁸⁸ Idem dicimus in bonis alienatis a decem annis retro a tempore publicationis presentium statutorum. Si vero alienata vel translata reperirentur per comune dicte terre vel si dictum comune alienationi vel translationi consensisset vel facta retificasset vel iuri obligationis renuntpiasset vel renuntiaret ipsa bona desinant esse obligata tam pro colectis et oneribus preteritis quam fucturis. In bonis autem alienatis vel¹¹⁸⁹ translatis a decem annis citra ut supra et colletis et oneribus retro impositis et in heredibus, qui nunc sunt vel retro fuerint leges municipales tempore talis alienationis seu translationis et impositionis predicte et tempore quo heredes ceperint esse vigentes debeant observari singula singulis refferendo. Declarantes insuper ea bona intelligi vigorem presentis statuti quantum ad contenta in hoc statuto pertinere seu pertinuisse iure directi domini utilis vel quasi ad tales fumantes, extimatos, descendentes vel habitatores de quibus probaretur vere ipsos tales fumantes, extimatos, descendentes vel habitatores possedissee pro suis et tamquam sua per decem//

[c. 293v]

annos continuos ad que probanda nullus de comunitate vel universitate pro qua ageretur ad ferendum testimonium admictatur non derogando ex predictis aliis modis probandi bona pertinere vel pertinuisse ad tales fumantes extimatos descendentes seu habitatores, nisi talis probatio per probationem conventi excluderentur cui defensio integra reservetur. Ad hoc autem ut dicte colecte et ut onera inter predictos equaliter dividantur, precipimus quod comunia terrarum dicti comitatus et districtus teneantur

¹¹⁸⁷ <retinere> *corregge* reptinere.

¹¹⁸⁸ *In corrispondenza di questo paragrafo è tracciata una manicola.*

¹¹⁸⁹ <vel> *in infralinea con segno di inserzione.*

quolibet anno de mense ianuarii et februarii facere extima de novo predictis qui in ipsa terra collectas et onera solvere tenerentur, ut supra, et summa extimi facti vel fiendi ipsi comunibus per comune Bononie vel eius officiales dividere inter predictos vel saltem vetera vel tunc vigentia extima predictis qui solvere tenerentur, ut supra, confirmare, sub pena massario cuiuslibet terre qui predicta non fecerit decem librarum bononinorum et comuni vigintiquinque librarum bononinorum, et nichilominus postea fieri valeant supradicta. Et ad hoc cogi possint et debeant ipso facto ad petitionem cuiuslibet de ipsa terra quibus extimari possint omnia bona mobilia et immobilia, que solita sunt extimari ad ipsos pertinentia tunc cum¹¹⁹⁰ fient et fieri debuerint supradicta que posita reperirentur in civitate vel districtu Bononie et etiam bona immobilia posita extra districtum predictum. Hiis exceptatis pro quibus solverent seu solvere tenerentur collectas vel alia onera in locis ubi essent posita vel hiis quibus subiecta essent bona predicta que eo casu extimari non debebant salvo semper omni suo iure cuiuslibet competenti ne ad predicta teneatur vel compellatur cui per predicta non intendimus in aliquo derogare. Item dicimus, quod omnes et singuli originarii terrarum Baçani, Savignani, Nonantule, Pançani et quarumcumque aliarum terrarum que sunt citra flumen Scoltenie seu Panarii versus Bononiam seu a latere mane dicti fluminis et ipse terre sint et esse intelligantur de comitatu et districtu Bononie et eorum habitatores vel originarii intelligantur esse et sint fumantes comitatus Bononie et cum fumantibus et extimatis comitatus Bononie teneantur solvere onera et collectas et subire onera et publice factiones et comuni Bononie intelligantur esse subiecti et obedientes et descendentes per masculum ipsorum originariorum et etiam omnes et singuli, qui in predictis terris seu curiis ipsarum habitant et soliti sunt habitare. Qui originarii descendentes seu habitatores non sint nobiles seu tales qui publice pro nobilibus ipsarum terrarum habeantur vel qui non sint cives vel haberi debeant pro civibus civitatis Bononie ipsi vel eorum ascendentes vel qui non sint fumantes vel extimati seu habitatores alicuius terre comitatus Bononie in qua solvant et solvere debeant collectas et subire publice factiones secundum formam provisionum extimorum comitatus ultimo loco factarum. Et teneantur et debeant solvere collectas et onera et publice factiones facere cum comuni et hominibus illarum terrarum unde originarii sunt ipsi vel eorum ascendentes seu in quibus habitant si originarii essent. Et non obstante quod ad presentia extima generalia civium civitatis Bononie vel aliqua alia extimati reperiantur et summa extimi comunium dictarum terrarum dividi debeant inter predictos qui solvere tenentur ibidem et ad solutionem cogi possint. Et inde in omnibus et per omnia servetur et fiat de eis et bonis ipsorum sicut supradictum est de fumantibus seu extimatis descendentes eorum vel habitatoribus terrarum comitatus Bononie. Et teneantur ipsa comunia ipsas tales personas cum eis solvere debentes in scriptis dare et deponere ad camaram actorum dummodo talis datio in scriptis vel deposito non noceat alicui, qui cum eis solvere non deberet secundum formam presentis statuti. Salvis privilegiis, beneficiis et immunitatibus concessis Bonaventure cui dicitur Gaçonus et Bartholomeo cui dicitur Barba fratribus et filiis condam Dominici cui dicebatur Menginus de Gaço et suis descendentes, quos Bonaventuram et Bartholomeum et eorum descendentes per masculum ut bene meritis propter eorum bona opera ab eis prestata in honorem et bonum statum sancte matris Ecclesie et comunis Bononie circa recuperationem castri Montisbellii comitatus Bononie et ut¹¹⁹¹ huiusmodi exemplo alii ad bene fatiendum innitentur vollumus esse cives Bononie et gaudere beneficiis citadinantie. Comune vero Montisbellii in quo erant fumantes seu extimati propter predicta extimatur et exemptum esse intelligatur ab

¹¹⁹⁰ <cum> in *infralinea*.

¹¹⁹¹ <ut> in *infralinea*.

oneribus et extimis comunis Bononie pro rata extimi seu bonorum predictorum Bonaventure et Bartholomei non obstantibus aliquibus sententiis contra eos latis. Si tamen//

[c. 294r f. CCLXXXVIII]

aliquis qui in dictis terris que sunt citra Scoltenam colectas et onera solvere et subire teneretur ut supra reperiatur extimatus ad presentia extima generalia civium civitatis Bononie, teneatur comune illius terre que talem extimationem compelleret ad predicta ipsum ab oneribus dicti extimi conservare indempnem quamdiu durabunt extima supradicta. Item quia constat multas terras esse in districtu Bononie in quibus non sunt dicti fumantes seu extimati viventes, sed abinde infra quia plures ex eis mortui et dispersi sunt et sic officiales habere et onera comunis Bononie substinere et hobedientiam debitam et solitam dicto comuni exhibere non possunt. Statuimus et firmamus quod omnes fumantes et extimati ipsarum terrarum et eorum descendentes describantur et ponantur in libris fumantum proximioris terre, que haberet decem fumantes vel extimatos viventes vel abinde supra. Et si plures fuerint terre proxime in altera tantum ponantur et scribantur ad ellectionem eius qui scribi debuerit si sit unus solus et fumans vel extimatus seu descendens et si sunt plures stetur in ellectione maioris numeri ipsorum fumantum vel extimatorum seu descendentium et si discordarent pari numero potestas Bononie seu eius vicarius elligat et difiniat et ad petitionem cuiuscumque teneatur dictus dominus potestas seu eius vicarius facere fieri descriptionem predictam. Si tamen questio oriatur utrum sint decem fumantes vel ultra aut infra possit et debeat de hoc cognosci et agregatio fieri sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii per potestatem Bononie vel eius vicarium ad petitionem eius vel eorum qui petierint se aggregari alteri comunitati vel ipsius comunitatis si peteret dictam agregationem sibi fieri vel alterius cuiuscumque et de hoc fide facta saltem per publicam vocem et famam et iuramentum petentis dictam agregationem fieri quod pautiores decem fumantibus sint fieri debeat agregatio predicta nisi per partem adverssam probetur plene et legiptime aliter quam per productionem solam librorum qui sint ad camaram actorum magliorem numerum extare et vivere de quorum descriptorum in dictis libris vel alicuius eorum morte vel dispersione stetur sacramento petentis dictam agregationem fieri cum publica voce et fama, nisi contrarium probetur, de quibus etiam cognosci possit et agregatio feri per officiales deputandos ad descriptiones fumantum de novo fiendas durante tempore offitii ipsorum de consensu et deliberatione domini potestatis vel vicarii supradicti. Que agregatio finita sit et esse intelligatur quandocumque contingerit numerum predictorum aggregatorum augeri et compleri usque ad numerum decem vel ultra. Possit tamen dictus dominus potestas vel eius vicarius quecumque sibi videbitur compellere homines, qui petuntur aggregari ad producendum librum seu libros extimorum fumantium comitatus que petitur aggregari si quem vel si quos habeant. Ipsis autem terris in quibus sic describi debuerint tam persone ut fumantes et extimati quam ipsarum terrarum curie que et quantus non essent prope civitatem per tria miliaria adiungantur et ipsarum terrarum intelligantur esse et sint quantum ad omnia disposita vel disponenda de fumantibus et extimatis terrarum districtus Bononie et eorum descendentibus et bonis predictorum curiis terrarum et cum ipsis et in ipsis terris et earum comunibus et hominibus colectas et onera solvere et subire teneantur et honores et allia consequantur et de ipsis terris in quibus conscripti erant fumantibus vel extimatis tollantur, facta prius descriptione predicta et ipse terre de cetero pro terris vel comunibus non habeantur vel sint nec in aliquo vel pro aliquibus tamquam comunia agraventur vel reputentur, durantibus vero presentibus extimis comitatus, terra seu comune cui uniti fuerint predicti fumantes vel extimati seu descendentes non teneantur ad colectas solvendas et alia onera subeunda pro extimo

quod habent, tunc tempore predictorum fumantum extimatorum vel descendendum unitorum quantum vero ad cetera statim, facta descriptione predicta, sint et intelligantur ipsi fumantes extimati vel descendentes et ipsorum curie terrarum predictarum integraliter aggregati et aggregate et unite. Et eo casu ipsi aggregandi solvere et subire teneantur et compellantur collectas et onera ut supra quamdiu duraverint extima predicta. Salvo semper quod si aliquis ex dictis fumantibus extimatis vel descendentibus tempore confectionis presentium extimorum comitatus vel aliorum que de novo fierent vel confirmarentur ratione sue habitationis vel suorum ascendendum debuissent vel deberent alibi extimum habere vel porigere vel extimati esse, tunc in ea terra tantummodo in qua predicta fieri deberent vel debuissent durantibus ipsis extimis solvere et subire teneantur et compellantur ut supra, non obstante descriptione vel adiunctione predicta vel dispositis circa eas. Et quia propter guerras et adventus companearum et aliorum hostium venientium et esistentium in comitatu Bononie robarias et incendia facta et comissa ibidem//

[c. 294v]

multi fumantes et extimati et districtus Bononie in ipso comitatu et districtu tunc habitantes laboratores terrarum et opera manualia fatientes venerunt ad habitandum in civitate vel burgis ipsius nec redierent nec redire curant nec volunt ad habitandum in comitatu Bononie et districtu predicto propter que dampnificantur comunia terrarum comitatus predicti nec etiam laborantur nec laborari possunt more solito possessiones dicti comitatus et ipse comitatus inhabitatur¹¹⁹² multeque possessiones ipsius comitatus et habitationes deserte remanent et inculte pro bono publico, statuimus et firmamus quod omnes et singuli fumantes vel extimati comitatus vel districtus Bononie laboratores terrarum et ruralia opera fatientes seu qui soliti sunt laborare terras et opera ruralia facere, qui venerint ad habitandum in millesimo trecentesimo quinquagesimo vel abinde citra in civitate vel burgis ipsius et descendentes ex eis et qui in posterum venient seu venient de ipsa civitate et burgis discedere debeant et redire ad habitandum in comitatu Bononie seu eius districtu infra mensem facta crida de predictis per civitatem Bononie pena cuilibet contrafatienti et predicta non observanti decem librarum bononinorum quam ipso iure quilibet incurrat et de facto absque aliqua condempnatione de eo fienda ab eo in eius bonis exigere possit et debeat per iudicem officio Ursii comunis Bononie deputatum. Et nichilominus talis contrafatiens et predicta non observans teneatur comuni Bononie solvere singulis mensibus quibus repertus fuerit stare et habitare in civitate Bononie vel burgis quadraginta solidos bononinorum, quam quantitatem simili modo possit et teneatur exigere iudex predictus. Et ad hoc ut predicta melius sortiantur effectum, mandamus quod ministrales capelarum singulis tribus mensibus teneantur et debeant tales predicta non observantes in suis capelis habitantes dare in scriptis iudici Ursii supradicto et ad hoc cogi possint et debeant per iudicem supradictum. Et idem fiat et servetur de ilis, qui venient imposterum ad habitandum in dicta civitate vel burgis etiam sine crida aliqua de novo fienda in quantum eis predicta adaptari possunt, nisi esset quod Deus avertat impedimentum guerre vel alterius casus supervenientis ex quo verissimiliter in dicto comitatu seu districtu tute habitare non possent ipso impedimento tantum durante, quo casu a predictis excusati sint et esse intelligantur et penam aliquam non incurrant. Et quia a tempore quo dicta extima facta fuerit hominibus terrarum comitatus Bononie citra multe sunt facte mutationes et alterrationes inter homines comitatus et de bonis ipsorum, statuimus et ordinamus quod de ceptero quamdiu extima fient per comune Bononie hominibus comitatus Bononie imponantur quecumque onera hominibus comitatus Bononie per ipsum comune Bononie

¹¹⁹² <inhabitatur> *corregge* habitantur.

vel eius officiales ad taxationes et secundum taxationes eis factas et fiendas et non ad extima. Prepterea quia de fumantibus et conductionibus fumantum multa litigia sepiissime oriuntur in hiis volentes adhibere remedium premissis addendo, statuimus quod fumantes etiam sint et esse intelligantur omnes et singuli qui conscripti sunt conscribentur vel conscripti reperiantur pro fumantibus in aliquibus libris positis vel ponendis ad camaram actorum comunis et populi Bononie vel in aliquo ex libris de quibus supra fit mentio et descendentes ex eis vel aliquo eorum ut supra. Item etiam omnes et singuli qui debuerint describi pro fumantibus vel extimatis inter fumantes comunis Bononie secundum formam provisionum factarum in millesimo trecentesimo trigesimo primo die secundo menssis ianuarii et predictorum et cuiuslibet eorum descendentes ut supra licet descripti vel extimati non¹¹⁹³ reperiantur. Item etiam omnes et singuli qui porigentur in scriptis per aliquos massarios, syndicos vel alios officiales aliquarum terrarum seu vilarum comitatus Bononie seu pro parte ipsarum vilarum seu terrarum tamquam fumantes vel descendentes ex fumantibus ipsarum terrarum coram officialibus ad hoc deputatis vel deputandis. Et si in dubium revocetur an predicti porecti seu porigendi sint fumantes vel descendentes eorum vel de hec questio oriretur suffitiat si probetur habitasse in dictis villis in millesimo trecentesimo trigesimo de mense novembris et ante per unum annum ipsi vel eorum ascendentes secundum formam dictarum provisionum factarum in millesimo trecentesimo trigesimo primo die secundo ianuarii vel saltem de tali habitatione probetur per quatuor testes bone opinionis quod publica vox et fama est in dictis terris seu villis de quibus dicuntur fumantes tales vel¹¹⁹⁴ eorum ascendentes tunc habitasse in dictis terris seu villis ac etiam probetur dictos tales vel eorum descendentes ut supra dicto tempore vel postea solvisse colectas et impositiones in dictis terris seu villis saltem tribus vicibus vel fuisse saltem semel massarium vel saltem semel saltuarium seu gesisse pro massario vel saltuario in dictis terris seu villis. Que solutiones probari possint ad minus per tres collectores qui fuerint pro tempora in dictis terris seu villis talium colectarium seu impositionum etiam si sint singulares in dictis suis. Et si in dubium revocetur vel negaretur ipsos fuisse colectores seu massarios vel saltuarios suffitiat probare per tres testes//

[c. 295r f. CCLXXXVIII^{or}]

ad minus deponentes cum iuramento publicam vocem et famam esse in dictis terris seu villis tales collectores seu massarios vel saltuarios fuisse seu pro talibus se gesisse et etiam de tempore. Et predicta locum habeant nisi per tales in scriptis porectos contrarium probaretur¹¹⁹⁵ legiptime seu per publicam vocem et famam et modo quo supra probatio fieri possit et admitti. Qui describendi teneantur et compellantur ipsa onera subire solum in locis in¹¹⁹⁶ quibus reperirentur descripti, nisi questio oriatur inter aliqua comunia comitatus vel districtus Bononie in qua terra seu villa ipsa onera tales subire teneantur, quo casu ipsi tales de quibus questio predicta oriretur tunc subire teneantur in illa in qua tenebantur vel tenentur secundum formam dictarum provisionum factarum in millesimo trecentesimo trigesimo primo. Et tales fumantes descripti et describendi et predicti eorum et cuiuslibet eorum descendentes, ut supra, teneantur et compellantur, ut supra. Et in eis et eorum heredibus ac uxoribus et in omnibus casibus supradictis supradicta omnia locum habeant in quantum possint adaptari. Si tamen aliquis vel aliqui, qui reperirentur descripti conquerantur et conqueri voluerint occaxione absentie sue quam fecissent extra districtum Bononie tempore descriptionum predictarum audiantur et probationes sue legiptime admittantur, non obstante

¹¹⁹³ <non> in *infralinea con segno di inserzione*.

¹¹⁹⁴ <vel> in *infralinea con segno di inserzione*.

¹¹⁹⁵ <probaretur> *corregge* probarentur.

¹¹⁹⁶ <in> in *infralinea*.

descriptione predicta facta de eo vel eis. Et quia propter mortalitatem et guerras predictas difitilis est probatio parentele dicimus et ordinamus quod si contingat in dubium revocari aliquos in scriptis porectos pro parte dictarum terrarum seu comunium fuisse descendentes ex aliquibus, qui reperirentur descripti in libris comunis Bononie tamquam fumantes aliquarum terrarum seu villarum predictarum vel qui dicerentur habitasse in dictis terris seu villis a viginti annis retro suffitiat probatio parentele per quatuor homines bone conditionis deponentes cum iuramento publicam vocem et famam esse in dictis terris seu villis de quibus probaretur fumantes illos tales fuisse descendentes ex talibus sic descriptis vel habitantibus ut supra dictum est vel si habitaret in civitate Bononie publicam vocem et famam esse in civitate Bononie videlicet in contrata seu vicinia habitationis eorum illos tales fuisse descendentes ex talibus sic descriptis vel habitantibus ut supra dictum est.¹¹⁹⁷ Que probatio habeatur et intelligatur legiptima quantum ad probationem dicte parentele, nisi per tales contra quos fit probatio predicta contrarium legiptime probaretur sceu per publicam vocem et famam eo modo quo supra. Salvo quod predicta non preiudicent alicui qui sit in paciffica possessione citadinantie civitatis Bononie vel qui reperiat ipse vel sui ascendentes ad¹¹⁹⁸ extima generalia civitatis Bononie in millesimo trecentesimo vigesimo nono tempore domini Blaxii de Tornaquintis tunc rectoris civitatis Bononie. Et quia sepe contingit predictos fumantes seu qui onera predicta solvere et subire tenentur habitare in terris seu locis confinantibus cum comitatu vel districtu Bononie vel alibi in fraudem ut possint dicta onera evittare. Ideo dicimus, quod eis possint et valeant dicta extima fieri et exatio predicta nichilominus fieri possit in persona et rebus ut supra. Et possint libere et impune capi et presentari per sindichum vel massarium sue terre cum aliis quos secum habere voluerit ad carceros comunis Bononie pro colectis et oneribus in quibus essent malpagi. Declarantes etiam quod cives Bononie sint et esse intelligantur quantum ad contenta in presenti statuto originarii cives Bononie origine propria paterna et avita vel saltem duabus ex eis et desendentes ex eis. Et ut clarius et facilius suprascripta aparere possint et etiam effectum plenisimum habere, volumus et etiam statuimus quod ellici debeat per dominos antianos comunis et populi Bononie quatuor cives Bononie boni, experti et literati cum vicario domini potestatis Bononie quorum officium duret secundum beneplacitum dominorum predictorum, qui in et super premissis omnibus et singulis possint et debeant pro premissorum occaxione inquirere, procedere et declarare et descriptiones supra dictas vel alia suprascripta fieri facere. Et quod declaranda, fienda vel pronuntianda per dictum dominum vicarium et per dictos quatuor vel maiorem¹¹⁹⁹ partem ipsorum in et supra premissis et premissorum occaxione valeant et teneant et inviolabiliter observari debeant et vim statutorum habeant et habere debeant. Adicientes insuper quod comune Montis Marvi et comune Venole comitatus Bononie deinceps sint et esse intelligantur unum et idem comune et pro uno et eodem comuni tantum ab omnibus reputentur habeantur et testantur.¹²⁰⁰

¹¹⁹⁷ <vel habitantibus ut supra dictum est vel si habitaret in civitate Bononie publicam vocem et famam esse in civitate Bononie videlicet in contrata seu vicinia habitationis eorum illos tales fuisse descendentes ex talibus sic descriptis vel habitantibus ut supra dictum est> *di seguito sul margine laterale destro su 5 righe.*

¹¹⁹⁸ <ad> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹¹⁹⁹ <maioem> *corregge migliorem.*

¹²⁰⁰ <Adicientes insuper quod comune Montis Marvi et comune Venole comitatus Bononie deinceps sint et esse intelligantur unum et idem comune et pro uno et eodem comuni tantum ab omnibus reputentur habeantur et testantur> *di seguito sul margine laterale destro su 5 righe.*

[75] De generali satisfactione prestanda a massariis terrarum districtus Bononie quod de gestis per eos teneantur reddere rationem de ipsorum electione. Rubrica. [cc. 295r-296r]

Item providerunt et firmarunt ad hoc ut comunia terrarum comitatus Bononie et districtus obediant comuni Bononie et a potentibus non opprimantur quod comunia terrarum dicti comitatus et districtus Bononie habentia decem fumantes vel extimatos viventes vel abinde supra anno quolibet de mense decembris vel saltem singulis sex mensibus decembris et iunii teneantur et debeant electiones facere de saltuariis et massariis et aliis solitis officialibus sue terre sequentis annis ipsius temporis// [c. 295v]

incipiendi in kalendis ianuarii seu iulii ut supra, dum tamen non possint eligi in massarium vel saltuarium vel officialem septuagenarii vel aliquis minor viginti quinque annis nec aliquis qui non sit continue habitator sue terre nec aliquis alius inhabilis vel prohibitus ex forma iuris municipalis civitatis Bononie. Et aliquis in eodem officio massarie eligi vel confirmari non possit pro tempore proxime sequenti. Et quod dicti massarii eligendi et quilibet eorum per totum mensem ianuarii seu iuxta mensem ab introitu sui officii habito respectu ad tempus pro quo elligerit suo nomine comunis et hominum sue terre teneantur et debeant¹²⁰¹ dare et prestare bonam et ydoneam securitatem comuni Bononie pro toto anno usque ad sequentes calendas ianuarii seu pro toto tempore eorum officii coram domino potestate vel eius vicario recipiendum per alterum ex notariis possidentibus officio disci domini potestatis de centum libris bononinorum et minus secundum qualitatem terre de parendo mandatis dicti domini potestatis et comunis Bononie et de solvendo et subeundo collectas et onera que imponentur eisdem comunibus et universitatibus per comune Bononie et de non reptinendo vel stare permitendo in suis terris aliquos bannitos comunis Bononie pro gravi malliffitio vel rebelles ipsius comunis. Et de non accedendo coram aliquo pro iure petendo, nisi foret officialis comunis Bononie cui de hoc foret iurisditio attributa et de non prestando vel dando aliquid de avere vel bonis sui comunis alicui vi vel metu. Et de non permitendo quod aliquis de sua terra coram aliquo pro iure petendo accedat, nisi esset comunis Bononie officialis et iurisdictionem haberet de predictis. Et de non astringendo se vel suum comune nec quod aliquis de sua terra directe vel indirecte se obliget alicui ad aliquam servitutem vel ad aliquod vasalaticum vel fidelitatem vel homagium vel nanentixiam seu recomandaxiam vel ad aliquod aliud per quod posset induci aliqua spes servitutis vel per quod libertas, iurisditio vel honor comunis et populi Bononie possit minui vel ei in aliquo derogari. Et de non proponendo vel proponi permitendo in arengo seu comuni sue terre de donando aliqua occasione de predictis de avere vel bonis ipsius comunis alicui persone, comuni, collegio vel universitate excepto quam comuni Bononie et de non eundo et etiam prohibendo toto posse suo quod aliquis de terra sua non vadat in aliqua andata, cavalcata vel guarnimento cum aliquo vel aliquibus in comitatu vel extra, nisi esset de mandato domini potestatis vel comunis Bononie vel dominorum antianorum seu iurisdictionem habentis vel potestatem mandandi predicta a comuni Bononie. Et de fatiendo, dando et observando omnia que ipse massarius vel comune suum dare vel facere sceu observare teneretur. Et ab omnibus abstinere a quibus abstinere debent ex forma alicuius legis municipalis comunis Bononie vel sui officii dando tales fideiubssores, qui sint continui habitatores civitatis Bononie vel burgorum eiusdem que securitates aprobari debeant per alterum ex aprobatoribus comunis Bononie. Dum tamen dicti aprobatores non possint accipere occasione predicta vel quomodocumque colore quesito ultra duos solidos bononinorum

¹²⁰¹ <et debeant> in *infralinea con segno di inserzione*.

et notarius, qui scriserit satisfactionem non possit accipere ultra quinque solidos bononinorum. Quam quidem securitatem teneatur quilibet notarius qui eam scripserit eam ponere ad camaram actorum infra duos menses a die depositi facti, sub pena centum solidorum bononinorum pro qualibet satisfactione quam non posuerit ad camaram antedictam, sub pena cuiuslibet comuni et qualibet vice non fatienti ut supra dictum est. Electiones massariorum, saltuariorum et aliorum officialium a centum fumantibus infra decem solidos bononinorum pro quolibet fumante et cuiuslibet comuni habenti centum fumantes vel a centum fumantibus supra centum libras bononinorum in summa et cuiuslibet masario non fatienti dictam securitatem ut supra dictum est decem libras bononinorum et comuni sue terre centum libras bononinorum. Et nichilominus dictus massarius dictam satisfactionem et tempore dicte satisfactionis nomina saltuariorum sue terre in scriptis notarii, qui dictam securitatem acceperit dare teneantur, sub pena predicta et dicta satisfactione prestita non teneantur nec cogi possint ipse massarius vel syndicus sue terre nomine sui comunis vel ipsum comune ad aliquam aliam securitatem prestandam infra dictum annum seu tempus predictum, nisi proceserit de mandato dominorum antianorum. Et nullus officialis seu aliquis alius audeat exigere, petere vel recipere seu scribere aliquam aliam securitatem seu satisfactionem quam predictam et eam aprobare, sub pena centum librarum bononinorum pro quolibet qui contrafecerit et pro qualibet vice. Possint autem filii pro patre, massarius et pater pro filio et frater pro fratre in eadem familia manente facere officium massarii si simul// [c. 296r f. CCLXXXX]

habitarentur. Propterea dicimus, quod massarii et syndici terrarum predictarum comitatus Bononie teneantur et debeant infra unum mensem finito eorum officio reddere rationem suo successori elligendo in officio massarie cum tribus vel quatuor hominibus ipsarum terrarum de omni quantitate pecunie, bonis et rebus dictorum comunium perventis ad manus ipsorum tempore ipsorum officialium et de omnibus gestis vel obmissis per eos cum integra residuorum consignatione et solutione dicto massario sucessori de quo residuo et eius quantitate credatur et stetur dicto ipsius massarii et dicto trium vel quatuor hominum quibus dicta ratio reddita fuerit et ad dictam consignationem et solutionem dicti residui et quantitatis cogi possit et debeat ipse massarius vel syndicus qui dictam rationem reddiderit per dominum potestatem civitatis Bononie et quemlibet ex suis iudicibus summarie, sine strepitu et figura iudicii. Si vero dictam rationem infra dictum terminum mensis reddere cessaverit et obmiserit possit et debeat ipse massarius et syndicus cogi et compelli per dictum dominum potestatem civitatis Bononie et quemlibet ex suis iudicibus summarie ut supra dictum est ad dictam rationem reddendam ex suo officio ad petitionem cuiuscumque de dicta terra. Et ad solvendum, dandum et restituendum dicto massario successori omne et totum id quod apparuerit ipsos habuisse de pecunia seu bonis et rebus ipsorum comunium ac etiam expensis que fierent occasione predicta¹²⁰² comunia. Et insuper condempnentur in quinquaginta libris bononinorum suo comuni cuius fuerit massarius vel syndicus aplicanda. Declarantes ad probationem quod quis sit vel fuerit massarius seu saltuarius alicuius terre sufficere aliquem tamquam massarium sic fideiubsisse vel satisdedisse pro saltuariis in scriptis datos esse seu fuisse. Teneantur etiam predicti massarii vel syndici singulis annis de mensis ianuarii vel februarii in scriptis dare domino potestati seu eius vicario tagliam hominum ab armis et a guasto scilicet unum pro milliario extimi eorum, qui recipi debeant et¹²⁰³ in uno libro describi per alterum ex notariis disci domini potestatis pro qua receptione et descriptione percipere possint solum quatuor denarios

¹²⁰² <predicta> *dittografato*.

¹²⁰³ <et> *in infralinea*.

pro quolibet de dicta taglia si fuerint quinqueginta vel abinde infra, abinde vero supra duos denarios tantum et nichil ultra pena contrafatienti pro qualibet vice viginti quinque librarum bononinorum. Quibus etiam massariis teneatur dominus potestas precipere et cridari facere prout in statuto posito sub rubrica 'De pena incendiarii' [V, 79] continetur. Et teneantur ipsi massarii omni modo facere contenta in nostro statuto posito infra in rubrica 'De foveis et fossatis comunibus et non comunibus disgomborandis et cetera' [VII, 63].

[76] **De marchis, balantiis et staderiis. Rubrica.** [cc. 296r-296v]

Ordinamus quod quilibet qui exercet vel exercebit aliquam artem in qua utatur aliquo pondere, balantia seu staderia teneatur et debeat habere veras, rectas et iustas staderias et balantias rectaque et iusta pondera et specialiter rectum marcum et pecias marchi ad similitudinem marchi artis cambii. Que staderie et marchi bullati et bullate esse debeant bulla in qua sit sculpta arma comunis Bononie. Dum tamen suffitiat quemlibet marcum bullatum esse in coppo exteriori maiori. Et marcum predictum cambii debeat perpetuo conservari et tria fieri debeant si facta non sunt eiusdem avistationis et rectitudinis quorum unum servari debeat penes aliquem campsorem elligendum per societatem cambii, aliud per alterum de societate aurificum elligendum per ipsam societatem et tertium penes dominum potestatem, qui nunc est vel tempore fuerit suis sucessoribus sucessive consignandum. Et clausum teneant donec pro avistatione et gualmedratione aliorum marcorum illud necesse fuerit aperiri. Et quod quolibet anno de mense ianuarii omnia marca quorumcumque artificum quibus ipsi artifices pro artibus uterentur adiustari et coequari debeant et etiam alio tempore quocumque illa reperirentur in deffectu. Que advistatio, coequatio et bullatio fieri debeat per aliquem ellectum vel elligendum per dominos antianos, qui pro dicta bullatione habere et recipere debeant pro suo salario et labore et de quolibet et pro quolibet marchio integro sex denarios bononinorum. Et idem de quoequatione et avistatione intelligatur et nichil ultra percipere possit de predictis a comuni Bononie vel aliqua singulari persona vel universitate. Teneatur//

[c. 296v]

tamen dictus bulator singulis sex mensibus coram potestate Bononie satisfacere de ducentis libris bononinorum de suo officio bene, fideliter et legaliter exercendo. Et teneatur dominus potestas per alterum de suis iudicibus, militibus, notariis vel suis familiaribus inquirere de contrafatientibus quolibet mense semel ad minus eundo personaliter per civitatem et burgos cum quo inquisitore adesse semper debeat unus campsor et unus aurifex de civitate Bononie. Quorum inquisitioni et relationi de predictis credatur et stetur et si quem in deffectu invenerint ipsum condemnare teneatur dominus potestas infra octo dies post inventionem predictam in decem solidis bononinorum pro quolibet bononino parvo de quo reperiretur in deffectu dum tamen pro deffectu ponderis unius denarii parvi bononinorum tantum in balantiis parvis cum quibus possint ponderari due unte piperis vel abinde infra et pro deffectu ponderis duorum denariorum parvorum tantum in balantiis mediocribus cum quibus ponderari posset a duobus untiis piperis supra usque ad duas libras inclusive et pro deffectu octave partis unte in aliis maioribus balantiis nec pro deffectu ponderis unius denarii parvi pro aliquo marco in aliquo debeat condemnari. Item si fuerit staderia cuius libra sit in defectu in octava parte unte, tunc in decem solidis bononinorum et sic ascensive quantuscumque fuerit deffectus ita tamen quod pro deffectu staderie condemnatio excedere non possit quantitatem decem librarum bononinorum. Salvo quod lardaroli pro talibus defectibus et in quolibet casuum predictorum in dimidia dictarum penarum

debeant condempnari. Et salvo etiam quod in aliquo casuum predictorum seu pro aliquo tali deffectu nullus de falso sive tamquam falsarius debeat vel valeat condempnari vel quolibet aggrevari, declarantes quaslibet balantias bullari debere. Item statuimus et ordinamus, quod nullus qui fuerit deputatus ad bulandum seu bulari fatiendum chastelatas et alia vasa seu mensuras audeat vel presumat bulare seu bulari facere vel permitere per officialem deputatum vel deputandum aliquam castelatam, nisi sit capacitatis corbis decem vel abinde supra vel mediam castelatam, nisi sit capacitatis corbis quinque vel ab inde supra usque ad corbem sex. Que vasa mensurari et adiustari debeant cum aqua, sub pena librarum quinque bononinorum dicto offitiali pro qualibet castelata que non reperiretur bulata ad mensuram predictam. Et nichilominus puniatur ille qui bulari fecerit suam castelatam contra formam predictam in libris duabus bononinorum et si quis uteretur aliquibus castelatis predictis minoris capacitatis quam decem corbium vel mediis castelatis minoris capacitatis quinque corbium ad careçandum non possit petere mercedem aliquam sibi conventam seu promissam et nichilominus teneatur ad interesse ei qui lesus fuerit.

[77] **De assaçiis pannorum. Rubrica.** [cc. 296v-297r]

Quoniam ex mensurando vel ex modo mensurandi pannos, qui venduntur in civitate Bononie maxime ad retaglium, multe fraudes comiti dicantur tam ex parte vendentium quam ementium et maxime sartorum ad obviandum predictis, decernimus quod quilibet vendens pannos de lana undecumque fuerint ipsi panni vel pignolatos, filidentes, baldinellas, paliotas, buchixanos et alios pannos de bambace seu lino vel canipa vel mistos de utroque vel alios quoscumque pannos, qui soliti sunt vendi ad assagium passus teneantur vendere ad verum et iustum passum et mensuram passus gualmedrati ad verum passus comunis Bononie. Et non ad aliquod aliud assagium mensurando solum hoc modo scilicet quod passus mensurandus et quodlibet aliud de predictis mensurandum ponatur super disco, tabula seu mensa vel banca super eis vel aliquo ipsorum sine aliqua malitia estendatur simplex vel duplicatus prout altero ipsorum modorum mensurari convenit et sic estensus mensuretur super ipso disco, tabula seu banca ponendo passum planum super panno iuxta spigolum panni et signando statim in fine seu capite passus et sic de passu in passum usque ad ultimum eius quod debuerit mensurari nec alio modo fieri possit mensuratio alicuius talis rei vendite et mensurate nisi sit res solita vendi ad pondus, que etiam ad pondus vendi possint vel nisi de alio modo mensurandi partes ad invicem concordarent. Et idem intelligatur et fiat ubi alio quocumque alienaretur aliquod predictorum quod debuerit mensurari, sub pena cuilibet contrafatienti in quolibet casuum predictorum quinque librarum bononinorum pro qualibet vice. Item dicimus, quod omnes mercatores pannum vendentes ad retaglium dictos pannos vendere debeant bonos et legales et nitos, non maculatos, nec fractos. Et si reperti fuerint dicti panni in deffectu alicuius predictorum teneantur ipsos recipere antequam//

[c. 297r f. CCLXXXI]

taglientur pro roba et pretium restituere et ultra solvere centum solidos bononinorum nomine pene si infra secundam diem postquam petitum fuerit non restituerint pretium. Et predicta fiant et executioni mandentur per alterum ex officialibus domini potestatis, facto expositio simplici verbo et panno viso in deffectu aliquo ex predictis. Insuper statuimus et ordinamus, quod aliqui mercatores vendentes pannos ad retaglium non possint nec debeant tenere extra stationes ipsorum in quibus vendunt pannos aliquas tendas de panno vel de ligno ad porticus vel stratas publicas per quas¹²⁰⁴ ocultetur vel

¹²⁰⁴ <quas> *segue itur cassato.*

obscretur seu occultari vel obscurari possit collar pannorum quos vendunt, nisi dumtasat pro defensione solis, aque pluvie vel alterius decurentis ubi casus inmineret vel imminere videretur. Sed fenestras quas habere volunt in suis stationibus tenere debeant in una forma nec possit variare claudendo vel aperiendo in die in totum vel parte cum tenda de panno vel de ligno, nisi hedificatoris causa seu pluvie, sub pena solidorum viginti pro qualibet statione et qualibet vice qua reperte fuerint tende predictae, possint tamen tenere ad hostium stationis tendam seu pannum prout eisdem placuerit. Item quod non debeant mercatores vendentes pannum vel pignolatum aliquid dare vel permittere per se vel alium alicui sartori vel alteri pro eo quod accedat ad suas stationes, sub pena solidorum viginti pro quolibet soldo quem dederint seu promiserint tam danti quam recipienti. Item quod dicti mercatores non possint nec debeant aliquas petias pannorum qui defferunt ad civitatem Bononie vendendi causa postquam aplicuerint ad civitatem Bononie vel districtum ponere seu poni facere ad clodarias nec ipsos estendi seu tirari facere, sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet petia et ad rationem petie et pro qualibet vice. Nec aliqui magistri clodoariarum audeant ponere seu poni facere vel permittere aliquam dictarum petiarum panni poni ad clodoarias suas sub dicta pena et quilibet possit accusare et denunciare contrafatientes et habeat medietatem pene predictae. De quibus omnibus notarius stratarum seu coronarum teneatur et debeat inquirere et contrafatientes punire in penis predictis de quibus condemnationibus positis ad discum Ursii et exactis dominus potestas si ex mero suo officio ad requisitionem sui notarii condemnationes fecerit habere et percipere possit solidos quatuor bononinorum pro libra si vero ad denuntiationes alterius solidos duos bononinorum tantum.

[78] **De campsoribus cessantibus et fugitivis et aliis certis capitulis ad artem camporum et aurificum pertinentibus. Rubrica.**¹²⁰⁵ [cc. 297r-297v]

Cum ad fidem camporum ut plurimum recurratur multique ex ipsis camporibus cum depositis et here alieno fugientes deponentibus et habere debentibus respondere recusent fraudulenter ad obviandum predictis et ut deponentium indemnitati consullatur parvorumque camporum malleficia puniantur, statuimus et mandamus quod campsores, qui publice exercent seu exercuerunt vel exercebunt artem cambii in civitate Bononie, teneantur legaliter respondere deponentibus penes eos pecunias vel alias res de ipsis depositis vel rebus et de omni eo et toto quod ratione artis cambii alicui aliquid dare vel solvere teneretur. Et ad hoc fatiendum compelli possint et debeant per dominum potestatem et quemlibet de suis iudicibus civilibus deputatis simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii realiter et personaliter et quibuscumque remediis oportunis. Et pro predictis teneantur ipsi campsores se personaliter presentare coram domino potestati vel altero ex suis iudicibus de cuius mandato fuerit requisitus, nec suffitiat per alium comparere et si personaliter inventus non venerit infra competentem terminum sibi assignandum et iterum requisitus personaliter vel ad domum non venerit infra alium competentem terminum sibi assignandum¹²⁰⁶. Et pars que ipsum requiri fecerit in termino comparuerit pro confesso qui non venerit habeatur de eo quod peteretur ab eo et ab inde in antea nullo alio exquisito capi et deponeri possit et debeat ubicumque locorum etiam in domo proprie habitationis aliquo nostro statuto vel iure comuni non obstante, donec petenti de petitis fuerit integre satisfactum et si infra quindecim dies a die a qua pro confesso habeatur ut supra non venerit in fortiam comunis Bononie

¹²⁰⁵ <et camporum et aurificum pertinentibus. Rubrica.> *di seguito sul margine laterale destro.*

¹²⁰⁶ <et iterum requisitus personaliter vel ad domum non venerit infra alium competentem terminum sibi assignandum> *sul margine laterale sinistro con segno di rinvio, inchiostro molto sbiadito per macchie di umidità.*

ponatur in banno furti tante quantitatis quanta petita fuerit et tamquam fur veniens postea in fortiam comunis Bononie puniatur. Et nichilominus si pars actoris voluerit in carceribus comunis Bononie deptimeatur donec satisfecerit ut supra. Et quod nullus aurifex vel campsor vel alia quevis persona audeat vel presumat in civitate, comitatu vel districtu Bononie deaurare aliquod argentum, nisi sit ad ligam bononini grossi antiqui laborati nec etiam tale argentum cum sulfure vel alia re sufistica¹²⁰⁷//

[c. 297v]

vel fraudolenta deaurare, sed solum cum bono auro. Et quod nullus debeat tale argentum sic deauratum tenere causa vendendi in eorum domibus, apotecis, tabulis vel stationibus, nec aliquod argentum laboratum minoris lige bononini grossi antiqui causa vendendi, nisi conquassatum et fractum pro ut in statuto ‘De arte campsorum et aurificum’ (63) continere sub pena viginti solidorum bononinorum pro qualibet untia talis argenti deaurati vel laborati seu tenti contra formam predictam ut supra reperti. Et ad obviandum fraudibus predictis, que in presenti statuto et etiam in statuto posito sub rubrica ‘De arte campssorum et aurificum’ [63] continetur volumus et mandamus quod notarius domini potestatis Bononie deputatus officio fanghi et notarius deputatus officio coronarum teneantur et debeant saltim bis quolibet mense asotiatu duobus bonis viris habentibus notitiam de predictis laboreriis inquirere per omnes et singulas stationes, tabulas et domos et alia quecumque loca de quibus eis videbitur expedire pro predictorum prohibitorum veritate indaganda et culpabiles reffere domino potestati qui contrafatientes puniat in penis ordinatis. Et quod quilibet permittat et patiat per domos, stationes, tabulas et apotechas suas vel conductas de predictis laboreriis uno videlicet campso et allio¹²⁰⁸ aurifice et argento perquiri a dicto officiali et notario cum predictis duobus per eum assumptis ut supra predictis sub pena vigintiquinque librarum bononinorum comuni Bononie applicanda. Et quod de predictis omnibus et singulis inventioni et relationi cuiuslibet dictorum notariorum cum sacramento predictorum duorum bonorum virorum credatur et stetur nisi contrarium probaretur et si predicto notario et dictis duobus bonis viris assumptis ut supra videatur et possint omnem experientiam fieri facere de argento et auro predictis de qua eis videbitur pro veritate predicta habenda sine contradictione alicuius persone. Et dicta experientia facta credatur relationi et declarationi predictorum et quod in omni eo quod presens statutum contradicere videretur dicto statuto de arte campsorum et aurificum volumus hoc statutum dicto statuto in omnibus prevalere.

[79] De conservatione Studii in civitate Bononie et privilegiis doctorum civium dicte civitatis. Rubrica. [c. 297v]

Statuimus quod domini antiani et domini confalonerii et massarii artium civitatis Bononie et quilibet alius officialis forensis dicte civitatis teneantur et debeant toto posse dare operam quod Studium scolarium tam iuris civilis quam canonici seu cuiuslibet alterius licite facultatis vel scientie sit et esse debeat perpetuo in civitate Bononie et illud in bono statu manutenere. Et doctores ipsarum scientiarum et rectores scolarium et ipsam universitatem scolarium et scolares et ipsorum iura, res et bona tueri tam in iudicio quam extra ubicumque et quotiens expedierit. Ac etiam manuteneri facere omnia et singula statuta, ordinamenta et privilegia ac beneficia utriusque universitatis¹²⁰⁹

¹²⁰⁷ <stica> *in soprilinea*.

¹²⁰⁸ <boreriis uno videlicet campso et allio> *sul margine laterale sinistro*.

¹²⁰⁹ <universitatis> *segue et depennato*.

scolarum fatientia in ipsorum studii doctorum, rectorum universitatum et scholarium¹²¹⁰ favorem et ea servari facere bona fide et augmentum Studii et bonum statum scholarium et quietem. Nec non teneantur manuteneri facere omnia et singula statuta, ordinamenta et privilegia, beneficia et constitutiones doctorum civium tam iuris civilis quam iuris canonici et etiam medicine et artium. Declarantes statuta et constitutiones doctorum predictorum preferi debere et preferenda esse statutis cuiuscumque universitatum scholarium. Et quod doctores predicti non legentes non intelligantur astricti et ligati per statuta alicuius universitatis scholarium, nec etiam scholares cives bononienses in aliqua facultate studentes intrantes in aliqua scientia. Teneantur etiam dominus potestas et dominus capitaneus et quilibet eorum qui supra predictis additus fuerit, punire quelibet qui procuraret vel tractaret quod Studium predictum alibi transferatur penis designatis infra proximo statuto. Aditientes etiam quod statuta comunis Bononie preferantur statutis cuiuslibet universitatis scholarium et statutis alterius cuiuscumque comitatus, societatis vel universitatis. Et omnibus et singulis statutis, ordinamentis et privilegis, beneficiis et constitutionibus doctorum tam iuris civilis quam iuris canonici et etiam medicine et artium.

[80] De tractantibus seu septam fatientibus vel conspiracyem pro Studio transferendo extra civitatem Bononie. Rubrica. [cc. 297v-298r]

Hac heditali constitutione sancimus, quod nulla persona civis vel forensis cuiuscumque conditionis et status existat, audeat vel presumat septam vel conspiracyem aut tractatum facere vel inhire per se vel alium per nunptium vel literas vel alio quocumque modo//

[c. 298r f. CCLXXXII]

cum aliqua persona ecclesiastica vel seculari, collegio vel universitate, terra, comuni vel comitatu de Studio civitatis Bononie transferendo ad alium locum vel aliquod procurare propter quod studium civitatis Bononie possit tolli. Et quod aliquis civis seu habitator civitatis Bononie vel aliquis alius non audeat vel presumat ducere scholares alibi gratia Studii alibi exercendi vel sequi scholares aliquos predicta de causa. Et si quis contrafecerit et venerit in fortiam domini potestatis et comunis Bononie pena capitis puniatur. Si vero non venerit in fortiam domini potestatis et comunis Bononie, ponatur in banno perpetuo comunis Bononie tamquam proditor comunis Bononie de quo perpetuo exire non possit, nec cancellari et si talis banitus venerit in fortiam domini potestatis et comunis Bononie capite puniatur infra tertiam diem et omnia bona talis baniti publicentur et perveniant in comuni. Et similem penam incurrat potestas et quilibet de ipsius familia et ceteri officiales comunis Bononie seu civitatis Bononie, qui contra predicta facere atemptaverint. Item quod nullus qui sit vel erit doctor legum vel decretorum seu decretalium vel medicine vel artium civis Bononie, ullo modo vel ingenio ab hodie in antea, audeat vel presumat cum licentia vel sine de civitate Bononie se conferre ad aliquam civitatem, locum vel terram aut comunitatem causa legendi in aliqua predictarum scientiarum et qui contrafecerit puniatur et condampnetur pena capitis si venerit ad mandata comunis. Si autem ad mandata non venerit ponatur in perpetuo banno comunis Bononie in amputatione capitis et ipsius bona omnia publicentur, que perveniant in comune. Et idem dicimus ut eadem pena, modo simili puniatur quilibet doctor forensis Bononie salariatus pro lectura, si durante tempore quo salariatus est seu esse debet, se transtulerit ad aliquam terram vel locum extra civitatem et comitatum Bononie causa legendi. Et quilibet possit de predictis accusare et habeat a

¹²¹⁰ fatientia in ipsorum studii doctorum rectorum universitatum et scholarium> aggiunto a margine laterale sinistro su 2 righe con segno di rinvio.

comuni Bononie centum libras bononinorum, si liquidum fuerit domino potestati de aliquo, qui in aliquo de predictis capitulis contravenerit sceu fecerit. Et quod nulli possit dari licentia de predictis et si daretur non valeat ipso iure.

[81] **De stationariis tenentibus exempla librorum et aparatuum. Rubrica.** [c. 298r]

Ordinamus pro utilitate scolarium et studii quod stationarii exempla librorum et aparatuum tenentes non presumant vendere vel alio modo alienare ut portentur ad Studium alterius civitatis vel terre vel aliquid fraudulenter facere in lesione civitatis seu Studii Bononie, pena et banno centum librarum bononinorum cuilibet contrafatienti et pro qualibet vice. Et quilibet possit acusare et denunciare et habeat medietatem banni. Item quod ipsi stationarii teneantur habere exempla corecta et bene emendata, bona fide et prout melius possibile erit et de eis scolariis petentibus copia facere et pro exemplatura id accipere quod actenus tempore preterito consueti sunt recipere vel habere et non plus.

[82] **De domibus in quibus habitant scolares non destruendis. Rubrica.** [c. 298r]

Statuimus et ordinamus, quod hospitia et domus in quibus habitant scolares, non possint destrui per comune Bononie, occaxione alicuius maleficii vel delicti vel rebellionis alicuius vel condemnationis vel multe facte de domino domus vel invadi per alium, donec eas habitaverint, sed libere dimittantur eis pro toto eo anno, quo ipsas conduxerint solvendo pensionem, si non solverint quam debebant solvere comuni Bononie si ius aliquod habet comune Bononie in dictis hospitii ratione condemnationis facte de domino hospitii vel aliqua alia ratione vel solvendo creditori domini hospitii, qui ratione alicuius obligationis domini hospitii ipsum hospitium occuparent vel acquirent aliter de iure et finito anno conductionis possit procedi de iure non obstante habitatione scolarium. Decernentes etiam quod alique domus posite in civitate vel comitatu Bononie non possint occaxione alicuius delicti dirui vel devastari, salvis nostris statutis aliter disponentibus.

[83] **De privilegiis rectorum scolarium qui possint ire sine impedimento ad dominum potestatem et eius familliam et alios officiales comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 298r-298v]

Ordinamus quod liceat rectoribus universitatum scolarium ire ad dominum potestatem et capitaneum et eorum iudices et alios de eius familia quandocumque eis placuerit pro factis universitatis predicte et scolarium dicte universitatis et potestas et capitaneus et quilibet eorum famulus cui loqui voluerint non possint prohibere rectoribus ne ad eos accedant pro factis//

[c. 298v]

dicte universitatis vel scolarium predictorum. Et potestas et capitaneus teneantur percipere eis beroeriis et nunptiis et domicellis quod non vetent ipsis rectoribus quominus veniant et loqui possint ipsi domino potestati et capitano et cuilibet de eorum familia pro factis universitatis predicte seu scolarium predictorum. Item dicimus, quod ipsis rectoribus liceat sine impedimento alicuius beroarii vel nunptii vel alterius persone accedere ad quoscumque officiales comunis Bononie pro factis universitatis seu scolarium predictorum et pro eorum negotiis et pro iustis et licitis negotiis et pro eorum iniuriis pena et banno cuilibet baroario vel nunptio vel cuilibet alteri impediendi vel prohibenti quinque librarum bononinorum et pro qualibet vice ad quam penam

solvendam potestas et alius officialis cuius baroarii, familiares et nuntii¹²¹¹ impederint omnimode teneantur.

[84] **De immunitate doctoribus concessa et scholaribus civibus legentibus.**
Rubrica. [cc. 298v-299r]

Statuimus quod doctores legum et doctores decretorum et medicine et artium, qui legunt quamdiu legerent vel presiderent lecture in iure civili vel canonico vel in medicina et artium vel legerint viginti annis in aliqua¹²¹² predictarum scientiarum non teneantur ire in aliquos exercitus vel cavalcatas, qui vel que fient de ceptero per comune Bononie vel ad custodiam civitatis Bononie vel alicuius castri vel loci vel hominis vel etiam cum milites vel pedites miterentur in servitio comunis Bononie vel alicuius vel aliquorum vel ad aliquod opus fatiendum et nec ponantur in decenis militum vel peditum vel cinquantinis vel vigintiquinquinis peditum vel alio numero peditum vel militum¹²¹³. Hoc tamen salvo quod si que colecte imponerentur comuniter per comune Bononie pro aliquo exercitu fatiando vel cavalcata vel custodia alicuius castri vel aliqua alia causa de supradictis ipsam colectam prout eis contingerit solvere teneantur sicut alii cives civitatis Bononie. Eandem immunitatem habeat unus notarius pro qualibet universitate scilicet iuris et medicine, bideli generales totius universitatis qui induuntur per universitatem cum domicellis rectorum universitatis predicte. Et unus bidelus pro quolibet doctore legente. Et unus staçonarius librorum pro qualibet statione quamdiu tales bideli, notarii et staçonarii fuerint bideli, notarii vel staçonarii. Idem dicimus in magistris gramatice, dialetice, fisice, notarie et dictatorie facultatis, qui legunt seu legent continue. Dicimus etiam quod scolares cives qui extraordinarie scholaribus legunt continue, et scolares, qui scolas iuris civilis et canonici intrant et cuiuslibet alterius facultatis continue eis sic legentibus et intrantibus excusentur ab exercitibus et cavalcatis et custodiis civitatis Bononie vel alicuius loci, ut supra. Considerantesque quod propter lecturam ordinariam atributam solum doctoribus civibus civitatis Bononie in qualibet facultate et per ipsos continuatam et alia privilegia ipsis doctoribus et eorum colegiis concessa Studium cuiuslibet facultatis in civitate Bononie et maxime in iure civili fuit per tempora preterita et est hodie conservatum et auctum, statuimus et ordinamus quod doctores vere et naturaliter cives civitatis Bononie origine propria, paterna et avita vel saltem duabus ex eis presint lecturis ordinariis librorum ordinariorum et qui legi ordinarie consueverunt in qualibet facultate. Declarantes in iure civili libros ordinarios esse Codicem et Digestum Vetus, Extraordinarios, Infortiatum et Digestum Novum et Volumen in iure canonico Decretales et Decretum de mane ordinarios esse. Et quod nullus cuiuscumque status et conditionis existat, qui non sit civis ut supra, quovis modo, colore, causa vel forma audeat vel presumat atemptare de intrando alliquod de dictis colegiis vel ipsum intrare vel ei quoquo modo aggregari, volens vel coactus vel ad ipsum petere se admicti vel admissus ad ipsum accedere vel ad aliquod comodum vel honorem dictorum colegiorum vel alicuius eorum, nec aliquem presentare ad publicum vel privatum examen nec aliqua insignia doctoratus tradere, nec legere aliquem de dictis libris ordinariis in totum vel in partem, nisi quatenus ei permitteretur ex forma constitutionum colegiorum doctorum. Que constitutiones debeant observari in omnibus et per omnia quoad facultatem illam de qua fuerit collegium de quo ageretur, sub pena cuilibet contrafatienti pro qualibet vice qua fuerit in predictis vel aliquo eorum contrafactum mille florenorum auri de facto auferenda per dominum

¹²¹¹ <nuntii> *corregge* nunptii.

¹²¹² <in aliqua> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹²¹³ <vel militum> *aggiunto a margine laterale sinistro con segno di rinvio.*

potestatem civitatis Bononie et comuni Bononie aplicanda quam penam si non exegerit dominus potestas reptineri sibi debeat tantundem de suo salario per depositarium camere comunis Bononie. Et de hoc specialiter sindicari debeat ipse dominus potestas et depositarius tempore sindicatus cuiuslibet eorum. Et quod antiani comunis Bononie ac domini confalonerii¹²¹⁴//

[c. 299r f. CCLXXXIII]

et massarii artium et quilibet eorum et quicumque alii officiales, cives vel forenses comunis Bononie quam primum sciverint in aliquo de predictis contraferi, teneantur totis viribus resistere et providere quod predicta efectui demandentur. Et quod contra predicta vel aliquod predictorum non possit provideri vel dispensari nec ad aliquem actum provisionis vel dispensationis vel propositionis in contrarium alicuius predictorum deveniri, pena cuilibet proponenti, consulenti vel arenganti vel ad aliquem actum devenienti contra predicta¹²¹⁵ vel aliquod predictorum quoquo modo tacite vel expresse, directe vel per obliquum mille florenorum de facto sibi auferenda per dominum potestatem, ut supra. Et nichilominus quicquid fuerit contrafactum non valeat ipso iure. Salvo semper privilegio concesso in iure canonico venerabili viro domino Iohanni de Lignane, cui per hoc non intendimus derogari. Volumus insuper constitutiones colegii doctorum iuris civilis civitatis Bononie et colegii doctorum iuris canonici in dicta civitate et constitutiones doctorum medicine factas et fiendas valere et tenere et plenum robur et effectum habere et omnia et singula in eis contenta ac observari debere in omnibus et per omnia precise per quemlibet officialem comunis Bononie civem vel forensem et per inde ac si essent singulariter et particulariter descripti in presenti¹²¹⁶ volumine statutorum et sub penis in nostris statutis contentis contra non observantes ipsa statuta, que sunt in presenti volumine statutorum.

[85] **De privilegiis scholaribus concessis et universitati ipsorum. Rubrica.** [cc. 299r-300r]

Ordinamus quod si contingerit oriri aliquam discordiam vel rissam seu furorem in civitate Bononie inter alios quam scolares, per quam scolares aliquid amiterent quod absit quod per comune Bononie restituatur ad plenum. Salvo quod si malefactor reperiretur et fuerit solvendo ius scolari contra talem malefactorum et eius bona salvum sit ipsi scolari et in subsidium tantum comune Bononie teneatur. Item quod si hospitium, quod habitaret aliquis scolaris, combustum vel destructum fuerit infra tempus conductionis, quod ipsi scolari concedat comune Bononie hospitium conveniens usque ad finitum tempus conductionis illius anni, quo predicta contingerent, nisi culpa ipsius scolaris habitantis vel sui famuli contingerit. Item quod tassationes hospitiorum scolarium singulis anniis fiant a comuni Bononie per duos bonos viros elligendos per defensores averis et totidem elligendos ab universitate, qui iurare debeant in presentia rectorum, hospitiorum tassationes facere bona fide et si discordarent in pretio, pensione quintus elligatur per dominos antianos, qui dirimat discordiam cuius arbitrio cum duobus eorum stetur, nisi de pretio et pensione inter partes fuerit conventum, cui conventioni stetur. Et fiat hoc ad requisitionem rectorum, salvis pactis in locationibus factis de partium voluntate. Item quod pensiones hospitiorum scolarium solvantur secundum quod solvitur per cives, qui conducunt domos alienas cum scolares ut cives et pro civibus in hiis et in aliis habeantur. Ita tamen quod si aliquis ex dictis scholaribus recesserint ante finitum tempus locationis soluta pensione liceat ei alium scolarem

¹²¹⁴ *Nel margine inferiore della carta, entro cornice: et massarii artium.*

¹²¹⁵ <predicta> *segue* vel aliquod predictorum *depennato*.

¹²¹⁶ <presenti> *segue* statuto *espunto e depennato*.

parem eidem ponere loco sui pro residuo temporis dicte locationis in eodem hospitio et aliter non. Et propterea non possit interdici aliquod hospitium et si inter diceretur non valeat interdictum. Item quod scolares possint emere quancumque et ubicumque et a quocumque granum in quacumque quantitate ad usum proprium et sue familie necessarium, non obstante aliquo banno vel prohibitione, reformatione vel statuto factis vel fiendis, nec venditoribus possit prohiberi speciali vel generali prohibitione quo minus eis vendant et portatoribus seu victualibus ne portent et pena propterea imposita cassa sit¹²¹⁷ ex nunc et nullius momenti dum tamen gabella¹²¹⁸ de venditione solvatur. Item quod contractus scolarium cum quocumque contraserit et eorum ultime voluntates habeant plenam firmitatem, si facte fuerint de iure comuni etiam si careant solempnitatibus, que viderentur requiri ex forma alicuius statuti seu iuris municipalis dum tamen stipulati reperiantur manu alicuius notarii de societate notariorum civitatis Bononie. Salvo quod predicta locum non habeant quando contractus fieret occasione ludi. Item quod scolares possint habere quatuor mercatores vel feneratores qui mutuent eis pecuniam, qui mercatores seu feneratores exprimi debeant et dari in scriptis et nomina ipsorum per rectores scolarium dominis antianis et domino potestati Bononie et non teneantur ire dicti mercatores in exercitiis vel cavalcatis seu alicuius castri vel hominis custodiam facere. Item quod scolares universitatis predictorum gaudeant privilegio//

[c. 299v]

societatum populi Bononie in emendo frumentum et alias res a comuni ita quod quando hominibus ipsarum societatum venditur frumentum vel alie res detur et vendatur etiam scolaribus si emere voluerint pro eodem pretio et pro eadem forma et modo qua vel quo datur societatibus populi seu hominibus ipsarum societatum. Item quod scolares sint cives et tamquam cives ipsi habeantur et pro civibus reputentur, donec scolares fuerint. Et res ipsorum tamquam civium defendentur ad defensionem et utilitatem ipsorum et rerum ipsorum, nec possint ipsi tamquam forenses nec eorum res deprimi vel molestari occasione alicuius represalie concesse contra comune seu civitatem terre vel castri vel banni dictis terris, castris vel civitati dati vel alicuius debiti pecuniarii. Item quod potestas vel aliquis gerens vices eius non possit interdicare vel impedire Studium aliquo modo prohibendo doctoribus ne legant vel precipiendo ut legant contra voluntatem¹²¹⁹ scolarium seu universitatis, salvo quod doctores legum, si necesse fuerit pro ambasiatoribus comunis Bononie ire et miti possint. Item dicimus, quod in questionibus civilibus scolarium, quas habent vel habebunt cum scriptoribus et fideiussoribus eorum vel aliis quibuscumque personis, summarie sine libelli oblatione et strepitu iudicii procedatur, non obstantibus feriis et si reconveniantur eodem modo procedatur. Et idem servetur in questionibus, quas habebunt cives vel comitatini cum scriptoribus vel eorum fideiussoribus. Additentes, quod bononienses studentes et qui studebunt in futurum in iure civili vel canonico volentes pervenire¹²²⁰ ad examinationem privatam vel publicam seu conventum non graventur vel gravari possint aliquibus sumptibus, honoribus vel angariis aliquibus aliter nec in plus quam gravantur forenses scolares volentes pervenire ad dictas examinationes cum pretestu vel vigore aliquorum privilegiorum vel statutorum universitatis scolarium etiam iuramento firmatorum. Et ipsis non obstantibus quibus ex certa scientia derogamus. Salvis tamen et semper reservatis constitutionibus collegii doctorum iuris civilis et doctorum iuris canonici. Et quod doctores de collegio doctorum civitatis Bononie teneantur et debeant

¹²¹⁷ <sit> *corregge sint.*

¹²¹⁸ <gabella> *corregge gabellam.*

¹²¹⁹ <voluntatem> *corregge volumptatem.*

¹²²⁰ <pervenire> *corregge venire.*

se congregare quandocumque ad petitionem cuiuscumque scholaris bononiensis volentis examinari et doctorari ad ipsius examinationem et doctoratum procedere et interesse prout soliti sunt facere et quod dominus potestas ad petitionem talis scholaris possit, teneatur et debeat compellere dictos doctores ad predicta quibuscumque iuris remediis, salvis semper constitutionibus doctorum loquentibus de predictis. Item quod potestas predictus seu eius vicarius quando fuerit adhitus possit et teneatur ad requisitionem rectorum dictorum scholarium vel alterius eorum sententias per eos vel eorum alterum latas vel ferendas secundum formam statutorum universitatis scholarium super questionibus vertentibus inter ipsos scolares ad invicem vel inter ipsos et eorum scholarium seu universitatum familiares vel officiales vel inter ipsos familiares seu officiales ad invicem executioni mandare et mandari facere quibuscumque remediis oportunis simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii ad utilitatem universitatis predictae si pro ea late fuerint alias ad utilitatem partium pro quibus late fuissent. Item quod potestas predictus ad requisitionem dictorum rectorum universitatis vel alicuius eorum teneatur et debeat rissas, brigas et discordias, que occurrerent inter scolares universitatis predictae seu doctores cives vel forenses ex una parte¹²²¹ vel inter ipsos scolares seu universitatem predictam ex altera tollere, sedare et ad concordiam reducere omnibus remediis oportunis quibus inspecta qualitate negotii et conditione personarum videbitur expedire. Item quod nullus fenerator vel alius cuiuscumque sexus audeat vel presumat aliquo alienationis seu pignoris titulo accipere vel reptinere aliquos quaternos vel quinternos seu sexteros aut folia alicuius libri seu librorum seu operis completi vel non completi cuiuslibet facultatis nisi a rectoribus, doctoribus, scholaribus vel stationariis librorum vel petiam vel ab aliis officialibus generalibus vel specialibus universitati subiectis et iuratis illius facultatis seu ab hiis ad quos pertinerent. Et qui contrafecerit rem acceptam restituere teneatur ei ad quem pertineret sine aliquo pretio seu alio dato et nichilominus puniatur pro qualibet vice in viginti quinque libris bononinorum et plus arbitrio domini potestatis et quilibet possit accusare seu notificare contrafatientes et etiam sine acusatione vel notificatione seu inquisitione possit potestas et quilibet de suis iudiciis etiam civilibus deputatis cognoscere, procedere, terminare et executioni mandare simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii et quibuscumque remediis oportunis et in predictis etiam presuntiones pro legitimis probationibus habeantur. Et hoc potestas//

[c. 300r f. CCLXXXIII^{or}]

teneatur preconizari facere per civitatem si et quotiens pro parte alicuius ex rectoribus universitatis scholarium fuerit requisitus. Subiungentes ne doctorum vel magistrorum legentium et scholarium studentium ministerium impediatur in scolis vel aliis locis ubi congregantur mandamus quod aliquis¹²²² cuius vis conditionis non¹²²³ audeat vel presumat aud sibi liceat habere vel retinere in aliqua domo propria vel conducta fabricam ferri vel marteli impediens auditum in scolis vel congregationibus prope aliquas scholas in quibus legatur vel domum ubi aliqua universitas scholarium congregaretur prope ipsas domos vel scholas per decem perticas.

[86] **De privilegio scholarium patientium furta seu iniurias vel rapinas. Rubrica.**
[c. 300r]

Ordinamus si aliqui scolares de aliqua universitate scholarium Studii Bononie forenses patientur in posterum furtum vel rapinam seu robariam vel spoliationem aut in rebus vel

¹²²¹ <parte> segue vel inter depennato.

¹²²² <mandamus quod aliquis> aggiunto a margine laterale destro con segno di rinvio.

¹²²³ <non> in infralinea con segno di rinvio.

personis iniuriam aliquam in civitate Bononie et hoc constiterit, quod credatur dicto seu denuntiationi scholaris de quo dicere voluerit fecisse sibi furtum vel rapinam seu robariam vel spoliationem aut iniuriam aliquam vel premissorum¹²²⁴ conscium vel receptatorem fuisse, prestito super hoc sacramento a scolare denuntiante quod calumpniandi animo non denunptiet et etiam a rectore de cuius universitate scholaris denunptiatus fuerit et consiliario sue nationis prestito sacramento quod eum credunt bone fame et conditionis esse et eum iuste denunptiare et non causa alicuius calumpnie. Et quod predicta denuntiatione facta a scolari iurante et etiam prestito sacramento a rectore et consiliario secundum formam predictam habeat vim plene probationis et per omnia habeatur et super predictis procedere debeat potestas presens et pro tempore fuerit¹²²⁵ ac si legitime fuerit et sufficienter probatum, precedente aliquo aminiculo ydoneo, de quo aminiculo an sit ydoneum stetur declarationi domini potestatis contra quoscumque denunciatos a scolari predicto et habeant locum etiam in hiis, que comiterentur de predictis contra scolares in comitatu vel districtu Bononie. Item dicimus quod forenses doctores legentes Bononie gaudeant in predictis eodem privilegio, beneficio et libertatibus quibus gaudent scolares.

[87] De banitis pro offensa alicuius scholaris de banno non extrahendis. Rubrica. [c. 300r]

Ordinamus quod nullus qui banitus est vel fuerit deinceps vel in figura banni conscriptus occaxione alicuius vulneris vel homicidii comissi seu quod comissum diceretur in aliquem scolarem qui sit vel fuerit tempore malefitii de universitate scolarium possit modo aliquo eximi vel cancellari de banno vel figura predictis sine voluntate offensi vel eius heredis et nisi pacem et concordiam habuerit ab ofenso vel herede offensi et sine voluntate¹²²⁶ universitatis scolarium tam Citramontanorum quam Ultramontanorum occaxione nulitatis vel alia qualibet causa et si contrafieret ipsa cancelatio non valeat nec teneat ipso iure.

[88] De pretio dando hiis qui representaverint assasinum vel alium hominem qui vulneraverit aliquem scolarem. Rubrica. [c. 300r]

Statuimus quod quicumque ceperit et in fortiam comunis et potestatis Bononie vel capitanei populi presentaverit aliquem assasinum vel alium hominem forensem qui pertuserit et vulneraverit aliquem ex rectoribus universitatis scolarium vel aliquem scolarem, qui sit sub rectoribus habeat et recipere debeat de avere comunis Bononie quinqueginta libras bononinorum et potestas et capitaneus populi teneantur eis dari facere infra octo dies post presentationem predictam.

[89] De pena procurantis quod privilegia scolarium tollantur. Rubrica. [c. 300r]

Statuimus quod quicumque arengaverit vel procuraverit aperte quod privilegia concessa vel concedenda universitati scolarium vel alicui ipsorum tollantur vel revocentur vel quod in aliquo infringantur condempnetur per potestatem Bononie in vigintiquinque libris bononinorum pro qualibet vice infra quatuor dies postquam liquidum fuerit domino potestati etiam si non sequatur effectus. Si vero hoc sequatur arbitrio domini potestatis realiter et personaliter puniatur.//

[c. 300v]

¹²²⁴ <premissorum> *corregge* permissorum.

¹²²⁵ <fuerit> *corregge* fuerint.

¹²²⁶ <voluntate> *corregge* voluntate.

[90] **De conductionibus prohibitis domorum que sunt iuxta doctores vel scolares.**
Rubrica. [c. 300v]

Item prohibemus ne aliqui magistri vel repetitores scolares decem habentes vel abinde supra scientiam gramaticalem docentes, loyci, fabri vel fatientes ministerium vegetum seu aliorum vasorum lignaminis a vino, tenentes postrinum vel masinelas seu postrinantes ad oleum vel aliquod aliud exercentes ministerium propter quorum exercitium impediri videatur studium doctorum, advocatorum, iuris peritorum vel scolarium tam iuris canonici quam civilis seu doctorum vel scolarium medicine audeant vel presumant illud fabricare seu exercere iuxta scolas decretalistarum vel legistarum seu medicorum vel domum¹²²⁷ sue habitationis alicuius predictorum per decem perticas ad minus, sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet vice et pro quolibet qua fuerit contrafactum postquam fuerit eidem denuntiatum per eum cui nocere videatur. Et idem intelligatur de quibuscumque conducentibus seu tenentibus hospitium seu albergum per cuius exercitium impediatur seu impediri posset verisimiliter studium vel exercitium studii alicuius doctoris vel alicuius alterius ut supra nisi predicti prohibiti prevenirent supradictos doctores et alios supra nominatos in habitando, quo casu predicta propter multitudinem scolarium in diversis partibus civitatis¹²²⁸ habitantium ne vendicent sibi locum. Volumus etiam quod apud scolas alicuius doctoris non stet nec esse debeat aliquod sedile seu androna unde scolares fetorem sentiant vel sentire possint.

[91] **De generali confirmatione privilegiorum universitatis scolarium et scolarium ipsarum universitatum.** **Rubrica.** [c. 300v]

Volentes scolaribus forensibus Studii civitatis Bononie cuiuslibet facultatis et eorum universitatibus complacere et ipsorum iura manutenere, decernimus quod omnia et singula privilegia seu beneficia non competentia scolaribus Studii civitatis Bononie ac etiam universitatibus et etiam rectoribus universitatis scolarium predictorum et eorum doctoribus, famulis, stationariis, notariis et bidelis per comune Bononie vel habentes causam ab ipso comuni et omnia et singula statuta, reformationes, ordinamenta et provixiones comunis Bononie loquentes vel loquentia generaliter vel specialiter de predictis vel in honorem seu favorem ipsorum sint et esse intelligantur innovata et confirmata et ab omnibus debeant inviolabiliter observari et eis salva et firma sint. Et per omnes officiales comunis Bononie demandentur, sub pena contravenienti vel non observanti centum librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice quam ipso iure et facto incidat et incurrat, salvis semper specialibus addicionibus, detractionibus seu declarationibus per nos factis eisdem et salvo semper statuto nostro posito sub rubrica ‘De conservatione Studii civitatis Bononie’ [79].

[92] **De electione massariorum terrarum comitatus Bononie et eorum officio.**
Rubrica. [cc. 300v-301r]

Statuimus et ordinamus quod quelibet terra comitatus Bononie debeat habere et elligere massarios et alios officiales et satisdare secundum formam statuti nostri de hoc loquentis et etiam teneatur satisdare massarius elligendus prout in dicto statuto continetur et de solvendo, conducendo et regendo suam terram et comune et homines ipsius terre bona fide in honorem comunis Bononie et bonum statum sui comunis et

¹²²⁷ <domum> *corregge* domuum.

¹²²⁸ <civitatis> *in infralinea con segno di inserzione.*

hominum singularium sue terre et de dando operam quod res et bona omnium et singulorum habentium aliquid in sua curia custodiantur et salventur et quod strata segura sit. Et de dividendo equaliter prout melius fieri poterit inter homines sue terre colectas, prestantias et alia honera, que imponerentur comuni et hominibus sue terre pro comune Bononie vel pro comune sue terre et de exigendo equaliter predicta et etiam de dividendo laboreria equaliter inter homines sue terre que contingerit quocumque debere fieri in sua terra vel curia. Et victualia non permittere extra districtum Bononie portare vel conducere. Et quod de rebus comunis sui vel alicuius singulis persone furtum non fatient et si pervenerint ad eos restituatur sucessori suo et coquare officiales elligendos in dicta terra et defendere iura comunis sui. Et in predictis et aliis servare statuta et ordinamenta comunis Bononie. Et super hiis et predictis omnibus et singulis et aliis que pertinere possint ad eorum officium vel ipsis comiterentur per dominos antianos populi Bononie vel per dominum potestatem vel comune Bononie obedire. Habeat etiam ipse massarius iurisdictionem meram imponendi et condempnandi et exigendi ab hiis qui non hobedirent ei in hiis que ad eius offitium pertinere videretur, usque ad quantitatem viginti solidorum bononinorum pro quolibet non obediente et pro qualibet vice//

[c. 301r f. CCLXXXV]

dum tamen aliquem non condampnet nisi primo ordinata sibi dilatione ad defendendum et condempnationes quas fatient exigant infra mensem et devenire fatiant in comuni sue terre, alias solvant de suo. Item teneantur massarii in contione sue terre monere homines sue terre quod in diebus dominicis vel pascalibus vel festivitatum sancte Marie et Apostolorum vel sancti Dominici vel sancti Francisci vel sancti Petronii vel sancti Iohannis Batiste non debeant ad civitatem Bononie careçare nec boves iugo ponere, sub pena in statuto comunis Bononie¹²²⁹ contempta.

[93] **Quod in terris comitatus Bononie non fiat forum nisi in certis locis.**

Rubrica. [c. 301r]

Ordinamus quod in aliqua terra vel castro comitatus Bononie seu districtus Bononie non possit fieri aliquod forum nisi semel in anno preter quam in infrascriptis terris et infrascriptis temporibus. Apud castrum Sancti Petri, prima die mercurii cuiuslibet menssis. Apud Ricardinam, die lune Pascatis Resurrectionis et in die beati Francisci, duobus diebus qualibet vice duraturum. Apud terram Butrii, quolibet mense duobus diebus videlicet, diebus dominicis non concurrentibus cum illis diebus dominicis quibus forum in terra Medicine celebrari potest et celebratur. Apud terram Sassuni, semel quolibet mense in die mercurii. Apud Scaregalasinum, in secunda die mercurii cuiuslibet menssis. Apud Bisanum, in die sancti Vitalis et in die sancti Nicolay. Apud stratam terre¹²³⁰ Scanelli, in die festivitatis sancti Iacobi et in die octavo festi sancti Martini. Apud rocham Malapasque, semel in anno in die sanctorum Symonis et Iude. Apud Montem Rençoli, in die sancti Andree. Apud Ulgianum burgi Sancti Stephani, in die kalendis maii. Apud Varignanam, in festo sancti Laurentii. Apud Brentum, in festo sancte Lutie. Apud Septam, in die septimo menssis septembris. Apud Sanctum Georgium de Plano, omni die dominico cuiuslibet menssis. Apud Panicum, bis in anno scilicet in die sancte Margarite et de mense octubris. Apud Sanctum Martinum, semel in anno in festo sancti Martini. Apud Rovegium, die vigesimo secundo cuiuslibet menssis. Bargi, semel in anno de mense decembris. Apud Trasseram, singulis mensibus. Apud Sanctam Mariam de Montovalo, semel de mense septembris. Apud Casi, die prima cuiuslibet menssis. Apud castrum Leonem, die mercurii prima cuiuslibet

¹²²⁹ <Bononie> scritto in fine di riga dopo contempta con segno di rinvio.

¹²³⁰ <terre> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 5 lettere.

mensusis. Apud Seravalem, die tertia mercurii cuiuslibet menssis. Apud Savignum, die penultima mercurii cuiuslibet menssis. Apud Roffenum, in festo sancte Lutie. Apud Calvençanum, semel in anno. Apud Piçanum, die vigesimo secundo cuiuslibet menssis. Apud Fractam, prima die mercurii cuiuslibet menssis. Apud Vergatum, die secunda mercurii cuiuslibet menssis. Apud Montebellum, singulis menssibus die prima mercurii cuiuslibet menssis. Item in die sancti Clerici, die dominico olivarum et in medio menssis maii. Apud Castrum Francum, singulis kalendis et diebus Appostolorum et Beate Marie et fiat extra castrum. Apud Sanctum Iohannem in Persiceto, singulis mensibus in qualibet die mercurii cuiuslibet menssis. Apud turres de Samodia, quolibet die martis cuiuslibet menssis. Apud Voltam, semel in anno. Addicientes atque mandantes quod nulli liceat aliqua arma offensibilia defferre vel supra se portare in hiis locis in quibus fierent mercata ipsis mercatis¹²³¹ durantibus vel prope ipsa loca per centum perticas vel infra, nisi forent arma que haberentur vel portarentur causa vendendi in ipsis mercatis et venalia essent vel nisi essent officiales deputati ad custodiam mercati per massarios illius terre in qua fieret mercatum et ne ibi mallefitia comitantur et nisi essent cives civitatis Bononie. Quibus civibus liceat portare et secum habere solum dagam, spatam seu spononem et cultellum feritorum et possit ipse massarius predictam cridam facere et prohibere ne fiant. Et siquis contrafecerit possit eum punire et condampnare de facto usque ad quantitatem viginti solidos bononinorum pro qualibet vice. Et ipsam condempnationem exigere de facto ad suam voluntatem¹²³² applicandam comuni dicte terre, salvo officio vicariorum terrarum comitatus.

[94] **Quod quelibet terra comitatus Bononie utatur una pertica scilicet decem pedum et tornatura quelibet sit ad mensuram comunis Bononie. Rubrica.** [cc. 301r-301v]

Statuimus quod quelibet terra, comitatus seu districtus civitatis Bononie utatur et habere debeat perticam decem pedum ad pedem comunis Bononie et sit quilibet pes duodecim untiarum//

[c. 301v]

modo consueto, que pertica et pes sunt sculpte in marmore posito in sponda muri pallatii rresidentie dominorum antianorum populi Bononie. Et quilibet teneatur emere et vendere et permutare et alios contractus celebrare et mensurare possessiones quaslibet ad tornaturiam duodecim perticarum in omni parte. Et mensurando semper ad dictam perticam decem pedum et non minorem vel maiorem perticam vel tornaturiam. Et quicumque contrafecerit emendo vel vendendo vel aliquem alium contractum celebrando ad aliam aliquam perticam vel tornaturiam quam ut predicatur puniatur et condampnetur pro quolibet et qualibet vice in viginti quinque libris bononinorum. Et quilibet possit accusare et denunciare et habeat medietatem banni. Et mensurator, qui ad aliam perticam mensuraverit penam similem patiat. Et potestas Bononie teneatur solum semel tempore sui regiminis de predictis inquirere et culpabiles punire et maxime in terris Sancti Iohannis in Persiceto et Crevalcorii et in partibus circumstantibus.

[95] **Quod terre comitatus Bononie habeant ferra et claves. Rubrica.** [c. 301v]

Statuimus quod quelibet terra vel villa comitatus Bononie, que habet decem fumantes vel abinde supra, habere debeat et teneatur duodecim ferra ad ferandum equos et unum centonarium clavorum ad ferandum et pontirolam et planam et martellum, tenaglias et

¹²³¹ <mercatis> segue la lettera h depennata.

¹²³² <voluntatem> corregge voluntatem.

falçonem habillem ad ferandum. Quas res massarius ipsius terre vel ville prestare teneatur cuilibet transeunti et petenti per suam terram et ei vendere quodlibet ferrum plusquam emerit quatuor denarios et unum clavum pro uno denario. Et non possit alicui dare gratis, nisi in dicta terra esset continuus ferator vel mariscalcus et antequam vendiderit clavos vel ferra omnia re habere de aliis teneatur ita quod sine numero predicto et dictis rebus non moretur pena cuilibet comuni decem librarum bononinorum et massario centum solidorum bononinorum et quilibet possit accusare et denunziare et habeat medietatem dicte pene et predicta potestas bis tempore sui regiminis preconizari facere teneatur, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum.

[96] Quod in aliquo castro vel fortilitia comunis Bononie que sint in confinibus non habeant aliquis forensis et de domibus palea vel canella copertis non habendis in eis. Rubrica¹²³³. [c. 301v]

Ordinamus quod in aliquo castro vel fortilitia comunis Bononie quod vel que sint in confinibus seu prope confinia districtus seu comitatus Bononie non debeant morari aliqui, qui sint vel fuerint de civitate Mutine, Regii, Parme, Ymole, Faventie, Ferarie vel alicuius alterius civitatis vel terre, nisi fuerint oriundi in civitate Bononie vel districtu seu comitatu. Salvo quod si fuerint officiales vel aliqui alii forenses, qui starent in castris vel fortilitiis predictis de mandato et licentia dominorum antianorum in quibus hoc statutum non vindicet sibi locum. Item dicimus, quod in aliquo ex dictis castris seu fortilitiis non permitantur¹²³⁴ aliquae domus vel medalia de palea seu canella et massarii ipsorum castrorum seu fortilitiarum teneantur tales forenses eicere de dictis castris et fortilitiis, que habitarent vel vellent habitare in eis, ita quod in eis non morentur. Et etiam domus et medalia destrui facere si que sunt vel fient in eis de pallea vel canella, pena et banno cuilibet massario centum solidorum bononinorum et cuilibet comuni vigintiquinque librarum bononinorum et quilibet possit accusare et denunziare et habeat medietatem dicte pene, nisi per dominos antianos populi Bononie et collegia confaloneriorum et massariorum aliud fuerit ordinatum.

[97] De privilegio et immunitate forensium sive venientium ad habitandum de novo in civitate, comitatu vel districtu. Rubrica. [cc. 301v-302r]

Statuimus quod quelibet persona forensis que de ceptero veniet ad habitandum in civitate, comitatu vel districtu Bononie debeat gaudere immunitate et privilegio immunitatis videlicet quod sit et esse intelligatur immunis ab omnibus oneribus realibus et personalibus per quinque annos incipiendos a die qua talis veniret ad habitandum in civitate, comitatu vel districtu Bononie. Ita tamen quod quilibet veniens ad habitandum in dicta civitate, comitatu vel districtu Bononie per quinque dies postquam venerit sic ad habitandum, det nomen suum cum prenomine et de qua civitate, terra, villa vel castro est talis volens venire ad habitandum uni ex notariis presidentibus ad camaram actorum comunis et populi Bononie. Qui notarii habeant et habere debeant unum librum per se in quo scribantur talia nomina cum prenomibus et cum nomine civitatis, terre, ville vel castri unde est talis veniens ad//

[c. 302r f. CCLXXXVI]

habitandum et recipere possint dicti notarii pro dicta scriptura duos solidos bononinorum pro qualibet familia quotcumque nomina sint. Teneatur tamen talis veniens ad habitandum ad gabellas et datia consuetas et consueta in civitate Bononie.

¹²³³ <et de domibus palea vel canella copertis non habendis in eis. Rubrica> *di seguito sul margine destro.*

¹²³⁴ <permitantur> *segue et espunto.*

[98] **Quod domus posite in terris que sunt in confinibus non destruantur. Rubrica.** [c. 302r]

Statuimus quod nullus destruere debeat suas vel alienas domos que sunt in castris confinium, nisi devastarentur causa refficiendi et qui contrafecerit puniatur et condampnetur in decem libris bononinorum cuius condempnationis medietas sit comunis et alia acusantis. Et lapides et lignamina et zementa perveniant et publicentur in comuni et nichilominus refficere teneantur¹²³⁵.

[99] **De portu non habendo in aliquo alio loco quam ad Macagnanum. Rubrica.** [c. 302r]

Ordinamus quod omnes mercatores et res que conducerentur deversus Ferariam versus civitatem Bononie debeant conduci ad portum Machagnani exceptis navibus magnis que ponderate non possunt conduci ad portum predictum. Quibus casibus, si contingerit aliquas naves propter magnitudinem ipsarum non posse trahi ad ipsum portum, possint descaregari dicte naves in minoribus navibus, que conducantur ad ipsum portum et si defficeret aqua in canali, ita etiam quod parve naves conduci non possent ad ipsum portum, tunc possint mercatores alibi descaregare et conduci in curibus et qui contrafecerit vel veniet condampnetur in decem libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice et amittat navium et quilibet possit accusare et denunptiare et habeat medietatem pene.

[100] **De impedimento arcarum tollendo. Rubrica.** [c. 302r]

Quia arcarum usus pro trituratione fructuum celesti provisione concessorum maxime est necessarius nec ventus de ceptero pervenies valde eis utillis et fructuorum facto hominis aufferatur hoc edicto decernimus et mandamus quod nullus cuiuscumque conditionis existat audeat¹²³⁶ vel presumat plantare vel plantatam habere vel tenere aliquam arborem fructiferam vel non fructiferam penes arcam alicuius vel prope ipsam arcam per unam perticam. Et siquis habet vel habebit in fucturum teneatur eam vel eas amovere infra decem dies postquam sibi denunptiatum fuerit per dominum vel possessorem arce, sub pena decem solidorum bononinorum pro quolibet arbore et qualibet vice pro qua fuerit contrafactum eidem summarie et de facto auferenda per unum ex offitialibus potestatis, qui super hoc fuerit additus. Et nichilominus arborem vel arbores tollere et amovere teneantur. Et de predictis credatur domino seu possessori dicte arce cum sacramento et cum dicto unius testis habeat tamen dominus potestas Bononie arbitrium in predictis si videretur eidem arcam fieri vel factam esse in fraudem vicini vel ipsam arborem non nocere vicino ut possit providere in predictis ut sibi placuerit.

[101] **De arboribus non habendis super ripas canalis vel alia hediffitia et de nemore in curia Sancti Vitalis et in curia Boscarole incidendo. Rubrica.** [c. 302r-302v]

Statuerunt quod omnes domus et hediffitia et arbores, que sunt super terreno comunis Bononie quod est ab utraque parte canalis per tregintaseptem pedes et dimidium incipiendo in medio canalis tollantur et removeantur ab hospitali Befulchi supra et quod

¹²³⁵ <teneantur> *corregge* teneatur.

¹²³⁶ <audeat> *corregge* audea.

de ceptero aliqua hedifitia non fiant ibi nec arbores plantentur et qui contrafecerit condampnetur in decem libris bononinorum. Et nichilominus hedifitia et arbores removeantur et sint comunis. Propterea ad evitandum pericula maxime ferarum bestiarum statuerunt quod lignamina silve seu nemoris que sunt super vel prope ripas fluminis Reni in curiis Sancti Vitalis Pescarole et Panicalis Veteris ab utroque latere fluminis usque ad trivium terre Politini¹²³⁷ comitatus Bononie incidi debeant infra tres menses a die publicationis statutorum per quoscumque quorum sunt et postea de bienio in bienium incidi debeant a predictis alias¹²³⁸ liceat quibuscumque iure proprio impune incidere, occupare et exportare lignamina predicta non incisa infra dicta tempora. Et nichilominus quicumque ad quem predicta spectarent obmitens predicta incidere penam incidat librarum decem bononinorum//

[c. 302v]

pro qualibet vice et ad predictam incisionem teneantur et predicta teneatur¹²³⁹ potestas proclamari facere infra duos menses a die publicationis statutorum per civitatem Bononie et in triviis terre Pescarole predictae. Et quilibet possit notificare vel accusare contrafacientes et officialis domini potestatis qui super predictis adhitus fuerit teneatur exequi predicta, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet vice.

[102] **De fossatis non fatiendis iuxta viam canalibus et arboribus non plantandis. Rubrica.** [c. 302v]

Item quod nullus, qui habet possessiones iuxta canale vel iuxta viam seu stratam que est comunis Bononie iuxta canale fatiat seu fieri permittat fossata per eorum possessiones, que conducant seu per que conduci possit aqua ad dictam stratam seu fossatum factum et emptum per comune Bononie. Item quod nullus plantet seu plantari permittat vel hedificet super ipsam stratam vel viam nec in buchis Navigii vel ripis. Item quod nullus occupet fossatum factum inter possessiones hominum habentium iuxta canale et stratam factam inter ipsas possessiones et canale seu viam ultra terminos positos inter ipsas possessiones et canale seu viam nec ultra terminos positos inter ipsas possessiones et fossatum. Item quod nullus immictat vel¹²⁴⁰ sbrocet terram in ipsum fossatum. Item quod quilibet de cuius possessionibus terra¹²⁴¹ sbrocet in ipsum fossatum teneatur illud fossatum disgonborare et desgomboratum tenere. Item quod aqua strate, que decurrit in fossatum sine impedimento decurat ad clavigas factas et fiendas iuxta ipsum canale et qui contrafecerit vel veniret in aliquo de predictis casibus condampnetur in decem libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice et quilibet possit accusare et habeat medietatem condempnationis.

[103] **De laborerio Navigii continue fatiando seu reparando. Rubrica.** [c. 302v]

Statuimus quod laborari debeat semper per comune Bononie ad opus Navigii et canalibus et circa ipsum canale quotiens expedierit et videbitur oportunum ad hoc ut ipsum canale planum et bonum decurssum habeat et etiam quod malipassus ubicumque fuerint et raçales tollantur et reparentur.

¹²³⁷ <Politini> *corregge* Politinis.

¹²³⁸ <alias> *segue ex depennato*.

¹²³⁹ <et predicta teneatur> *in infralinea con segno di inserzione*.

¹²⁴⁰ <vel> *in infralinea con segno di inserzione*.

¹²⁴¹ <terra> *segue si depennato*.

[104] **De viis pro restariis fatiendis. Rubrica.** [cc. 302v-303r]

Statuimus et ordinamus, quod a ponte Corteselle inferius a latere sero canalus usque ad pontem Spisi sive Coloreti fiat una via et restata si non est et facta manuteneatur sicut est a Cortesela superius usque ad Macagnanum et a ponte Spisi inferius usque ad locum molendinorum Sancte Marie in Donis ex dicti parte canalus latitudinis viginti pedum et in ipsis viis et restata fiant clavige cum fossatis oportunis si non sunt inter campos et viam et terminetur terminis lapideis et ipsa via et restata facte postea perpetuo manuteneantur et reparentur quotiens expedierit. Item quod a¹²⁴² clusa molendinorum terre Policini que est vel consuevit esse¹²⁴³ in alveo Reni inferius quatenus ipse alveus ducat ab inde infra fiat una sufficiens restara ab utraque parte dicti fluminis pro navibus conducendis si non est et ubi facta esset reparentur et reaptetur expensis comunium in quorum territorio vel curia erit fienda et reparanda et ipsa restata facta postea perpetuo manuteneatur et reparentur quotiens fuerit oportunum expensis dictorum comunium. Et quod strata et via burgi Lamarum a dicta clusa citra usque ad civitatem Bononie debeat aptari et ingliarari ubi non est ingliarata ita et taliter quod tam yemali tempore quam extivo currus onerati et animalia quecumque possint libere et expedite conduci ad civitatem Bononie cum lignis, victualibus et quibuscumque aliis oportunis. Et procuretur cum domino episcopo bononiense et eius vicario quod per terram et in terra seu in curia Centi fiat similis strata iuxta dictum flumen ex causis predictis. Item dicimus, quod via per quam itur ad stratam Lamarum iuxta domos et possessiones heredum condam Bertholomei Piçolpasi et iuxta possessiones monasterii Sancti Felicis verssus Beverariam incipiendo a dicta strata et prout protenditur ipsa usque ad viam que volvitur ad Beverariam//

[c. 303r f. CCLXXXVII]

reparentur, ellevetur et amplexetur maxime ubi est quidam calanchus circa medium dicte vie, ita quod ipsa via in qualibet sui parte sit ad minus latitudinis viginti pedum et inglaretur ipsa via ita et taliter quod omni tempore etiam yemali vel pluvioso cum curibus possit iri et rediri abiliter et bene. Et fiat et fieri debeat dictum opus per habentes possessiones iuxta dictam viam. Et etiam per habentes possessiones in terris seu curiis terrarum Beverarie et Roncadeli et predicta fieri fatiant si facta non sunt officiales officio stratarum et aquarum comitatus precise et postea facta debeant manuteneri. Item statuerunt quod calanchi, qui sunt in terra Beverarie debeant aptari et fossata iuxta ipsos existencia cavari et in ipsos calancos terram ipsorum fossatorum eici. Et arbores supra ipsos calancos existentes altiores decem pedum incidi et scurtari ad dictam, ita et taliter quod currus et alia animalia possint libere et absque impedimento pertransire que omnia fieri facere teneatur officiales officio stratarum deputati expensis eorum ante quorum possessiones et domus sunt calanchi predicti. Et habentes arbores supra ipsos calancos cogantur et cogi teneantur et possint ad ipsorum incisionem omnibus remediis oportunis ut superius dictum est. Item statuimus et ordinamus, quod in terra Rovoletulli comitatus Bononie in capite vie, que vocatur via Nova iuxta stratam publicam burgi Lamarum iuxta possessiones domine Anthonie fillie condam domini Tedripini de Tedripinis et iuxta possessiones sucessorum domini Nicolay de Pepolis per quam viam itur de dicta strata Lamarum ad terram predictam Rovoletuli in capite ipsius vie iuxta dictam stratam fiat unus pons de lapidibus et calcina sicut alias ibi esse consuevit, ita quod abinde transire possit eques et pedes et cum curibus cum ibi non existente dicto ponte calanchus maximus fiat, ita quod per magnam partem anni ibidem comode transiri non potest. Et fiant predicta expensis dicte terre Rovoleti et terre Bertalie iuxta cuius confines dictus

¹²⁴² <a> in infralinea con segno di inserzione.

¹²⁴³ <esse> in infralinea con segno di inserzione.

locus¹²⁴⁴ est. Et etiam expensis singularum personarum religiosarum vel universitatem habentium ibi in dicta contrata terras quarum terrarum aque defluunt et labuntur ad locum predictum ubi dictus pons est fiendus et solitus est ibi esse et ad predicta facienda officiales comunis Bononie ad laboreria comunis facienda fuerit deputati seu super stratis et pontibus fiendis et reaptandis seu de novo fiendis teneantur et debeat vinculo sacramenti et etiam pena viginti quinque librarum bononinorum predicta fieri facere ut supra dictum est. Et maxime si eisdem officialibus fuerit deinde denunptiatum seu protestatum et in predictis habeant ipsi officiales arbitrium ac etiam in predictis possint procedere summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii.

[105] **De aqua Navigii manutenenda. Rubrica.** [c. 303r]

Statuimus quod aqua Navigii manutenetur ita quod rupta vel tagliata non fiat in aliquo loco et quelibet terra per quam decurrit dicta aqua teneatur hoc providere et si accideret aliqua rupta vel tagliata infra octo dies debeat reaptari per comune illius terre in cuius curia illud eveniret sub pena viginti quinque librarum bononinorum pro comuni quolibet seu terra. Et si quis dederit operam quod aliqua rupta vel tagliata fiat puniatur in quinqueginta libris¹²⁴⁵ bononinorum et saltarii et massarii cuiuslibet terre hoc procurent et custodiant ne fiant in eorum terris vel curiis. Et quilibet possit accusare et habeat medietatem condemnationis. Item dicimus quod aliqua persona vel universitas non debeat trahere vel trahi facere vel habere aliquo modo de aqua Reni comunis Bononie a molendinis de canonica comunis Bononie infra durante Navigio, nisi quatenus ei de iure liceret ex speciali concessione sibi facta. Et quicumque contrafecerit condampnetur in centum libris bononinorum. Et insuper illi vel illis, qui de predicta aqua trahere vel trahi fecissent vel acepissent iubeatur per potestatem Bononie vel officiales stratarum et pontium ne de ceptero fiant supradicta. Et potestas in quolibet casuum predictorum possit per se et quelibet de sua familia inquirere etiam non observata solempnitate vel forma statutorum.

¹²⁴⁴ <locus> *nel testo* locust.

¹²⁴⁵ <libris> *segue libris dittografato.*

LIBER SEPTIMUS

cc. 303v-327r

[c. 303v]

**Incipit liber septimus. De hiis que specialiter comituntur officialibus aquarum,
pontarum, stratarum et viarum.**

[1] **Et primo de strata Gallerie et aliis stratis inglarandis. Rubrica**¹²⁴⁶. [cc. 303v-305r]

Statuimus quod strata, per quam itur Galeriam a civitate Bononie a ponte qui est extra foveas castris supra Navigium seu canale usque ad domos de Frasseno ubicumque fuerit oportunitum, debeat aptari et ingliarari de bona gliara per homines burgi Gallerie et qui morantur a Cortesella superius, qui tenent boves in guardia civitatis in dicta strata vel circumstantiis etiam si fumantes vel forenses esse dicantur. Item dicimus, quod via de Arcovegio et Calaci aptentur expensis vicinorum et habentium possessiones in contrata Arcovegii et predicta fieri facere teneantur officiales stratarum. Idem dicimus de via a frassino inferius usque ad curiam Castagnoli Maioris, dividendo dictum laborerium inter comunia terrarum quarum homines vel eorum pars aliqua venire versus civitatem Bononie solent seu qui habent ire et redire per dictam stratam. Et allia comunia et personas que ad presens conferunt ad ipsum laborerium dando et designando quantitatem perticarum et pedum secundum quod contingit cuilibet terre per numerum fumantum et pro quantitate et conditione laborerii. Et ydem dicimus de via que est a ponte Corteselle, qui est supra Aposam, usque ad alium pontem, qui est supra Navigium, ubi non est facta et ubi facta est manuteneatur et reaptari debeat ubi fuerit oportunitum per alia comunia terrarum, que alias solite sunt conferre ad dictum laborerium fatiendum. Salvo quod si in aliquo casuum predictorum divisio dictorum laboreriorum hodie fiat aliter vel fieri debeat de consuetudine vel de iure id tantum debeat observari. Et a dicto loco ingliarationis fatiende infra usque ad terram Gallerie¹²⁴⁷ fiant fossata et facta manuteneantur penes ipsam stratam amplitudinis sex pedum ad minus in boca et debito modo cava per homines habentes possessiones iuxta ipsam stratam et eorum expensis tantum scilicet per quemlibet pro testata sui terreni penes stratam. Et in curia Sancti Georgii a pontesello qui est in capite dicte ville a parte superiori usque ad rivale quod est a parte inferiori dicte ville sint fossata a amplitudinis sex pedum et cava per sex pedes ad minus et plus si necesse fuerit prohibiendo et pro portando terram fossatorum et medium strate splanando ipsam terram in ipsa strata et coequando eam ita quod non reperiatur in ipsis fossatis vel aliquo eorum aliquod obstaculum ratione introitus alicuius domus vinee vel alterius possessionis quando aqua libere et expedite et sine impedimento decurrere valeat et possit, ita quod huiusmodi introitus taliter fiant et sint sive de pontibus lignaminum sive lapidis vel aliter taliter ordinari per aliquos conductus quod aque libere ut predicatur decurrere possint ad sua discorsoria per fossata. Rivale vero quod est a parte inferiori super strata a latere mane cavetur et aperiatum ita quod sit amplum per sex pedes in latitudine et cavum quantum fuerit oportunitum per curiam Sancti Georgii et per curias aliarum villarum et terrarum, ita quod liberum habeant decursum et espeditum versus mane usque ad Galleriam. Et si contingerit aliquod fossatum de predictis splanari propter menses vindimias vel semina vel alia ocaxione, id quod splanatum fuerit de predictis occasionibus vel aliqua earum teneatur dominus vel laborator qui splanaverit vel splanari fecerit ipsum fossatum sic splanatum refficere et reponere in statu debito statim cum cessaverit pro tunc causa

¹²⁴⁶ <et aliis stratis inglarandis. Rubrica> *di seguito sul margine laterale destro su due righe.*

¹²⁴⁷ <Galerie> *nel testo Galesie.*

splanationis predicte. Et taliter debeat strata predicta ubi expedierit propter aliquos malos passus vel calancos aptari et manuteneri sufragio clavigarum vel pontium de lapidibus vel bono lignamine expensis illarum terrarum in quarum curia seu curiis fuerint dicti mali passus vel calanchi quod inde possit pertransiri eques et pedes et currus et broci valeant conduci per eos et specialiter fiat in quolibet loco ubi est aliquod calanchum inter Sanctum Georgium et Sanctum Petrum in Casale una claviga lapidea de bonis lapidibus et calcina duodecim pedum et quod discorsoria//
[c. 304r f. CCLXXXVIII]

que sunt inter dictos calancos versus mane debeant cavari et sgomborari per illos qui possident iuxta ipsa discorsoria per latitudinem septem pedum ad minus usque ad Calcariam et sint cavi per tres pedes ad minus et plus si fuerit oportunum. Que ingliaratio ubi supra de ingliaratione tractatur fiat latitudinis quindecim pedum, grositudinis unius pedis et dimidii. Et quod dictum est de fossatis tenus stratam predictam fatiendis clavigis vel pontibus fatiendis in locis in quibus essent aliqui mali passus vel calanci dicimus velle fieri et expediri hinc ad unum annum post horum statutorum publicationem. Et nichilominus officiales qui stratis et aquis preherit teneatur elapso termino fieri facere supradicta et fienda et facta manuteneri et etiam autem terminum si visum fuerit expedire. Et dicimus, quod discursoria omnia debeant desgomborata et aperta teneri ubicumque sunt, ita quod in eis non possit aliqua clusa vel aliquod aliud quod impediatur nec impedire possit modo aliquo quominus aque libere possint decurere et maxime discursoria, que sunt in dicta strata Galerie a latere mane dicte strate in curia Urbicani et Gregençani et quod super discursorio Ravide fiat una claviga lapidea de bonis lapidibus et calcina si non est. Et si facta est manuteneatur longitudinis¹²⁴⁸ duodecim pedum per curias stratarum in quarum curiis est dictum discorsorium Ravide et debeat ipsum discorsorium cavari et ampliari ita quod sit amplitudinis quinque pedum et cavari per tres pedes ad minus et plus ubi fuerit oportunum. Quod cavamentum fiat a dicta strata usque ad Calcariam per eos qui possident iuxta ipsum discorsorium. Et quod dictum discorsorium dicte Ravide a latere sero dicte strate debeat ampliari et cavari modo predicto usque ad campum qui fuit Bonacursii Merçarii et in testa dicti campi per eos, qui possident iuxta ipsam ripam. Et quod dictum est de aptando, manutenedo et reparando dictam stratam et fossata et pontisellos fiendos cum clavigis ut predicatur ubi essent aliqui mali passus vel calanchi de discursoriis aquarum disgomboratis tenendis tenus ipsam stratam locum habeat et fiat in terra Sancti Petri in Casale a domo olim fratris Rolandini de Lambertinis infra a dicta vero domo supra usque ad Ravidam non cavetur, sed ita remaneat quod aqua que decurrit per discorsorium quod appellatur Ravida nullo modo posset decurere versus domos dicte Ville. Et idem observetur et fiat per stratam qua itur ad Sanctum Petrum in Casale incipiendo a trivio ubi est crux lapidea a casamento et confinibus casamenti et curie in quo consuevit morari Faber inferius. Et ibi dicta strata levetur de terra ita et taliter quod calancus, qui ibi est sit repletus et equalis cum dicta strata et a dicto loco inferius debeant fossata cavari et desgomborari modo predicto usque ad Gavasetum et a via qua itur ad Macareticum usque ad rivale quod est in dicta strata et a dicto loco debeat dictum rivale cavari per totam curiam Macharetici eo modo ut de rivali Sancti Georgii dictum est. Et idem fiat et eodem modo cavetur rivale in curia Sancti Petri in Casale a campo qui fuit Rufini Cazati infra per totam curiam Sancti Petri in Casale et Masimatici usque ad Macareticum, ita quod sit amplitudinis sex pedum ad minus et cavum tantum quod aque descurentes per dictum discorsorium rivalis liberum habeant decursum et semper debeat disgomboratum et apertum teneri. Que omnia fiant et manuteneantur per illos qui

¹²⁴⁸ <longitudinis> nel testo longitudinis.

iuxta dictum discursorium rivalis predia possident et eorum expensis quilibet pro sua testata. Et quod dictum est de strata Gallerie habeat¹²⁴⁹ locum et fiat per stratam qua itur a Bononia Mutinam usque ad Muçam et per stratam qua itur a Bononia Ymolam usque ad Sillustram et per stratam qua itur ad Sanctum Martinum usque ad pontem lapideum qui est iuxta Sapinam et a Sancto Marino usque ad canale in terra Peule et per stratam qua itur a Bononia usque ad Policinum. Et per stratam qua itur a Bononia versus Pistorium per Piradellum usque ad Saxum Glosine. Et per stratam qua itur a Bononia usque ad Medicinam et usque Butrium. Et per stratam qua itur a Bononia usque ad Dugliolum. Et per stratam qua itur a Bononia versus Bagnarolam usque ad Bagnarolam. Et per stratam qua itur ad Ceulam usque ad Rudiglianum. Que strate debeant terminari hoc modo scilicet quod quelibet dictarum stratarum debeant terminari prope civitatem per quatuor milliaria ubi terminate non sunt incipiendo a civitate Bononie et eundo directe per quamlibet dictarum stratarum per quatuor milliaria dividendo laborerium per numerum fumantum//

[c. 304v]

inter comunia et homines illarum comunitatum que habent inde ire et redire et facta divisione ponantur termini de bonis masignis ubi non sunt in capite cuiuslibet prexe et nomen dicte terre et quantitatis prexe que ei terre obvenerit scribatur in ipsa masigna seu termino expensis illius terre cui prexa obvenerit, ita quod termini sint supra terram per unum pedem et dimidium et quelibet terra teneatur et debeat suam presam strate manutenere ingliaritam et bene factam secundum quod protenduntur quatuor milliaria cuiuslibet strate incipiendo a civitate Bononie. Ac etiam pontisellos vel clavigas infra dicta quatuor miliaria positos et positas et quelibet terra in cuius prexa essent huiusmodi pontes vel clavige et ultra quatuor milliaria manutenere stratas, pontes et clavigas et discursoria et clusas¹²⁵⁰ facere et alia necessaria ad manutenendum stratas et pontes tam pro ipsa comunia in quorum curiis essent quam etiam per singulares personas ut predictum est in strata Galerie. Et ad predicta teneantur terra Plebis et Centi et alie terre non obstante aliqua exceptione iurisdictionis. Dicimus etiam quod cum aliquod laborerium fieri debuerit per plures terras vel comunia terrarum officialis, qui preest strate teneatur et debeat habere unum vel duos ex legalioribus mensuratoribus civitatis Bononie secum, qui mensurare teneantur dictum laborerium ad perticam et ad pedes comunis Bononie in longitudine et amplitudine et scribatur per unum ex notariis qui preherit dicto officio ipsa mesuratio et quantum illud laborerium debuerit esse in longitudine et quantum in amplitudine et quantum in profundo et quantum in altitudine et quantum cuilibet comuni tanget de ipso laborerio et quantum singularibus personis dividendo illud laborerium inter comunia ipsarum terrarum pro numero fumantum cuiuslibet terre secundum fortitudinem laborerii et qualitatem operis et conditionem per personas hoc modo videlicet quod dictus officialis fieri fatiat tot brevia quot fuerit comunia terrarum que debuerint laborare et facere poni in uno capello et facere extrahi unum breve de capello ubi sint brevia comunium terrarum et primum comune quod hextrahitur habeat pressam de subtus et postea extrahatur secundum breve et illa terraque erit in dicto brevi habeat secundam prexam iuxta primam presam et sic de singulis. Ad predicta autem brevia fatienda et extrahenda habeat dictus officialis unum fratrem Penitentie qui sciat scribere et accipiat dicta brevia et det in scriptis cuilibet terre seu eius massario vel sindico vel nunptio suam presam secundum quod venerit ex brevi et scribatur per notarium dicti officialis presa cuiuslibet terre et predictis premissis ipsa gravamina laboreriorum massarii et consules ipsarum terrarum teneantur dividere

¹²⁴⁹ <habeat> *corregge* habeant.

¹²⁵⁰ <clusas> *nel testo* chasas.

singulariter inter homines sue terre dando dimidiam per capita et aliam dimidiam per extima et facultates cuiuslibet. Dicimus etiam quod aliqua terra comitatus Bononie vel homines ipsius terre non possint trahi ad aliquod laborerium fiendum in alia curia, nisi quando specialiter per statuta, provisionem vel decreta ordinarentur certas terras debere laborare ad aliquod laborerium et compellantur ad flumina, pontes et vias actandas et de cursis aquarum et ad omnia laboreria, que occurrent fatienda in curiis ipsius terre pro utilitate hominum ipsius terre et aliorum habentium possessionem in curiis eius. Ad que laboreria per personas et personarum numerum dividenda conferre debeant omnes habitantes in terra in qua laborerium fatiendum erit tam nobiles quam exenti clerici vel conversi et cives, qui ultra tertiam partem anni in ipsis terris morantur et qui non erit ad huiusmodi laboreria condampnetur in duplum eius quod expensum fuisset in laborerio ratione persone non euntis vel mitentis ad ipsa laboreria. Que condempnationes fiant et exigantur per massarium ipsius terre in qua fient laboreria vel per officialem qui preest vel preerit stratis et aquis in comitatu Bononie. Et nichilominus condempnatio convertatur in opere predicto et in predictis omnibus et singulis omnimode fiendis et executioni mandandis officialis stratarum, qui preest vel preerit¹²⁵¹ stratis et aquis in comitatu vel alius pro comuni Bononie supra predictis deputandis habeat plenum, purum, merum et liberum arbitrium in fatiendo predicta fieri et compleri temporibus competentibus. Et maxime de mense maii et iunii inglarationes predictas et pontes, clavigas ubi sunt vel erunt aliqui mali passus vel calanchi inspitiendo semper operis gravitatem vel conditionem personarum et terrarum itaque si comode fieri non possent in uno anno in totum fiant particulariter dicta laboreria distinguendo tempora. Cetera vero laboreria fieri facere teneatur temporibus competentibus ita quod non prorogentur quin fiant per totum menssem octubris. Preterea//

[c. 305r f. CCLXXXVIII^{or}]

dicimus, quod omnis homo qui habet possessiones iuxta vias ita quod equitari non possit vel careçari teneatur et debeat quilibet ampliare et sinire ampliari per suam testatam et super suis possessionibus, ita quod comode possit inde pedes et eques et cum curibus ire et redire, sub pena decem librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice et comunia terrarum in qua curia sunt predictæ vie devastate seu reparande teneantur ipsas vias facere reaptari sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet vice, medietas cuius pene sit comunis et allia accusantis. Et si predicta facta non sunt vel facta non durant de novo fieri debeant et facta manuteneri seu reffici, ita quod continue dicta laboreria completa permaneant.

[2] **De riolo sive fossa que vadit per Argelatam ad Masimaticum. Rubrica.** [c. 305r]

Ordinamus ad evitandum impetum aquarum pluvialium et aliarum aquarum que decurrunt inter stratam Gallerie et flumen Reni, qua de causa multe possessiones destruuntur et steriles sunt quod riolus sive fossa, que vadit per Argelatam et Massimaticum debeat cavari et ampliari a terra Funi et per totam eius curiam usque ad Turrim Verghe et abinde supra et infra et in qualibet parte prout videbitur superstantibus aut maiori parti eorum et cavetur ad minus tribus pedibus, ita quod sit amplitudinis per curiam Funi quindecim pedum et abinde infra viginti pedum et predicta fiant pro numero fumantum expensis comunium terrarum quarum aque decurent ad riolum predictum scilicet tertia pars ipsius operis. Relique vero due partes fiant expensis hominum habentium possessiones in curia Funi et abinde supra et infra in illis terris ex quibus aque decurrunt ad ipsum riolum pro rata iugerum cuiuscumque denunptiandorum

¹²⁵¹ <vel preerit> aggiunto a margine laterale destro con segno di inserzione.

per massarium vel sindicum ipsarum terrarum quaslibet possessiones sitas in sua curria in scriptis porigere teneatur, et eorum numerum et cuius sunt dominis possidentibus officio aquarum, sub pena cuilibet massario et comuni obmitenti vel contrafatienti centum librarum bononinorum et nichilominus quilibet massarius et comune obmitentes vel contrafatientes pro hiis quos obmiserit contrafacere et solvere teneantur. Ita tamen quod habentes possessiones iuxta dictum riolum per centum perticas duplum quod alii solvere tenentur solvere teneantur. Et predicta fieri debeant per quinque superstantes bonos et legales et fide dignos elligendos, quorum duo sint notarii qui habeant facere in dictis terris, qui elligantur si electi non fuerint hoc modo videlicet quod unus elligatur per comune Funi et alius elligatur per comune Argelate et tertius per comune Sancti Georgii, quartus per comune Sancti Benedicti et quintus per comune Masimatici et nichil habeant pro salario a comuni Bononie. Et superstantes habeant liberum arbitrium fatiendi predicta laboreria fieri et cogendi dicta comunia et singulares personas. Et quilibet teneatur iuxta possessiones eius ita desgomborare quod aque possint libere decurere ad dictum riolum. Et quod licitum sit remove cuilibet quodlibet obstaculum quod impedirent cursum aque ad dictum riolum decurrere suo arbitrio. Et nullus debeat facere aliquod obstaculum in dicto riolo, sub pena decem librarum bononinorum in quolibet predictorum casuum. Item volumus et mandamus quod dictum discorsorium fosse rioli reparetur¹²⁵² et reformetur¹²⁵³ ita et taliter quod naves seu navigia per illud conduci possint versus civitatem Bononie quam magis propinquius fieri poterit. Et quod aque Ravonis et Melloncelli et etiam de aqua canalisi Reni cum supra habundaverint conducantur et conduci possint in discorsorium predictum. Additentes insuper quod fossa Tortola et fossa Ronçani, que posite sunt in terra Argellate dictum riolum et fossa de Gralis posita in curia Sancti Alberthi, que intrat dictum riolum et fossa Cocalunge, et Sandalerie, que posita sunt in curia Gallerie et intrant dictum Riolum sive Galleriam et quelibet allie fosse et discorsoria posite in comitatu Bononie per quas et que decurunt aque in dictum riolum debeant cavari et fodi, ita et taliter quod aque habeant liberum suum decursum ad dictum riolum expensis omnium, qui habent comoditatem de predictis et quod ad predicta exequenda nichilominus officialis qui preest vel preerit stratis et aquis in comitatu Bononie teneatur dare nunptos et beroverios dictis supstantibus ad eorum voluptatem et si factum est dictum opus manuteneatur.//
[c. 305v]

[3] **De aqua Muçe. Rubrica.** [c. 305v]

Ordinamus quod comune et homines Sancte Agathe possint aquam Muçe conducere et habere ad molendinum dicti comunis sine ulla conditione.

[4] **De pontibus super¹²⁵⁴ viam per comune Mançolini manutenendis. Rubrica.**
[c. 305v]

Statuimus quod comune et homines Mançolini teneantur eorum expensis facere et manutenere omnes pontes necessarios sitos super viam novam.

[5] **De fatiando domos super strata qua itur ad Castrum Francum inter ecclesiam Sancti Leonardi et viam novam. Rubrica¹²⁵⁵.** [c. 305v]

¹²⁵² <reparetur> *corregge* reparentur.

¹²⁵³ <reformetur> *corregge* reformentur.

¹²⁵⁴ <super> *segue la lettera p cancellata*.

¹²⁵⁵ <et viam novam. Rubrica> *di seguito sul margine laterale destro*.

Ordinamus quia reformatum fuit quod supra stratam qua itur versus Castrum inter ecclesiam Sancti Leonardi et viam novam qua itur Mançolinum iuxta dictam stratam fiant decem domus ad minus in quibus stent et stare debeant et habitare continue decem familie ad minus de terris comunis et hominum Plumatii, Calcarie, Castri Franchi et Mançolini expensis ipsorum comunium et hominum ipsarum terrarum fieri et compleri debeant predicta si facta non sunt et si facta sunt manuteneantur. Item dicimus, quod comunia Castri Franchi et Plumatii et Mançolini ipsorum comunium expensis teneantur facere habitare decem fumantes cum familiis eorum et in qualibet familia dictorum fumantum sit unus homo armiger ad minus, qui stare debeat super stratam qua itur a civitate Bononie ad Castrum Francum inter viam de Penachio et pontem Quadreselle de Poradino et si predicta facta sunt manuteneantur. Salvo quod tempore guerre, que esset inter comune Bononie et aliquam ex terris positis ultra Panarium ad predicta non compellantur. Item quod omnes et singuli homines habentes¹²⁵⁶ possessiones cuiuscunque generis seu qualitatis unam vel plures que sint septem tornaturiarum vel abinde supra inter omnes petias seu alteram earum iuxta crucem Servegli positam in guardia civitatis Bononie super strata burgi Peradelli quam itur ad Chasalechium ab aliqua parte dicte crucis seu strate prout protenditur ipsa strata in longitudine per centum perticas ad minus ex omni parte crucis tam versus Bononie quam versus Casalichium super quibus non erunt domus ad habitandum teneantur infra annum a die ex quo nostra statuta debuerint observari facere seu fieri facere unam domum super tali sua possessione comunem ad habitandum pro una familia secundum congruentiam loci et contrate et ipsam habitari fatiat per unam familiam. Et curare debeat quod ibidem debeat continue habitare pro securitate contrate in qua multa malleficia et enormia comitti consueverunt, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum. Et nichilominus ad predicta teneatur et compellatur remediis oportunis per militem et officialem deputatum officio aquarum et stractarum et etiam a dicto termino in antea si tales domus facte non essent nullus audeat vel presumat laborare seu collere suo nomine vel alieno aliquas tales possessiones super quibus domus non fuissent, donec facte fuerint ipse domus, nec in eis aliquas operas exhibere seu dare vel facere nisi solum in construendo domum sub eadem pena. Et quilibet posset denunptiare et accusare seu notificare contrafatientes et ad requisitionem cuiuslibet dominus potestas ac miles et officialis predicti et quilibet eorum possint et teneantur procedere et exequi facere supradicta.

[6] De strata Sancti Iohannis in Persiceto ingliaranda et manuteneda. Rubrica.
[cc. 305v-306r]

Statuimus quod strata Sancti Iohannis in Persiceto videlicet a Sancto Iohanne in Persiceto predicto usque ad burgum Panichalis debeat ingliarari per infrascripta comunia et terras scilicet Burgi Panichalis, Sancti Iohannis in Persiceto, Crevalcorii, Sancte Agathe et Sancte Elene et divixio dicte strate fieri debeat per massarium et sindicum dictarum terrarum et quilibet habeat partem sibi contingentem. Et quod per dominos antianos et confalonerios elligantur tres boni viri quorum unus habeat possessionem in terra Crevalcorii et alter in terra Sancti Iohannis predicti et alter in Burgo Panichalis, qui sic electi possint compellere dicta comunia et homines ipsarum terrarum ad predicta complenda et fieri fatienda et nichil recipiant vel recipere debeant pro eorum salario a comuni Bononie occasione predicta. Item quod omnia comunia terrarum predictarum teneantur et debeant manuteneare clavigas actenus factas per eos in dicta strata et dare decursum aque Martignonis ad voluptatem predictorum electorum ad dictum officium et comune Burgi Panichalis teneatur facere unam//

¹²⁵⁶ <habentes> in infralinea con segno di inserzione.

[c. 306r f. CCC]

clavigam de lapidibus in dicta strata iuxta domum filiorum condam Panicalis Cesonis seu successorum¹²⁵⁷ eius. Item comune Sancti Iohannis teneatur facere in dicta strata unam clavigam de super fossam Turoli et unam clavigam de super Ghirondam et unam clavigam ante domum in qua morabatur Damianus et unam clavigam ante domum domini episcopi et debeant facere de lapidibus et calcina. Item quod per comune Unçole debeat fieri unus pons super Martignone sive campo Zaneti de lapidibus et fieri debeant dicta laboreria ad voluntatem dictorum suprastantium si autem facta sunt predicta omnia manuteneantur perpetuo per supradictos.

[7] De ripis fluminis Samodie, Lavini ingliarandis et manutenendis. Rubrica.

[c. 306r]

Ordinamus quod comunia et terre comitatus Bononie et omnes habentes possessiones super ripis fluminis Samodie et Lavini, illa flumina et ripas teneantur et debeant ingliarare et cavare et argelatas et cavas manutenere ubi fuerit oportunum et ita cavare, quod liberum habeat decursum usque ad foveam de Marchisiis expensis eorum comunium et hominum habentium possessiones in curiis illarum terrarum ubi debuerit laborari et si facta sunt manuteneantur. Intelligendo de hiis hominibus per quorum et inter quorum curias transirent dicta flumina Samodie vel Lavini super strata, qua itur ad Castrum Francum et abinde infra salvo semper iure illorum de Guastavilanis si quod habent pro molendino eorum fatiando et manutenendo.

[8] De fovea Martignonis seu Bondichiani aptanda et manutenenda. Rubrica. [c. 306r]

Statuimus quod fovea Martignonis seu Bondighiani¹²⁵⁸ debeat cavari in fundo per tres pedes et ampliari per octo pedes ab utraque parte fluminis predicti incipiendo a capite inferiori et veniendo sursum usque ad stratam per quam itur ad Sanctum Iohannem in Persiceto abinde supra usque ad stratam antiquam per quam solitum est seu erat iri ad Sanctum Iohannem predictum et ultra per centum perticas et ampliari debeat per sex pedes ab utraque parte fluminis absque eo quod dampnificet in aliquo stratam que vadit ad Sanctum Iohannem aut possessiones que sunt iuxta dictum Martignonem et omnes qui dampnificarentur ex dicta aqua prout visum fuerit officiali stratarum. Et facto dicto opere manuteneatur. Item quod pons super aquam Burdigliani positus debeat ellevari et ampliari et construi de bona calcina et bonis lapidibus, ita quod dicte fovee liberum habeant decursum et manuteneatur expensis hominum terre Unçole.

[9] De fossa nova condam domini Raymondini Gorgoli cavanda et manutenenda. Rubrica. [c. 306r]

Ordinamus quod fossa nova condam domini Raimondini Gogoli posita in curia Unçole que decurrit prope tubam que fuit olim domini Rolandini de Marano et hodie est Mathei Çarloti iuxta Sanctam Mariam Roche Nouvelle cavetur et reeducatur expensis comunis Unçole et Sancte Marie in Strata ad antiquum locum et decursum, ita quod mitat capud in Samodiam et cavata et reducta expensis dictorum comunium manuteneatur.

¹²⁵⁷ <successorum > *nel testo* successorum.

¹²⁵⁸ <Burdigliani> *segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 5 lettere.*

[10] **De cursu aquarum seu fluminis Calcarie cavando et ampliando. Rubrica.** [c. 306r]

Statuimus quod quidam decursus aquarum sive fluminis, qui vocatur Calcaria debeant cavari et ampliari per decem pedes ubi opus fuerit scilicet cavari per sex pedes vel quatuor ad minus videlicet tres partes expensis hominum habentium possessiones iuxta dictam Calcariam in terris infrascriptis videlicet Sancti Georgii, Fregaroli, Cinquante, Ville Ulmi, Urbiçani, Saleseti, Villenove, Roarii, Zenachi, Peole et Sancte Marie in Donis versus Navigium hoc modo quod possessiones habentes iuxta Calcariam per centum perticas proximas teneantur solvere pro unaquaque tornaturia decem et octo denarios bononinorum et omnes alii habentes possessiones in dictis¹²⁵⁹ fratris qui¹²⁶⁰ utilitatem aliquam percipiunt seu percipere possunt. Et quorum aque dictarum possessionum derivantur in Calcariam solvere debeant novem denarios bononinorum pro qualibet tornaturia. Incipiant etiam dictum laborerium ad fatiendum a canale Peole per Navigium vetus transeundo dictum Navigium ubi visum fuerit expedire suprastantibus elligendis supra predictis. Et quod pontes de lignamine//

[c. 306v]

fiant supra dictam Calcariam ubi dictis suprastantibus videbitur expedire. Et quod nullus audeat transire dictam Calcariam, nisi per dictos pontes, sub pena viginti solidorum pro qualibet vice et omnia fosata sunt aperta et libere habeant decursum in Calcariam et si que vie fuerint ocupate reducantur in pristinum statum. Item dicimus quod suprastantes predicti possint et debeant per totam curiam Sancte Marie in Donis et plus dricare dictam Calcariam ubi eis visum fuerit expedire. Si autem predicta sunt debeant manuteneri expensis predictorum conferre debentium secundum declarationem suprastantium elligendorum ut superius dictum est.

[11] **De quadam via per comune Ulmetule ingliaranda. Rubrica.** [c. 306v]

Ordinamus quod comune et homines terre Ulmetule debeant ingliarare viam, que est inter curiam Ulmetule ubi est crux iuxta dictam terram a latere mane et domum que fuit domini Bugliamontis Constantini et est in dicta terra et ponere gliaram altam per unum pedem ad que perfitienda et executioni mandanda debeant elligi duo boni homines, qui habeant possessiones in dicta terra per dictum offitiale stratarum. Si predicta facta et consumata sunt per dictum comune et homines debeant manuteneri.

[12] **De via de Curivalto curie Nugareti. Rubrica.** [c. 306v]

Statuimus quod via de Curivalto debeat driçari et ampliari et aptari, ita quod homines comode et expedite per eam possint ire et redire et eques et pedes cum curibus et animalibus a cruce de Verçuno usque ad crucem Pecoli et fiat expensis comunium Nugareti et Mongardini Montefrasconis et Laigune et aliarum terrarum habentium ire et redire per dictam viam prout videbitur dicto offitiali stratarum et superstantibus dicti laborerii. Et si factum est dictum opus manuteneatur.

[13] **De via que vadit ad Mançolinum fossadanda et ingliaranda. Rubrica.** [c. 306v]

Ordinamus quod via que vadit ad Mançolinum prout incipit in strata magna per quam itur Mutinam debeat aptari et fossadari et ingliarari per homines et comunia terrarum infrascriptarum et si completa est predicta comunia et homines debeant manuteneri

¹²⁵⁹ <dictis> aggiunto a margine laterale destro con segno di rinvio.

¹²⁶⁰ <qui> segue il compendio di habent espunto e depennato.

scilicet per comune et homines ibi habitantes tam nobiles quam rusticos et alios qui de ipsa sentiunt utilitatem videlicet per comune et homines Mançolini, Sancte Agathe, Sancti Iohannis in Persiceto, Crevalcoris, Unçole et Calcarie, Plumatii et Castri Franchi ita tamen quod comune Mançolini teneatur facere omnes pontes oportunos supra dicta via et manuteneant eos eorum expensis.

[14] **De via Sale et Sancti Iohannis in Persiceto. Rubrica.** [c. 306v]

Statuimus quod dictus officialis stratarum teneatur facere fieri quandam viam a termino vie Mandrioli iuxta Roncos de Albatuffis recta linea usque ad Plebem Sale et a Plebe Sale usque ad pontem Burgi Lusci terre Sancti Iohannis recta linea et sit latitudinis treginta pedum cum bonis fossatis ab utraque parte vie latitudinis quatuor pedum fatiando per eos qui habuerint testatas scilicet quilibet pro sua testata deitendo terram ad ipsam viam prout designata fuerit per quatuor ex antiquioribus hominibus terre Sale Aygonum. Et super quocumque flumine, scolatorio aquarum et foveis fiant pontes lapidei et boni et lati ita quod libere possit iri super eis cum curibus, bovis et bestiis et fiat expensis hominum habentium possessiones a sero Canoglie inter paratorium factum olim per comune Bagni et heredes condam Galvani de Sala et a mane lecti Lavini et Samodie tam comunium terrarum quam singularium personarum, salvo quod predictum opus videri, examinari et¹²⁶¹ considerari debeat per duos fratres Minores elligendos per guardianum ipsorum fratrum. Et si dicti fratres Minores recusaverint debeant videri, considerari et examinari per duos elligendos per dominos antianos, qui debeant ire ad dictum opus et ipsum videre si dicta via est utilis magis ad fatiendum dictis comunibus et hominibus habentibus possessiones per quorum curias et terrenum fieri debeant quam dampnosa. Et si est magis utilis procedatur in ea ut dixerint dicti elligendi alioquin non, et stetur dicto et relationi predictorum elligendorum in omnibus.//

[c. 307r f. CCCI]

[15] **De quadam via seu strata publica per quam itur a civitate Bononie ad Castrum Francum. Rubrica.** [c. 307r]

Ordinamus quod in via seu strata publica per quam itur a civitate Bononie ad Castrum Francum inter pontem videlicet lapideum, qui est iuxta Fontanellas per quem aqua decurrit de subtus et viam lividam seu navigatoriam que venit a terra Plumatii ad terram predictam comunia Castri Franchi, Mançolini et Plumatii teneantur et debeant eorum comunium expensis habitari facere continue et perpetuo duodecim fumantes ad minus cum familiis eorum inter quos sint ad minus duodecim homines armigeri videlicet sex a latere superiori strate et reliquos sex a parte inferiori strate inter dicta confinia. Et predicta comunia teneantur et debeant habitationes dictorum fumantum et homines constituere in dictis locis. Et ad omnia et singula suprascripta et infrascripta servanda predicta comunia teneantur. Et si¹²⁶² comunia predictarum terrarum non haberent territorium infra dictos confines ubi possint constituere et ordinare predictas habitationes hii qui habent territorium iuxta dictos confines cogantur dare et vendere iusto pretio tantum quod dicte habitationes comode construi et habitari possint ordinarie. Et ad predicta omnia et singula manutenenda et servanda perpetuo ut dictum est milles et officialis officio stratarum teneantur precise et si factum est debeat manuteneri. Salvo

¹²⁶¹ <et> segue examinari depennato.

¹²⁶² <si> segue coram espunto e depennato.

quod tempore guerre existentis inter comune Bononie et aliquam ex terris confinantibus et existentibus ultra Panarium ad predicta non compellatur.

[16] **De flumine Dosole cavando et disgombrando. Rubrica.** [cc. 307r-307v]

Statuimus et volumus infrascripta fieri, si facta non sunt, si autem facta sunt, plenarie manuteneri scilicet quod a Panicali Veteri inferius ubi quidam flumixellus nomine Dosolus oritur debeat dictus Doxolus cavari et desgombrari usque ad clavigam Boniti Montanarii, ita quod aque habeant liberum decursum. Et quod dictus Dosolus¹²⁶³ cavari debeat per tres pedes et plus et minus ubi opus fuerit ex utraque parte, ita quod sit ubicumque amplitudinis duodecim pedum in testa incipiendo a latere de supertus et predicta fiant expensis omnium et singulorum tam clericorum quam laicorum habentium terras et possessiones iuxta dictum Doxolum et cavamentum ab utraque parte per ducentas perticas penes Dosolum, ita quod sit ubicumque amplitudinis duodecim pedum cavamentum solvendo quilibet pro qualibet tornaturia duodecim denarios bononinorum et plus si opportunum fuerit. Et quilibet homo omnium comunium terrarum per quorum curias seu inter sive iuxta terrenum sive iuxta teritorium curie dictus Doxolus seu cavamentum fiet teneatur laborare ad dictum cavamentum per duos dies et non ultra possit cogi laborare. Et omnes homines habentes fossata intra dictas ducentas perticas ab utraque parte habentia capita ad dictum Doxolum teneantur et debeant ea cavare et desgombrata tenere, ita quod aqua ibi libere decurrat. Et pontes ibi necessarii fiant super dictum Doxolum per comunia dictarum terrarum. Et nullus transeat dictum Doxolum cum curribus vel aliis animalibus, nisi per dictos pontes nec splanare debeat ripas dicti Doxoli nec melegarios vel aliquid aliud eicere in ipso ex quo possit impediri decursus aque vel repleri dictus Doxolus pena et banno viginti solidorum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et quilibet possit accusare et denunptiare contrafatientes. Et facto dicto cavamento quilibet teneatur reptinere sgombratum pro sua testata. Et cavatum dictum Doxolum et cavamentum pena et banno dicti officialis arbitrio aquarum et stratarum. Sin autem predicta vel aliquod predictorum facta non essent teneantur facere predicta fieri dictus officialis cum duobus bonis et legalibus superstantibus et uno notario elligendo per dictum officialem dividendo dictum laborerium inter homines, qui habent possessiones iuxta dictum flumen infra ducentas perticas. Et omnes denarii, qui coligentur predicta de causa pro dicto laborerio deponantur penes ydoneam personam et elligantur per colectorem dictorum denariorum. Et ipse massarius penes quem depositi erint solvat et solvere debeat sine suo preiudicio et gravamine de denariis collectis et qui colligentur occasione dicti laborerii omnes et singulas expensas utiles vel necessarias dicto laborerio de mandato dicti officialis ad predicta tunc presidentis. Provisio autem salarii dictorum officialium remaneant libere in dictum officialem et id quod per eum provisum fuerit, //

[c. 307v]

idem massarius possit et debeat solvere tam sibi quam aliis quibus provisum fuerit. Salvo quod dicti pontiseli fiant pro dimidia per comunia suprascriptarum terrarum et pro dimidia per homines habentes terras et possessiones iuxta dictum laborerium per ducentas perticas. Et conferrant pro dictis pontesellis fatiendis et toto laborerio fatiando duodecim denarios bononinorum pro qualibet tornaturia per homines habentes possessiones et terras prope dictum laborerium per centum perticas. Attentum vero supra usque ad ducentas perticas sex denarios bononinorum pro qualibet tornaturia, si dicto officiali videbitur expedire tantam pecunie quantitatem vel usque ad eam summam quam credidit expedire. Declarantes quod quedam via seu mota antiqua posita in terra

¹²⁶³ <Dosolus> *nel testo* Dopolus.

Bagni iuxta Presbiteros et Guastavilos claudatur et ad pristinum statum reducatur, ita quod aqua per suum alveum antiquum decurat et labatur et sic clausa manuteneatur. Que omnia fieri debeant expensis eorum, qui de predictis comoditatem recipiunt. Salvo semper omni suo iure si quod habent illi de Guastavilos in molendino ibidem construendo et manutenendo.

[17] **De via Roncodimisi. Rubrica.** [c. 307v]

Providemus quod per dictum officialem stratarum debeant compelli comune et homines terre Ceule ad aptandum et ingliarandum viam et passus vie Roncodunixii, ita et taliter quod comode eques et pedes iri et rediri possit. Sic incipiendo facere aptare et ingliarari a trivio domus de Bellafamis usque super pontem Lavini et ad predicta fatienda si facta non sunt debeat elligi unus bonus homo per dictum officialem, qui habeat possessionem ibi et factum debeat manuteneri.

[18] **De fossato Canoghe cavando et ampliando. Rubrica.** [c. 307v]

Volumus infrascripta hoc modo fieri et compleri scilicet quod fossatum Canoghe debeat cavari a strata Sancti Iohannis in Persiceto inferius hoc modo videlicet quod dictum fossatum prout protenditur in omni parte sui debeat esse latitudinis duodecim pedum ad minus et cavum quantum protenditur per tres pedes vel plus vel minus si opus fuerit arbitrio tamen et voluntate officialis aquarum et suprastantium dicti operis cavetur et ampliatur dictum fossatum scilicet pro dimidia incipiendo dictum opus a strata Sancti Iohannis usque ad medietatem dicti fossati et operis prout protenditur expensis hominum habentium possessiones subtus stratam iuxta dictum fossatum per centum perticas hoc modo videlicet quod habentes possessiones iuxta dictum fossatum per quinquaginta perticas solvere teneantur et conferre dicto laborerio duodecim denarios bononinorum pro qualibet tornaturia. Habentes vero possessiones iuxta dictum fossatum seu iusta alias quinquaginta pertichas solvere et conferre teneantur dicto operi sex denarios bononinorum pro qualibet tornaturia. Reliqua vero medietas dicti fossati et operis fieri debeat expensis omnium comunium habentium curiam vel guardiam terrenum vel territorium a dicta strata sancti Iohannis inferius infra dictos confines per numerum fumantium nec possint cogi habentes possessiones infra dictos confines ad aliquam soluitionem alicuius laborerii positas extra predictos confines. Et debeant elligi per dictum officialem duo superstantes boni et legales qui habeant possessiones infra dictos confines qui supersit dicto operi quibus provideri debeat prout placuerit dicto officiali. Si autem predicta completa sint perpetuo debeant manuteneri per predictos eorum expensis ut superius dicta sunt.

[19] **De uno ponte fatiendo super viam Campi Columbi. Rubrica.** [cc. 307v-308r]

Ordinamus quod expensis comunis et hominum terre Unçole fiat unus pons lapideus et de bona calcina in via et super viam Campi Columbi iuxta heredes condam Alberthi Castaldi a latere inferiori et iuxta scolatorium a latere superiori, altitudinis et longitudinis secundum quod videbitur magistris mitendis per officiales stratarum. Et debeat dictus pons esse calçatus et via levata secundum quod videbitur dictis magistris. Et ad predicta fieri fatienda elligantur per dictum officialem duo boni homines, qui habeant possessiones ibidem qui nullo modo aliud percipere vel//
[c. 308r f. CCCII]

habere possint ab aliquo occaxione feudi vel salarii predictorum occaxione. Si autem predicta facta sunt debeat perpetuo manuteneri per comune et homines terre predictae.

[20] **De fovea Garbende guardie Canetuli. Rubrica.** [c. 308r]

Ordinamus quod officialis qui preest aquis et stratis vel qui pro tempore fuerit precise teneatur et debeat facere fodi foveam Garbende, que est in guardia Canetuli a via medii inferius per totum lectum suum, latitudinis decem pedum et cavitatis duorum pedum. Et plus et minus prout expedierit respondendo tota ad livellum omnibus personis civibus et forensibus habentibus testatas possessionum omnium possessionum eorum ad ipsam foveam a dicta via inferius et eorum expensis scilicet cuiuslibet per suam testatam fiant autem, si facta non sunt, si autem facta debeant predicta perpetuo manteneri.

[21] **De fovea fosse veteris terre Unçole cavanda**¹²⁶⁴. **Rubrica.** [c. 308r]

Statuimus quod fovea vechia que est a latere sero terre Unçole expensis comunis et hominum terre Unçole pro dimidia et alia dimidia expensis eorum, qui comoditatem sentiunt ex infrascripta fovea debeat cavari per duos pedes et larga teneri in bocha per quindecim pedes a latere superiori et in fundo decem pedes incipiendo dictum cavamentum a latere superiori pontis, qui est supra dictam stratam per viginti perticas cavando eam usque in contratam que dicitur Famagallo usque in flumen Martignonis. Et omnes anguli et gubitus debeant driçari et arbores incidi que ripam et latitudinem dicte fovee impedirent, fiant autem predicta per duos supstantes elligendos per officiales aquarum et stratarum qui habeant possessiones iuxta dictam foveam, qui nichil percipiant a comuni nec ab aliqua alia persona. Si vero predicta facta non sunt precipimus ea fieri quam citius poterit, si autem facta sunt predicta manteneantur perpetuo ut superius scriptum est. Dicimus etiam quod omnis rupta vel bucha, que esset et est vel erit in ripis dicte fovee claudatur sine mora expensis comunis Unçole, sub pena vigintiquinque librarum bononinorum.

[22] **De fovea que est in lamaro Unçole fatienda. Rubrica.** [c. 308r]

Ordinamus quod fovea¹²⁶⁵, que est in lamaro Unçole iuxta tumbas illorum de Bombellis et allia fovea, que est ibi inferius in curia Unçole in loco ubi dicitur Fontanelle cavari debeat per unum pedem et largari in bucha per decem pedes in fundo per sex pedes incipiendo a fovea, que est in lamaro ad stradellum qui est in nuseto Çeule et fovea que est in loco ubi dicitur Fontanelle usque ad locum ubi dicte fovee simul iniunguntur et fossatum quod est a latere mane iuxta viam a pontesello superius usque ad possessiones domini Alberthi de Pançonibus debeat cavari per unum pedem de saldo et largum teneri in bocha per quinque pedes et in fundo duos pedes non tangendo aliquid de via per homines qui habent possessiones iuxta dictas foveas et fossata et ita manteneri et a dicto loco ubi dicte fovee iunguntur simul inferius per duodecim pedes in bocha et in fundo sex pedes et per unum pedem de saldo debeat cavari expensis hominum habentium possessiones iuxta ipsum fossatum incidendo arbores, que impedirent opus predictorum fossatorum vel alicuius eorum. Et si factum est dictum opus manteneatur.

[23] **De fossa morta terre Sancte Agathe. Rubrica.** [c. 308r]

Ordinamus quod fossa morta que est in terra Sancte Agathe a via Gaçoli inferius usque ad lochum ubi dicitur Policitus per decem pedes in bocha et per sex in fundo et

¹²⁶⁴ <cavanda> in infralinea con segno di inserzione.

¹²⁶⁵ <fovea> segue spazio bianco per un'ampiezza di circa 5 lettere.

quatuor pedes cavari debeat et actari expensis comunis et hominum terre Sancte Agathe. Si autem predicta sunt completa et facta eodem modo per dictum comune et homines manuteneatur perpetuo.//

[c. 308v]

[24] **De rivis non derivandis in strata de Pontichio. Rubrica.** [c. 308v]

Ordinamus quod nullus audeat trahere vel miterere aliquem rivum aque in strata de Pontichio citra versus Bononie vel abinde supra usque ad castrum episcopi et sinat illos directo decurere in alveum Reni sint de montaneis decurrunt et procedunt. Et qui contrafecerit puniatur et condampnetur pro qualibet vice in decem libris bononinorum et nichilominus patiatur rivos decurere ut predictum est. Et quilibet possit acusare et denunviare et habeat medietatem condempnationis.

[25] **De via per quam itur ad Sanctum Vitorem ad Sanctam Margaritam aptanda. Rubrica.** [c. 308v]

Statuimus quod via strate Castiglionis a circhula externa per quam itur ad Sanctum Vitorem et ad Sanctam Margaritam de Barbiano expensis hominum habentium possessiones iuxta stratam comunis et hominum terrarum Barbiani et Yole debeat aptari et ingliarari scilicet a circula strate Castilionis usque ad vineam que fuit domini Thomasini Dugliolo versus Sanctam Margaritam et versus Sanctum Vitorem usque ad viam que fuit Petriçoli becharii. Ita tamen quod homines et persone habentes gissarias et predaria et masignas solvere teneantur et debeant duplum eius quod alii solvere tenentur pro tornaturia si facta non sunt predicta ut superius dictum est. Si vero facta sunt manuteneantur perpetuo expensis predictorum ut superius dictum est.

[26] **De via que vadit ad Ronçanum. Rubrica.** [c. 308v]

Mandamus quod vie quibus itur ad ecclesiam predictam de Ronçano debeant aptari et ingliarari usque ad ecclesiam predictam expensis omnium habentium possessiones iuxta dictas vias ad quas vias fieri fatiendas, reparandas et manutenendas elligantur superstantes ad volumptatem officialis aquarum et stratarum, ita quod comode possit eques et pedes omni tempore ire et redire cum curibus et animalibus.

[27] **De via contrate Baghi amplianda. Rubrica.** [c. 308v]

Ordinamus quod expensis omnium habentium possessiones in via contrate Baghi ad rationem tornaturie, qui habent ire et redire et uti, debeant alargari et ampliari per decem pedes ad pedem comunis Bononie, que via incipit iuxta pontem Sancti Iacobi de Loreta eundo usque ad vineam que fuit domine Ugoline et a vinea que fuit domine Ugoline usque ad vineam que fuit domini Bernardini Mercarii debeat alargari per octo pedes comunis compensando viam veterem et novam, ita quod tota via sit eiusdem latitudinis ut dictum est. Et ita quod in ipsa via fieri debeant tres pontiselli videlicet unus pons iuxta viam domini Sidoni alius pons iuxta viam Sancte Marie de Galutiis et alius pons fiat iuxta viam, que fuit domini Laurentii Rolandi. Qui pontiselli sine clavige fiant de lapidibus cum bona calcina. Et debeat etiam quilibet pro sua testata facere et miterere unum sulchum in dicta via et sic fieri debeant predicta ut dictum est expensis omnium predictorum. Si autem facta sunt per eos debeant manuteneri perpetuo.

[28] **De flumine Ravonis cavando.** [cc. 308v-309r]

¹²⁶⁶Statuimus quod flumen Ravonis cavari debeat incipiendo a ponte Ravonis, qui est supra canale Reni et eundo secundum quod protenditur dictum Ravonem usque in flumine Reni cavando dictum flumen seu Ravonem per duos pedes et sit latitudinis octo pedum in bucha et in fundo quatuor pedum incipiendo a dicto ponte canalis et eundo usque ad stratam Sancti Felicis per quam itur Mutinam et abinde inferius usque in flumen¹²⁶⁷//

[c. 309r f. CCCIII]

Reni cavari debeat per duos pedes et sit latitudinis in bucha decem pedum et in fundo quatuor pedum non minuendo aliquid de strata publica, fiant autem predicta expensis hominum, qui habent possessiones in dictis contratis et confinibus. Et ad predicta fieri fatienda elligantur quatuor boni homines, qui habeant possessiones infra dictos confines et unus eorum sit notarius, qui esse debeat cum officiali aquarum et stratarum ad predicta fieri fatienda, qui predicta fieri facere teneantur modo suprascripto vel plus vel minus secundum quod deliberabitur per magliorem partem dictorum elligendorum. Qui quatuor elligi debeant per officialem aquarum et stratarum ad petitionem cuiuscumque habentis possessiones infra dictos confines quotiescumque fuerit requisitus. Item quod totus letus fluminis occupatus per quosdam debeat desgomborari et removeri et ad antiquum modum reduci. Et officialis aquarum et stratarum predicta facere fieri teneatur si facta non sunt. Si autem facta sunt debeant manuteneri perpetuo expensis predictorum. Item dicimus, quod letus Ravonis cavatus non debeat per aliquem occupari aut devastari quin aqua ipsius leti non habeat liberum decursum et manuteneatur ut supra in fundo. Et quod nullus audeat in eo facere aliquam clusam, penachium, cedam, pontem vel rotam que impediatur ipsius aque decursum. Et si quis contrafecerit condampnetur in decem libris bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et tale opus quod fecerit reparare suis expensis teneatur. Et quilibet possit accusare et denunptiare et credatur sacramento talis denunciatoris vel acusatoris cum dicto unius testis bone opinionis et fame.

[29] De ponte vie que est in capite vie de Ronchinati. Rubrica. [c. 309r]

Ordinamus quod claviga seu pons destructus qui est in capite Ronchinati per transversum strate Sancti Stephani debeat aptari, ita quod aqua desuptus in dictam clavigam decurat et debeat ingliarari viam predictam et aptari expensis vicinorum omnium habentium ire et redire per dictam viam. Et quod prohibeatur vicinis, qui ducunt aquam de ramo Sapine sub certa pena quod dictam aquam non ducant ex transverso dicte vie per terras vicinales nisi per dictam clavigam et quod omnes mali passus, qui sunt ab introitu dicte clavige usque ad introitum Sapine debeant aptari expensis vicinorum predictorum habentium possessiones a terra Sancti Rophilli citra usque ad dictum pontisellum. Et ad predicta fieri fatienda elligantur duo suprastantes ex viciniis dicte contrate per officialem, qui preerit et stratis et aquis per comune Bononie et si facta sunt manuteneantur per dictos vicinos ut superius dictum est.

[30] De rivo Porporolo reaptando. Rubrica. [c. 309r]

Statuimus quod rivi Porporoli via reaptari debeat taliter quod careçari possit expensis eorum vicinorum qui habent possessiones in dictis contratis et habent ire et redire per dictam viam. Et quod ad predicta facienda elligantur per antianos et consules, qui pro tempore fuerint duo homines suprastantes boni et legales qui habeant possessiones in

¹²⁶⁶ *Sul margine laterale sinistro di questo paragrafo è tracciata una manicola.*

¹²⁶⁷ *Nel margine inferiore della carta, racchiuso da cornice: Reni cavari debeat.*

dictis contratis, qui in predictis et circa predicta liberum et generale arbitrium habeant. Et nichil habeant nec possint habere pro eorum salario. Si vero predicta facta non sunt, fiant ut superius dictum est, si autem facta sunt, manuteneantur perpetuo ut superius dictum est et continetur.

[31] **De quadam via fatienda in curia Sancti Venantii. Rubrica.** [cc. 309r-309v]

Iubemus quod una via amplitudinis viginti pedum debeat fieri in curia Sancti Venantii incipiendo a latere superiori a brayna que fuit domini Nicolay et Petri fratrum et filliorum condam domini Nicolay Fasani de Platixiis eundo recte ad filum usque ad viam Prati Castelli de Sancto Venantio, per quam itur ad Sanctum Venantium, fiant autem predicta scilicet tertia pars expensis habentium possessiones iuxta dictam viam que testatam habeant ad ipsam viam, allia tertia pars fieri debeat expensis comunis et hominum terre Sancti Venantii, reliqua tertia pars fieri debeat expensis comunis et hominum Sancti Alberthi. Quam viam debeat fieri facere officialis// [c. 309v]

qui preest stratis et aquis vel qui pro tempore fuerit. Et in predictis et quolibet predictorum habeat purum, merum et generale arbitrium. Item cogere debeat dictus officialis omnes habentes possessiones iuxta dictam viam facere unum fossatum quilibet pro sua testa amplitudinis quatuor pedum. Si autem predicta sunt manuteneantur perpetuo expensis omnium predictorum ut superius dictum est.

[32] **De via vallis Melonçelli qua itur ad terram Canuti. Rubrica.** [c. 309v]

Statuimus quod via vallis Melonçelli per quam itur de super ad terram Canuti et per terram Canuti usque ad domum dominarum Montis Guardie de Melonçello et etiam de suptus per vallem Melonçelli usque ad domum dictarum dominarum debeat aptari et meliorari et iura dicte vie recuperari a strata per quam itur ad Casalichium usque ad domum de Mellone inferius, fiant autem predicta expensis hominum habentium ire et redire per dictam viam occaxione possessionum eorum. Et etiam expensis omnium, qui occaxione dicti laborerii utilitatem aliquam consequuntur. Et predicta fieri fatienda teneatur precise officialis aquarum et stratarum ad hoc deputatus, qui pro tempore fuerit. Si vero predicta facta sunt manuteneantur perpetuo expensis omnium ut superius dictum est.

[33] **De ponte ligneo facto super strata que vadit a Sancto Benedicto ad terram Gallerie. Rubrica.** [c. 309v]

Providemus quod ponteselus ligneus sive lapideus factus per dominum Ugolinum Bonaci super strata que vadit a Sancto Benedicto ad stratam Gallerie, qui habet ab utraque parte vie possessiones debeat manuteneri et defendi sicut factum fuit expensis propriis comunis et hominum illius terre in qua seu in cuius curia factus et constitutus fuit per dominum Ugolinum predictum et ita volumus observari.

[34] **De via qua itur ad Altedum a ponte Casaraltole. Rubrica.** [c. 309v]

Ordinamus quod strata per quam itur Altedum a fovea civitatis Bononie versus pontem Casaraltole¹²⁶⁸ usque ad possessiones que fuerint domini Iacobi, domini Bernardi posita in curia Saliçeti debeat ingliarari et mali passus reaptari per terras Altedi, Sancti Martini, domos fabrorum, Levoleti, Sabluni de Plano et Salecti. Et ad predicta fieri

¹²⁶⁸ <Casaraltole> nel testo Casaltole.

fatienda et executioni mandanda debeat eligi unus bonus homo et ire et redire per dictam stratam iuxta voluntatem officialis aquarum et stratarum, qui sit suprastans dicto laborerio, qui una cum dicto officiali possit, teneatur et debeat procurare et predicta executioni mandare omnino. Et cum predicta facta erunt debeant manuteneri per comunia et homines dictarum terrarum.

[35] **De scursoriis Argigliate flumixelli et fosse erbose seu de Carpeno posito inter Sapinam et stratam Mantoanam. Rubrica**¹²⁶⁹. [cc. 309v-310r]

Item providere volentes dampnis, qui secuntur et secuta sunt et sequi possunt in futurum ex eo quia teritoria existentia inter Sapinam et stratam Mantoanam inundantur ex quibus haberi et percipi consuevit magna copia bladi et usus publicus dicte strate et vie impeditur et impeditus remanet. Et hoc accidit quia quedam discursoria aquarum existentia inter dictum flumen Sapine et stratam Mantoanam, que vocatur fiumisellum Argigliata fossa erbosa et de Carpeno sunt repleta ita quod aque dictorum discursiorum nullum habent decursum. Et etiam quia canale per quod decurrit aqua ad molendinum Altedi est in tantum elevatum quod cursum aquarum dictorum discursiorum et cuiuslibet eorum impedit, statuimus, quod dicta canalia seu discursoria caventur et disgomborentur et cavata, aperta et disgomborata manuteneantur a valibus veniendo usque ad viam que dicitur Vado de Fayta que est a latere superiori domus Fabrorum. Et hoc expensis omnium habentium possessiones a latere mane strate predictae tenus ipsa discursoria quatenus possessiones predictorum in ripis dictorum discursiorum protenduntur. Et sub canali molendinorum de Altedo et ripis dicti canalisis a flumine Sapine usque ad stratam Mantoanam fiant et fieri//
[c. 310r f. CCCIII^{or}]

debeant et facte manuteneri tres clavige de bonis lapidibus et calcina scilicet una in boca Argigliate¹²⁷⁰, allia super flumisello et tertia iuxta stratam Mantoanam et hoc expensis dominorum dictorum molendinorum de Altedo. Et quod officialis pro comuni Bononie prepositus officio aquarum, pontium et stratarum, qui nunc est et pro tempore fuerit habeat arbitrium merum, liberum et absolutum in cogendo omnes et singulos tam comunia quam singulares personas ad fatiendum et conferendum ad dicta laboreria fatienda et facta manuteneda modo predicto prout eidem videbitur opportunum fatiendum etiam fieri dicta laboreria per predictos et quemlibet eorum et in locis in quibus utile seu necessarium fore videbitur.

[36] **De quodam scolatorio inter Navigium Navigatorium et Navigium Mantoanum. Rubrica.** [c. 310r]

Providemus quod quoddam scolatorium quod vocatur Lorga quod est inter Navigium Navigatorium et Navigium Mantoanum debeat adhuc cavari per unum pedem et dimidium et renovari debeat a loco ubi dictum laborerium alias fuit inceptum per totam curiam Peole usque ad viam Moçam de frascaria et a dicta via Moça inferius per duos pedes usque ad viam Sancte Marie de Peola et abinde inferius usque in vallem de Fergaria unum pedem et plus et minus sicut opus fuerit. Et fieri debeant paratoria ad volumptatem suprastantium et a dicta via Moça superius per totum frascarium unum pedem et dimidium. Fiant autem predicta expensis omnium hominum habentium terras seu possessiones et casamenta habitatoria vel non habitatoria in curia Casteline usque ad portum Roncopodii vel abinde inferius inter Navigium Navigatorium et Navigium

¹²⁶⁹ <inter Sapinam et stratam Mantoanam. Rubrica> *di seguito sul margine laterale destro, prosegue nelle riga sottostante.*

¹²⁷⁰ <Argigliate> *nel testo Argigliate.*

Mantoanum usque ad valles a predicto loco inferius ad quod laborerium teneantur solvere omnes tenentes et habentes possessiones vel possidentes eas seu aliquos fructus vel redditus percipientes. Et etiam alii habentes possessiones quocumque modo infra dicta confinia vel fructus aliquos percipientes infra dicta confinia ad rationem tornaturie. Ad que fieri fatienda et executioni mandanda elligantur per officiales aquarum et stratarum duo boni homines in suprastantes et unus bonus notarius et unus bonus homo, qui conservet pechuniam, que perciperetur occaxione predicta, qui sit de numero eorum quibus dicta Lorga dat dampnum. Qui depositarius dictam pechuniam expendat de mandato dicti officialis, suprastantes vero una cum dicto officiali in predicto laborerio habeant liberum et generale arbitrium. Fiant autem predicta, si facta non sunt, si vero facta sunt manuteneantur perpetuo expensis predictorum hominum ut superius dictum est. Fovee vero large veteres remondentur et caventur a ponte strate Mantoane superius usque ad possessiones dominarum sancti Francisci per unum pedem et dimidium et dictus pons ampliatur et aptetur iuxta volumptatem dictorum suprastantium.

[37] Quod homines Centi et Plebis Centi teneantur laborare ad laboreria eis designata et designanda. Rubrica. [c. 310r]

Ordinamus quod comunia et homines terrarum Centi et Plebis de Cento teneantur et debeant facere et manutenere partem illam strate, que vadit Policinum per burgum Lamarum et strate Galerie, que vadit per circulam Burgi Gallerie et pontium et alliorum laboreriorum dictarum stratarum prout eis fuerint designata vel designarentur per comune Bononie seu officiales aquarum et stratarum, quod si facere recusaverint extrahantur de protectione comunis Bononie quousque venerint ad standum et parendum preceptis comunis Bononie occaxione predictarum stratarum et laboreriorum predictorum. Et nichilominus cogantur ipsa comunia et homines et fideiubssores eorum, si quos prestiterint pro predictis cum effectu laborare ad dicta opera, donec ipsa opera completa fuerint. Capiendo et deptinendo ipsos personaliter et de bonis ipsorum et aliis quibuscumque remediis opportunis.

[38] De via strate Castellionis per quam itur ad crucem Piri ad Sanctum Victorem actanda et de muro fatiando a muro de Misericordia usque ad circulam. Rubrica. [cc. 310r-310v]

Statuimus quod via strate Castellionis per quam itur ad crucem Piri et ad Sanctum Victorem et ad Barbianum debeat aptari et in ea pontes et clavige necessariii//
[c. 310v]

et necessarie fieri tam pro eundo et redeundo quam pro ipsa via manutenenda expensis vicinorum habentium possessiones in dictis contratis et alliorum omnium, qui quantum ad predicta conferre consueverunt. Item quod unus murellus debeat fieri, si factus non est, expensis comunis Bononie a muro de Misericordia usque ad murum circule strate Castellionis tenes stratam et a dicta circula usque ad puteum de Oselitis tenes stratam ut supra. Et quando facta sunt manuteneantur predicta per eos videlicet quorum expensis predicta laboreria fieri debent vel facta sunt.

[39] De quodam fossato fatiando in curia Sancti Georgii. Rubrica. [c. 310v]

Ordinamus quod unus fossatus a stradello sive pontesello stradelli usque ad riolum¹²⁷¹ cavari debeat, ita quod sit in fundo quatuor pedum et fiat expensis habentium possessiones in via Pissacani de fossato de super usque ad riolum a latere de subtus dicte

¹²⁷¹ <riolum> *nel testo* rolum.

vie et a viaçola de guardata et abinde supra, usque ad stradellum et revertatur usque ad viam Venecani. Et hominum habentium terras inter dictas duas vias secundum quod capit pro rata tornaturiarum. Et quod unus pons ligneus super dicto fossato fiat et si facta sunt manuteneantur, ut supra dictum est. Item quod in curia dicte terre in strata qua itur Venecanum in loco qui dicitur Lama iuxta possessiones que fuerunt domini Iohannis de Calamonibus fiat una claviga de bonis lapidibus et calcina ex transverso vie, que sit longitudinis duodecim pedum et altitudinis quatuor pedum expensis habentium possessiones et per omnes habentes possessiones a domo fratrum Minorum Runchis versus Venecanum et Sanctum Georgium et in Venecano et in guardia et in guardiola et a Venecano versus Sanctum Georgium usque ad dictum locum de Lamaria pro numero tornaturie cuiuslibet possessionis. Et ad predicta fieri fatiendi elligantur duo supstantes, qui habeant ibi facere qui elligantur per officialem qui preest aquis et stratis deputatum.

[40] **De aqua Zene. Rubrica.** [cc. 310v-311r]

Dicimus quod aqua Çene, que decurrit per terram de Casellis ante ecclesiam Sancte Marie de dicta terra de Casellis decurere debeat per alveum unde modo decurrit usque ad locum, qui dicitur Fossatum Vicinorum, in quo intrat dicta Zena scilicet quod lectus aque Zene, qui decurrit per curias terrarum Viadagole et Garnaroli debeat fodi et cavari expensis comunium et hominum terrarum Viadagole, Garnaroli, Cazani et Bagnarole incipiendo a prato quod fuit Ugolini de Albergato usque ad pratum quod fuit Tranchedini de Salarolis. Item quod unus pons lapideus fieri debeat supra dictam Zenam super viam de Magreta iuxta pratum quod fuit domini Becadini de Becadellis expensis eorum, qui possident terras et prata et a dicto loco Çene usque ad possessionem que fuit domini Soldani de Albaris et usque ad Sapinam. Ad que laboreria fatienda elligi debeant per dictum officialem aquarum et stratarum quatuor boni viri, qui habeant facere iuxta dictum laborerium, qui in predictis et circa predicta exequenda habent liberum et generale arbitrium, si autem predicta facta et confirmata sunt expensis comunium et hominum predictorum ut predicte expense facte sunt, eodem debeant manuteneri. Item dicimus quod alveus sive locus unde decurrit aqua fluminis Cadamusci alargari, cavari et ampliari debeat videlicet quod debeat alargari et ampliari tantum quod remaneat in latitudine in bocha per decem pedes et cavari in fundo tantum quod remaneat cavum per quinque pedes incipiendo alargare, cavare et ampliare letum dicti fluminis ad pontem lapideum positum supra dictum flumen in terra Cadamusci in strata publica iuxta ecclesiam Sancte Marie eundo inferius cum dicta latitudine et cavamento usque ad trivium quod est iuxta tombam domini episcopi cerviensis positam in terra Cadriani et a dicto trivio prout dictus letus protenditur usque ad fossatum de viciniis expensis omnium habentium possessiones supra et tenus ripas dicti fluminis ab utraque parte infra dictum pontem lapideum et dictum fossatum de viciniis hoc modo videlicet quod quilibet teneatur facere dictum laborerium prout possessiones eorum vel quas possident protenduntur in ripa seu ripis dicti fluminis. Et si quos arbores virides et sicos inpedientes cursum//

[c. 311r f. CCCV]

que predicte positas in dictis ripis ab utraque parte¹²⁷² et in fundo dicti fluminis penitus remove et radicitus extirpare. Et ad predicta omnia et singula fieri fatienda et executioni mandanda precise teneatur officialis aquarum et stratarum et ad requisitionem et postulationem cuiuslibet denunciantis vel eum requirentis infra duos menses postquam de predictis fuerit requisitus vel eidem fuerit denunpiatum elligendo vel elligi fatiando ad suam voluptatem si ei videbitur unum supstantem et

¹²⁷² <parte> in infralinea con segno di inserzione.

unum notarium de hiis qui habent possessiones iuxta ripam vel ripas dicti fluminis, qui tenentur ad dictum opus et laborerium fatiendum et predicti suprastantes et notarius habeant sallarium ab hominibus, qui tenentur dictum opus facere ad voluptatem dicti officialis. Et quod ad dictum terminum super unaquaque via, que vadit ad Sapinam et etiam super stratam publicam per quam vel quas dictum flumen decurrit fieri debeat expensis eorum comunium in quorum curiis dicte vie sunt, unus pontisellus ligneus ita et taliter quod dicta aqua libere labi possit et currus ire et redire. Salvo quod pons ligneus, qui fiet super stratam iuxta tombam domini episcopi cerviensis sit latitudinis decem pedum ad minus et sic factus manuteneatur perpetuo expensis eorum qui dicta laboreria fecerint vel fieri facere deberent. Item dicimus, quod dictum fossatum de viciniis incipiendo in ea parte ubi dicta Zena intrat dictum fossatum eundo inferius usque ad flumisellum in quo intrat dictum fossatum, debeat ampliari et amplum manuteneri per sexdecim pedes ad curiam Sancti Iohannis in Triario et per totam ipsam curiam et abinde infra per viginti pedes et cavari et cavatam manuteneri per totum prout expedire videbitur ut comode intrare possit in dictum flumisellum. Et hoc fieri debeat expensis infrascriptorum comunium pro tertia parte inter ipsa comunia pro rata extimi dividendo scilicet comune Caçani, Sancti Iohannis in Triario, Sancti Martini in Sivriçano, Minervii et Duglioli et habentium possessiones a dicto loco infra ubi intrat dicta Zena usque ad dictum locum ubi fossatum predictum intrat per dictum flumisellum pro duabus partibus inter eos dividendo pro numero tornaturiarum intelligendo de hiis possessionibus, que sunt ab uno latere dicti fossati usque ad flumen Sapine et ab alio latere usque ad stratam Sancti Donati per quam itur de Bononia ad Dugliolum per squadrum seu directum a dicto loco ubi intrat dicta Zena infra. Ita tamen quod prosimiores terre seu possessiones plus conferrat scilicet positum iuxta fossatum per centumquinqueginta perticas vel infra ex omni parte fossati duos denarios, de tribus et alii posteriores unum denarium de tribus tamen. Et ut opus procedat utiliter et equaliter incoari debeat dictum laborerium ex parte inferiori et continuari supra usque ad terminum antedictum. Et hec omnia procurent facere et fieri facere suprastantes, qui erunt ad hoc electi et deputati. Et nichilominus officialis stratarum exequi fatiant supradicta. Declarantes quod ad predicta etiam teneantur habentes molendina ad quorum usum et commodum aque predicte decurrunt in omnibus et per omnia ut in statuto nostro posito sub rubrica 'De molendinis de novo non construendis' [III, 45] continetur secundum declarationem fiendam per dictos suprastantes et officialem aquarum et stratarum, considerata qualitate facti. Salvo quod si per aliquos aliqua clusa vel paratura teneretur vel aliqua aqua inmicteretur in dictum fossatum Chadamusci sive letum ipsius ex quibus dictum fossatum impleretur vel cursus aque impediretur quod tunc et eo casu predicti tenentes dictam clusam vel paraturiam vel imitentes aliam aquam in dictum fossatum unde et per quem decurrit dicta aqua Cadamuschi dictum fossatum omnibus eorum expensis cavare et disgomborare teneantur ab eo loco in quem aqua pro usu dicti talis molendini intrat in dictum fossatum Cadamusci usque ad clausuram, clusam seu paraturam predictam. Exceptis possessoribus agrorum habentium testatas iuxta dictum fossatum Cadamusci. Quorum possessorum comodo vel opere dictum fossatum repletum esset vel aliter cursus dicte aque impeditus, qui possessores teneantur ad predicta pro ea parte pro qua dictum fossatum seu cursus aque ex causis predictis foret impeditus. Que omnia supradicta declarari possint per officiales predictos aquarum et superstites predictos et eorum declarationi stari debeat.//

[c. 311v]

[41] **De flumisello durante a Marano versus Dugliolum. Rubrica.** [c. 311v]

Ordinamus quod flumisellus decurens de Marano et per Maranum usque ad Dugliolum et per Dugliolum ampliatur per quatuordecim pedes et remondetur et fodi debeat per quinque pedes ad minus ubi opus fuerit incipiendo a ponte Sancti Blaxii de Bagnarola et eundo de dicto loco usque ad terras curie Sancti Martini in Sivriçano per totam ipsam curiam Sancti Martini et abinde infra, usque ad tombam que fuit olim domini Guilielmi de Lambertinis, que est in curia Duglioli et hodie appellatur Lacroseta per viginti pedes et cavari per sex pedes ad minus cavando et ampliando secundum quod dictum est supra, ita quod per totum sit latum et cavum ut supra. Et predicta debeant fieri et compleri per comunia terrarum Marani, Triarii, Viduri, Garnaroli, Caçani, Bagnarole, Sancti Iohannis in Triario, Sancti Martini in Sivriçano et Duglioli et per homines habentes possessiones a dicto ponte et loco a sero veniendo per medium castrum Bagnarole usque ad stratam que vadit de Marano ad Caçanum. Et quod homines habentes possessiones inter dictum flumisellum et viam per quam itur de Caçano Dugliolum usque ad dictam tombam olim de Lambertinis. Et per homines habentes possessiones vicinas a dicto flumisello versus meridiem seu flumen Ydicis per trecentas perticas incipiendo secundum quod dictum est a dicto ponte Sancti Blasii de Bagnarola eundo usque ad dictam tombam, ita quod medietas dicti operis fiat expensis omnium predictorum comunium, alia medietas fiat expensis habentium possessiones infra dicta confinia secundum quod superius declaratum est. Salvo quod habentes nemora non cogantur solvere nisi tres denarios pro tornaturia. Manuteneatur autem dictum laborerium per comunia predicta pro quorum curias decurrit dictus flomisellus et per alios, qui conferre debet ut supra si factum est, si autem factum non est compleatur quam citius poterit.

[42] **De via seu stradello per quam itur ad Farnetum et qua itur ad Castrum Britonum et per quam itur Corvariam. Rubrica.** [cc. 311v-312r]

Ordinamus quod via seu stradellum per quem itur ad Farnetum a cruce lignea que est ante vineam¹²⁷³, que fuit Symonis de Basacomatribus eundo versus Farnetum usque ad vineam, que fuit filii Ugolini de Marano, debeat esse ampla per duodecim pedes ad minus non computatis fossatis ab aliqua parte vie et ubi est minus ampla debeat ampliari tantum quod sit ampla per duodecim pedes ad minus non computatis fossatis et debeat ampliari ab ea parte qua mellius stare possit sive ab ambabus partibus secundum quod visum fuerit offitiali presidenti officio aquarum et stratarum. Et dicta via debeat affosdari ab utraque parte vie et splanari et adequari. Et introitus predictarum vinearum debeant esse cum pontisellis, ita quod aque possint libere decurere et in dicta via debeat fieri clavige seu pontiselli de lapidibus et bona calcina ubi opus fuerit. Et specialiter due clavige fiant prope vineam, que fuit domini Alberthi de Asinellis scilicet unam cum finibus dicte vie verssus mane et alia ubi utillius videbitur suprastantibus et abinde citra et alia prope vineam, que fuit domini Iohannis de Meçovilanis in capite vie que vadit verssus domos de Petenariis. Item alia claviga prope vineam, que fuit Symonis de Cornis ubi utillius et mellius erit et alia prope vineam, que fuit filii domini Ugolini de Marano ubi magis utile videbitur presidentibus ad predicta. Et dicte clavige sint longitudinis duodecim pedum ad minus de bonis lapidibus et calcina bene coperte de calcina bona et ingliarata ab utraque parte. Et calanchi debeant splanari et repleri et ingliarari et quilibet debeat fossata facere per suam testatam amplitudinis trium pedum ad minus et sint et debeant cavari tantum quod aqua habeat liberum decursum et expeditum et splanare viam per suam testatam. Et quicumque fieri fecerit fossatum debeat terram prohici facere per dimidiam strate et explanari facere. Et supradicta

¹²⁷³ <vineam> *corregge* viam.

laboreria debeant fieri per infrascripta comunia videlicet Corvaria, Montecalvum, Farnetum, Laveçolam, Casolam, Curalupum, Ronçanum, Gargognanum, Zenam, Gaybolam et Puçicalvolum et per omnes habentes possessiones a dicta cruce incipiendo et eundo usque ad domum que fuit Mathioli de//

[c. 312r f. CCCVI]

Artinisiis positas in curia Laveçole sive Montis Calvi et per omnes qui habent ibi ire et redire infra dictos terminos crucis et domus predicti Mathioli sive habent caput ad dictam viam sive non. Et dicimus, quod cuicumque acceptum fuerit de terreno occaxione vie amplate debeat satisfieri ad rationem treginta librarum bononinorum pro qualibet tornaturia. Et facta dicta via debeat manuteneri pro dicta comunia et habentes possessiones infra dictos terminos. Et ad predicta fieri fatienda debeant elligi per dominos antianos quatuor boni viri cive, qui debeant ire et redire per dictum stradellum quorum duo habeant possessiones a ponte lapideo, qui est supra rivum Polum citra et alii a dicto ponte ultra. Qui suprastantes colligant pro dicto laborerio fieri fatiendo a quolibet fumante sex solidos bononinorum et duos solidos bononinorum pro qualibet tornaturia cuiuslibet habentis possessiones infra dictos confines vel qui habeat ire et redire inde, et predictorum officialium elligendorum, unus sit notarius et nichil habeat a comune Bononie, set de predictis denariis quos colligere possint sibi reptinere inter omnes quatuordicem libras bononinorum. Et habeant in predictis fieri fatiendis et circa predicta liberam potestatem et bayliam. Et officialis deputatis aquis et stratis teneatur dictis suprastantibus dare fortiam ad eorum requisitionem et ad eorum volumptatem ad predicta et si factum non est fieri debeat. Et factum debeat manuteneri.

[43] **De clavigis et passibus qui sunt super inscriptis viis fatiendis. Rubrica.** [c. 312r]

Ordinamus quod super viis que sunt in trivio viarum quibus itur Maranum et Bagnarolam ubi sunt calanchi et mali passus fieri debeant due clavige lapidee, quelibet longitudinis viginti pedum et latitudinis quatuor pedum et altitudinis cum fundamento superius totidem, cum bono fundamento, de bonis lapidibus et calcina, expensis hominum terrarum qui habent transire per dictas vias pro numero fumantium videlicet Marani, Quarti, Bagnarole, Triarii et Viduri. Debeant autem fieri predicta per officialem stratarum dummodo expense non ascendant summam vigintiquinque librarum bononinorum. Si vero predicta facta sunt debeant expensis comunium manuteneri perpetuo.

[44] **De strata qua itur Dugliolum aptanda. Rubrica.** [c. 312r]

Providemus quod strata qua itur Dugliolum debeat fieri et aptari et si facta est manuteneatur expensis omnium habentium possessiones secus ipsam stratam et quod quilibet habens domum et curiam iuxta ipsam stratam teneatur et debeat habere clavigam et pontesellos in introytu earum curiam ut aque libere decurant.

[45] **De cavamento Romonçelli seu fossati de medio. Rubrica.** [c. 312r]

Decernimus quod omnes habentes possessiones in guardia Sancti Martini Sivriçano inter stratam et flumen teneantur et cogantur laborare ad cavamentum Romonçoli seu fossati de medio pro rata tornaturie terre, quas habent infra dictos confines. Quod cavamentum fiat et fieri debeat incipiendo dictum opus iuxta guardiam Sancti Iohannis in Triario eundo, cavando usque ad hospitale tantum. Sit autem et esse debeat dictum opus cavum per tres pedes et amplum per septem pedes et elligantur suprastantes ad

dictum laborerium tantum per officialem aquarum et stratarum unus ex illis videlicet qui habeant possessiones in dicto loco et si factum est manuteneatur¹²⁷⁴ per homines et personas suprascriptas.

[46] De fossato quod vocatur Ramonçello posito in curia Sancti Iohannis in Triario. Rubrica. [c. 312r]

Statuimus quod ab utraque parte fossati quod vocatur Ramonçello pro quod curere consuevit aqua debeant cavari et desgomborari per habentes possessiones tenus ipsum fossatum quilibet pro sua testa scilicet per quinqueginta perticas, ita quod dicta aqua curat sine impedimento, incipiendo a via qua itur et reditur ad crucem plebis Sancti Iohannis de Funen usque ad confinem Sancti Martini in Sivriçano et quod dictum fossatum abinde infra per comune Sancti Martini predicti teneatur apertum et disgomboratum usque in valles et dicto opere facto manuteneatur per eos.//
[c. 312v]

[47] De via a Planorio usque ad Predamalam et a Planorio inferius. Rubrica. [c. 312v]

Decernimus quod via seu strata qua itur Florentiam per Planorium et a Planorio usque ad Predamalam reatetur et fiat ita et taliter quod omnes transeuntes possint comode ire et redire cum eorum mulis, equis et bestiis. Fiant autem expensis illorum omnium terrarum Planorii et abinde supra sitarum usque ad terram Predamale inclusive et aliarum terrarum, que habent curiam super illam stratam et omnium alliarum terrarum potestarie Scaregalasini et aliarum terrarum, que sunt inter flumina Ydicis et Sambri hoc modo videlicet quod expensis dictorum comunium et hominum dictarum terrarum fiat unus pons de lignamine iuxta hospitale sive rivum hospitalis Roncastaldi et unus alius pons de lignamine inter hospitale predictum et Loyanum. Et quod silva de Predamala debeat incidi et sterpari que est inter vallem et dictam terram Predamale et incisa debeat ampliari per quinqueginta perticas pro qualibet parte et actetur a cruce Zeule supra Planorium et a Planorio supra usque ad hospitale Caprarum verssus Loyanum et passus Predose verssus hospitale Livrignani et verssus Anconellam et omnes alii passus et silve, que impediunt stratam debeant reaptari et incidi ab omni parte strate per vigintiquinque perticas. Et sic dicta via seu strata debeat reparari ut dictum est et compleri per omnes dictas terras, villas et castra et homines predictarum terrarum et ipsorum expensis. Et ipsis pontibus factis manuteneantur ipsi pontes per eos qui colligunt passaçia supradictarum stratarum eorum expensis. Item dicimus quod strata pro qua itur Florentiam a Planorio inferius usque ad circulam civitatis et per ipsam terram Planorii debeat aptari et ingliarari et manuteneri per comunia et homines qui habent ire et redire per dictam stratam. Et pontes lapidei positi in dicta strata manuteneantur et clausas et penaclos pro defensoribus dicte strate facere et fieri expensis dictorum comunium, qui habent ire et redire per dictam stratam et ubi expedierit facere et fieri facere et specialiter a domo que fuit filii presbiteri Laçarii posita in Meleto iuxta stratam usque ad burgum de Planorio. Et ad predicta laboreria de Planorio usque ad circulam inferius fieri facere elligatur per dominos antianos et consules comunis Bononie duo boni et legales homines civitatis, qui habeant possessiones a terra Serti superius, qui nichil habeant vel habere possint pro eorum salario a comuni Bononie vel a comunibus terrarum predictarum. Et predicta comunia terrarum laborare teneantur ubi expedient singulis annis, donec fuerit aptata strata

¹²⁷⁴ <manuteneatur> *nel testo* manuteatur.

predicta a officialis aquarum et stratarum procuret ipsorum officialium ellectionem fieri facere ad hoc ut dictum opus dicte strate et pontium fiat et fieri possit.

[48] De pontiselis fatiendis super Zentonariam. Rubrica. [c. 312v]

Statuimus quod unus pontisellus amplitudinis duodecim pedum fiat super Zentonariam iuxta domum que fuit de Bocaderonco veniendo recte ad domum predictam per stradellum et etiam similiter fiat ubi necessarium fuerit per dictum stradellum sive viam prout mellius et utillius fuerit, ita quod currus et boves expedite possint inde ire et redire. Et fiant si facta non sunt et manuteneantur si facta sunt expensis hominum terrarum qui habent inde ire et redire. Item dicimus quod quilibet habens possessiones iuxta dictum stradellum debeat facere fodi per suam testatam et ex utraque parte vie, ita quod aqua habeat liberum decursum non destruat viam.

[49] De aqua fontane de Bagnara ad Medesanum conducendam. Rubrica. [cc. 312v-313r]

Ordinamus quod per contratam Medesani debeat conduci et manuteneri de aqua fontane de Bagnaria, que est in ipsa contrata in podere et in possessione olim domini Soldani de Logliano per loca unde et quomodo mellius et utillius videbitur expedire expensis eorum, qui habent in dicta contrata et eius pertinentiis possessionibus et aliorum omnium ad quos aliquo modo potest ex ipsa aqua utile pervenire. Et specialiter eorum omnium, qui habent possessiones ex qualibet parte vie seu strate, que vadit et est ante tombas et domos de Medesano et de Scosis et Tresento vel alibi ubicumque predictam contratam secundum quod melius et utillius//

[c. 313r f. CCCVII]

videbitur convenire. Et nullus possit se excusare et exceptionem aliquam opponere quominus predicta fiant et executioni mandentur ratione expensarum vel loci per quem aqua conduci debeat vel alia ratione. Et per dominos antianos et consules, qui erunt vel pro tempore fuerint elligantur quatuor boni homines, qui ad predicta fieri fatienda superesse teneantur.

[50] De ponte fatiando de lapidibus in curia Prunarii. Rubrica. [c. 313r]

Statuimus quod fieri debeat et compleri et undique ingliarari unus pons de lapidibus in curia Prunarii super aquam Zentonarie per viam qua itur ad tombas illorum de Santis de Marano ultra Quadernam ad hoc ut currus possint inde conduci cum bladis et palleis et lignis et aliis ad civitatem Bononie in quo expendi debeat illud quod tassabitur per duos bonos magistros elligendos per militem domini potestatis et dominos officiales aquarum et stratarum, qui preerunt dicto offitio tempore quo fieri contingerit ipsum pontem expensis illorum qui habent possessiones per dictas contratas Prunarii, Zentonarie, Quaderne inter stratam qua itur Medicinam et stradellum de medio scilicet cuiuslibet pro sua testata fluminis et habitantium in eis, ad quas expensas teneantur et debeant etiam conferre comunia terrarum Zermaçoris de Casellis, Russi, Villenove, Castenasii, Flesi, Centi de Butrio et Prunarii secundum taxationem et declarationem millitis et officialium predictorum. Que omnia facere teneantur et debeant dicti miles et offitiales ad petitionem cuiuscumque pena et banno decem librarum bononinorum eidem auferenda si predicta facere obmiserint. Et cum fuerit facta manuteneri debeat expensis predictorum hominum et comunium secundum formam reformationis consilii populi facte de predictis in millesimo trecentesimo decimo septimo die undecimo mensis martii.

[51] **De strata que venit a Galisano versus Bononiam aptanda. Rubrica.** [c. 313r]

Ordinamus quod strata magna que venit a terra Gallixani versus Bononiam debeat aptari et ingliarari et quod rivus per quem currit aqua Zentonarie ex utraque parte rivi sive decursus debeat ampliari per duos pedes et cavari per duos vel tres pedes a Centonaria superius per ducentasquinqueginta perticas et cavari et ampliari fossata posita tenus dictam stratam ubi fuerit opportunum. Et fieri debeat predicta expensis hominum terrarum, que sunt ibi prope pontem per tria miliaria. Et quod omnes habentes possessiones super stratam a ponte Castenasii versus mane usque ad trivium Montodelli teneantur cavare fossatos ex utraque parte vie et proitiendo super stratam, teram ubi expedierit. Et comunia illarum terrarum teneantur ingliarare dictam stratam, que declarata fuerit per elligendos per dominos antianos, qui pro tempore fuerint. Et si predicta facta sunt per dictas terras et homines debeant manuteneri.

[52] **De ponte lapideo fiendo ad Fossam Marçam. Rubrica.** [c. 313r]

Statuimus quod unus pontisellus lapideus fiat et fieri debeat ad Fossam Marçam iuxta tombam que fuit domini Alberthi Bonacursii de Fleso in curia Flesi expensis vicinorum et omnium, qui habent inde ire et redire pedes et eques, cum curibus vel sine curibus et alius pontisellus lapideus fiat et fieri debeat in viciniantia Prunarii supra ramo fontane de Fusano seu Fasano prope domum que fuit domini Bologniti de Bricola et possessiones plebis de Gargnano expensis eorum vicinorum, qui habent inde ire et redire et ingliarari, si vero facta sunt predicta debeant expensis predictorum manuteneri.

[53] **De duobus pontisellis lapideis fiendis supra Zentonariam. Rubrica.** [cc. 313r-313v]

Item ordinamus, quod inter Zentonariam et Fontanellam fieri debeat duo pontiselli et si facti sunt manuteneri expensis comunis et hominum Castenasii, Flessi, Prunarii, Zenti de Butrio et hominum habentium possessiones ibidem scilicet medietas expensis ditorum comunium et alia medietas expensis ditorum hominum scilicet dicti duo pontiselli lapidei eiusdem latitudinis ut est pontisellus qui est in dicta strata super aquam fontane super veterioribus//

[c. 313v]

duobus passibus qui sunt in dicta strata.

[54] **De leto aque Zentonarie curie Sancti Martini in Argele. Rubrica.** [c. 313v]

Ordinamus quod letus aque Centonarie, que decurrit per villam seu curiam Sancti Martini in Argelle a strata publica, que vadit ad Cavagli supra debeat cavari per omnes homines habentes possessiones in dicta curia et villa a dicta strata superius quibus dicta aqua dat dampnum cavando ipsum lectum per modum latitudinis per octo pedes et in fundo quatuor pedes incipiendo cavari usque ad curiam Vetrane a latere superiori usque ad fontanam vel foveam Fuselli a latere inferiori et facto opere predicto manuteneri per ipsos.

[55] **De ponte qui est super flumine Ydicis constructo tenus ecclesiam fratrum Minorum. Rubrica.** [c. 313v]

Statuimus quod pons lapideus super flumen Ydicis constructus ante ecclesiam fratrum Minorum ad Ricardinam manuteneatur perpetuo expensis comunium et

hominum terrarum Butrii, Vetrane, Sancti Martini in Argile, Duglioli, Sancti Martini in Sivriçano, Sancti Iohannis in Triario, Caçani, Bagnarole, Vigursii et Ricardine.

[56] **De canale conducti aque Zentonarie ad foveas castris Butrii manutenendo. Rubrica.** [c. 313v]

Item statuimus, quod canale seu aqueductus per quod aqua Zentonarie et fontane de Busco et fontane de Fusano decurrit ad foveas castris Butrii pro fortificatione dicti castris manuteneatur perpetuo et manuteneri debeat pro conducendo aquam ad sufficientiam in foveis et redefossis dicta castris pro necessitatibus et maiori fortificatione ipsius castris in eo statu in quo nunc est et manuteneri ac fieri possit et debeat ipsum canale usque ad dictas fontanas per eum modum per quem melius manuteneri et fieri possit per ipsum comune Butrii et alia comunia subdita vicariatu dicti castris. Et quod nulla persona, cuiuscumque status, conditionis seu preminentie existat audeat vel presumat impedire dictum canale seu aqueductum et ripale seu aggerem ipsius aliquo modo vel ingenio quominus aque predictarum fontanearum et Centonarie et aqueductus habeant suum liberum aditum et decursum et ipsum canale usque ad valles. Et maxime per fossatum quod¹²⁷⁵ vocatur fossatum comunis seu Corole nec aquas predictas seu dicti canalisis aliunde conducere quam per dictum canale, sub pena centum librarum bononinorum comuni Bononie aplicanda pro qualibet vice qua contrafactum fuerit de facto exigenda per dominum potestatem seu capitaneum populi civitatis Bononie qui pro predictis additus fuerit et nichilominus quo contrafactum fuerit sub dicta pena in pristinum statum reducatur.

[57] **De spondis super pontibus strate que itur Ymolam fatiendis. Rubrica.** [c. 313v]

Ordinamus quod sponde de bonis lapidibus et calcina fiant super ponte qui est super flumen Quaderne super strata qua itur Ymolam et super aliis pontibus dicte strate positis super fluminibus que vadit ex transverso dicte strate, que sponde sint altitudinis duorum pedum et dimidii et amplitudinis unius pedis et dimidii ab utraque parte dictorum pontium et fiant expensis cuiuslibet terre ubi positi reperiuntur dicti pontes et que facte sunt manuteneantur. Et idem servetur et fiat de omnibus aliis pontibus lapideis super aliquibus fluminibus per totum districtum Bononie.

[58] **De una claviga fatienda super Riolum terre Burgi Novi. Rubrica.** [c. 313v]

Statuimus quod una claviga fiat super Riolum, qui est in terra Burgi Novi iuxta casamentum condam Mathei Amadoris et manuteneantur expensis hominum Burgi Novi et si facta est manuteneatur expensis eorum.//
[c. 314r f. CCCVIII]

[59] **De pontisellis fatiendis in curia Garnaroli. Rubrica.** [c. 314r]

Ordinamus quod in terra Garnaroli fiant tres pontiselli de lapide et bona calcina videlicet unum super Melonçellum iuxta olim Salarolum et Iacobum et alius supra dictum Melonçellum iuxta olim Iohannem Petri Canis et iuxta Salarolum et alius iuxta olim Armasinum Petri Bianchi et possessiones hospitalis Cruciferorum expensis dicte terre et aliorum hominum habentium possessiones in dicta terra quibus predicta cedunt

¹²⁷⁵ <quod> segue fossatum depennato.

ad utilitatem arbitrio officialis aquarum. Ita tamen quod nullus debeat solvere pro dictis expensis ultra decem solidos bononinorum et facta manuteneantur.

[60] De stradello quo itur ad Crucem Biaque. Rubrica. [c. 314r]

Statuimus quod omnes habentes possessiones iusta stradellum, quo itur ad Crucem Biaque et ad terram de Caxellis et de Russi, qui incipit a tomba que fuit domini Belvisie de Baxacomatribus teneantur et debeant cavare ex utraque parte et cavari facere fossata que sunt citra stradellum ubi opus fuerit et prohicere terram per medium stradellum ubi opus fuerit explanari facere et implere calancos ubi fuit opportunum quod¹²⁷⁶ fatiat fieri officialis stratarum. Et hoc expensis habentium possessiones, et quod comunia terrarum Crucis Biaque de Casellis et Russi, Vilanove et Zermaçoris et per omnes homines capelle Sancti Anthonii, Sancti Alberthi, Sancti Iohannis et Pauli habentes et tenentes boves cum quibus careçantur debeant ingliarare, ita quod ad minus sit grossa per unum pedem fatiando primo anno a dicta tomba usque ad viam Biaque et sequenti anno usque ad trivium viarum que sunt iuxta domos que sunt Bithini de Montanariis de Casellis per homines et comunia dictarum terrarum tantum si eis placuerit et facto dicto opere manuteneatur.

[61] De via Butrii que vadit ad dictam terram a terra Castenasii manutenenda. Rubrica. [c. 314r]

Statuimus quod via per quam itur ad terram Butrii debeat manuteneri prout facta est a ponte terre Castenasii usque ad ipsam terram Butrii, ita quod semper sit amplitudinis quadraginta pedum expensis comunis Butrii, Castenasii, Flessi, Centi de Butrio, Vetrane, Sancti Martini in Argele, Riuli, Duracii, Baratini et comunis Ricardine pro rata extimi cuiuslibet dictorum comunium. Et fiant pontiselli lapidei et clavige ubi fuerit opus in dictis viis scilicet espensis dictorum comunium et facta manuteneantur.

[62] De pontibus faciendis in curia Bagnarole. Rubrica. [c. 314r]

Statuimus quod duo pontes lapidei de bonis lapidibus et bona calcina fiant et fieri debeant in curia Bagnarole scilicet unus in boca fluminis Albarelli a latere sero dicte strate et alius in bocha fluminis Caselli a latere sero dicte strate. Et quod predicta fiant et fieri debeant per homines qui habent possessiones in dictis locis usque ad flumen de Rocha usque ad flumen de Pignano et usque ad medale quod fuit Nasimbenis Becarii et usque ad possessiones condam Petri Pronti et debeant conferre ubi homines habentes possessiones in dictis locis pro numero tornaturie dicti pontes calçari per comune et homines terre Bagnarole et facti manuteneantur per eosdem.

[63] De foveis et fossatis comunibus et non comunibus disgomborandis et apertis tenendis tam universitatum quam singularum personarum. Rubrica. [cc. 314r-314v]

Ordinamus quod comunia terrarum et universitates earundem districtus Bononie et singulares persone civitatis et districtus eiusdem cuiuscumque sint conditionis aut status teneantur et debeant foveas et fossata, quas et que habent seu habebunt comunes et comunia et etiam cum aliquibus vicinis vel vicinorum possessiones vel circa possessiones eorum et etiam non comunia et omnia alia discursoria aquarum ipsarum fodere et

¹²⁷⁶ <quod> *in infralinea su spazio bianco.*

disgomborare et disgomborata manutenere absque aliquo alio obstaculo vel impedimento et ea vel eas non aclusare vel implere aliquo modo, ita quod// [c. 314v]

aque libere et expedite possint decurere et decursum habere et quotiens repleantur ipsa disgomborare et disgomborata manutenere ut premitur, ita quod aque possint decurere et decursum habere secundum naturalem et cursum ipsarum consuetum. Et secundum quod melius et utilius videbitur esse pro utilitate possessionum hominum civitatis Bononie et districtus. Et etiam de novo facere alterius lexione. Item quod ad predicta fatienda et executioni mandanda massarii singularum terrarum districtus Bononie teneantur singulis mensibus predicta laboreria in suis curiis videre et in scriptis redigere ea, que opportuna fuerint. Et similiter teneantur ipsi massarii ab introitu sui officii infra tempus et prout continetur supra in statuto posito 'De officio dominorum officialium stratarum, pontium et aquarum' [III, 9] denunptiare officiali stratarum omnes et singulos calancos, malos passus et pontisellos fractos et vias destructas in eorum curiis existentes et in scriptis redigere et dare officiali presidenti officio stratarum, pontium et aquarum vel alteri dicto officio pro comuni Bononie deputato, vel deputando. Qui officiales teneantur et debeant comunia terrarum et singulares personas ad que vel quas pertinebit complere ad predicta omnia cum expedierit fatienda vel fieri fatienda. Et nichilominus quilibet alius possit etiam denunptiare ipsis officialibus et ex tali denunptiatione procedere officiales teneantur. Et quicumque contra predicta vel aliquod predictorum fecerit puniatur et condampnetur si fuerit singularis persona in decem libris bononinorum. Si vero comune alicuius terre vel universitatis in vigintiquinque libris bononinorum. Et massarius negligens in predictis in quinque libris bononinorum pro qualibet vice et nichilominus teneatur conservare contra que fecerint vel non servarint. Et quilibet possit acusare et denunptiare et habeat medietatem pene. Salvo quod si aliquis ex transversso super aliqua fovea vel fossato aud discorsorio voluerit habere aliquem pontisellum possit ibi facere et dum tamen huiusmodi pontiselli occaxione nullum preiudicium fiat de cursu aquarum, qui libere et expedite decurere possint. Et dicimus quod nullus occupet vel aliter aprehandat de premissis foveis vel fossatis vel discorsoriis factis vel fatiendo nec de viis et qui contrafecerit vel fecisset penam similem patiat et restituat et disgomboret occupatum. Salvo semper alio modo statuto imposito sub rubrica 'De generali dispositioni super novis laboreriis districtus Bononie' [89].

[64] **De fontibus comunis Bononie et puteis fatiendis et manutenendis. Rubrica.**
[c. 314v]

Ordinamus quod si in aliqua terra vel villa vel vicinancia districtus Bononie est aliquis puteus vel fons vel cisterna manuteneatur et purgetur omni anno ad minus duabus vicibus per habitatores illius vicinantie, ubi fuerit puteus, fons vel cisterna et ubi non fuerit puteus, fons vel cisterna fiat et construat de novo, si placuerit maiori parti vicinorum illius terre vel contrate et elleventur et ellevati manuteneantur a terra supra duobus pedibus et dimidio ad minus de bono muro in calcina murato de lapidibus et ad predicta fatienda elligatur unus de vicinis vel plures prout vicini erunt in concordia. Et ad predicta confere compellantur habitatores et vicinancia contratarum qui et que aquis ipsorum puteorum vel foveam uterentur per officiales stratarum et aquarum ad petitionem cuiuscumque, si super hoc dictus officialis fuerit requisitus. Et dicimus quod nullus ocupet aliquem puteum vel fontanam vel cisternam vicinalem. Et quod nulla temporis prescriptio preiudicet alicui vicinantie, si ab aliquo fuerit puteus vel fons

occupatus. Et qui occupaverit illum libere relapsset pena arbitrio domini potestatis. Predicta autem locum non habeant in puteis, cisternis vel fontibus privatorum.

[65] De fornacibus in comitatu Bononie fatiendis pro lapidibus et cupis fatiendis. Rubrica. [cc. 314v-315r]

Statuimus quod in quolibet plebatu comitatus Bononie fiat et fieri debeat et facta manuteneantur ad minus una fornaxia in curia dicte plebis secundum quod maior pars ipsorum de plebatu fuerit in concordia. Item dicimus, quod comune Policini ultra Renum et citra cum comune Sancti Vitalis et Ceretuli fatiant unam fornacem inter omnes pro numero fumantium, ubi concordaverit maior pars ipsarum terrarum et si facta est manuteneantur donec alia fiat de novo si expedierit. Item dicimus quod comune Burgi Panicalis et comune Sancte Ellene habeant unam fornacem inter ambas//

[c. 315r f. CCCVIII^{or}]

terras versus Ravonem de Poço, que fornaces omnimodo fatiant omni anno duas coctas lapidum vel cuporum. Salvo quod comune et homines terre Sancti Iohannis in Persiceto semper habeant duas fornaces et pro qualibet fornace fatiant ad minus decem coctas lapidum et cuporum.

[66] De supstantibus laboreriorum comunis Bononie. Rubrica. [c. 315r]

Ordinamus quod quomodocumque aliquod laborerium fieri debuerit in civitate Bononie quod utile vel neccessarium fuerit visum esse ad quod fatiendum elligi debeant supstantes per dominos antianos de melioribus et legalioribus, qui haberent possessiones in terra ubi fieri debuerit aliquod laborerium et ex quo laborerio eis utilitas vel comoditas consequatur dum tamen nullum sallarium percipiat a comuni Bononie.

[67] De agravatione vel aleviatione alicui non fienda ocaxione alicuius laborerii. Rubrica. [c. 315r]

Statuimus quod si aliquis officialis gratia vel odio vel amore alicuius vel pretio vel aliter oneraverit vel alienaverit aliquam universitatem vel singularem personam supra id vel minus eo quod predicta universitas vel singularis persona facere deberet in colecta vel laborerio vel aliis fationibus comunis Bononie vel alterius condempnetur in duplum per potestatem vel capitaneum populi Bononie eius quo plus gravaverit vel alienaverit persone vel comuni vel id dampnificaretur et ultra arbitrio domini capitanei vel domini potestatis. Et ubi capitaneus vel aliquis de sua famillia vel dominus potestas vel aliquis de sua famillia delinquerent in predictis condempnetur ut supra.

[68] De laboreriis comitatus Bononie fatiendis et manutenendis. Rubrica. [c. 315r]

Ordinamus quod comunia terrarum comitatus et districtus Bononie teneantur et debeant laborare ad vias et stratas et pontes, argiles et discursoria aquarum et fluminum et alia opera, que necessaria fuerint fatienda in districtu Bononie vel que ordinabuntur debere fieri laborando etiam ad predicta omnes homines habitantes in dictis villis seu curiis terrarum in quibus contingerit fieri debere dicta laboreria, si ipsa laboreria per personales operas dividenda venirent seu fierent. Item teneatur quelibet persona et universitas facere et tenere pontisellos iuxta domus et introitus domorum ipsorum et quas quilibet habuerit iuxta stratas et etiam fossata cava, ita quod aqua per ipsa fossata libere sine impedimento aliquo possit tenere. Teneantur etiam dicta comunia terrarum ita aptare stratas et vias quod in eis non sint calanchi, ita quod quilibet eques et pedes et

cum curibus inde comode pertransire possit. Et si aliquae terre ita parve essent, quod non possent ipsas expensas que fierent rationibus supradictis tollerare, tunc vicine terre, que ex hiis que viderentur comodum consequi vel habere teneantur ad predicta conferre vel que dampnificare possent, si discorsoria aquarum non fierent, et ad predicta elligi possint per officiales officio stratarum et aquarum suprastantes de civitate Bononie, qui ibi facere habeant ubi laborari debuerit, sine aliquo salario a comuni Bononie. Qui suprastantes cogant homines suprascriptarum terrarum laborare et laborari facere. Et super hiis executioni mandandis habeant dicti officiales ad hoc deputati purum et generale arbitrium solum in exequendo non tamen obmitendo et possint penas et banna imponere et exigere et ipsa exacta in utilitate dicti laborerii seu laboreriorum converti facere, salvo semper alio nostro statuto infra posito sub rubrica ‘De generali dispositione super novis laboreriis districtus Bononie’ [89].

[69] De alveis Sapine qui sunt iuxta Guaçarellum. Rubrica. [cc. 315r-315v]

Statuimus quod unus alveus novus Sapine sive lectus Sapine citra ducentasquinqueginta perticas fieri debeat in fundo Guazarelli et ad hoc ut mellius duret totus alveus dicimus quod votus alveus sive letus Sapine non impleatur, set remaneat, ita quod per utrumque alveum libere aque decurant et nullus debeat impedire dictum alveum//

[c. 315v]

aliquo impedimento arborum vel aliquo alio pena et banno decem librarum bononinorum cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice et si factum est dictum laborerium manuteneatur.

[70] De strata nova que est inter Butrium et Medicinam et inter Butrium et flumen Ydicis et Butrium et hospitale Vulpi, que dicitur strata seu via de Mulinella. Rubrica. [c. 315v]

Ordinamus quod strata que vocatur strata Nova, que est inter Butrium et Medicinam a flumine Quaterne usque ad trivium Castri Butrii et strata seu via Mulinelle a dicto trivio usque ad flumen Idicis et alia via eundo inferius a dicto trivio usque ad dictum flumen per comune Butrii debeat manuteneri et ampliari et ampla teneri per treginta pedes ad minus in latitudine et debeat afossadari ab utraque parte vie bonis et latis fossatis sex pedum ad minus, ita quod aque non decurant in ipsas vias et totum terrenum fossatorum proici et poni debeat in medio vie et explanari, ita quod equaliter ellevetur ad fossata declinando. Et fiant discorsoria in quibuscumque locis in latitudine et longitudine ubi et prout videbitur expedire per terrenum cuiuscumque quilibet fieri permittere teneatur de quo sibi satisfieri debeat secundum formam nostrorum statutorum. Et quod omnes mali passus et calanchi, qui essent in dictis viis debeant aptari et pontes et clavice de lapidibus suffitientes fieri ubicumque fuerit necessarium vel utile videbitur, ita quod omni tempore per eas possit transire eques et pedes et cum curibus et aque bene ad sua loca decurant. Et quod iuxta dictas vias ab omni parte per quindecim pedes ad minus extirpentur et incidantur omnes sepes radicate et arborate que nunc sunt vel pro tempore fuerint exceptis vitibus vinearum. Et predicta fiant et manuteneantur expensis comunis Butrii in quantum protenditur eorum curia exceptis fossatis, que quilibet possessor tereni pro sua testata suis expensis facere et manuteneri teneantur ac etiam suis expensis incidere seu incidi facere et remove sepes et arbores supradictos. Et hoc fieri facere procuret officialis aquarum et stratarum cum fuerit requisitus dum tamen hedifitia domorum positarum iuxta viam predictam ex predictis nullus remove teneatur.

[71] **De via Cedalunge aptanda. Rubrica.** [c. 315v]

Statuimus quod via Cedalunge debeat aptari modo videlicet quod per officialem qui preest aquis et stratis elligantur quatuor boni et fideles viri ex viciniis habentibus vineas in contrata predicta qui una cum dicto officiali fatiant videri stratam predictam et etiam vias habentes capud ad ipsam viam seu stratam per aliquos bonos magistros, qui provideant et extiment modum et formam quibus dicta strata et via reformatur et aptentur, ita quod curus et bestie et honera possint inde conduci sicut soliti erant et quod rive et aque et omnia que dicte vie prestant impedimentum removeantur et recuperentur iura dicte vie. Et extimentur per predictos magistros quantitates sumptuum et operarum, que habent ibi necesse fieri utiles. Et visa summa dictarum expensarum predicti quatuor officiales cum dicto officiali dividant prout eis videbitur dictam summam pecunie inter vicinos habentes vineas et predia in dicta contrata et etiam venientes et redeuntes cum suis curibus et honeribus. Et quilibet solvere teneatur quantitatem sibi impositam ad terminum eis dandum a dicto officiali, sub pena et banno imponenda ab eo et quas dictus officialis exigere teneatur. Et quod predictus officialis habeat super predictis omnibus et singulis extimandis et exequendis plenum et liberum arbitrium. Et possit unum notarium habere cui possit de dicta summa pecunie de suo labore providere et si facta est manuteneatur expensis predictorum.

[72] **De quadam via posita in contrata Caldararie fatienda. Rubrica.** [cc. 315v-316r]

Ordinamus quod quedam via fiat in contrata Caldararie amplitudinis viginti pedum incipiendo a strata, qua itur ad Sanctum Iohannem in Persiceto eundo recte ad filum inferius usque ad illam viam, que est ante domum fratrum Minorum de Caldararia// [c. 316r f. CCCX]

et illis de quorum terreno accipient predicta via de novo fatienda solvatur et satisfiat per suprastantes ad hoc elligendos ad rationem decem librarum bononinorum pro qualibet tornaturia. Et fiant vie et clavige de lapidibus in dicta via ubi fuerit opportunum. Et fiant vie et clavige expensis omnium singularum personarum habentium possessiones inter pontisellos et clavicas a via que est supra domum fratrum ad canonicam et abinde supra usque ad dictam stratam Sancti Iohannis et etiam expensis omnium habentium possessiones a latere sero vie, que est ante domum fratrum usque ad canonicam solvendo quilibet pro tornaturia secundum quod habuit et habebat infra dictos confines et ab omni parte vie nove fatiando fiant et fieri debeant bona fossata quatuor vel quinque pedum amplitudinis expensis eorum, qui habent iuxta dictam viam, ita quod quilibet pro sua testata fodi et fodi facere teneatur. Et predicta fieri fatiat officialis, qui superest seu supererit stratis et aquis et si facta fuerit manuteneatur.

[73] **De dogali seu discursorio Maselarii posito in curia Sancti Iohannis in Persiceto disgomborando. Rubrica.** [c. 316r]

Item quod cum hoc sit dogale seu discursorium aquarum quod vocatur Lomaselaro positus in curia Sancti Iohannis in Persiceto per quod aque labuntur et labi solent incipiendo a strata Sancti Iohannis in Persiceto, qua itur et reditur Bononiam et eundo usque ad locum, qui vocatur Portus Lupi et decurrit in foveam, que dicitur Lobiancolino sit a Deo repletam quod aque que solite sunt labi per eum liberum habere non possint decursum. Et possessiones tam hominum dicti comunis quam hominum civitatis Bononie inundent et steriles fiant, statuerunt et decernerunt quod dictum dogale quod vocatur Lo Mastelelo positum in dicta curia Sancti Iohannis in Persiceto fodi debeat et disgomborari a dicta strata Sancti Iohannis usque ad dictum locum quod vocatur Portus

Lupi ubi dictum Mastellatum ponit caput in fovea Blancolini scilicet pro medietate expensis comunis Sancti Iohannis in Persiceto. Et pro alia medietate expensis omnium habentium possessiones in dicta contrata. Quibus possessionibus ex dicto laborerio sic fatiando possit sequi comodum et utilitas scilicet pro rata et numero tornaturie. Et predicta omnia exequi et fieri facere teneantur officiales, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint officio aquarum et stratarum et ad requisitionem predictorum suprastantium et alterius cuiuscumque, qui sua dixerit interesse quibuscumque remediis oportunis.

[74] De quadam via iuxta flumen Zene fatienda. Rubrica. [c. 316r]

Ordinamus quod via que est iuxta flumen Zene vicinia Montis Calvi fiat et aptetur a campo, qui fuit domini Gelvisii Biselerii superius eundo usque ad ecclesiam Sancti Nicolay in Gradiço fatiando ipsam viam a latere terre Montis Calvi iuxta flumen Zene predictum fatiando ipsam viam per deffensores ipsius fatiando penachios ubi expedierint. Et predicta fieri debeant manutenere per comune et homines terre Gargognani et homines habitantes in villa Vetiani et Riosti et ad predicta fieri fatianda elligatur unus civis, qui habeat possessiones in terra Farneti supra, si facta non est et si facta est manuteneatur.

[75] De quadam via fatianda per stratam novam seu stratam de medio. Rubrica. [cc. 316r-316v]

Statuimus quod via de medio per quam itur ad castrum Sancti Pauli fiat latitudinis quindecim pedum ad minus per terram Russi usque ad pontem qui est supra Quadernam et a dicto ponte ultra directe per prata Varignane pro ut protenditur usque ad voltam rivi Rossoli fiat latitudinis viginti pedum usque ad voltam dicti rivi. Et in dicta volta supra dictum rivum fiat et construatur unus pons lapideus. Ultra vero dictum pontem fiat via amplitudinis ad minus quadraginta pedum tenus dictum rivum eundo inferius usque ad viam Trifortie. Et quod omnes vie que sunt ultra dictum pontem Quadernie sint et manuteneantur affosadate per homines habentes iuxta vias ipsas quilibet pro sua testata fatiando fossata amplitudinis quatuor pedum et cava per duas manus vanghe ad minus.// [c. 316v]

Et fiant pontes super viam ubicumque fuerit oportunum. Et calanchi et mali passus qui in dicta via sunt, repleantur et aptentur. Et fiant predicta expensis comunium terrarum per quorum curias fieri habent exceptis fossatis predictis. Et ad predicta elligantur duo suprastantes et unus notarius per officialem aquarum et stratarum de melioribus dicte contrate, qui habeant possessiones in dictis contratis, qui officiales et superstantes habeant arbitrium in supradictis. Et facta manuteneantur.

[76] De quadam via amplianda et driçanda in curia Sancti Petri in Casale. Rubrica. [c. 316v]

Ordinamus quod vie, que sunt iuxta pratum et riolum plebis Sancti Petri in Casale debeat aperiri et driçari usque ad stratam Gallerie per terram quam olim tenebat Prandinus condam Iohannis et fiat ampla a terreno condam fratris Ramusini usque quo tenebat Ventura Guelcherini expensis comunis et hominum Sancti Petri in Casale facta prius examinatione dicti laborerii per homines dicte terre et strata Gallerie ab utraque parte dicte vie verssus mane, usque ad viam qua itur Urbiçanum verssus Gavasetum fiant fossata amplitudinis quatuor pedum ad minus per eos, qui possident tenus dictam viam et abinde ultra per totam curiam Gavaseti pro ut melius fieri poterit. Et facta manuteneatur.

[77] **De quadam fovea que appellatur Stagnum cavanda. Rubrica.** [c. 316v]

Ordinamus quod fovea que appellatur Stagnum posita in terra Gergençani, Sancti Alberthi, Sancti Benedicti, Masimatici, Sancti Petri in Chasale debeat videri per officialem presidentem officio aquarum et stratarum quolibet anno de mense madii vel augusti. Et si quid invenerit plantatum in ipsa fovea et in ripis ipsius specialiter a latere sero tolli fatiat et a capite inferiori dicte fovee, usque ad viam publicam fiat quoddam fossatum amplum sex pedibus et a dicto fossato iuxta viam usque ad rivale fiant fossata ampla sex pedum et sint cava, ita quod aqua dicte fovee possit decurrere libere ad dictum rivale et fiant dicta fossata per eos, qui possiderent tenus ipsam foveam a latere vero superiori dicte fovee, a via que fuit Petri Triarelli versus sero usque ad campum canonice de Reno levetur dicta via a mane versus sero ubi est calanchus per duos pedes ad minus per longitudinem quatuor perticarum. Et alia via levetur per unum pedem et fiat hoc per homines terre Sancti Petri in Casale. Et fiant predicta omni anno, donec predicta facta fuerint et completa. Et nulla persona audeat frangere seu frangi facere dictam viam vel aliquid facere propter quod aqua dicti stagni in alia parte ipsius vie possit ipsam viam transire pena et banno viginti quinque librarum bononinorum pro quolibet et qualibet vice. Et de hoc per viam accusationis, denuntiationis vel notificationis dominus potestas seu alter ex suis iudicibus seu officialibus et etiam officialis aquarum et stratarum et quilibet per se possit cognoscere, procedere et punire summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii et etiam per viam inquisitionis procedere suo arbitrio et penas exigere nullo iure obstante. Et nichilominus qui ipsam viam fregerit vel destruxerit vel predictorum aliquod fieri fecerit claudere et reaptare teneatur et ad hoc cogatur etiam quilibet sua auctoritate libere et impune claudere et reaptare possit in pristinum statum deducere seu in melius reformari. Et cavetur dicta fovea Stagni per unum pedem ad minus et in longitudine per decem perticas, incipiendo a capite superiori. Et ad predictam foveam cavendam conferre debeat pro numero fumantium comunia et homines terrarum Gherghencani, Sancti Alberthi, Sancti Benedicti, Masimatici et Sancti Petri in Casale. Decursorium vero quod est in capite superiori Stagni usque ad vineam ecclesie¹²⁷⁷ Sancti Petri in Casale debeat vacuari et disgombari et amplum teneri per quatuor pedes ad minus, ita quod aqua libere habeat decursum predictum usque ad Ravidam et facto dicto opere manuteneatur continue et sit precisum in qualibet parte sui.//

[c. 317r f. CCCXI]

[78] **De stradello per quod itur a Sancto Petro in Casale ad Sanctum Beditum. Rubrica.** [c. 317r]

Statuimus quod stradellus per quem itur a Sancto Petro in Casale ad Sanctum Benedictum debeat ampliari, ita quod sit amplitudinis duodecim pedum ad minus. Que ampliatio fieri debeat per pratum, quod est iuxta campum, que est vel fuit fratris Iuliani a latere de subtus iuxta stradellum. Et in quantum protenditur dictum pratum a mane verssus sero sit amplum sexdecim pedum. Et postea a campo, qui fuit Acursii eundo verssus sero usque ad campum qui fuit Bonacursii Merçarii a latere merydiei dicti stradelli, ita quod sit latitudinis duodecim pedum ad minus non computatis fossatis et fiat ampliatio per territorium eorum, qui possiderent predia tenus dictum stradellum prout mellius fieri poterit et fiant fossata ab utraque parte antedicti stradelli et etiam circa campum qui fuit dicti Acursii et sit ampla per quatuor pedes et tantum cava quod

¹²⁷⁷ <ecclesie> aggiunto a margine laterale sinistro con segno di inserzione.

aqua possit decurrere libere per dicta fossata a sero versus mane et a campo quod fuit dicti Bonacursii ampliatur dictus stradellus a latere inferiori et aperiatur et fiat via iuxta campum, qui fuit Rufini Cacipti et ampliatur et fiat per duodecim pedes ad minus et hoc fiat usque ad stratam que vadit usque ad Sanctum Benedictum et terrenum dicatorum fossatorum prohibentur et ampliatur in dicto¹²⁷⁸ stradello et ad hec fieri fatienda elligantur supstantes, qui habeant possessiones iuxta dictum stradellum, qui nichil habeant a comuni Bononie. Et eodem modo ampliatur stradellus, qui est ultra campum, qui fuit fratris Ramisini et vinea, que fuit Michaelis de Aldrovandis, incipiendo ubi est rivale a dicto stradello usque ad viam qua itur ad Sanctum Benedictum. Et hoc fiat expensis omnium terrarum in quarum curia sunt dicti stradelli extimando tornaturia terre quinque libras bononinorum et tornaturia prative et vinee decem libras bononinorum. Fossata vero fiant expensis illorum, qui possident iuxta dictos stradellos. Et si facta sunt manuteneantur expensis predictorum.

[79] **De quodam stradello posito in contrata Vignole reaplando. Rubrica.** [c. 317r]

Item statuimus, quod quoddam stradellum positum in contrata Vignole strate Sancti Donati per quod itur in Licanorio debeat relevari per unum pedem cavando et fodendo ex utrumque parte dicti stradelli et postea debeat ingliari hic ad quatuor annos expensis illorum qui habent possessiones supra dicto stradello usque quo extenditur terrenum domini Bartholomei de Sancto Alberto et hodie heredum domini Iohannis de Bonsignoribus. Et quod omnes arbores existentes supra ipsum stradellum altiores decem pedum incidantur et incidi debeant ut ipsum stradellum deinceps in statu predicto manuteneantur. Et postea manuteneatur expensis predictorum.

[80] **De fovea fosse de Faba manutenenda. Rubrica.** [c. 317r]

Ordinamus quod fovea que dicitur fovea de Faba posita in curia Sancti Georgii seu Argelate, que tenet caput ad riolum perpetuo manuteneantur in amplitudine per quinque pedes et aperta et sbocata a latere superiori et inferiori, ita quod aque libere et expedite valeant decurrere per eam a possessionibus heredum olim Alberti Merçarii usque ad riolum et quod nullus occupet vel aliter aprehendat dictam foveam, que est discursorium aquarum pluvianarum, nec in ea aliquod opus fiat quin aque possint decurrere per ipsum fossatum usque ad riolum, pena et banno vigintiquinque librarum bononinorum cuilibet contrafatienti. Et nichilominus teneatur opus remove, salvo quod possint fieri pontes de lignamine dum tamen non impediunt cursum aque. Et dicimus quod dicta fovea debeat reapari et cavari et ampliari totiens quotiens placuerit maiori parti vicinorum habentium possessiones iuxta dictam foveam expensis eorum, qui possident dictam foveam pro numero tornaturie prout eis videbitur. Et predicta fieri facere teneantur officiales aquarum et stratarum quotiens fuerit requisitum per aliquem ex dictis vicinis. Et propterea manuteneantur expensis predictorum singula singulis referendo.//

[c. 317v]

[81] **De viis per quas itur et reditur ad nemora seu possessiones Butrii. Rubrica.** [c. 317v]

Statuimus quod comune et homines terre Butrii eorum expensis teneantur et debeant facere sibi vias per quas possint ire et redire ad nemora ipsorum seu possessiones cum curibus et animalibus si non habent et si habent ipsas reparare et reparari facere eorum

¹²⁷⁸ <dicto> segue fossato depennato.

expensis, ita quod comode inde possit iri et rediri cum curibus et animalibus, ita quod non intrent seu vadant per possessiones singularum personarum civitatis vel districtus Bononie. Et predicta fieri facere teneantur officiales aquarum et stratarum quando super hoc fuerint requisiti.

[82] **De flumine Lorche et Stagni. Rubrica.** [c. 317v]

Providemus quod flumen Lorche et Stagni cavetur per duos pedes, ita quod ubique sit latitudinis octo pedum ad minus et incipiant predictae ex parte superiori in confinibus guardie Sancte Marie in Donis et Salceti. Et quod via que est super via Navigii Mantoani aperiatur a latere inferiori et aperta remaneat in perpetuum a strata Saletti usque ad stratam Altedi per illud comune in cuius curia est et vie Navigii Mantoani aperiatur directo ubi sunt cluse, ita quod aque dictorum fluminum habeant liberum cursum inferius per ipsa flumina Stagni et Lorche. Et fiant ibi duo pontiselli de lapidibus et calcina expensis terrarum Sancte Marie predictae, Sancti Martini et domorum Fabrorum et sint dicti pontiselli amplitudinis et longitudinis octo pedum et altitudinis secundum quod expeditur. Et quod¹²⁷⁹ predicta cavamenta duorum pedum et latitudinis octo pedum fatiat unusquisque per suam testam et fossata quadra per totam curiam Sancte Marie predictae et Salceti caventur per duos pedes et ampliuntur ubique ita quod sit latitudinis ad minus sex pedum et hoc fatiat unusquisque per suam testam et ubi essent aliquae possessiones conscripte in comuni Bononie aliqua de causa iuxta ipsam foveam unde dominus rex redditum non haberet fiat expensis comunium terrarum in quarum curia esset. Et quod unus pons lapideus de calcina et lapidibus decem pedum fiat et fieri debeat super Navigio Mantoano super strata, qua itur ad Salcetum ante domum, que fuit Petri Manglionis expensis terrarum Casteline, Salceti, Sancte Marie in Donis et Sancti Martini et quod dicta flumina et via debeant aperta et libere remanere et manutenere perpetuo ut superius dictum est et quod nullus audeat vel presumat claudere ipsa flumina vel viam et si quis contrafecerit puniatur in quinqueginta libris bononinorum cuius medietas sit comunis et alia acusantis. Et nichilominus sit liberum unicuique aperire impune viam et flumina. Et ad predicta fatienda et fieri fatienda elligantur duo boni viri et unus notarius qui habeat in ipsis contratis ad minus quilibet sexaginta tornaturie terre per officialem aquarum et stratarum. Et habeat dictus officiales circa predicta et quodlibet predictorum liberum et merum arbitrium in condemnando contrafatientes. Item dicimus, quod antequam fiant dicta laboreria videatur primo per ingignerios elligendos per officialem predictum et examinentur si et¹²⁸⁰ eis videbitur dicta laboreria comunem utilitatem continere et magis utile quam dampnosum procedat dictum opus et aliter non. Et credatur de predictis relationi dictorum ingigneriorum de novo mitendorum et si predicta facta sunt manuteneantur.

[83] **De via aptanda in curia Miseraçani. Rubrica.** [cc. 317v-318r]

Ordinamus quod via per quam itur ad Bedostras incipiendo iuxta stratam per quam itur Florentiam, que est iuxta vineam que fuit Rolandini Bisciviçe et eundo usque ad domum et locum, qui fuit domini Nicolay de Oselitis debeat aptari et ampliari per decem pedes sine fossatis fatiendo fossata quilibet per suam testatam et satisfieri debeat de terreno pro dicta via amplianda illis quibus acceptum fuerit de ipsa via ad rationem vigintiquinque librarum bononinorum pro tornaturia vinee et predicta fieri debeant expensis vicinorum ab utraque parte vie predictae et alliorum hominum habentium

¹²⁷⁹ <quod> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹²⁸⁰ <et> *in infralinea con segno di inserzione.*

possessiones a dicta strata superius et qui habent ire et redire per dictam viam. Et ad predicta fieri fatienda elligantur duo boni homines unus quorum sit notarius, qui habeat possessiones in dicta contrata. Et elligi//

[c. 318r f. CCCXII]

debeant per officialem, qui preest vel preerit stratis et aquis et si facta esse manuteneatur expensis predictorum.

[84] **De non molestando alterum pro altero pro aliquo laborerio. Rubrica.** [c. 318r]

Statuimus quod quotienscumque contingerit aliquod laborerium alicuius strate factum et fatiendum in comitatu Bononie aptari seu reparari pro manutenendo ipsum laborerium, quod laborerium divisum fuerit vel dividetur inter comunia terrarum seu homines aliquos quando fractum fuerit vel fiet quod illa eadem pressa seu pars que obvenit vel obveniet in principio laborerii facti vel fiendi vel postea si ipsius laborerii divisionem vel designationem mutatam esse vel mutari contingerit semper designetur atanda vel reparanda ei seu eis vel quibus ab initio operis vel postea ut supra fuerit vel erit designata et si per offitialem vel offitiales qui preherunt ipsis laboreriis data vel designata fuerit alia pressa seu pars que tangebatur et designata fuerit alteri ab initio operis vel postea ut supra et ille alius laboraret in ipsa alterius pressa mandato officialis seu officialium predictorum dicimus, quod ille in cuius pressa seu parte ab initio vel postea ut supra designata fuerit laborabitur per alium debeat laborari in aliena pressa scilicet eius qui laboraverit in sua ponendo ibi tot operas quot per alium in sua parte et alius posuerit si egebit alias refitiant extimationem operarum. Et predicta fieri fatiant officiales aquarum et stratarum et suprastantes cuiuslibet laborerii qui pro tempore fuerint.

[85] **De duabus viis fiendis et manutenendis iuxta flumen Quaterne usque ad stratam de Cavagli.** [cc. 318r-318v]

Providemus quod a ponte Quaderne posito in strata recta Medicine supra flumen Quaderne vel saltem a strata qua itur de Butrio Medicinam tenus dictum flumen seu tenus ageres dicti fluminis pro ut conveniens fieri videbitur eundo inferius usque ad stratam de Cavagli fiant et quatenus facta sint vel erunt perpetuo manuteneantur due vie libere et expedite scilicet una ex utraque parte in ea latitudine que prout suprastantibus laborerii strate Medicine, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint vel aliis ad hec deputatis necessaria seu sufficiens vel utilis videretur, ita quod inter campos et viam debeat esse fossatus sufficiens sive rivale vel argere. Et fiant clavige de lapidibus ubicumque pro ipsa via manutenenda que necessaria viderentur. Que clavige fiant expensis illorum comunium in quorum curiis esse reperirentur. Fossata vero et rivale seu argeres fossatorum fiant expensis possessorum habentium tenus flumen scilicet cuiuslibet pro sua testata. Aggeres autem principales dicti fluminis et ripe ipsius reapertur et manuteneantur expensis comunium in quorum curiis esset scilicet cuiuslibet comunis in suo terreno seu curia. Et si nimis magna expensa aggerum et riparum videretur ad eam¹²⁸¹ etiam conferrat possessiones habentes tenus flumen, qui infrascriptis videbuntur et quantus ipsorum dampnum et utilitas suaderet arbitrio officialium aquarum et stratarum et dominorum defensorum averis, qui pro tempore fuerint vel maiori parti eorum. Et quilibet terrenum habens tenus dictum flumen de ipso terreno quantum pro

¹²⁸¹ <eam> in infralinea con segno di inserzione.

ipsis¹²⁸² viis et fossatis seu ripis vel aggeribus necessario videretur dare teneatur etiam sine aliquo pretio exinde recipiendo cum constet vias antiquas dicti fluminis in ea parte a circumviciniis antiquis et novis indebite detemptas et occupatas fuisse. Et hoc facere fieri precise teneatur officialis qui est vel tempore fuerit officio aquarum et stratarum quatenus est super territorio Bononie et procurare cum dominis antianis et cum deffensoribus averis quod idem fatiant et fieri fatiant per comune et homines Ville Fontane de Medicina et subditos dicti comunis habentes possessiones in territorio Medicine tenus flumen, quos possit compellere ad predicta remediis oportunis. Item facere et procurare teneantur ut supra quod fiat et manuteneatur unus pons super dicto flumine Quaderne de lapide seu bono lignamine in dritura vie qua itur a terra Butrii Medicinam expensis comunis Butrii pro dimidia et comunis//
[c. 318v]

dicte ville Fontane pro alia dimidia. Item procurare quod dictum comune Ville Fontane debeat facere et manutenere unum pontem suis expensis super suo territorio super flumine Gayane in ea parte qua intrat dictum flumen Quaderne, ita quod inde transiri possit cum personis, bestiis et curibus usque ad dictam stratam de Cavagli etiam per dictam viam fiendam super territorio Medicine.

[86] **De via fatienda usque ad¹²⁸³ silvam de Flamengha. Rubrica.** [c. 318v]

Mandamus quod a strata maiori, qua itur ad castrum Sancti Petri eundo sursum usque ad silvam Flamengue positam in curia Bisani seu in circumstantiis tenus flumen Quaderne vel alibi ubi melius et conveniens videretur fiat et facta ac fienda manuteneantur una via in ea latitudine que et prout omni tempore sufficere videretur que sit abillis omni tempore ad eundum et redeundum a dicta strata ad silvam predictam. Et e converso cum personis, equis et curibus lignorum et aliis quibuscumque necessariis pro copia habenda de lignis dicte silve. Ita quod in ea non sint vel esse debeant aliqui calanchi vel mali passus ex quibus impediri valeat versus dicte vie et siqui sunt vel erunt reaptentur et reformatur remedio clavigarum et pontium et aliis opportunis remediis prout expedire videbitur. Ad que omnia fatienda et expensas necessarias in predictis teneantur et compellantur dictum comune Visani, comune Varignane, Ulgiani et alia comunia per quorum curias predicta via protenderetur et pro rata extimi cuiuslibet predictorum. Et quod quilibet terrenum habens in hiis partibus per quas via protenderet de ipso terreno pro ipsa via fatienda et manutenenda gratis et sine aliquo pretio dare et conferre teneantur nec resistere possit vel debeat quin accipi possint et debeant tantum quantum pro ipsa via fienda, manutenenda et amplianda necessarium videtur. Et predicta omnia et singula precise fieri facere teneatur officialis aquarum et stratarum, qui nunc est vel pro tempore fuerit quotiens fieri poterit remediis opportunis.

[87] **De ponte fiendo super Lavinum ad Rivabellam. Rubrica.** [cc. 318v-319r]

Statuimus quod fiat et fieri debeat unus pons ligneus de bono et grosso lignamine et assidibus de bona rovere et bene fondatus compositus et ordinatus super Lavinum in loco ubi dicitur Rivabella iuxta domum Vilani Amadoris et iuxta viam Lande recta linea vel ibi prope ubi magis utile videbitur officiali stratarum et suprastantibus elligendis ab una ripa ad aliam latitudinis et altitudinis secundum quod necessarium fuerit et quod fiat etiam via equalis et plana ab utraque parte pontis per decem perticas si equalis non est, ita quod libere et expedite possit iri et rediri per dictam viam ad pontem et per pontem

¹²⁸² <ipsis> *dittografato ed espunto.*

¹²⁸³ <ad> *segue viam espunto.*

eques et pedes cum curibus et animalibus. Que omnia fiant expensis infrascriptorum comunium et hominum videlicet et omnium singularum personarum, tam civium quam nobilium comitatus habentium possessiones aratorias, vineas vel buscivas et alias ex quibus comodum vel fructus percipitur ultra dictum Lavinum in aliqua seu aliquibus ex terris seu curiis in scriptis videlicet conferendo quilibet ex predictis habens possessiones aliquas ex predictis in dictis terris seu curiis, ut dictum est decem et octo denarios parvos pro qualibet tornaturia. Reliquum vero quod defficeret pro dicto laborerio fatiendi expensis infrascriptorum comunium que conferre debebant dicto laborerio pro ut videbitur officiali predicto et supstantibus dicti laborerii videlicet comunis¹²⁸⁴ Gissi, comunis Predose, comunis Lamole, comunis Oçani, comunis Montis Sancti Iohannis, comunis Sancti Laurentii in Colina, comunis villarum Sancti Laurentii in Colina, comunis Savigni, comunis Samodie, comunis¹²⁸⁵ Savignani, comunis Montis Marvi, comunis Tigliole, comunis Serravalis, comunis Monçorgii, comunis Zapolini, comunis Cantagalli, comunis Montismaioris, comunis Montis Sancti Petri, et comunis Roche Masenate et aliorum omnium et singulorum comunium et hominum habentium ire et redire per dictum pontem mandantes quod massarii¹²⁸⁶//

[c. 319r f. CCLXIII]

terarum et cuiuslibet ipsorum teneantur et debeant infra octo dies postquam eis preceptum fuerit vel denunptiatum per dictum¹²⁸⁷ officialem aquarum et stratarum scilicet quilibet massarius per se de suis curiis seu terris dare inscriptis omnes et singulas personas cives et nobiles comitatus habentes possessiones in suis terris et curiis et numerum et quantitatem tornaturiarum quas habet quilibet eorum per se distincte et separate dicto officiali stratarum, pena cuilibet massario et comuni obmitenti vel contrafatienti centum librarum bononinorum. Et nichilominus massarii et comune obmitentes vel contrafatientes pro hiis quos obmiserit conferre et solvere teneantur. Et quod nullus audeat vel presumat ire vel transire eques, pedes cum curibus vel bestiis dictum Lavinum, nisi per dictum pontem, sub pena decem librarum bononinorum pro qualibet vice qua de facto dominus potestas ad petitionem cuiuscumque denunptiantis aufferre possint infra tertiam diem postquam liquidum fuerit. Ad quos opus fatiendum et fieri fatiendum elligantur tres supstantes quorum unus sit notarius, qui habeat possessiones iuxta dictum Lavinum in aliqua ex dictis terris seu curiis per dictum officialem aquarum et stratarum et per defensores averis, qui teneantur et debeant predicta executioni mandare infra annum a die depositionis ad camaram presentium statutorum. Et nichilominus si infra dictum terminum facta non fuerint predicta infra alium annum et sic sucessive dictus officialis aquarum stratarum, sub pena quinqueginta librarum bononinorum fieri facere teneatur. Et facto dicto ponte manuteneatur et manuteneat perpetuo per dicta comunia ut dictum est.

[88] De declaratione supradictorum statutorum factorum de laborareriis comitatus et districtus Bononie. Rubrica. [c. 319r]

Statuimus quod omnia et singula supra disposita de strata Gallerie et Lamarum et allia subsequencia que locuntur de stratis, viis et discursoriis pontibus, fossatis, aquis et aliis laboreriis districtus Bononie debeant omnino observari et ubi statuta predicta non disponerent antiqua statuta et provisiones nostri comunis debeant observari salvis

¹²⁸⁴ <comunis> *corregge comune.*

¹²⁸⁵ <comunis> *corregge comune.*

¹²⁸⁶ *Nel margine inferiore della carta, racchiuso da cornice: terrarum et cuiuslibet ipsarum.*

¹²⁸⁷ <dictum> *in infralinea con segno di inserzione.*

semper aliis nostris statutis. Et ubi predicta statuta vel provisiones predictas provisum non sit provideant domini antiani ut sibi videbitur iustum.

[89] **De generali dispositione super laboreriis districtus Bononie. Rubrica.** [cc. 319r-320v]

Considerantes non esse possibile secundum humanum ingenium singulis fucturis casibus laboreriorum comitatus et districtus Bononie certo et terminato modo secundum occurrentem casuum providere propter quod utillius et melius expedire videtur¹²⁸⁸ casus etiam fucturos sub certa, determinata et generali comprehendere regula. Idcirco statuimus, quod quotienscumque contingerit ripas, aggeres seu paratorias alicuius fluminis, stagni, rivii seu discursorii aliquarum aquarum comitatus et districtus Bononie ubicumque fuerit infra sceu intra dictum districtum et comitatum frangi, rumpi seu aliter corrumpi, devastari vel alvea ipsorum fluminum, stagnorum, rivorum seu discursorum repleri seu altius ellevari per que vel predictorum aliquod videretur seu diceretur aquas ipsorum fluminum, stagnorum, rivorum seu discursorum inundare seu dampnificare posse vias et stratas seu possessiones aliquorum vel pontes seu clavigas supra illa constructas vel construendas vel construendos devastari vel ipsarum viarum seu stratarum uxum impediri possint et teneantur officiales qui pro tempore fuerint officio stratarum, pontium et aquarum et viarum ad petitionem cuiuslibet, qui sua diceret et iuraret interesse, adhuc quam citius fieri poterit vicarius domini potestatis Bononie qui pro tempore fuerit et eidem in scriptis porrigere casum seu factum qui seu quod occurreret in predictis ex quo dampnum seu periculum vel incomodum posse redundare diceretur ut supra ipsumque requirere quod super eis pervideri debeat prout ei videbitur expedire ut eis possit remedium celleriter adhiberi. Qui dominus vicarius una cum ipsis officialibus possint et teneantur statim elligere vel quam citius fieri poterit aliquos bonos viros prudentes et legales habentes possessiones quilibet ad minus quadraginta tornaturiarum in contrata in qua talis casus occurreret. Et duos bonos et legales magistros expertes in talibus laboreriis et hiis, que ad predicta utillia seu necessaria viderentur et dictos bonos viros et magistros mittant ad locum predictum ad quem sine aliquo sallario ire teneantur exceptis magistris si tales fuerint qui ibidem//

[c. 319v]

possessiones non habeant, ut supra, quibus sallarium tassetur et detur arbitrio dicti domini vicarii eisque iniungantur quod debeant diligenter videre, examinare et extimare totum illud de quo tale periculum dampnum seu incomodum timeretur et quicquid fieri expediant ad obviandum predictis tam pro ipso tempore quam fucturo. Et expensa que in predictis necessaria viderentur et etiam examinare et inquirere omnes et singulas et de omnibus et singulis, qui ex predictis si non provideretur dampnum possent sentire vel si provideatur comodum reportare videretur. Et quantum dampnum seu comodum seu in quibus et pro quibus possessionibus exprimendo qualitatem et quantitatem possessionum et nomina possessorum et in quibus terris seu curiis terrarum esset tale laborerium seu quibus prodesset seu noceret ut supra. Et de omnibus terris, collegiis et personis que ad predicta soliti sunt conferre vel videretur debere conferre, ubi de solita collatione non constaret pro ut mellius et clarius fieri poterit. Ipsaque omnia distinte et clare in scriptis redigant et ea refferant et in scriptis tradant ipsi domino vicario et predictis officialibus. Qua relatione facta, siquidem de tali opere et eius expensis aliqua lex municipalis comunis Bononie specialis, que hodie vigeat facta reperiat, illa¹²⁸⁹ tamen debeat observari. Si vero non reperiat dictus dominus vicarius, officiales stratarum et dicti

¹²⁸⁸ <videtur> *corregge* videbitur.

¹²⁸⁹ <illa> *nel testo* ila.

boni viri et magistri ad predicta electi et transmissi, requisitis primo predictis, qui dampnum vel incomodum reportarent et eorum qui comparerent consilio et voluntate auditis et intellectis super hiis que relata fuissent, possint et debeant providere, declarare et confirmare an etiam quatenus procedi debeat in ipso opere de quo tractaretur et que comunia terrarum collegia seu singulares personas et pro qua parte conferre debeant ad expensas necessarias in predictis. Que expense fiant per illos, quorum expensis hoc fieri consueverat, si hoc constet alias eorum arbitrio dividendo expensas, ita quod omnia comunia conferant pro dimidia tantum inter ea pro rata ipsorum extimorum dividendo inter eos et pro alia dimidia conferant illi ad quos possessiones pertinerent dividendam inter eos pro rata tornature et dampni ac comodi, quod ex predictis vitarent seu sentirent. Et si expensa operis ita magna videretur quod ipsam curiam vel alios qui conferre debent, ut supra, viderentur non posse tollerari, possint adiungere alias personas et comunia prout eis videbitur convenire et expedire que conferrant pro rata prout per eos fuerit declaratum ipsamque etiam expensam inter predictos aliter et pro alia parte dividere possint prout eis videbitur convenire. Et secundum quod provisum, firmatum seu declaratum fuerit per predictos omnes vicarios et officiales predictos et alios electos ut supra vel maiorem partem ipsorum procedatur et fiat. Et ipsi officiales possint et teneantur ea omnia executioni mandare et mandari facere toto posse quibuscumque remediis oportunis. Et quod quodlibet ex ipsis comunibus et personis ad predicta teneantur conferre et compelli possint per dictos officiales pro rata et prout fuerit declaratum, ut supra a quibus melius se valeat excusari nisi pro se sententiam latam haberet pro qualitate et quantitate collationis fiende ex eo quod conferre debent ad illud laborerium contullissent. Et idem intelligatur et fiat ubi tractaretur vel petitio porigeretur de aliqua nova via vel strata fienda vel ponte, discursorio vel claviga, ripa seu aggere de novo fiendis, driçandis vel ad aliam formam reducendis vel de aliquo alio laborerio in comitatu et districtu Bononie fiendo de novo que ad comunem¹²⁹⁰ utilitatem maxime vicinorum redundare videretur vel diceretur. In laboreriis autem veteribus cuiuscumque conditionis reffitiendis, reaptandis et manutenendis in civitate et comitatu Bononie et eius districtu ac etiam in novis iam incoatis perfitiendis leges municipales comunis Bononie de hiis specialiter facte et nunc vigentes etiam si hoc statutorum volumine non sint comprehense in hiis et in quibus quatenus disponant dumtaxat possint et debeant observari. Laboreria vero publica et in locis publicis civitatis per comune Bononie et expensis comunis debeant reffici et¹²⁹¹ manuteneri. Et siquidem in aliquo ob stare vel minus plene provideri videretur possint per dominos antianos suppleri//

[c. 320r f. CCCXIII^{or}]

et declarari et executioni mandari prout per ipsos provisum seu deliberatum exstiterit. Preterea dicimus, quod comunia terrarum comitatus teneantur manutenere vias et stratas comunis, pontes et clavigas positos et positas in curiis eorum scilicet quodlibet comune in sua curia, rectas et in sua debita latitudine et longitudine et ubi recte non sint eas driçare si utile vel necessarium videretur, ita quod in eis non sint aliqui calanchi vel mali passus vel aliqua alia impediencia transitum personarum, bestiarum et currum. Et ita quod per¹²⁹² ipsas vias, pontes, stratas et clavigas possint omni tempore libere et expedite pertransiri cum personis, bestiis et curibus et aque quecumque suum liberum et rectum habeant et habere possint decursum ad sua discursoria vel alia loca ad que mellius et naturalius possint habere decursum. Ubi vero nulli pontes seu clavige vel discursoria essent vel non suffitientes seu suffitientia, de novo fiant et ad congruum

¹²⁹⁰ <comunem> *corregge rationem.*

¹²⁹¹ <et> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹²⁹² <per> *in infralinea con segno di inserzione.*

statum reducantur et manuteneantur expensis ipsorum comunium et aliorum eorum singularum personarum, que et prout conferre debent vel consueverunt ad predicta. Et possessiones terrarum tenus ipsas stratas, flumine rivos seu discursoria facta vel boca in quibus de novo fierent teneantur de suo terreno dare et consignare tantum quantum pro predictis fuerit opportunum et etiam eis invitis accipi possit per eos qui facere debuerint vel fecerint supradicta quibus de ipso terreno satisfiat per eos, qui conferre debuerint ad predicta iusta extimatione fienda arbitrio dictorum officialium. Si tamen questio esset inter vicinos cuius¹²⁹³ terrenum conferre debeat et pro qua parte, arbitrio dicti vicarii et officialium stratarum dividatur et eorum divisioni stetur. Item teneantur dicti possessores facere et habere ac facta et fienda manuteneere fossata lata sex pedibus ad minus et cava secundum proportionem et plus et minus arbitrio officialium predictorum inter possessores seu vias et stratas, si fossata ibi esse consueverunt vel ibidem necessaria viderentur. Et ea semper disgomborata manuteneere sine repletionem, splanationem vel alio impedimento, ita quod aque pluvie et allie quecumque in ipsa fossata et pro ea ad sua discursoria habeant et habere possint suum liberum et expeditum decursum, ipsorum possessorum expensis scilicet cuiuslibet pro testata sui terreni. Et insuper teneantur possessores predicta facere et manuteneere suis expensis pontisellos de lapidibus vel de bono lignamine per quos de domibus seu campis ad stratas seu vias vel e conversso adhitus haberetur vel haberi deberet in altitudine vel latitudine, ita quod fossata vel discursoria nullo modo impediuntur vel repleantur vel decursus aquarum decurrentium ad predicta, sub pena viginti quinque librarum bononinorum. Et nichilominus ad predicta teneantur et compellantur. Item quia quedam sunt vie comunes seu vicinales, que adhitum habent ad vias seu stratas magistras seu alias comunes et in ea parte, qua cum eis iunguntur decursus aquarum impediuntur, mandamus quod in ea parte fiant pontes seu clavige suffitientes ad ipsum decursum expediendum expensis vicinorum, si fuerint vicinales. Si vero comunes, tunc expensis eorum, qui ipsas manuteneere deberent. Dicimus etiam quod nullus debeat vias, stratas vicinales vel comunes, publicas vel discursoria seu fossata aliarum terrarum aquas recipere consueta occupare vel occupatas seu occupata reptinere vel ipsa discursoria seu fossata sua vel aliena per que aque vicinales vel superiores decurrere consueverunt, claudere vel replere vel aliter impedire vel clausa repleta vel impedita reptinere vel pontes vel clavigas destruere vel ripas dictorum fluminum vel discursoriorum incidere vel aliter devastare in preiudicium vel lixionem alicuius universitatis vel singularis persone. Imo illa, que sua sunt vel in suo terreno, semper manuteneere aperta, cava, libera et disgomborata. Ita quod decursus aque nullo modo impediatur vel valeat impedi. Et si quis contrafecerit vel predicta non servaverit, penam incidat viginti quinque librarum bononinorum pro qualibet vice. Et nichilominus quod occupasset vel occupare teneret seu clausum, repletum vel impeditum vel destrusisset vel devastasset, relapsare, aperire et vacuare, disgomborare et in pristinum statum suis expensis restituere et reducere omnino teneatur. Et nichilominus lexis et dampnum passis dampnum emendare sumarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii et ne strate publice et vie vicinales et possessiones singularium personarum existentes flumina aquarum in totum deperereant, sed valeant reparari, //

[c. 320v]

providemus quod quotienscumque strata aliqua vel via publica vel vicinalis vel possessio alicuius singularis persone esset iuxta aliquod flumen et propter impetum dicti fluminis destrueretur vel dampnum pateretur, quod liceat cuilibet habenti possessionem iuxta dictum flumen immediate seu via publica vel vicinali mediante, laborare in lecto dicti fluminis et aquam dicti fluminis conducere per alveum antiquum seu consuetum

¹²⁹³ <cuius> in *infralinea con segno di inserzione*.

dicti fluminis suis expensis, dummodo laborerium predictum non excedat dimidium alvei seu leti antiqui dicti fluminis et dummodo ex predicto laborerio convicinio preiudicium seu lesio generari non possit de quo si dubium verteretur stetur et stari debeat declarationi duorum vel trium bonorum virorum elligendorum per officiales offitii aquarum, pontium et stratarum. De quibus omnibus in hoc statuto contentis et aliis quibuscumque ad ipsorum officialium officium pertinentibus possint et teneantur dicti officiales aquarum et stratarum ad petitionem cuiuscumque et etiam suo mero officio inquirere, cognoscere et procedere et terminare simpliciter de plano sine strepitu et figura iudicii et omni tempore etiam feriato. Et etiam omnia executioni mandare et mandari facere quibuscumque remediis opportunis et inobedientes in quolibet casuum punire usque ad centum solidos bononinorum inclusive pro qualibet inobedientia comuni Bononie aplicandis et banna imponere et exigere pro comuni Bononie usque ad predictam quantitatem pro qualibet inobedientia et quod ab ipsorum sententiis in predictis non valeat appellari vel restitutio peti nec de nullitate opponi. Salvis semper maioribus penis per nostra statuta impositis, quas imponere possint prout in eis continetur.

[90] **De iuribus et confinibus comunis et populi civitatis Bononie manutenendis.**

Rubrica. [c. 320v]

Quia negligencia omnia ledit et comunis oppinio divulgat et clamat maioris vel equalis esse virtutis deffensare quesita quam nova querere. Et multa ad comune Bononie spectantia et pertinentia ex defectu et culpa actenus regentium civitatem Bononie sint ab aliis detempta et ocupata in grave dampnum et obrobrium comunis et civitatis et civium Bononie. Idcirco indempnitati dicti comunis et civitatis et civium comitatus Bononie providere volentes provida deliberatione duximus statuendum quod domini antiani comunis Bononie, qui nunc sunt vel pro tempore fuerunt, vinculo sacramenti teneantur dare operam cum effectu toto posse et procurare quod confinia comitatus et districtus Bononie sicut protendunt ex qualibet parte, ex privilegio imperatoris Theodosii vel alio quocumque iure et omnia que sunt infra dictos confines vel que sunt vel fuerunt actenus per comune Bononie vel ipsius nomine vel habentis causam ab eo tenta, posessa vel quasi, maxime usque ad annum domini millesimi trecentesimi septuagesimi octavi vel infra dictum tempus teneantur vel possideantur vel quasi per ipsum comune Bononie quoad merum et iustum imperium et omnimodam iurisdictionem et subsint dicte civitati et comuni Bononie et etiam regentibus pro dicto comune sicut alie terre comitatus et districtus Bononie. Non obstantibus aliquibus pactionibus, transationibus, conventionibus, alienationibus vel aliis quibuscumque quomodocumque vocabulo et nomine censeantur vel nuncupentur, factis vel que facta dicerentur per aliquem vel aliquos, qui pretenderent vel pretendissent aliquem titulum habere vel habuisse in civitate, comitatu vel districtu Bononie vel per aliquos alios nec aliquibus sententiis, arbitriis vel arbitramentis vel laudis quocumque tempore latis. Que omnia cassamus, annullamus et irritamus et cassa et nulla et irrita declaramus et nullius valoris et momenti esse volumus auctoritate presentis statuti in quantum facerent in preiudicium comunis Bononie. Et quod quilibet contractus qui fieret infra dictos confines sub alio nomine quam sub nomine districtus Bononie, ipso iure non teneat nec valeat. Et quilibet notarius, qui infra dictos confines fecerit instrumentum, quando apponet locum confecti instrumenti debeat ponere quod locus sit in districtu Bononie. Et predicta dicti domini antiani toto posse fatiant fieri et executioni mandari. Item quod vie de Pugliola civitatis et vie, que sunt iuxta muros dicte civitatis conserventur in forma debita et consueta et si

non sunt in debita et consueta, reducantur ad debitam et consuetam formam per officiales fanghi et stratarum vel eorum alterum ad petitionem cuiuscumque persone.// [c. 321r f. CCCXV]

[91] Conclusio predictorum statutorum et ordinamentorum comunis Bononie. Rubrica. [cc. 321r-322v]

Quia omnia statuta et ordinamenta in hoc volumine contenta et etiam alia specialiter approbata per statuta presentia licet non claudantur in presenti volumine, sunt visa et declarata solempniter et sedula industria et pervigili, ausilio omnipotentis domini nostri Iesu Christi et gloriose virginis Marie matris eius ad terminum et finem debitum sunt deducti. Ideo ad ipsorum conservationem perpetuam pro honore et statu populli et comunis Bononie et ne ex ipsis vel eorum aliquo contrarietas, obscuritas vel dubium possit insurgere, sed omnia recte intelligentibus sint dillucida et aperta utile et quasi neccessarium esse dignoscitur, ipsa statuta et ordinamenta certo et indubitato fine claudere. Statuimus itaque et ordinamus, quod verba presentium statutorum et in eis aprobatorum in genere quocumque prolata vel numero intelligantur prolata in quolibet alio genere et numero, si casus ille contingere possit, in alio genere vel numero et contingat perinde ac si ibidem forent adiecta verba et posita cuiuslibet generis vel numeri. Et verba prolata de singulis vel uno vel pluribus intelligantur dicta et prolata de universitatibus, collegiis vel comunitatibus si casus ille positus de uno vel pluribus locum habere possit sive pravo vel absono intellectu in universitatibus collegiis vel comunitatibus. Et quod ipsa statuta et ordinamenta in qualibet ipsorum parte debeant intelligi et servari secundum verum et sanum intellectum litere et absque absano intellectu et sine glosatione, subauditione vel interpretatione per quam vel ex qua absonus vel absurdus seu pravus intellectus insurgeret. Item quod in quacumque parte nostrorum statutorum vel aliorum statutorum comunis Bononie etiam in posterum fiendorum mentio haberetur de hoc verbo iuris generaliter non absolute prolato intelligatur de iure municipali comunis Bononie, si tale ius in eo facto vel casu disponeret, alias de iure comuni civili in talibus disponente ubi vero diceretur secundum formam iuris et statutorum, seu secundum formam iuris vel statutorum, tunc ius statutorum prius debeat observari. Et idem intelligatur si ab homine in iudicio vel extra verba huiusmodi preferantur. Et ubicumque et quocumque casu ius municipale disponeret, ius aliquod comune in casu disposito¹²⁹⁴ non vendicet sibi locum etiam si contra vel aliter disponere videretur, et ubi ius municipale non disponeret, tunc in quolibet casu ius comune civile debeat observari. Salvo quam in probationibus fiendis in causis appellationum, in quibus probationibus iura canonicha hoc tamen casu iuri civili preferri volumus, nisi sint probationes parentele vel et mortis, que fieri possint in causis predictis appellationum, non obstante quod super eisdem capitulis testes aliqui super principali causa recepti fuissent. Et quod omnia et singula statuta in hoc volumine contenta et etiam statuta, ordinamenta, reformationes ac provisiones per statuta presentia innovata seu confirmata cum additionibus, detractationibus et modificationibus eis factis et prout facte reperirentur et contempta in qualibet eorum parte valeant et teneant et habeant plenum robur. Et debeant observari per dominos antianos Bononie et per dominum potestatem et per dominum capitaneum populi et per quemlibet ipsorum officialem et per duos confalonerios et massarios artium comunis Bononie et per alios officiales comunis predicti et per quoscumque dellegatos seu comisarios et per quascumque singulares personas et universitates. Et quod de ceptero prevaleant omnibus et singulis ordinamentis, statutis, reformationibus et provisionibus comunis Bononie que

¹²⁹⁴ <disposito> *corregge* dispositio.

hiis statutis in aliquo obviarent vel hiis contradicerent. Atendentes insuper quod multi sunt processus pendentes in causis civilibus per litem contestatam vel quasi seu per simplicem contradictionem et alii in quibus solus libellus vel petitio oblatus vel oblata est vel¹²⁹⁵ ultra processum sine lite tamen contestata vel quasi in quorum prosecutione et terminatione hec statuta possent varietatem et dubitationem inducere. Ad premissorum declarationem decernimus et mandamus quod presentia statuta locum non habeant in aliquibus causis pendentibus in quibus instantia cause vel causarum incoata essent tempore quo presentia statuta incipient habere vires in quibus omnibus causis vetera iura municipalia de hiis tractantia quoad ordinationem iudicii et decisionem negotii principalis debeant observari, donec fuerit lata sententia post sententiam vero si nullo fuerit remedio atentata hec nova statuta servantur. Si vero fuerit appellatum vel de nullitate oppositum vel propositum vel in integrum restitutio petita, tunc quoad ordinationem iudicii et procesum nova statuta servantur. Et quoad decisionem, vetera debeant observari. Item providemus//

[c. 321v]

quod in quibuscumque causis criminalibus pendentibus, incoactis tempore quo presentia statuta incipient habere vires in quibus acusatio vel inquisitio de crimine sit formata et partis citatio saltem semel facta vel responsio rey subsequuta, vetera statuta vigentia tempore comissionis delicti quoad processum et decissionem servantur. In aliis vero causis incoandis pro quibuscumque criminibus presentia nova statuta quoad omnia vendicent sibi locum. Predicta autem omnia in hac conclusione contenta et in quolibet casuum predictorum locum habeant, nisi in aliquo statuto in presenti volumine incluso aliud specialiter caveretur. Quorum autem statutorum in presenti volumine contentorum observantia inchoari volumus post duos menses statim a die depositionis presentium statutorum fiende ad camaram actorum populi et comunis Bononie. Et siquis in aliquo contrafecerit hiis vel alicui ex hiis, que presentibus statutis¹²⁹⁶ et statutorum conclusione sunt statuta et ordinata vel omnia et singula in hoc statuto et statutorum conclusione contenta non servaverit. Siquidem fuerit potestas vel capitaneus ex ipso facto ipso iure incidat in penam ducentarum librarum bononinorum pro quolibet comisso et pro quolibet obmisso in centum librarum bononinorum. Et nichilominus teneatur in quolibet dictorum casuum comuni Bononie ad interesse si eius intererit et etiam cuilibet singulari persone ad interesse, salvis semper maioribus penis per nostra statuta specialiter impositis. Et idem in vicario, iudicibus et militibus cuiuslibet ipsorum et si fuerit aliquis alius de familia alicuius ipsorum cadat in penam quingenta librarum bononinorum et ad interesse ut supra salvis maioribus penis ut supra. Et quicquid contrafieret non valeat ipso iure. Ne autem sub pretestu alicuius sacramenti prestiti vel prestandi vel generalis vel specialis renuntiationis vel remissionis facte vel fiende vel alio quocumque colore quesito contra presentia statuta aliquid directo vel per obliquum valeat atemptari, mandamus quod ipsa omnia statuta servari debeant et in omnibus locum optineant, ut supra, non obstante quod ipsorum vel alicuius eorum beneficio generaliter vel specialiter tacite vel expresse renunptiatum fuerit¹²⁹⁷ vel ius ex predictis competens pacto vel alio modo remissum reperiretur. Que renunptiatio seu remissio pro nulla et pro non facta habeatur et sit et quod etiam non obstante aliquo sacramento a maiore vel minore prestito vel prestando ex quo atentate vel atentandum, ut supra validari seu confirmari videretur. Quod sacramentum eo casu fieri, prestari, peti, exigi vel in aliqua scriptura publica vel privata apponi prohibemus hiis solis casibus exceptis quibus per presentia statuta renunptiatio, remissio seu sacramentum specialiter essent permissa. In predictis

¹²⁹⁵ <vel> *in infralinea con segno di inserzione.*

¹²⁹⁶ <statutis> *nel testo statutis.*

¹²⁹⁷ <fuerit> *in infralinea.*

vero casibus prohibitis alicui scripture in qua talis renunptiatio, remissio vel sacramentum reperiretur quoad ea tantum nulla fides possit vel debeat adhiberi, nec etiam de eis vel super eis per testes probatio fieri possit vel admitatur et tali scriptura in ea parte nullus utatur in iudicio vel extra, sub pena centum librarum bononinorum. Et quoad ipsam penam tantum inrogandam tali scripture in dicta parte prohibente, ut supra, fides adhibeatur et detur. Item statuimus idem ius servari et fieri clericis et etiam ecclesiasticis personis et collegiis clericorum in foro seculari et tam in procedendo quam in decidendo quod et quale servaretur laicis in foro ecclesiastico, salvis semper nostris statutis specialiter aliter disponentibus et specialiter statuto posito sub rubrica ‘De satisfatione prestanda a convenientibus subditos’ [IV, 39]. Statuentes insuper et mandantes quod de presentibus statutis fieri debeant tres libri in cartis membranis et miniari cum assidibus ligati unus quorum poni et ligari cum catena ferea debeat et conservari in camera et ad cameram actorum populi et comunis Bononie de qua non possint extrahi vel amoveri aliquo modo, pena extrahenti vel portanti seu portari fatienti vigintiquinque librarum bononinorum pro qualibet vice, alius consignari domino potestati et eius vicario, qui teneatur de eo inspitiendi et legendi copiam facere cuicumque et suis sucessoribus consignare et sic successive, alius consignetur domino capitaneo populi et de eo copia fiat et sucessoribus suis consignetur ut supra. Fiat etiam//

[c. 322r f. CCCXVI]

unus liber fatiens mentionem de statutis criminalibus, qui penes iudicem malifitorum stare debet et ipsum debeant suis sucessoribus consignare, nec possint nec debeant portare vel portari facere vel permittere dictos libros vel aliquod eorum extra pallatia vel domos pallatiorum comunis Bononie, sub pena centum librarum bononinorum cuilibet contrafatienti vel non observanti comuni Bononie aplicanda, salvo quam si portarentur de mandato dominorum antianorum. Qui libri scribi debeant manu notariorum per dominos antianos vel per dominum potestatem Bononie elligendorum. Quibus libris et cuilibet eorum et contentis in¹²⁹⁸ eis fides plena adhibeatur et detur. Et si in aliquo discordare reperirentur per presentes ultimos statutarios et revisores presentium statutorum ad concordiam reducantur et secundum quod ipsi declaraverint una cum vicario potestatis seu maior pars eorum dicti notarii corrigere et concordare teneantur. Et ex obmissione confectionis et consignationis talium librorum ad loca predicta huiusmodi statuta nullatenus vicientur. Ultimo cum propter multitudinem scripturarum presentium statutorum sepe contingat notarios ad has scripturas deputatos in scribendo errare vel obmitere dicimus, quod si dicatur aliquis eror fuisse comissus vel obmissio facta per dictos notarios seu aliquem eorum in scriptura ipsorum statutorum quod ad petitionem cuiuscumque dictus eror debeat videri per vicarium domini potestatis cum predictis statutariis et ultimis revisoribus, qui visis et examinatis tam veteribus statutis quam detracionibus et additionibus originalibus per ipsos statutarios super ipsis factis dictum errorem corrigi fatiant per alterum ex dictis notariis si haberi poterit allias per alterum ex notariis dominorum antianorum comunis Bononie et dicto errore corecto stetur ac si error comissus non foret, qui notarii scribant libere et impune. Cassantes, irritantes et annullantes omnia allia statuta et ordinamenta comunis Bononie in presenti volumine non comprehensa et omnes et singula provisiones et reformationes in conscillio et per conscilium quatrincetorum seu aliud conscilium comunis et populi Bononie factas seu heditas exceptis provisionibus et reformationibus infrascriptis quas auctoritate presentis statuti approbamus videlicet. Imprimis provisionem factam in millesimo trecentesimo septuagesimo sexto de mense martii fatientem mentione de

¹²⁹⁸ <in> dittografato.

potestate arbitrio et baylia concessis per consilium generale comunis Bononie dominis antianis comunis Bononie dicti menssis et menssis aprilis sequentis. Item provisionem factam in dicto millesimo fatientem mentionem de potestate et baylia nobis et aliis statuteriis suprascriptis atributa condendi et compilandi presentia statuta. Item provisionem factam fatientem mentionem de potestate et baylia concessis predictis statuteriis aprobandi statuta societatum artium comunis Bononie. Item aliam provisionem factam in millesimo trecentesimo septuagesimo sexto de mense aprilis fatientem mentionem de reformatione studii. Item provisionem factam in millesimo trecentesimo septuagesimo septimo die ultimo augusti scriptam manu Michaelis Palmerii notarii fatientem mentionem de quibusdam personis prohibitis reverti ad civitatem Bononie usque ad certum tempus in ea contemptum. Item provisionem factam in dicto millesimo et de mense septembris manu Mathei condam Zarletti notari fatientem mentionem quod banniti et rebelles comunis Bononie et carcerati seu confinati occaxione suspetionis non possint habere officium usque ad certum tempus in ea contentum. Exceptis provisionibus factis in favorem alicuius persone singularis quibus esset ius quesitum ex eis tempore publicationis presentium statutorum, quas omnes confirmamus ut supra. Salvis et reservatis statutis artium civitatis Bononie que approbata legitime reperirentur dum tamen presentibus statutis in aliquo non contradicant que presentia statuta volumus observari et omnibus et quibuscumque statutis dictarum artium prevalere. Et ne forenses vel ex forensibus descendentes ad officia comunis Bononie civibus competentia et maxime ad officium antianatus vel confaloneriorum aut massariorum dicti comunis aliquialiter admitantur declaramus// [c. 322v]

quod aliquis descendens ex forense ad aliquod offitium dicti comunis¹²⁹⁹ tamquam antianus vel massarius vel confalonerius vel de collegio doctorum iuris civilis vel canonici vel scientie medicine elligi ullo modo vel esse non possit etiam si ipse talis sit vel esse dicatur civis civitatis Bononie, origine propria paterna et avita vel saltim duabus ex eis, nisi saltim per quinqueginta annos elapssos ante publicationem presentium statutorum ipse vel sui asendentes moram traxerint in civitate Bononie et ut cives onera et collectas solverint et subierint. Et intelligantur descendentes ex forense prohibiti ut supra hii de quibus esset publicum et manifestum ex forensibus descendisse de quo si in dubium vertatur stetur declarationi dominorum antianorum et collegiorum.// [c. 323r f. CCCXVII]

Infrascripta sunt taxationes comitatus et districtus Bononie de quibus supra fit mentio in statuto posito sub rubrica 'In quibus locis et qualiter fumantes extimati et habitatores comitatus Bononie teneantur et compellantur solvere colectas et onera subire comunis Bononie' [VI, 74] et comunis sue terre que sunt hec videlicet imprimis

- Sancti Petri Comune Altedi habet pro taxatione
- Comune Bagnarole habet pro taxatione
- Comune Casellis habet pro taxatione
- Comune Cadamusci habet pro taxatione
- Comune Cermaçoris habet pro taxatione
- Comune Crucis Biaque habet pro taxatione
- Comune Camurate habet pro taxatione
- Comune Chaçani habet pro taxatione
- Comune Chadriani et Chalcadone habet pro taxatione
- Comune Marani habet pro taxatione
- Comune Ricardine habet pro taxatione

¹²⁹⁹ <comunis> *segue cuius exercitium depennato.*

Comune Quarti desubtus habet pro taxatione
Comune Sancti Martini in Sivriçano habet pro taxatione
Comune Salecti habet pro taxatione
Comune Villenove et Biliemis habet pro taxatione
Comune Vigladagole habet pro taxatione
Comune Villole habet pro taxatione
Comune Vigursii habet pro taxatione
Comune Urbicani habet pro taxatione
Comune Dugloli habet pro taxatione
Comune Barnaroli habet pro taxatione
Comune Levoleti habet pro taxatione
Comune Minervii habet pro taxatione
Comune Peole habet pro taxatione
Comune Quarti Superioris habet pro taxatione
Comune Russi habet pro taxatione
Comune Sancti Maurini habet pro taxatione
Comune Sancti Iohannis in Triario habet pro taxatione
Comune Aqualti habet pro taxatione
Comune Monçorgii habet pro taxatione
Comune Sancti Christofori de Planorio habet pro taxatione
Comune Sancti Laurentii de Aguçano habet pro taxatione
Comune Trassase habet pro taxatione//
[c. 323v]
Ravenatis
Comune Anconelle habet pro taxatione
Comune Butrii habet pro taxatione
Comune Burgi Novi habet pro taxatione
Comune Bibolani habet pro taxatione
Comune Burgi Abbadie habet pro taxatione
Comune Bisani habet pro taxatione
Comune Castri Sancti Petri habet pro taxatione
Comune Castri Sancti Pauli habet pro taxatione
Comune Castenasii habet pro taxatione
Comune Centi de Butrio habet pro taxatione
Comune Castri Britonum habet pro taxatione
Comune Clagnani habet pro taxatione
Comune Corvarie habet pro taxatione
Comune Casole Canine habet pro taxatione
Comune Cassani habet pro taxatione
Comune Cassadri habet pro taxatione
Comune Campegi habet pro taxatione
Comune Casalechi habet pro taxatione
Comune Duratii, Rioli et Baratini habet pro taxatione
Comune Farneti habet pro taxatione
Comune Flessi habet pro taxatione
Comune Frassinico habet pro taxatione
Comune Frassenete habet pro taxatione
Comune Galisani habet pro taxatione
Comune Gene habet pro taxatione
Comune Gargognani habet pro taxatione

Comune Lastignani habet pro taxatione
Comune Lignani habet pro taxatione
Comune Montis Armati habet pro taxatione
Comune Mesaracani habet pro taxatione
Comune Montis Rinçoli habet pro taxatione
Comune Montis Caldararii habet pro taxatione
Comune Mongodoris habet pro taxatione
Comune Montis Calvi habet pro taxatione
Comune Medesani habet pro taxatione
Comune Puçicalvoli habet pro taxatione
Comune Prunarii habet pro taxatione
Comune Piçani et Ronche Malapasque habet pro taxatione
Comune Podii Sancti Blasii habet pro taxatione//

[c. 324r f. CCCXVIII]

Comune Roncimaroni habet pro taxatione
Comune Riosti Aururi et Sivriçani habet pro taxatione
Comune Sancti Martini in Argele habet pro taxatione
Comune Sassuni habet pro taxatione
Comune Stifunti habet pro taxatione
Comune Sassinigri habet pro taxatione
Comune Scanelli habet pro taxatione
Comune Stioli habet pro taxatione
Comune Varagnane habet pro taxatione
Comune Ulgiani habet pro taxatione
Comune Vetrane habet pro taxatione
Comune Veçole habet pro taxatione
Comune Vidriani habet pro taxatione
Comune Capreni habet pro taxatione
Comune Predamale habet pro taxatione
Comune Valgatarre habet pro taxatione
Comune Virgigliani habet pro taxatione
Comune Lognole habet pro taxatione
Comune Roncastaldi habet pro taxatione
Comune Loyani habet pro taxatione
Comune Sassicasculi habet pro taxatione
Comune Poricli habet pro taxatione
Comune Sancti Georgii de Montanea habet pro taxatione
Comune Galegate habet pro taxatione
Comune Varignani habet pro taxatione

Sterii

Comune Sancti Andree in Curigliano habet pro taxatione
Comune Burgi Panicalis habet pro taxatione
Comune Bagni habet pro taxatione
Comune Castri Franchi habet pro taxatione
Comune Baçani habet pro taxatione
Comune Calcare habet pro taxatione
Comune Crespelani habet pro taxatione
Comune Canetuli habet pro taxatione
Comune Sancte Ellene habet pro taxatione

Comune Gagi de Sancto Ambrosio habet pro taxatione
Comune Mançolini habet pro taxatione
Comune Montisbelli habet pro taxatione
Comune Montismarii habet pro taxatione
Comune Sancte Marie in Strata habet pro taxatione//

[c. 324v]

Comune Montismaioris habet pro taxatione
Comune Monçorçii habet pro taxatione
Comune Oliveti habet pro taxatione
Comune Pragatuli habet pro taxatione
Comune Padulis habet pro taxatione
Comune Policini a sero Reni habet pro taxatione
Comune Panicalis Veteris habet pro taxatione
Comune Panchani habet pro taxatione
Comune Samodie habet pro taxatione
Comune Savignani habet pro taxatione
Comune Savigni habet pro taxatione
Comune Sale Aygonum habet pro taxatione
Comune Servalis habet pro taxatione
Comune Tigliole habet pro taxatione
Comune Ulmetule habet pro taxatione
Comune Unçole habet pro taxatione
Comune Sancti Vitalis de Reno habet pro taxatione
Comune Çapolini habet pro taxatione
Comune Sancte Aggathe habet pro taxatione
Comune Sancti Iohannis in Persiceto habet pro taxatione
Comune Nonantule habet pro taxatione

Proculi

Comune Argelate habet pro taxatione
Comune Asigle habet pro taxatione
Comune Argelis habet pro taxatione
Comune Bondanelli habet pro taxatione
Comune Ancognani habet pro taxatione
Comune Batidici habet pro taxatione
Comune Badali habet pro taxatione
Comune Bergadelli habet pro taxatione
Comune Bertalie habet pro taxatione
Comune Castagnoli Maioris habet pro taxatione
Comune Corteselle habet pro taxatione
Comune Castagnoli Minoris habet pro taxatione
Comune Cinquante habet pro taxatione
Comune Ceule habet pro taxatione
Comune Casalichi habet pro taxatione
Comune Casaglie habet pro taxatione
Comune Ceretuli habet pro taxatione//

[c. 325r f. CCCXVIII^{or}]

Comune Castri Sancti Laurentii in Colina habet pro taxatione
Comune Caprarie habet pro taxatione
Comune Coloreti habet pro taxatione

Comune Castri Episcopi habet pro taxatione
Comune Dalmaçatici habet pro taxatione
Comune Fregaroli habet pro taxatione
Comune Galerie habet pro taxatione
Comune Gavaseti habet pro taxatione
Comune Gregençani habet pro taxatione
Comune Gissi habet pro taxatione
Comune Glicule habet pro taxatione
Comune Laygune habet pro taxatione
Comune Lauri habet pro taxatione
Comune Lamole habet pro taxatione
Comune Montisclari habet pro taxatione
Comune Maçani habet pro taxatione
Comune Montisfrascuni habet pro taxatione
Comune Musignani habet pro taxatione
Comune Montis Sancti Petri habet pro taxatione
Comune Mongardini habet pro taxatione
Comune Montis Sancti Iohannis habet pro taxatione
Comune Montislungi habet pro taxatione
Comune Funi habet pro taxatione
Comune Montisrumisi habet pro taxatione
Comune Mugli habet pro taxatione
Comune Masimatici habet pro taxatione
Comune Nugareti habet pro taxatione
Comune Macharetici habet pro taxatione
Comune Octo habet pro taxatione
Comune Oçani habet pro taxatione
Comune Podii Masumatici habet pro taxatione
Comune Predose habet pro taxatione
Comune Pini et Mugnani habet pro taxatione
Comune Policini habet pro taxatione
Comune Podii Rognatici habet pro taxatione
Comune Pescarole habet pro taxatione
Comune Ponticli habet pro taxatione
Comune Paderni habet pro taxatione//

[c. 325v]

Comune Predalbini habet pro taxatione
Comune Roncaglie habet pro taxatione
Comune Rognatici habet pro taxatione
Comune Roncoris habet pro taxatione
Comune Roncorei habet pro taxatione
Comune Roche habet pro taxatione
Comune Roche Rodulforum habet pro taxatione
Comune Rovoretuli habet pro taxatione
Comune Sivratichi habet pro taxatione
Comune Sancti Vincentii habet pro taxatione
Comune Spisi habet pro taxatione
Comune Salepoçete habet pro taxatione
Comune Sancte Marie in Donis habet pro taxatione
Comune Sancti Benedicti de Plano habet pro taxatione

Comune Sancti Petri in Casale habet pro taxatione
Comune Sancti Georgii de Plano habet pro taxatione
Comune Sancti Venantii habet pro taxatione
Comune Sancti Alberthi habet pro taxatione
Comune Saliceti habet pro taxatione
Comune Sancti Laurentii in Funi habet pro taxatione
Comune Sabluni de Montanea habet pro taxatione
Comune Sancti Yllaris habet pro taxatione
Comune Sancti Iohannis in Tiçano habet pro taxatione
Comune Scoveti habet pro taxatione
Comune Sancti Rophilli habet pro taxatione
Comune Sexti habet pro taxatione
Comune Surisani habet pro taxatione
Comune Ticanelli habet pro taxatione
Comune villarum plebis Sancti Laurentii habet pro taxatione
Comune Vimignani habet pro taxatione
Comune Volte habet pro taxatione

Vallis Reni

Comune Agliani habet pro taxatione
Comune Affrighi habet pro taxatione
Comune Badi habet pro taxatione
Comune Briçanelle habet pro taxatione
Comune Bargi pro habet taxatione
Comune Brigole habet pro taxatione
Comune Baçani et Demalfollis habet pro taxatione//

[c. 326r f. CCCXX]

Comune Confienti habet pro taxatione
Comune Casi habet pro taxatione
Comune Camognani et Carpenete habet pro taxatione
Comune Camognani de Sancto Martino habet pro taxatione
Comune Crede habet pro taxatione
Comune Casole habet pro taxatione
Comune Costoçe habet pro taxatione
Comune Caçanesche habet pro taxatione
Comune Castris Alpibus habet pro taxatione
Comune Campiani habet pro taxatione
Comune Cedrigle habet pro taxatione
Comune Caprarie habet pro taxatione
Comune Canevelle habet pro taxatione
Comune Camognani habet pro taxatione
Comune Casole Sirani habet pro taxatione
Comune Caprigle habet pro taxatione
Comune Caprignani habet pro taxatione
Comune Castris Novi habet pro taxatione
Comune Casigni habet pro taxatione
Comune Ceroli habet pro taxatione
Comune Elly habet pro taxatione
Comune Fulisani habet pro taxatione
Comune Griçane habet pro taxatione

Comune Gazi habet pro taxatione
 Comune Ignani habet pro taxatione
 Comune Lisani habet pro taxatione
 Comune Livrignani habet pro taxatione
 Comune Lagognane habet pro taxatione
 Comune Luminasii habet pro taxatione
 Comune Liçaminati habet pro taxatione
 Comune Labanti habet pro taxatione
 Comune Liserne habet pro taxatione
 Comune Montisaguti Argatie habet pro taxatione
 Comune Montis Cavalorii habet pro taxatione
 Comune Monçonis habet pro taxatione
 Comune Mognis habet pro taxatione
 Comune Montorii habet pro taxatione//
 [c. 326v]
 Comune Montisfredentis habet pro taxatione¹³⁰⁰
 Comune Montis Notii habet pro taxatione
 Comune Montis Asigli habet pro taxatione
 Comune Montis Pasturi habet pro taxatione
 Comune Montispoli habet pro taxatione
 Comune Musiglioli habet pro taxatione
 Comune Prade habet pro taxatione
 Comune Podii Russi habet pro taxatione
 Comune Preduri habet pro taxatione
 Comune Plebis Rofeni habet pro taxatione
 Comune Panici habet pro taxatione
 Comune Predacolorie habet pro taxatione
 Comune Prunaroli habet pro taxatione
 Comune Roxoli habet pro taxatione
 Comune Rasigli habet pro taxatione
¹³⁰¹Comune Roche Pidigliani habet pro taxatione
 Comune Savignani habet pro taxatione
 Comune Stagni habet pro taxatione
 Comune Stanchi habet pro taxatione
 Comune Sancti Damiani habet pro taxatione
 Comune Salvarii habet pro taxatione
 Comune Sancti Andree habet pro taxatione
¹³⁰²Comune Punçani habet pro taxatione
 Comune Sancti Martini in Casola habet pro taxatione
 Comune Susani habet pro taxatione
 Comune Sucide habet pro taxatione
 Comune Garnagliuni habet pro taxatione
 Comune Sanguenete habet pro taxatione
¹³⁰³Comune Grasserre habet pro taxatione
 Comune Vighi habet pro taxatione
 Comune Vimignani habet pro taxatione

¹³⁰⁰ *Sul margine destro*: Mandamus vobis domino Iohanni.

¹³⁰¹ *Sul margine sinistro*: Mandamus Paulus filius Iohannis de Sancto Georgio.

¹³⁰² *Sul margine sinistro*: Supradictorum.

¹³⁰³ *Sul margine sinistro*: Antonius.

Comune Verçuni habet pro taxatione
Comune Veççi habet pro taxatione
Comune Vadi habet pro taxatione
Comune Vallis habet pro taxatione
Comune Venole habet pro taxatione
Comune Vedegheti habet pro taxatione
Comune Vignole habet pro taxatione
Comune Toleti habet pro taxatione.//

[c. 327r f. CCCXXI]

[S.T.] Ego Iacobinus quondam Quintilli olim Iacobini Federici civis Bononie publicus imperiali et comunis Bononie auctoritate asumptus et ellectus per suprascriptos dominos dominos antianos ad scribendum in presentibus statutis scripsi in presenti volumine statutorum centumsexdecim cartas incipientes in primo prohemio ibi dum dicit ‘In nomine domini nostri Iesu Christi et cetera’ [c. 11r] et finientes ‘Nec aliquod predictorum’ [c. 126v] ideoque me subscripsi in testimonium et fidem premissorum signumque meum apposui consuetum et scripsi et subscripsi.

[S.T.] Ego Gulielmus quondam Iohannis de Palmeria civis Bononie publicus auctoritate comunis Bononie notarius asumptus et ellectus per suprascriptos dominos antianos ad scribendum in presentibus statutis¹³⁰⁴ scripsi in presenti volumine statutorum in una parte subsequenter post suprascriptum Iacobinum cartas sexdecim lineo tredecim incipientes in rubrica ‘De Officio et salario potestatum de sacho’ [c. 127r] et finientes ‘ut moris est in civitatis Bononie’ [c. 143r] et in una alia parte cartas vigintiuna et unum latus alterius carte et finientes ‘Prout possunt adaptari’ [cc. 145r-166r] ideoque me subscripsi in testimonium et fidem premissorum signumque meum apposui consuetum scripsi et subscripsi.

[S.T.] Ego Albericus condam Henrigipti de Lambertinis civis Bononie publicus imperiali et comunia Bononie auctoritate notarius electus et asumptus per suprascriptos magnificos dominos dominos ancianos ad ordinandum et scribi faciendum presentia statuta de ipsorum mandato et iussu scripsi in presenti volumine statutorum in una parte cartas vigintiocto et lineas vigintiduas incipientes in rubrica ‘Incipit liber quartus et cetera’ [cc. 167r-195r] et finiunt inde sequutum, et in una alia parte cartas sexdecim et unum latus et quinque lineas cum dimidia incipientes in rubrica ‘Quomodo et qualiter creari debeant tabeliones’ [cc. 197r-213v] et finientes inde secutum ideoque me in testimonium et fidem premissorum subscripsi signumque meum aposui consuetum scripsi et subscripsi.

[S.T.] Ego Manentinus quondam Bianchi olim Manentini Bagaroti publicus imperiali et comunis Bononie auctoritate notarius ellectus et asumptus per suprascriptos magnificos dominos dominos ancianos ad scribendum in presentibus statutis facto scripsi in presenti volumine statutorum quinquegintaquinque cartas incipientes in rubrica ‘Incipit liber quintus causarum criminalium’ [c. 214r] et finientes ‘Vigintiquinque librarum bononinorum’ [c. 268v] ideo me subscripsi in testimonium premissorum post subscriptionem¹³⁰⁵ suprascriptorum Iacobini, Guillelmi et Alberici signum quod meo consueto signa inscripsi subscripsi.

[S.T.] Ego Anthonius Franciscii olim ser Gerardi de Malcalçatis civis Bononie publicus imperiali et comunis Bononie auctoritate notarius assumptus et ellectus per suprascriptos dominos dominos antianos ad scribendum in presentibus statutis scripsi in presenti volumine statutorum quinquegintatres cartas et unum latum et octo lineas

¹³⁰⁴ <statutis> *segue scribendum depennato.*

¹³⁰⁵ <subscriptionem> *segue subs depennato.*

incipientes ‘Incipit liber sextus¹³⁰⁶ de hiis’ [269r] et finientes ‘stetur declarationi dominorum antianorum et collegiorum’ [c. 322v] ideoque me subscripsi in testimonium promissorum post subscriptionem suprascriptorum Iacobini, Alberti et Manentini signumque meum consuetum apposui subscripssi.

¹³⁰⁶ *Sul margine laterale destro a matita: leggi septimus.*